UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Benedicti XIV. ab initio Pontificatus usque ad Annum 1746

Luxemburgi, 1752

urn:nbn:de:hbz:466:1-74696

Visual Library



Th. 475 A

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

MAGNUM BULLARIUM ROMANUM,

SEU EJUSDEM

CONTINUATIO,

Quæ SUPPLEMENTI loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt EDITIONIBUS, ROMANÆ, & LUGDUNENSI.

CUM RUBRICIS, SUMMARIIS, SCHOLIIS, ET INDICIBUS.

TOMUS DECIMUS-SEXTUS,

Complectens Constitutiones BENEDICTI XIV. ab initio Pontificatus usque ad Annum 1746.



Juxta Exemplar ROMÆ, Ex Typographia SACRÆ CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE *editum* 1746.

LUXEMBURGI,

Sumptibus HENRICI-ALBERTI GOSSE & Soc. Bibliopol. & Typograph.

M D C C L I I.

CUM PRIVILEGIO SACRÆ CÆSAREÆ ET CATHOLICÆ MAJESTATIS.

MAGNUM BULLARIUM ROMANUM,

SEU EJUSDEM

CONTINUATIO,

CUM NUMERIS, SUMMARIIS, SCHOLIIS, ET INDICIBUS

TOMUS DECIMUS-SEXTUS.

LUXEMBURGI.



BENEDICTUS PAPA XIV.

DOCTORIBUS ET SCHOLARIBUS UNIVERSIS BONONIÆ COMMORANTIBUS, ET JURI CANONICO ET CIVILI *STUDENTIBUS.*

JAM ferè ſextus annus præteriit, ex quo Deus Optimus Maximus Nos, licet immerentes, ad Summum Pontificatum evexit. Hoc temporis ſpatio omnem ſanè operam pro tenuitate noſtrarum virium conferre haud prætermiſimus, ut Sacrum Fidei Depoſitum, & Eccleſiaſticam diſciplinam tueremur; corruptelis aditum intercluderemus, quæ ipſam labefactare poterant, ac rationes omnes, & conſilia adhiberemus, quibus in Urbe Româ, totâque Pontificiâ Ditione unicuique juſtitia probe adminiſtraretur: Neque populorum, qui à Nobis remotiſſimi ſunt, & totius Orientalis Eccleſiæ (quantum in Domino potuimus) curam ſuſcipere negleximus. Id autem conſpici poteſt ex hoc eodem Libro, quem Nos exemplo ducti Prædeceſſorum noſtrorum Typis committi permittimus. Nam etſi ipſorum Conſtitutiones, ac aliqua Brevia congeſta fuerint in Romanum Bullarium, quod quidèm privatâ auctoritate confectum eſt; tamen Innocentii Duodecimi Diplomata alio privato Libro impreſſa continentur, quem Georgius Firmianus, dum Pontifex adhuc inter vivos ageret, evulgavit. Multa quoque præclara Volumina in omnium manibus verſantur, in quibus Clementis Undecimi Conſtitutiones, ac Brevia ſolùm habentur; quos quidem Libros magnificenter adornatos Annibal Cardinalis Albanus, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerarius, Nepos ejuſdem Pontificis, in lucem edi curavit. His exemplis permoti Typis emittimus hoc primum Volumen, quod noſtras Conſtitutiones, videlicet Bullas, & aliqua Brevia, Litteras Encyclicas, & alia hujuſmodi complectitur, ex quibus non mediocrem utilitatem futuram putavimus: Nonnulla verò, quæ ad privata tantùm negotia pertinebant, omiſimus. Etſi autem ferè omnia, quæ in hunc Librum congeſſimus, publicam jam lucem adſpexerint; tamen experientiâ compertum eſt, has exiguas pagellas diuturnitate temporis concidere, ac penitus interire; cum per-

pauci eo ſtudio teneantur, ut ipſas colligant, & ſimul in volumen redigant. Quare Nos ipſi libenter has laboris partes ſubivimus, ut poſteritatem hâc moleſtiâ levaremus. Quàm accuratè hæc facta ſint, vel inde cognoſci poterit, quod noſtras Conſtitutiones, ac cætera omnia deſcribi in iſto Codice, atque excudi eo prorſus modo juſſimus, quo primùm evulgata fuerunt: Ideo poſt ſingula ferè Diplomata notantur illorum nomina, qui nihil præſtiterunt aliud, quàm ipſa referre in acta, vel ad fidem faciendam ſubſcribere.

Illud quoque palam, ac manifeſtum facere haud prorſus inutile duximus, nihil omninò contineri in hoc Libro, quod a Nobis inter graviſſimas Paſtoralis officii curas vel confectum integrè, vel primo excogitatum, & ſermone Italico digeſtum, & poſtea latinè redditum, ac deinde oculis noſtris exhibitum accurato ſtudio non inſpexerimus, ne aliquid vel oſcitantiâ omiſſum, vel errore immutatum eſſet ex iis, quæ Nobis antea in animo ſtatuenda, edicendaque propoſueramus. Porrò harum noſtrarum Conſtitutionum, ac Brevium exemplaria de more ſervantur in iiſdem Archivis, ubi retineri ſolent aliorum Pontificum Diplomata, quæ vel Romano Bullario, vel privatis Libris conſignata leguntur. Neque illud a Nobis prætereundum eſt, Romanis Pontificibus morem perpetuò fuiſſe, ut Epiſcopos univerſos, vel alicujus tantùm Provinciæ ad Catholicam Fidem cuſtodiendam, morumque diſciplinam aut ſervandam, aut reſtaurandam, Litteris Encyclicis excitarent. Qua in re poſtremis hiſce temporibus uſi ſunt operâ Congregationum, vel Romanæ Inquiſitionis, vel de Propaganda Fide, & frequentius Congregationum, quibus negotia Epiſcoporum, & Regularium examinandi cura, aut Tridentini Concilii explicandi, interpretandique munus demandatum eſt. Has Litteras Præſules, qui erant à Secretis earum Congregationum, plerùmque exarabant; deindè Cardinalis Præfecti manu obſignatæ ad Epiſcopos mittebantur: id tamen cautum ſemper fuit, ut ipſas Litteras Pontificis auctoritate ſcriptas quiſque intelligeret; earumque exemplaria referri ſolebant in acta ipſarum Congregationum, quemadmodum unicuique cognitum, perſpectumque eſt. Id nos diligentiſſimè exequuti ſumus, cùm adhuc in minoribus munus à Secretis Congregationis Concilii per decem, & amplius annos obivimus; quo temporis ſpatio tres Pontifices Sedem Apoſtolicam obtinuerunt. Poſtea verò Divinæ largitatis beneficio ad ſummum Pontificatum evecti Litteras Encyclicas ad univerſos Epiſcopos, vel alicujus tantùm Provinciæ, & nonnullas etiam privatim ad aliquos Epiſcopos dedimus, prout temporum ratio poſtulabat, quæ huic primo Volumini adjunguntur. In his autem conſcribendis Epiſtolis veterem Prædeceſſorum noſtrorum (ſi poſtrema tempora excipiantur) conſuetudinem revocandam duximus, qua ipſi per ſe Litteras Epiſcopis dabant, rati majorem vim id habiturum; cum ampliorem Pontificiæ benevolentiæ ſignificationem ipſius Pontificis Epiſtolæ teſtari videantur Epiſcopis, quibuſcum ille Fraternitatis vinculo conjungitur, quàm quæ ab aliis, auctoritate licèt Summi Pontificis, conſcribuntur. Plura quidem noſtrarum Litterarum exemplaria repoſita ſunt in Archivis Congregationum, ad quas earum Litterarum negotia, & argumenta pertinebant. Attamen quia contingere poteſt, ut ipſa aliquando temporum injuriâ intercidant; & quia fortaſsè non deeſt aliquis, aut etiam non defuit, qui acceptis noſtris Litteris, Romæ licet impreſſis, noſtroque Nomine inſcriptis, dubius tamen incertuſque hæſit, utrum Nos ipſarum Auctores eſſemus; (quaſi verò temeritas hominum eò devenire poſſit, ut aliquis, Nobis vitam agentibus, Litteras Encyclicas noſtro Nomine falsò inſcribere, eaſque Romanis Typis committere audeat) ad omnem dubitationem tollendam reponi juſſimus duo Codicis hujus exemplaria, quæ manu noſtrâ ſubſcripſimus, noſtroque Signo obfirmavimus, unum in Archivo Caſtri S. Angeli, alterum in Archivo ſecreto Vaticano, ut hæc monumenta certa, ac perpetua faciamus, nec ullo unquam tempore Litteris Encyclicis, aut aliis in hunc Codicem relatis, fides imminuatur.

Neque

Neque sanè novum, aut inauditum est id, quod paulo ante commemoravimus: Quippe Innocentius III. Prædecessor Noster plura decernere necesse duxit *Cap Pastoralis. De fide Instrumentorum*, ut multorum controversias in hac re componeret: Etenim nonnullas Pontificum Decretales Litteras neque certâ, neque firmâ auctoritate præditas aliqui dictitabant, quas tamen alii magno studio tuebantur.

Nemo, qui jus Pontificium primis, ut ajunt, labiis solùm attigerit, ignorare potest quatuor antiquas Decretalium Collectiones, quæ superioribus sæculis ab Antonio Augustino, & quintam, quæ ab Innocentio Cironio in lucem emissæ fuerunt, confectas fuisse, antequàm Gregorius IX. suam promulgaret, quæ vim, & auctoritatem ad hanc usque diem perpetuò retinuit. Duæ primæ privato solùm judicio, sententiâque editæ sunt; cæteræ verò publica auctoritate: has autem Romani Pontifices Doctoribus & Scholaribus Universitatis Bononiensis nuncuparunt; quorum exemplum secutus est Gregorius IX., & Bonifacius VIII., cùm Librum sextum Decretalium in publicum adspectum prodire jussit, ac postremò Joannes XXII., cum Decretales Clementis V. posteritati commendavit. De hac re copiosiùs verba fecimus in Præfatione nostri Commentarii: *De Festis diebus Domini Nostri Jesu Christi, ac Beatæ Virginis Mariæ*, quod Italicâ linguâ à Nobis conscriptum, ac Bononiæ impressum fuit: Illud deindè latinè redditum est, atque editum Patavii absque eâ Præfatione, quam paulò antè memoravimus.

Hoc loco addendum supereſt, in Archivo Vaticano à Nobis repertum fuisse monumentum Innocentii IV., qui anno 1253. Decretales suas colligendas ob eam causam existimavit, quod aliæ plures ipsi tribuerentur, quas ille ne cogitatione quidèm attigerat: Itaque Pontifex Epistolam scribit Bononiensi Archidiacono, in quâ rationem consilii sui planè recenset, Decretales suas propriis sub titulis disponit, eique mandat, ut eædem Decretales publicentur, & præstantium in Bononiensi Academiâ Professorum notis illustrentur. Equidem ignoramus quam ob causam Pontificis jussa executioni minimè mandata fuerint; omnibus tamen notissimum est, quod Bonifacius VIII. in sextum Librum Decretalium illas Innocentii IV. summâ diligentiâ, ac fide congessit, eosdemque titulos retinuit, quos idem Innocentius præposuerat.

Nobis profectò, nostræque in Patriam benevolentiæ deesse videremur, nisi hoc tempore, tot illustrium Pontificum exemplis adducti, Doctoribus & Scholaribus Universitatis Bononiensis Collectionem hanc nostram inscriberemus, cum præsertim inter ejus Doctores Nos ipsi recensiti fuerimus, cum adhuc in minoribus versaremur. Quod si appellatione *Corporis*, ut ajunt, *Juris Canonici* comprehendi tantùm debeant congestæ à Gregorio IX., Bonifacio VIII., & Clemente V. Decretales, hoc Volumen nostrum isto sanè nomine haud contineri, certum est; sin autem appellatione *Corporis Juris Canonici* intelligendum est quidquid ab Apostolicâ auctoritate promanat, (quâ omnes Romani Pontifices æquè præditi sunt) tùm hujusmodi nuncupatione Librum quoque nostrum comprehendi, nemo inficiabitur; uti constat ex responso Nicolai Primi *Canon. Si Romanorum, distinct.* 19. Sed quæstionem omittamus, quæ solo nomine continetur. Illud postremum sit, quod operam nostram præcipuè contulimus, ut viam facilem, ac planam sterneremus, cùm vestris, tùm aliorum studiis, qui hæc nostra monumenta pervolvent. Siquidèm non modò Indices argumentorum, ac verborum diligenter addi jussimus, sed etiam eorum verborum, quibus singulæ nostræ Constitutiones inchoantur, tùm certum ordinem, ita ut ad titulos ipsæ referantur aliarum Decretalium, quibus uti quotidiè consueviſtis. Hanc benevolentiæ nostræ significationem, ac testimonium gratissimum fore vobis non dubitamus, quibus etiam Benedictionem Apostolicam peramanter impertimur.

CONSTITUTIONES, EPISTOLÆ &c.
SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
BENEDICTI PAPÆ XIV.
Secundum Titulos
LIBRORUM DECRETALIUM
DISPOSITÆ.

LIBER PRIMUS.

De Summa Trinitate & Fide Catholica.
Tit. I.

Constitutio LVII. quæ incipit : *Etsi Pastoralis* §. 1. *Ac primo.* pag. 94
Constitutio LIX. quæ incipit : *Ex quo.* pag. 105
Constitutio LXXXIX. quæ incipit : *Inter omnigenas* §. 3. *Ordientes.* pag. 173
Constitutio CVII. quæ incipit : *Omnium solicitudinum.* p. 231

De Constitutionibus.
Tit. II.

Constitutio XXXI. quæ incipit : *Singularis.* pag. 45

De Rescriptis.
Tit. III.

Constitutio XXVIII. quæ incipit : *Quamvis paternæ.* pag. 41
Constitutio XLV. quæ incipit : *Ad Apostolicæ.* pag. 73
Constitutio LXXXIX. quæ incipit : *Inter Omnigenas* §. *Circa dispensationes.* pag. 174
Constitutio CXLV. quæ incipit : *Gravissimum.* pag. 334

De Postulatione Prælatorum.
Tit. V.

Constitutio LXXVII. quæ incipit : *Quod non humana.* p. 146

De Electione & Electi potestate.
Tit. VI.

Constitutio LXI. quæ incipit : *Quamquam inhærens.* pag. 115
Constitutio LXVII. quæ incipit : *Nuper nos.* pag. 121
Constitutio LXX. quæ incipit : *Obsurdescit.* pag. 127
Constitutio LXXX. quæ incipit : *Magna non minus.* p. 152
Constitutio CXXXI. quæ incipit : *Hieronymo.* pag. 302

De Translatione Episcopi.
Tit. VII.

Constitutio LXXXVII. quæ incipit : *Nuper ad nos.* pag. 147

De Authoritate & usu Pallii.
Tit. VIII.

Constitutio XCII. quæ incipit : *Dum nobiscum.* pag. 178
Constitutio CI. quæ incipit : *Literas.* pag. 207

De Temporibus Ordinationum, & qualitate Ordinandorum.
Tit. XI.

Constitutio II. quæ incipit : *Ubi primum* §. 1. *In primis.* pag. 3
Constitutio LVII. quæ incipit : *Etsi Pastoralis* §. 7. *Romani Pontifices.* pag. 94
Constitutio LXIII. quæ incipit : *E sublimi.* pag. 117
Constitutio CXXIX. quæ incipit : *Eo quamvis* §. 17. *Ad tertium, & quartum.* pag. 292

De Ætate, & qualitate, & ordine Præficiendorum.
Tit. XIV.

Constitutio II. quæ incipit : *Ubi primum* §. 3. *Sed & illud.* p. 3
Constitutio V. quæ incipit : *Ad Apostolicæ.* pag. 7
Constitutio LXVIII. quæ incipit : *Cum illud.* pag. 121

De Sacra Unctione.
Tit. XV.

Constitutio X. quæ incipit : *Cum ad infrascriptam.* pag. 17
Constitutio XI. quæ incipit : *Auget.* pag. 18
Constitutio LVII. quæ incipit : *Etsi Pastoralis* §. 3. *Episcopi*, §. 4. *Non sunt cogendi*, & §. 5. *Nulli* num. 1. 2. 3. 4. pag. 96 & 97
Constitutio LXX. quæ incipit : *Obsurdescit.* pag. 127
Constitutio LXXXVII. quæ incipit : *Demandatam* §. 14. *Sacramentum.* pag. 169
Constitutio CXXIX. quæ incipit : *Eo quamvis* §. 4. *Quod attinet.* pag. 293
Constitutio CXXXVI. quæ incipit : *Tam præclaram.* pag. 311

De Officio Vicarii.
Tit. XXVIII.

Constitutio CXV. quæ incipit : *Romanæ Curiæ* §. 16. *Ut autem.* pag. 270

De Officio & potestate Judicis Delegati.
Tit. XXIX.

Constitutio IV. quæ incipit : *Nemo est.* pag. 5
Constitutio VIII. quæ incipit : *Decet Romanum Pontificem.* p. 16
Constitio LXXIX. quæ incipit : *Nuper ad sedandas.* pag. 150

De Officio Judicis Ordinarii.
Tit. XXXI.

Constitutio II. quæ incipit : *Ubi primum* §. 5. *Ad hæc*, & §. 6. *Postremò.* pag. 4
Constitutio CXV. quæ incipit : *Romanæ Curiæ* §. 36. *Ad hæc.* pag. 272

De Officio Judicis.
Tit. XXXII.

Constitutio CXV. quæ incipit : *Romanæ Curiæ* §. 46. *Reliquum est.* pag. 274

De Majoritate, & Obedientia.
Tit. XXXIII.

Constitutio VII. quæ incipit : *Quod Sancta.* pag. 11
Constitutio XVIII. quæ incipit : *Quod Apostolus.* pag. 28
Constitutio XXV. quæ incipit : *Quemadmodum.* pag. 38
Constitutio LVII. quæ incipit : *Etsi Pastoralis* §. 9. num. 17. *Cum inter*, & 19. *Ita autem.* pag. 102
Constitutio LXVI. quæ incipit : *Etsi dubitare.* pag. 120
Constitutio LXXVI. quæ incipit : *Apostolicæ servitutis.* p. 142
Constitutio LXXXVII. quæ incipit : *Demandatam* §. 3. *De Ritibus* §. 12. *Quod verò.* pag. 167. 168
Constitutio CII. quæ incipit : *Eximii.* pag. 208
Constitutio CXIV. quæ incipit : *Redditæ.* pag. 267
Constitutio CXXVI. quæ incipit : *Inter maximas.* pag. 289
Constitutio CXXVII. quæ incipit : *Ad Populorum.* pag. 290
Constitutio CXLVI. quæ incipit : *Urbem Romam.* pag. 337

LIBER

LIBER SECUNDUS.

De Judiciis.
Tit. I.
Constitutio XXIII. quæ incipit : *Dei miseratione.* pag. 48
Constitutio XLVII. quæ incipit : *Pastoralis.* pag. 75
Constitutio CXV. quæ incipit : *Romanæ Curiæ.* pag. 268

De Foro competenti.
Tit. II.
Constitutio XLIV. quæ incipit : *Quantum ad procurandam.* p. 69
Constitutio CXV. quæ incipit : *Romanæ Curiæ §. 4. Ac primum omnium.* pag. 268

De Feriis.
Tit. IX.
Constitutio LVII. quæ incipit : *Etsi Pastoralis §. 9.* num. 3. *Cujusmodi sunt* num. 6. *Demum.* pag. 101
Constitutio LX. quæ incipit : *Nihil profecto.* pag. 114
Constitutio LXII. quæ incipit : *Cum sicut quædam.* pag. 116
Constitutio CV. quæ incipit : *Paternæ caritatis.* pag. 220
Constitutio CXXVIII. quæ incipit : *Inter sollicitas.* pag. 291
Constitutio CXXXVIII. quæ incipit : *Nuper pro parte.* pag. 313
Constitutio CXLIV. quæ incipit : *Ab eo tempore.* pag. 329

De Confessis.
Tit. XVIII.
Constitutio LXXI. quæ incipit : *Avendovi Noi.* pag. 128

De Appellationibus, Recusationibus, & Relationibus.
Tit. XXVIII.
Constitutio XLVIII. quæ incipit : *Ad Militantis.* pag. 70
Constitutio LXVIII. quæ incipit : *Cum illud.* pag. 121
Constitutio CXV. quæ incipit : *Romanæ Curiæ §. 33. Alia pariter.* pag. 272
Constitutio CXXXII. quæ incipit : *Altissimo.* pag. 303

LIBER TERTIUS.

De vita, & honestate Clericorum.
Tit. I.
Constitutio LXXXIV. quæ incipit : *Præclara debitæ.* p. 158
Constitutio CXXIX. quæ incipit : *Eo quamvis §. 31. Insuper.* pag. 296

De Cohabitatione Clericorum, & Mulierum.
Tit. II.
Constitutio CXXIX. quæ incipit : *Eo quamvis §. 34. Quamvis.* pag. 296

De Clericis non residentibus in Ecclesia, vel Præbenda.
Tit. IV.
Constitutio II. quæ incipit : *Ubi primum §. 4. Jam verò.* pag. 4
Constitutio XXVI. quæ incipit : *Grave & permolestum.* pag. 39
Constitutio LXXXVII. quæ incipit : *Demandatum §. 13. Et quoniam.* pag. 168
Constitutio CXIX. quæ incipit : *In Regimine.* pag. 278

De Præbendis, & Dignitatibus.
Tit. V.
Constitutio XII. quæ incipit : *Cum sicut accepimus.* pag. 19
Constitutio LVII. quæ incipit : *Etsi Pastoralis §. 5.* num. 7. *Sacerdotes* num. 8. 9. 10. 11. pag. 97. §. 9. num. 13. *Cum autem,* & seq. pag. 102
Constitutio LXXXI. quæ incipit : *Romana Ecclesia.* pag. 153
Constitutio CIV. quæ incipit : *Fructuosa.* pag. 218

De rebus Ecclesiæ alienandis, vel non.
Tit. XIII.
Constitutio XXIX. quæ incipit : *Universalis.* pag. 42
Constitutio XC. quæ incipit : *Ut primum.* pag. 176

De locato & conducto.
Tit. XVIII.
Constitutio LXV. quæ incipit : *Essendo ben gravi.* pag. 118

De Solutionibus.
Tit. XXIII.
Constitutio LXXIII. quæ incipit : *Dudum.* pag. 139

De Sepulturis.
Tit. XXVIII.
Constitutio XXXVII. quæ incipit : *Præcipuum.* pag. 56
Constitutio LXXIII. quæ incipit : *Dudum.* pag. 139
Constitutio LXXXIX. quæ incipit : *Inter omnigenas §. 24. Denique.* pag. 175

De Parochiis, & alienis Parochianis.
Tit. XXIX.
Constitutio XLII. quæ incipit : *Etsi minime.* pag. 64
Constitutio LVII. quæ incipit : *Etsi Pastoralis §. 9.* num. 20. *Ubi verò.* pag. 102
Constitutio CXI. quæ incipit : *Quantopere.* pag. 255
Constitutio CXII. quæ incipit : *Quæ inter.* pag. 260

De Decimis, Primitiis, & Oblationibus.
Tit. XXX.
Constitutio LVI. quæ incipit : *Acerbi planè.* pag. 93

De Regularibus, & transeuntibus ad Religionem.
Tit. XXXI.
Constitutio XXI. quæ incipit : *Cum Sacrarum.* pag. 34
Constitutio LVII. quæ incipit : *Etsi Pastoralis §. 9.* num. 22. *Ordinationes.* pag. 103
Constitutio LXXXVII. quæ incipit : *Demandatam §. 20. Demum & seq.* pag. 196
Constitutio CXXV. quæ incipit : *Insignem.* pag. 288

De Conversione Infidelium.
Tit. XXXIII.
Constitntio CXVII. quæ incipit : *In Suprema.* pag. 276

De Voto, & Voti Redemptione.
Tit. XXXIV.
Constitutio LXIX. quæ incipit : *Quo magis.* pag. 126

De statu Monachorum, & Canonicorum Regularium.
Tit. XXXV.
Constitutio XV. quæ incipit : *Sæpe Romanorum.* pag. 24
Constitutio XXXIX. quæ incipit : *Regularis disciplinæ.* pag. 60
Constitutio XL. quæ incipit : *Salutare.* pag. 62
Constitutio XLIX. quæ incipit : *Quod communi.* pag. 82
Constitutio XCVIII. quæ incipit : *Inter plures.* pag. 198
Constitutio CXXXV. quæ incipit : *Quod inscrutabili.* pag. 305

De Religiosis Domibus, ut Episcopo sint subjectæ.
Tit. XXXVI.
Constitutio XXIV. quæ incipit : *Romanæ Ecclesiæ.* pag. 37
Constitutio XXXII. quæ incipit : *Militares.* pag. 47
Constitutio LXXII. quæ incipit : *Humilitatis Nostræ.* pag. 129

De Capellis Monachorum, & aliorum Religiosorum.
Tit. XXXVII.
Constitutio CIX. quæ incipit : *Firmandis.* pag. 249

De Censibus, Exactionibus, & Procurationibus.
Tit. XXXIX.
Constitutio II. quæ incipit : *Ubi primum §. 5. Ad hæc.* pag. 4
Constitutio XLIII. quæ incipit : *Apostolica.* pag. 66

De celebratione Missarum, & Sacramento Eucharistiæ, & Divinis Officiis.
Tit. XLI.
Constitutio XXII. quæ incipit : *Quanta cura.* pag. 35
Constitutio XXIII. quæ incipit : *Pro eximia.* pag. 36
Constitutio XLI. quæ incipit : *Exponi Nobis.* pag. 63
Constitutio LII. quæ incipit : *Exponi Nobis.* pag. 91
Constitutio LVII. quæ incipit : *Etsi Pastoralis §. 6. De Sacramento* num. 1. *Sacerdotes* pag. 97. *& seq. §. 9.* num. 1. *Quoniam, & seq.* pag. 101
Constitutio LXIV. quæ incipit : *Certiores effecti.* pag. 117
Constitutio LXXXII. quæ incipit : *Quemadmodum preces.* p. 154
Constitutio LXXXVII. quæ incipit : *Demandatam §. 8. Simili modo.* pag. 168
Constitutio LXXXIX. quæ incipit : *Inter omnigenas §. 18. De Sacris.* pag. 175
Constitutio CIII. quæ incipit . *Cum semper.* pag. 214
Constitutio CXVI. quæ incipit : *Dilectus Filius.* pag. 275
Constitutio CXXIX. quæ incipit : *Eo quamvis §. 42. Imminet etiam.* pag. 297
Constitutio CXXXVII. quæ incipit : *Singularem.* pag. 312

De Baptismo & ejus effectu.
Tit. XLII.
Constitutio LVII. quæ incipit : *Etsi Pastoralis §. 2. De Sacramento* num. 1. *Presbyteri.* pag. 95
Constitutio LXXXVII. quæ incipit : *Demandatam §. 18. Cæterum.* pag. 169
Constitutio LXXXIX. quæ incipit : *Inter omnigenas §. 8. Istarum* pag. 174. *§. 18. De Sacris & seq.* pag. 175
Constitutio CXXIX. quæ incipit : *Eo quamvis. §. 4. Quod attinet.* pag. 293

De Custodia Eucharistiæ, Chrismatis, & aliorum Sacramentorum.
Tit. XLIV.
Constitutio CXXII. quæ incipit : *Pastoralis.* pag. 284

De Reliquiis, & Veneratione Sanctorum.
Tit. XLV.
Constitutio XVII. quæ incipit: *Benignitatem.* pag. 27
Constitutio XXXVI. quæ incipit: *Ad Sepulcra.* pag. 55
Constitutio XLVI. quæ incipit: *De Congregationis.* pag. 74
Constitutio L. quæ incipit: *In virtutibus.* pag. 83
Constitutio LI. quæ incipit: *Rationi congruit.* pag. 84
Constitutio LVIII. quæ incipit: *Exponi Nobis.* pag. 104
Constitutio LXXXIII. quæ incipit: *Admirabilis.* pag. 155
Constitutio CVIII. quæ incipit: *Quoniam.* pag. 246
Constitutio CXLI. quæ incipit: *Sollicitudini.* pag. 318
De observatione Jejuniorum.
Tit. XLVI.
Constitutio XIX. quæ incipit: *Non ambigimus.* pag. 31
Constitutio XXVII. quæ incipit: *In suprema.* pag. 40
Constitutio LV. quæ incipit: *Cognovimus.* pag. 92
Constitutio LVII. quæ incipit: *Etsi Pastoralis §. 9. Quoniam* num. 7. *Ad observationem, & seq. usque ad* 13. p. 101. & seq.
Constitutio LXXXVII. quæ incipit: *Demandatam §. 5. Cum itaque.* pag. 167
Constitutio XCIX. quæ incipit: *Si Fraternitas.* pag. 203
Constitutio CXVIII. quæ incipit: *Jampridem.* pag. 277
Constitutio CXXX. quæ incipit: *Libentissime.* pag. 298
De Ecclesiis ædificandis, vel reparandis.
Tit. XLVIII.
Constitutio CXXI. quæ incipit: *Ad Romanum.* pag. 281
De Immunitate Ecclesiarum, Cœmeteriorum, & rerum ad eas pertinentium.
Tit. XLIX.
Constitutio LXXXVIII. quæ incipit: *Aliàs §. 5. Utque reorum.* pag. 171
Ne Clerici, vel Monachi Sæcularibus negotiis se immisceant.
Tit. L.
Constitutio VI. quæ incipit: *Essendo Noi.* pag. 8
Constitutio XIII. quæ incipit: *Apostolicæ servitutis.* pag. 99

LIBER QUARTUS.

De Sponsalibus, & Matrimoniis.
Tit. I.
Constitutio XVI. quæ incipit: *Matrimonii.* pag. 26
Constitutio LVIII. quæ incipit: *Etsi Pastoralis §. 8. Curent.* num. 1. & seq. pag. 100. & seq.
Constitutio LXXXV. quæ incipit: *Nimiam licentiam.* p. 160
Constitutio LXXXIX. quæ incipit: *Inter omnigenas §. 9. Illud etiam §. 14. 16.* pag. 174
De Desponsatione Impuberum.
Tit. II.
Constitutio LXXXIX. quæ incipit: *Inter omnigenas §. 15. Specialiter.* pag. 174
De clandestina Desponsatione.
Tit. III.
Constitutio XXXV. quæ incipit: *Satis vobis.* pag. 53
Qui Clerici, vel Voventes matrimonium contrahere possunt.
Tit. VI.
Constitutio LVII. quæ incipit: *Etsi Pastoralis §. 7. De Sacramento* num. 26. *Etsi expetendum* & seq. pag. 100. & seq.
De Cognatione Spirituali.
Tit. XI.
Constitutio LVII. quæ incipit: *Etsi Pastoralis §. 8. De Sacramento* num. 6. *Item in cognationis.* pag. 100
Constitutio LXXXIX. quæ incipit: *Inter omnigenas §. 17. Quod pertinet.* pag. 174. & seq.
De Consanguinitate, & Affinitate.
Tit. XIV.
Constitutio LVII. quæ incipit: *Etsi Pastoralis §. 8. De Sacramento* num. 5. *Et quoniam.* pag. 100
De Matrimonio contracto contra Interdictum Ecclesiæ.
Tit. XVI.
Constitutio XXXIV. quæ incipit: *Matrimonia.* pag. 52
Qui Filii sint legitimi.
Tit. XVII.
Constitutio CXIII. quæ incipit: *Redditæ Nobis.* pag. 260
De Divortiis.
Tit. XIX.
Constitutio LXXXIX. quæ incipit: *Inter omnigenas §. 12. Quod si alicujus.* pag. 174
De secundis Nuptiis.
Tit. XXI.
Constitutio CXXIX. quæ incipit: *Eo quamvis §. 29. Nec turpe.* p. 295

LIBER QUINTUS.

De Simonia, & ne aliquid pro spiritualibus exigatur, vel promittatur.
Tit. III.
Constitutio XXX. quæ incipit: *In sublimi.* pag. 43
De Magistris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.
Tit. V.
Constitutio II. quæ incipit: *Ubi primum §. 2. Et quoniam.* p. 3
Constitutio CXL. quæ incipit: *Gravissimum.* pag. 315
De Judæis, Saracenis, & eorum Servis.
Tit. VI.
Constitutio XXXVIII. quæ incipit: *Immensa.* pag. 58
Constitutio LIII. quæ incipit: *A dilecto Filio.* pag. 92
Constitutio LIV. quæ incipit: *Literæ.* pag. 92
De Hæreticis.
Tit. VII.
Constitutio LXX. quæ incipit: *Obsurdescit.* pag. 127
De Schismaticis, & ordinatis ab eis.
Tit. VIII.
Constitutio CXXIX. quæ incipit: *Eo quamvis §. 11. Hæc quoad primum.* pag. 293
De Torneamentis.
Tit. XIII.
Constitutio LX. quæ incipit: *Nihil profecto.* pag. 114
De Raptoribus, Incendiariis, & Violatoribus Ecclesiarum.
Tit. XVII.
Constitutio XCIII. quæ incipit: *Ab augustissimo.* pag. 181
De Usuris.
Tit. XIX.
Constitutio CXXXIX. quæ incipit: *Ci è stato.* pag. 314
Constitutio CXLIII. quæ incipit: *Vix pervenit.* pag. 328
De Clerico percussore.
Tit. XXV.
Constitutio LXXXVIII. quæ incipit: *Alias §. 2. Insuper.* p. 170
De Clerico non ordinato ministrante.
Tit. XXVIII.
Constitutio XCVII. quæ incipit: *Sacerdos.* pag. 196
De Privilegiis, & excessibus Privilegiatorum.
Tit. XXXIII.
Constitutio III. quæ incipit: *Maximo.* pag. 5
Constitutio XXIV. quæ incipit: *Romanæ Ecclesiæ.* pag. 37
Constitutio XXXII. quæ incipit: *Militares.* pag. 47
Constitutio LXXIV. quæ incipit: *Ad supremam.* pag. 140
Constitutio LXXV. quæ incipit: *Inclytum.* pag. 141
Constitutio LXXXI. quæ incipit: *Romana Ecclesia.* pag. 153
Constitutio LXXXIV. quæ incipit: *Præclara debitæ.* pag. 158
Constitutio LXXXVI. quæ incipit: *Quoniam.* pag. 163
Constitutio XCI. quæ incipit: *Simul ac Nobis.* pag. 177
Constitutio CIV. quæ incipit: *Fructuosa.* pag. 218
Constitutio CV. quæ incipit: *Paterna.* pag. 220
Constitutio CVI. quæ incipit: *Inter conspicuos.* pag. 222
Constitutio CXV. quæ incipit: *Romanæ §. 28. & seq. Sed quoniam.* pag. 271
Constitutio CXXV. quæ incipit: *Insignem.* pag. 288
Constitutio CXXXIII. quæ incipit: *Ad Pastoralis.* pag. 304
Constitutio CXLII. quæ incipit: *Bonarum artium.* pag. 324
Constitutio CXLVI. quæ incipit: *Urbem Romam.* pag. 337
De Pœnitentiis, & Remissionibus.
Tit. XXXVIII.
Constitutio I. quæ incipit: *Lætiora.* pag. 1
Constitutio IX. quæ incipit: *Ad passionis.* pag. 17
Constitutio XX. quæ incipit: *Sacramentum.* pag. 32
Constitutio LVII. quæ incipit: *Etsi Pastoralis §. 5. De Sacramentis* num. 5. *In casu necessitatis* & seqq. pag. 97. & seq.
Constitutio LXXXIX. quæ incipit: *Inter omnigenas §. 21. Invigilent.* pag. 175
Constitutio XCV. quæ incipit: *Pastor bonus.* pag. 184
Constitutio XCVI. quæ incipit: *In Apostolicæ.* pag. 190
Constitutio C. quæ incipit: *Apostolica Indulta.* pag. 204
Constitutio CX. quæ incipit: *In suprema.* pag. 254
Constitutio CXX. quæ incipit: *Apostolici muneris.* pag. 279
Constitutio CXXIII. quæ incipit: *Cum multorum.* pag. 287
Constitutio CXXIV. quæ incipit: *Nullis verbis.* pag. 287
Constitutio CXXXIV. quæ incipit: *Suprema omnium.* p. 304
De Sententia Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti.
Tit. XXXIX.
Constitutio XIV. quæ incipit: *Pastoralis §. 1. Excommunicamus* & seq. pag. 21

INDEX
INITIORUM
SINGULARUM CONSTITUTIONUM
QUÆ IN HOC XVI. TOMO CONTINENTUR.

Lætiora. I. pag. 1
Ubi primum. I. pag. 3
Maximo ad labores. III. pag. 5
Nemo est. IV. ibid.
Ad Apostolicæ servitutis. V. pag. 7
Essendo Noi. VI. pag. 8
Quod sancta. VII. pag. 11
Summus Pontifex. pag. 13
Decet Romanum Pontificem. VIII. pag. 16
Ad Passionis. IX. pag. 17
Cum ad infrascriptam. X. ibid.
Auget Pastoralem. XI. pag. 18
Cum, sicut accepimus. XII. pag. 19
Apostolicæ servitutis. XIII. ibid.
Pastoralis Roman. Pont. XIV. pag. 21
Sæpe Romanorum Pont. XV. pag. 24
Matrimonii perpetuum. XVI. pag. 26
Benignitatem Dei. XVII. pag. 27
Quod Apostolus. XVIII. pag. 28
Cum Sanctissimus. ibid.
Non ambigimus. XIX. pag. 31
Sacramentum Pœnitentiæ. XX. pag. 32
Cum Sacrarum Virginum. XXI. pag. 34
Quanta curâ. XXII. pag. 35
Pro eximia. XXIII. pag. 36
Romanæ Ecclesiæ. XXIV. pag. 37
Quemadmodum ingenti. XXV. pag. 38
Grave, & permolestum. XXVI. pag. 39
In suprema. XXVII. pag. 40
Quamvis Paternæ. XXVIII. pag. 41
Universalis Ecclesiæ. XXIX. pag. 42
In sublimi. XXX. pag. 43
Singularis. XXXI. pag. 45
Militares. XXXII. pag. 47
Dei miseratione. XXXIII. pag. 48
Matrimonia. XXXIV. pag. 52
Satis Vobis. XXXV. pag. 53
Ad Sepulcra Apostolorum. XXXVI. pag. 55
Præcipuum. XXXVII. pag. 56
Immensa. XXXVIII. pag. 58
Regularis disciplinæ. XXXIX. pag. 60
Salutare. XL. pag. 62
Exponi Nobis. XLI. pag. 63
Etsi minime. XLII. pag. 64
Apostolicæ. XLIII. pag. 66
Quantum. XLIV. pag. 69
Ad Apostolicæ. XLV. pag. 73
De Congregationis. XLVI. pag. 74
Pastoralis regiminis. XLVII. pag. 75
Ad militantis Ecclesiæ. XLVIII. pag. 76
Quod communi. XLIX. pag. 82
In virtutibus. L. pag. 83
Rationi congruit. LI. pag. 84
Exponi Nobis. LII. pag. 91
A Dilecto Filio. LIII. pag. 92
Litteræ. LIV. ibid.
Cognovimus. LV. ibid.
Acerbi planè doloris. LVI. pag. 93
Etsi Pastoralis. LVII. pag. 94
Exponi Nobis. LVIII. pag. 104
Ex quo. LIX. pag. 105
Nihil profectò. LX. pag. 114
Quanquam inhærens. LXI. pag. 115
Cum sicut. LXII. pag. 116
E sublimi. LXIII. pag. 117
Certiores effecti. LXIV. ibid.
Essendo ben gravi. LXV. pag. 113
Etsi dubitare. LXVI. pag. 120
Nuper Nos. LXVII. pag. 121
Cum illud. LXVIII. ibid.
Quo magis uberes. LXIX. pag. 126
Obsurdescit. LXX. pag. 127
Avendovi Noi. LXXI. pag. 128
Humilitatis nostræ. LXXII. pag. 129
Administratio Bonorum. pag. 131
Dudum. LXXIII. pag. 136
Ad supremam. LXXIV. pag. 140
Inclytum Fratrum. LXXV. pag. 141
Apostolicæ servitutis. LXXVI. pag. 142
Quod non humana. LXXVII. pag. 146
Nuper ad nos. LXXVIII. pag. 147
Nuper ad sedandas. LXXIX. pag. 150
Magnâ non minus. LXXX. pag. 152
Romana Ecclesia. LXXXI. pag. 153
Quemadmodum preces. LXXXII. pag. 154
Admirabilis sapientiæ. LXXXIII. pag. 155
Cum omnium communi. pag. 157
Præclara debitæ. LXXXIV. pag. 158
Cum de mandato S. Domini. pag. 159
Nimiam licentiam. LXXXV. pag. 160
Quoniam inter. LXXXVI. pag. 163
Demandatam. LXXXVII. pag. 166
Aliàs. LXXXVIII. pag. 170
Inter omnigenas. LXXXIX. pag. 173
Ut primum. XC. pag. 176
Simul ac Nobis. XCI. pag. 177
Dum nobiscum. XCII. pag. 178
Seraphinus Tanas. pag. 179
Ab augustissimo. XCIII. pag. 181
Romanus Pontifex. XCIV. pag. 183
Pastor bonus. XCV. pag. 184
In Apostolicæ. XCVI. pag. 190
Sacerdos. XCVII. pag. 196
Inter plures. XCVIII. pag. 198
Si Fraternitas. XCIX. pag. 203
Apostolica Indulta. C. pag. 204
Literas Fraternitatis. CI. pag. 207
Eximii. CII. pag. 208
Postquam R. P. D. S. P. Evodius. ibid.
Cum semper. CIII. pag. 214
Fructuosa. CIV. pag. 218
Paternæ charitatis. CV. pag. 220
Inter conspicuos. CVI. pag. 222
Omnium sollicitudinum. CVII. pag. 231
Quoniam ita. CVIII. pag. 246
Firmandis. CIX. pag. 249
In suprema. CX. pag. 254
Quantopere charitas. CXI. pag. 255
Quæ inter. CXII. pag. 260
Redditæ Nobis. CXIII. ibid.
Redditæ Nobis fuerunt. CXIV. pag. 267
Romanæ Curiæ. CXV. pag. 268
Dilectus Filius. CXVI. pag. 275
In suprema. CXVII. pag. 276
Jampridem. CXVIII. pag. 277

In regimine. CXIX. pag. 278
Apostolici muneris. CXX. pag. 279
In Generali Congregatione. pag. 280
Ad Romanum. CXXI. pag. 281
Paterna animi Nostri. pag. 283
Pastoralis sollicitudinis. CXXII. pag. 284
Omnibus & singulis. pag. 286
Cum multorum. CXXIII. pag. 287
Nullis verbis. CXXIV. ibid.
Insignem. CXXV. pag. 288
Inter Maximas. CXXVI. pag. 289
Ad Populorum. CXXVII. pag. 290
Inter sollicitas. CXXVIII. pag. 291
Eo quamvis tempore. CXXIX. pag. 292
Libentissimè. CXXX. pag. 298
Hieronymo de Boch. CXXXI. pag. 302
Altissimo. CXXXII. pag. 303
Ad Pastoralis. CXXXIII. pag. 304
Suprema omnium. CXXXIV. ibid.
Quod inscrutabili. CXXXV. pag. 305
Tam præclaram. CXXXVI. pag. 311
Singularem. CXXXVII. pag. 312
Nuper pro parte. CXXXVIII. pag. 313
Ei è stato riferito. CXXXIX. pag. 314
Gravissimum. CXL. ibid.
Sollicitudini nostræ. CXLI. pag. 318
Bonarum artium. CXLII. pag. 324
Vix pervenit. CXLIII. pag. 328
Ab eo tempore. CXLIV. pag. 329
Gravissimum Ecclesiæ. CXLV. pag. 334
Urbem Romam. CXLVI. pag. 337
Cum post editam. pag. 342

INDEX ARGUMENTORUM EARUMDEM CONSTITUTIONUM.

ANNO MDCCXL.

PONTIFICATUS ANNO I.

I. JUBILÆUM Universale initio Pontificatus indicitur. 11. *Novembris.* *pag.* 1

II. Epistola Encyclica commonitoria ad omnes Episcopos. 3. *Decembris.* *pag.* 4

III. Abbreviatoribus de Parco Majori conceditur usus Rediminuli galeri, vulgò *Cordone*, coloris violacei, etiam dimisso Officio. 13. *Septembris.* *pag.* 5

IV. Congregationis pro Gubernio Civitatis Firmanæ, ejusque comitatus, ab Innocentio XII. erectæ, nova forma constituitur. 20. *Septembris.* *pag. ead.*

V. Erectio Congregationis Particularis super promovendis ad Archiepiscopatus & Episcopatus. 17. *Octobris.* *pag.* 7

VI. Prohibetur omnibus Regularibus in Urbe degentibus, exceptis Hospitalariis S. Joannis de Deo exercitium artis Aromatariæ pro sæcularibus, & venditio pharmacorum, & medicamentorum. 14. *Novembris.* *pag.* 8

VII. De Sacris Liminibus Beatorum Apostolorum visitandis: Confirmatur Constitutio Sixti Papæ V., eaque extenditur ad Abbates, aliosque habentes Monasteria, seu Ecclesias cum jurisdictione quasi Episcopali, & Territorio separato. 23. *Novembris.* *pag.* 11

Instructio Sacræ Congregationis Concilii pro Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, & Patriarchis, super modo conficiendi Relationes statuum Ecclesiarum, quas, occasione Visitationis Sacrorum Liminum, eidem Sac. Congreg. exhibere tenentur. *pag.* 13

VIII. Erectio Congregationis Particularis nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum, Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum adjectæ; pro excipiendis, examinandisque Relationibus Episcoporum, Abbatum &c. super statibus suarum Ecclesiarum. 23. *Novembris.* *pag.* 16

IX. Indulgentiæ, seu Relaxationes centum dierum de injunctis, seu debitis Pœnitentiis, pro recitantibus flexis genibus singulis Feriis sextis quinquies Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam, ad sonum Campanæ, hora Tertia post meridiem, in memoriam Passionis, & Agoniæ Domini Nostri JESU Christi. 23. *Decembris.* *pag.* 17

ANNO MDCCXLI.

X. Conceditur P. Guardiano Sancti Sepulcri Ordinis Minorum de Observantia, ut absentibus Episcopis Latini Ritus, valeat conferre Sacramentum Confirmationis cum Oleo, & Chrismate a Catholico Antistite benedictis. 9. *Jan.* *pag.* 17

XI. Consecratio Joannis Petri Meindarts intrusi in Archiepiscopatum Ultrajectensem damnatur, atque excommunicationis & suspensionis censura in ipsum edicitur. 24. *Januarii.* *pag.* 18.

XII. Declaratur, quod omnes, qui provisi fuerint a Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Ordinariis Collatoribus, sive vigore exceptuationis Regulæ IX. Cancellariæ, sive vigore Indulti Apostolici, de Beneficiis Ecclesiasticis vacatis in mensibus Sanctæ Sedi reservatis, & valorem viginti quatuor Ducatorum excedentibus, semper teneantur ad reportandum infra certum tempus novam provisionem a Sede Apostolica. 25. *Januarii.* *pag.* 19

XIII. Clericis interdicitur quælibet negotiatio, etiam sub alieno Laici nomine, exceptis casibus, & circumstantiis in Constitutione expressis, sub pœnis aliàs contra Clericos negotiatores emanatis: & extenditur pœna spolii ad eos etiam, qui ab illo exempti sunt per Indulta personalia, aut generalia, ad effectum testandi, vel transmittendi. 25. *Februarii.* *pag.* 19

XIV. Litteræ Processus publicatæ die Cœnæ Domini Anno MDCCXLI. 30. *Martii.* *pag.* 21

XV. Canonici, & Moniales Ordinis Hospitalarii S. Spiritus, in Hispaniarum, & Poloniæ Regnis commorantes, a jurisdictione Præceptoris Generalis S. Spiritus in Saxia de Urbe eximuntur, & Locorum Ordinariis subjiciuntur. 5. *Aprilis.* *pag.* 24

XVI. Admonitio ad Episcopos in Poloniæ Regno constitutos, ut cautius procedant in admittendis Conjugiorum dissolutionibus. 11. *Aprilis.* *pag.* 26

XVII. Beatificatio Beati Alexandri Saulii, ex Clericis Regularibus Sancti Pauli Barnabitis nuncupatis, primum Aleriæ, deinde Papiæ Episcopi. 23. *Aprilis.* *pag.* 27

XVIII. Approbantur Decreta a Congregatione Ceremoniali particulari edita pro Archiepiscopis, sive Episcopis, & Præsidibus, Gubernatoribus ac Vice-Legatis per Ditionem Ecclesiasticam constitutis. 15. *Maji.* *pag.* 28

Leges & Instituta Cœremonialia edita pro Provinciarum Præsidibus, Gubernatoribus, Prælatis, & Apostolicis Vice-Legatis. *pag.* 28

XIX. Providetur abusibus adversus Jejunii Quadragesimalis observantiam invectis. 30. *Maji.* *pag.* 31

XX. Innovantur pœnæ adversus Confessarios, qui Pœnitentes ad turpia sollicitant; cum præcepto hujusmodi denunciandi, & reservatione absolutionis quoad culumniatores. Adimitur præterea Sacerdotibus facultas Sacramentum Pœnitentiæ administrandi complicibus in peccato contra castitatem, cum pœnis &c. 1. *Junii.* *pag.* 31

XXI. Monialibus in Portugalliæ, & Algarbiorum Monasteriis rigorosam Clausuram professis, & extra illa degentibus, injungitur reditus ad Claustra, & egressus in posterum prohibetur. 1. *Junii.* *pag.* 34

XXII. Mercimonia super eleemosynis Missarum vetantur, sub pœna Censurarum, quarum absolutio Summo Pontifici reservatur. 30. *Junii.* *pag.* 35

XXIII. De eodem argumento Breve encyclicum ad Episcopos Provinciæ Pedemontanæ. 30. *Junii.* *pag.* 36

XXIV. Confirmatur Militia Sancti Januarii Episcopi, & Martyris a Carolo Rege utriusque Siciliæ erecta, ejusque Officialibus, & Militibus plura Indulta, & Privilegia conceduntur. 30. *Junii.* *pag.* 37

XXV. Jurisdictio in Ægyptios aliosque Ritus Cophtici ad Ecclesiam Catholicam conversos, cujuscumque sint Diœcesis, tribuitur Episcopo Hierosolymitano ejusdem Ritus. 4. *Augusti.* *pag.* 38

XXVI. Residentia in propriis Diœcesibus Episcopis Hiberniæ inculcatur. 15. *Augusti.* *pag.* 39

PONTIF. ANNO II.

XXVII. Declaratur unicam comestionem diebus Jejunii ab omnibus servandam esse, etiam ab iis, quibus ob peculiares causas permittitur esus carnium, ovorum &c. 22. *Aug.* *pag.* 40

XXVIII. Commissiones causarum ad partes non aliis dirigendas esse statuitur, quàm Judicibus Synodalibus; quorum electio Ordinariis Locorum commendatur, & permittitur fieri extra Synodum, cum consilio Capituli. 26. *Augusti.* *pag.* 41

XXIX. Cessiones commodi exigendi fructus Beneficiorum prohibentur, sub pœna excommunicationis, & nullitatis contractus. 29. *Augusti.* *pag.* 42

XXX.

XXX. Resignationes Beneficiorum cum reservatione Pensionis, & pacto eam cassandi, prohibentur, & annullantur; adjecta pœna privationis Beneficii, inhabilitationis ad alia assequenda, restitutionis pecuniæ &c. & irritantur cassationes, & extinctiones Pensionum, intra sex menses a capta possessione Beneficii obtentæ. 29. *Augusti.* pag. 43

XXXI. Confirmatio Synodi Nationalis Maronitarum, habitæ in Monte Libano Anno Domini MDCCXXXVI. 1. *Septembris.* pag. 45

XXXII. Erectio sex Officiorum Ecclesiasticorum in Ordine Equestri Sancti Georgii Martyris in Bavaria, auctoritate Apostolica confirmatur. 6. *Octobris.* pag. 47

XXXIII. Causarum Matrimonialium judicia coram quibus, & quo ordine, ac forma peragenda sint, constituitur. 3. *Novembris.* pag. 48

XXXIV. Declaratio cum instructione super Dubiis respicientibus Matrimonia in Hollandia, & Belgio contracta, & contrahenda. 4. *Novembris.* pag. 52

XXXV. Matrimonia occulta, quibus, & quomodo sint permittenda; quibusque cautelis celebranda, & in actis describenda: quomodo consulendum educationi, & indemnitati Prolis. 17. *Novembris.* pag. 53

XXXVI. Beatificationes Servorum Dei, & Beatorum Canonizationes in Basilica Principis Apostolorum peragi debere statuitur. 23. *Novembris.* pag. 55

XXXVII. Præscribitur forma, & solemnitas in Exequiis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium servanda. 23. *Nov.* pag. 56

XXXVIII. Indorum in Provinciis Paraquariæ, Brasiliæ, & ad Flumen *de la Plata* existentium, libertati, & indemnitati consulitur. 20. *Decembris.* pag. 58

ANNO MDCCXLII.

XXXIX. Clausura Monasteriorum quorumcumque Virorum Regularium asseritur, sublata quibuslibet dispensandi facultate. 3. *Januarii.* pag. 60

XL. De Clausura Monialium: Confirmantur sanctiones Ecclesiasticæ, antea editæ: Revocantur facultates extraordinariæ permittendi ingressum, & egressum è Monasteriis. 3. *Januarii.* pag. 62

XLI. Indultum pro celebratione Missarum super Triremibus Militiæ Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani. 15. *Januarii.* pag. 63

XLII. De Doctrina Christiana Populis tradenda: qua ratione, & methodo Fidelium indigentiæ hac in re consulendum sit. 7. *Februarii.* pag. 64

XLIII. Maronitarum Patriarchæ attribuitur annuum caritativum subsidium; abrogata consuetudine colligendi præstationes pecuniarias in distributione Sacrorum Oleorum: Episcopis Maronitis certæ Sedes assignantur. 14. *Februarii.* pag. 66

XLIV. Abolitio Tribunalium, & Judicum Particularium ab Innocentio XII. facta confirmatur, & innovatur quoad Judicaturas deinceps erectas: nonnullarum Congregationum, & Tribunalium facultates, & jurisdictiones præfiniuntur. 15. *Februarii.* pag. 69

XLV. Dispensationum Matrimonialium causas veraciter exponendas, & ab Executoribus omnino verificandas esse statuitur. 25. *Februarii.* pag. 73

XLVI. Pro Elevatione Corporis Venerabilis Servi Dei Camilli de Lellis. 5. *Martii.* pag. 74

XLVII. De non impedienda executione Citationum, Mandatorum, aliarumque Provisionum Romanæ Curiæ, seu Sedis Apostolicæ. 30. *Martii.* pag. 75

XLVIII. De Appellationibus, & Inhibitionibus concedendis, vel denegandis. 30. *Martii.* pag. 76

XLIX. Revocatio peculiaris Statuti Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum, quo ipsis vetitum erat, ne Confessariis extra proprium Ordinem unquam confiteri possent. 30. *Martii.* pag. 82

L. Beatificatio Beati Camilli de Lillis Fundatoris Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis. 7. *Aprilis.* pag. 83

LI. Litteræ Canonizationis Beatæ Elisabethæ Lusitanorum Reginæ. 28. *Aprilis.* pag. 84

LII. Indultum celebrandi Missas super Triremibus Pontificiis. 28. *Aprilis.* pag. 91

LIII. Pro institutione Apostolicæ Missionis in Regno Batgao in Magno Thibet. 1. *Maji.* pag. 92

LIV. Pro Missionis Apostolicæ fundatione in Regno Bittia in Magno Thibet. 1. *Maji.* pag. ead.

LV. Declaratur, quæ fuerit mens Pontificis in Constitutionibus super Jejunio editis. 12. *Maji.* pag. 92.

LVI. Spicarum collectio, post absolutam Messem, pauperibus permittenda. 22. *Maji.* pag. 93

LVII. De Dogmatibus, & Ritibus ab Italo-Græcis tenendis, atque servandis. 26. *Maji.* pag. 94

LVIII. Approbatio publici Cultus ab immemorabili tempore exhibiti Beatæ Joannæ Valesiæ olim Reginæ Franciæ, & Fundatrici Ordinis Sanctissimæ Annunciatis Beatæ Mariæ Virginis. 18. *Junii.* pag. 104

LIX. De Ritibus, seu Ceremoniis Sinensibus: Confirmatur Constitutio Clementis XI., incip. *Ex illa die.* Permissiones quædam publicatæ a bon. mem. Carolo Ambrosio Mediobarbo Patriarcha Alexandrino, reprobantur, & annullantur: Præscribitur nova formula Juramenti a Missionariis præstandi. 11. *Julii.* pag. 105

LX. Spectacula inverecunda, Festis potissimum diebus frequentari solita, prohibentur. 12. *Augusti.* pag. 114

PONTIF. ANNO III.

LXI. Electio Hieronymi de Bock in Episcopum Harlemensem nulla & illicita declaratur, eidemque inhibetur, ne Consecrationis munus audeat suscipere. 1. *Septembris.* pag. 115

LXII. Indultum vacandi operibus servilibus in quibusdam diebus festis de præcepto aliàs observari solitis, pro nonnullis Universitatibus Diœcesis Calaguritanæ. 3. *Septemb.* pag. 116

LXIII. Ordinationes omnium Clericorum, & Sacerdotum Ritus Græco-Rutheni a Serviano schismate ad Ecclesiæ sinum redeuntium Episcopi Auxerensi delegantur. 4. *Octobris* p. 117

LXIV. Sacerdotes Missam celebrantes non teneri Sacram Eucharistiam omnibus petentibus infra ipsam actionem ministrare. 13. *Novembris.* pag. ead.

LXV. Leges observandæ in concedendis Locationibus bonorum Cameræ Apostolicæ. 23. *Novembris.* pag. 118

LXVI. Episcopis Ruthenis suadet Pontifex, ut unionem Monachorum Sancti Basilii sub unico Proto-Archimandrita promoveant, & foveant. 27. *Novembris.* pag. 120

LXVII. Electo de Nankim præcipitur, ut ante consecrationem juramentum emittat ad formam Constitutionis supra positæ num. 59. 3. *Decembris.* pag. 121

LXVIII. De concursu, & examine habendo pro Parochialium Ecclesiarum collatione: De appellationibus ab irrationabili Ordinarii judicio admittendis, vel rejiciendis. 14. *Decembris.* pag. ead.

LXIX. Vota simplicia in Congregatione Missionis emissa, a nemine quacumque ex causa, præterquam a Romano Pontifice, aut a Superiore Generali Congregationis in actu dimissionis tantùm dissolvi posse statuitur. 18. *Dec.* pag. 126

LXX. Consecratio Hieronymi de Bock in Pseudo-Episcopum Harlemensem damnatur; & excommunicationis, ac suspensionis sententia in ipsum pronunciatur. 20. *Decemb.* pag. 127

ANNO MDCCXLIII.

LXXI. Reos convictos per indicia indubitata, quamvis non confessos, pœnis ordinariis multandos esse statuitur. 2. *Januarii.* pag. 128

LXXII. Privilegia, & exemptiones Almæ Domus Lauretanæ, nec non resolutiones dubiorum, & controversiarum jurisdictionalium in Synopsim redactæ approbantur, & confirmantur. 7. *Januarii.* pag. 129

Synopsis Decretorum Congregationis Lauretanæ. pag. 131

LXXIII. Ut præstationes post obitum S. R. E. Cardinalium Magistris Ceremoniarum persolvi solitæ, deinceps a singulis Cardinalibus in sua ad Cardinalatum promotione solvantur. 14. *Februarii.* pag. 139

LXXIV. Ecclesiæ Papienſi perpetuò unitur Archiepiscopatus Amasiensis in partibus Infidelium: aliaque privilegia confirmantur, & respectivè conceduntur. 15. *Feb.* pag. 140

LXXV. Concionatoris Apostolici munus Ordini Fratrum Minorum Sancti Francisci Capucinorum perpetuò addicitur. 2. *Martii.* pag. 141

LXXVI. Epistola Decretalis in causa jurisdictionali jamdudum pendente inter Episcopum Conversanum, & Ordinem Militarem S. Joannis Hierosolymitani. Expenditur vis possessionis quadragenariæ, & immemorabilis. Indulta Apostolica, & Episcoporum cessiones quatenus jurisdictionem activam

activam vel exemptionem passivam dumtaxat importent &c. sententia fertur pro Episcopo Conversano, & opportunis Decretis, & clausulis munitur. 14. *Martii.* *pag.* 142

LXXVII. Electio, seu postulatio duorum Patriarcharum Maronitarum ab Antistitibus illius Nationis dissidentibus facta cassatur, & annullatur, reservatâ S. Sedi Patriarchalis Ecclesiæ provisione. 13. *Martii.* *pag.* 146

LXXVIII. Maronitarum Patriarchalis Ecclesia Antiochena Auctoritate Apostolica, & jure devolutionis providetur in personam Simonis Evodii Archiepiscopi Damasceni. 16. *Martii.* *pag.* 147

LXXIX. Ad Maronitarum Nationem Commissarius Apostolicus ablegatur pro præmissorum, aliorumque Apostolicæ Sedis mandatorum executione, cum facultatibus opportunis. 16. *Martii.* *pag.* 150

LXXX. Electio Patriarchæ Maronitarum a Pontifice facta, & ablegatio Commissarii Apostolici Archiepiscopis, & Episcopis ejusdem Nationis denunciatur. 16. *Martii.* *pag.* 152

LXXXI. Dignitas Protopapæ in Ecclesia Collegiata S. Mariæ *del Grafeo* Messanen., ejusdemque libera electio, necnon Ritus Græco-Latini observantia ipsius Ecclesiæ Clero in perpetuum asseritur. 18. *Martii.* *pag.* 153

LXXXII. Ecclesiastica auctoritas in designandis publicarum precationum formulis, & in eisdem indicendis asseritur. 23. *Martii.* *pag.* 154

LXXXIII. De Die Natali BB. Apostolorum Petri, & Pauli per totam Octavam Romæ solemniter celebrando. 1. *Aprilis.* *pag.* 155

Decretum quod SS. Apostolorum Principes Petrus & Paulus Urbis Romæ Patroni Principales nuncupentur. *pag.* 157

LXXXIV. Auditoribus Causarum Sac. Palatii Apostolici conceditur delatio Roccheti etiam in accessu ad Cappellas, functiones &c. & in recessu &c. 10. *Aprilis.* *pag.* 158

De Delatione, & usu Rocchetti. *pag.* 159

LXXXV. Matrimoniorum firmitati consulendo damnantur, & annullantur pacta inter Conjuges inita de non appellando a sententia lata pro Matrimonii nullitate: Confirmatur Constitutio edita super hujusmodi judiciorum forma: Ecclesiasticæ disciplinæ observantia in Matrimonii celebratione commendatur. 18. *Maji.* *pag.* 160

PONTIF. ANNO IV.

LXXXVI. Militiæ Hierosolymitanæ, & Incolis Insularum ipsius Ditioni subjectarum plura Indulta conceduntur ad formam Bullæ, quæ dicitur *Cruciatæ.* 16. *Decembris.* *pag.* 163

LXXXVII. Decreto de Ritibus Græcorum Melchitarum Patriarchatus Antiocheni; de jurisdictione Patriarchæ, & Episcoporum ejusdem Nationis, deque Monachorum, & Monialium disciplina in unum collecta promulgantur. 24. *Decembris.* *pag.* 166

ANNO MDCCXLIV.

LXXXVIII. Constitutio contra Homicidas a Clemente XII. edita pro Ditione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ extenditur ad Loca Dominii Reipublicæ Lucanæ in his, quæ pertinent ad Immunitatem personalem & localem. 24. *Jan.* *pag.* 170

LXXXIX. Decreta super pluribus Disciplinæ Capitibus pro Incolis Regni Serviæ, & finitimarum Regionum. 2. *Februarii.* *pag.* 173

XC. Sæcularizatio aliquot Ecclesiarum Germaniæ, aut earumdem reddituum imminutio a quibusdam proposita reprobatur, & nunquam toleranda edicitur cum admonitione ad Germanorum Antistites. 15. *Februarii.* *pag.* 176

XCI. Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Patavinæ nonnulla Indulta, & Privilegia conceduntur. 22. *Februarii.* *pag.* 177

XCII. Antiocheno Patriarchæ Græcorum Melchitarum transmittitur Pallium, communionis tessera, ac Dignitatis insigne, adjectis mandatis, & conditionibus opportunis. 29. *Februarii.* *pag.* 178

Acta Consistorialia pro Concessione Pallii Patriarchæ Antiocheno Græco-Melchitarum. *pag.* 179

XCIII. Contra furripientes, vel asportantes, aut apud se retinentes Sacras Hostias, vel particulas consecratas. 5. *Martii.* *pag.* 181

XCIV. Revocatio communicationis Indulgentiarum inter Confrares B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo, & Tertiarios S. Francisci alias a Clemente XII. concessæ. 12. *Martii.* *pag.* 183

XCV. Facultates Majoris Pœnitentiarii, & Officii Pœnitentiariæ 13. *Aprilis.* *pag.* 184

XCVI. De Pœnitentiariæ Apostolicæ Officialibus, eorumque muneribus. 13. *Aprilis.* *pag.* 190

XCVII. Contra non promotos ad Sacrum Presbyteratus ordinem Missam celebrantes, aut Sacramentales confessiones excipientes. 20. *Aprilis.* *pag.* 196

XCVIII. Confirmatio Unionis Omnium Monasteriorum Ordinis S. Basilii Magni Ruthenorum tam Lithuaniæ, quàm Russiæ, seu Poloniæ, in unicam Congregationem duabus Provinciis compositam. Accedunt plura decreta ad ipsius Ordinis regimen pertinentia. 2. *Maji.* *pag.* 198

XCIX. Declarantur quæstiones circa jejunii leges a Summo Pontifice instauratas propositæ. 8. *Julii.* *pag.* 203

C. De Indultis Apostolicis eligendi Confessarium ab Ordinario approbatum pro absolutione a criminibus, aut censuris reservatis &c. 5. *Augusti.* *pag.* 204

CI. Maronitarum Patriarchæ Antiocheno a Summo Pontifice electo, & a dissidentibus ejusdem Nationis Antistitibus agnito transmittitur Pallium, aliaque mandata, & facultates committuntur. 11. *Augusti.* *pag.* 207

CII. Maronitarum Antistites ob duplicem Patriarchæ electionem antea dissidentes, quod, præstitâ mandatis Apostolicis obedientiâ, ad unitatem redierint, collaudantur &c. 11. *Augusti.* *pag.* 208

Acta Consistorialia pro approbatione Synodi super obedientia præstita Patriarchæ Antiocheno Maronitarum: Cum concessione Pallii dicto Patriarchæ. *pag.* 208

PONTIF. ANNO V.

CIII. De applicatione Missæ Parochialis pro Populo; Conventualis verò pro Benefactoribus Ecclesiæ. Item de Divinæ Psalmodiæ cantu. 19. *Augusti.* *pag.* 214

CIV. Commendarum Militiæ SS. Mauritii, & Lazari faciliori erectioni consulitur. 23. *Augusti.* *pag.* 218

CV. Ut in Civitate Senogallienti tempore nundinarum diebus Festis de Præcepto a servilibus operibus abstineatur: Prorogatur tempus ad dictas Nundinas per alios quinque dies peragendas, Privilegia confirmantur, & ampliantur. 24. *Augusti.* *pag.* 220

CVI. Confirmatio Privilegiorum, Indultorum, & jurium Collegii Advocatorum Consistorialium; & de eorum muneribus, cum nonnullis definitionibus, & ordinationibus. 25. *Augusti.* *pag.* 222

CVII. De Ritibus, ceremoniis, usibus, & consuetudinibus in Regnis Madurensi, Mayssurensi, & Carnatensi Indiarum Orientalium observandis, seu vitandis, permittendis, aut abolendis: Confirmantur Prædecessorum Decreta: Et ad nova Postulata dantur opportunæ declarationes, & responsiones. 12. *Septembris.* *pag.* 231

CVIII. Approbatio Cultus ab immemorabili tempore exhibiti B. Nicolao Albergati S. R. E. Cardinali, & Episcopo Bononiæ ex Ordine Cartusianorum. 6. *Octobris.* *pag.* 246

CIX. De jurisdictione Episcoporum quoad Ecclesias Parochiales Regularium; & Personas Curam animarum subditorum sæcularium in eis exercentes. 6. *Nov.* *pag.* 249

CX. Jubilæum pro Christifidelibus Italiæ, & Insularum adjacentium, Divinam opem implorantibus pro pace inter Principes Christianos, & aliis Catholicæ Ecclesiæ necessitatibus. 20. *Novembris.* *pag.* 254

CXI. Controversiæ circa regimen Missionum in Regno Cochinchinæ existentium, earumque limites dirimuntur. 26. *Novembris.* *pag.* 255

CXII. Vicario Cochinchinæ denunciatur Ablegatio Episcopi Corycensis, de qua in Superiori. 26. *Novemb.* *pag.* 260

CXIII. Quæstioni propositæ, an Filii ex adulterio procreati legitimentur per subsequens matrimonium, differendo rescribitur. 5. *Decembris.* *pag.* 260

CXIV. De Apostolicis Constitutionibus circa Ritus Sinenses editis omnimodè observandis. 19. *Decembris.* *pag.* 267

CXV. Reformatio Tribunalium Urbis. Firmatur auctoritas Judicum Romanæ Curiæ, & singulorum jurisdictio certis limitibus præfinitur: Confirmantur Decreta super Judicum recusationibus, & declinationibus jam edita, & certa forma servanda præscribitur, tum in delendis vinculis impositis super Locis Montium, Officiis Vacabilibus, & pecuniis depositis &c. tum in Decretis jurisdictionis voluntariæ in Urbe, & Statu Ecclesiastico interponendis. 21. *Decembris.* *pag.* 268

ANNO

ANNO MDCCXLV.

CXVI. Altare a Pontifice consecratum, super quo Sacrum fecit, variis privilegiis decoratur. 15. *Januarii.* *pag.* 275

CXVII. Cum Neophytis in loco Pio Catechumenorum Venetiis ad Fidem conversis dispensatur super interpellatione prioris Conjugis in infidelitate relicti, ad effectum contrahendi Matrimonium cum fideli. 16. *Januarii.* *pag.* 276

CXVIII. Esus Carnium diebus Sabathi per annum permittitur in Regnis Castellæ, Legionis, & Indiarum. 23. *Januarii.* *pag.* 277

CXIX. De Rotuli partitione inter S. R. E. Cardinales in Urbe residentes tantummodo facienda; deque non residentium accessu ad Curiam, atque recessu &c. 3. *Februarii.* *pag.* 278

CXX. Declaratio super Constitutione, quæ incipit *Sacramentum Pœnitentiæ*, adversus sollicitantes. 8. *Febr.* *pag.* 279

Decretum Sanctæ Universalis Inquisitionis super perpetua inhabilitatione Sacerdotum ad turpia sollicitantium, vel Sacrificio Missæ abundantium ad sortilegia. *pag.* 280

CXXI. Annuus Census constituitur pro sartis tectis Basilicæ S. Mariæ Majoris. 11. *Februarii.* *pag.* 281

Celebratio Cappellæ Pontificiæ in Basilica S. Mariæ Majoris die Festo Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis decernitur. *pag.* 283

CXXII. De processione generali in solemnitate SSmi Corporis Christi tempore Apostolicæ Sedis Vacantis in Urbe peragenda. 16. *Februarii.* *pag.* 284

Schedula Motus Proprii, de qua fit mentio in Constitutione. 18. *Martii.* *pag.* 286

CXXIII. Jubilæum pro Italia, & Insulis adjacentibus concessum extenditur ad Regnum Galliæ. 18. *Febr.* *pag.* 287

CXXIV. De Jubilæi Concessione pro Regno Galliæ, a cujus Indulgentiæ beneficio excluduntur refractarii. 20. *Februarii.* *pag.* 287

CXXV. Clericorum Regularium Theatinorum Ordini unus locus Consultoris in Congregatione Sacrorum Rituum perpetuò attribuitur. 20. *Martii.* *pag.* 288

CXXVI. Capitulo Generali Fratrum Eremitarum S. Augustini facultas conceditur eligendi deinceps Priorem Generalem ad vitam in Officio mansuram. 31. *Martii.* *pag.* 289

CXXVII. Providetur Regimini Civitatum, & Locorum Ditionis Ecclesiasticæ, eveniente obitu Gubernatorum. 1. *Aprilis.* *pag.* 290

CXXVIII. Indultum vacandi operibus servilibus, diebus aliàs de præcepto, vel ex voto festivis, pro Diœcesi Niciensi. 11. *Aprilis.* *pag.* 291

CXXIX. Instructio super dubiis ad Ritus Ecclesiæ, & Nationis Cophtorum pertinentibus. De tempore conferendi Sacramentum confirmationis, ejusque Ministro: De recipiendis ad Communionem Pastoribus Schismaticis: De ordinatione Infantium, ac de continentiæ lege, & horarum Canonicarum recitatione, quoad Diaconos in puerili ætate ordinatos. 4. *Maji.* *pag.* 292

CXXX. De jejunii disciplina conservanda, vel reintegranda. De dispensationibus generalibus pro Oppidis, aut Diœcesibus integris, nonnisi certa ratione, & justa de causa petendis, & concedendis. 10. *Junii.* *pag.* 298

CXXXI. Electio Joannis Van-Stiphout in Episcopum Harlemensem nulla, & illicita declaratur; cum censuris, & inhibitione, ne Consecrationem suscipere præsumat. 26. *Junii.* *pag.* 302

CXXXII. Damnatio, & prohibitio libri, cujus Titulus est: *Illustrissimorum ac Reverendissimorum Archiepiscopi Ultrajectensis & Episcopi Harlemensis Instrumentum Appellationis ad Concilium Generale futurum a duobus Brevibus a Sanctissimo aliàs expeditis ad Catholicos in Fœderato Belgio.* 26. *Junii.* *pag.* 303

CXXXIII. Privilegium elevandi Crucem more Archiepiscoporum conceditur Episcopis Eystetensibus. 3. *Julii.* *pag.* 304

CXXXIV. Ne Confessarii a Pœnitentibus exquirant Sociorum in Crimine, seu complicum nomina &c. 7. *Julii.* *pag.* 304

CXXXV. De Capacitate Canonicorum Regularium Lateranensium, & Sanctissimi Salvatoris ad obtinenda beneficia Ecclesiastica sæcularia cum cura, & sine cura, atque pensiones Ecclesiasticas. 9. *Julii.* *pag.* 305

PONTIF. ANNO VI.

CXXXVI. Consecratio Joannis Van-Stiphout in Pseudo-Episcopum Harlemensem damnatur; ac suspensionis, & excommunicationis sententia in ipsum edicitur. 28. *Aug.* *pag.* 311

CXXXVII. Decreta quædam a Cardinali Patriarcha Lisbonensi edita collaudantur, & confirmantur. 31. *Aug.* *pag.* 312

CXXXVIII. Dierum Festorum de Præcepto æstivis mensibus occurrentium reductio pro nonnullis Locis Regni Poloniæ. 1. *Septembris.* *pag.* 313

CXXXIX. Fructus Censuum, Cambiorum &c. a Communitatibus Ditionis Ecclesiasticæ contractorum ad æquitatis rationem reducuntur. 7. *Septembris.* *pag.* 314

CXL. Sacras Missiones in Diœcesibus Regni Neapolitani frequenter haberi suadetur: Earum directio demandatur Cardinali Spinellio Archiepiscopo Neapolitano cum facultatibus &c. 8. *Septembris.* *pag.* 315

CXLI. De cautelis præstandis in conficiendis Processibus super fama Sanctitatis Servorum Dei: De prohibendis Imaginibus Spiritus Sancti sub humana specie depicti: De aliis superstitionibus non tolerandis. 1. *Octobris.* *pag.* 318

CXLII. Privilegium Fori & Conservatoriæ, Scholaribus, Professoribus, Doctoribus, aliisque *Universitati Avenionensi* addictis asseritur: Primicerii, & Judicum Conservatorum jurisdictio præfinitur. 10. *Octobris.* *pag.* 324

CXLIII. De usuris, aliisque injustis quæstibus. 1. *Novembris.* *pag.* 328

CXLIV. Diebus Festis prohibentur haberi Mercatus rerum venalium: Tolerantur verò Nundinæ sub certis conditionibus. 5. *Novembris.* *pag.* 329

CXLV. Divisio materiarum & Gratiarum Apostolicarum, quæ per Datariam Apostolicam, quæque per Secretariam Brevium secretorum sunt expediendæ. 26. *Novemb.* *pag.* 334

CXLVI. Civium Romanorum gradus certa ratione distinguuntur: Nobilium Ordo, & Nobilium Conscriptorum numerus designatur; ac methodus præscribitur in cooptatione aliorum Nobilium deinceps servanda. 4. *Januarii.* *pag.* 337

Admissio nonnullarum Familiarum inter alias Civium Nobilium Romanorum. *pag.* 342

BULLARIUM ROMANUM.

TOMUS DECIMUS-SEXTUS,

SIVE

CONTINUATIONIS PARS DECIMA.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

BENEDICTI XIV.

PONTIFICIS CCLI.

CONSTITUTIONES, EPISTOLÆ &c.

ANNO 1740.

ANNO 1740.

I.

JUBILEUM UNIVERSALE initio Pontificatus indicitur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Universis Christifidelibus præsentes Literas inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem.

Procœmium. Pontificis sensus in sua ad Pontificatum electione.

ÆTIORA Apostolicæ servitutis auspicia offerri Nobis minime poterant, quam ut, tanto onere per studiosissima & concordia Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium suffragia tenuitati nostræ impositio, in Domino confideremus, omnia consilia, acta, & opera in Catholicæ Ecclesiæ procuratione à Nobis suscipienda conficiendaque, ad Divini nominis gloriam, ad Orthodoxæ Fidei præsidium, ad Sacrosanctæ Religionis incrementum, & ad æternam animarum salutem semper fore redundatura. Postquam igitur debitas laudes gratiasque persolvimus bonorum omnium largitori Deo, qui, ut ostendat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, dispositione mirabili infirma eligit; eidem, cui aperta & nuda sunt omnia, in simplicitate cordis nostri revelavimus trepidationem nostram, & argumenta omnia sollicitudinis ac timoris animo nostro ob ingentem Pontificiarum curarum molem sese undique ingerentia. Nec omisimus cum gemitibus & lacrymis prosternere preces nostras ante faciem Dei nostri, ut per merita Jesu Christi Filii sui Pastorum Principis, cujus supremas in terris vices gerimus, requiescere faciat super Nos Spiritum Domini, Spiritum Sapientiæ & Intellectus, Spiritum consilii & fortitudinis, Spiritum scientiæ & pietatis, & repleat Nos Spiritu timoris Domini; ut non secundum visionem oculorum judicemus, neque secundum auditum aurium arguamus; sed judicemus in justitia pauperes, & arguamus in æquitate pro mansuetis terræ.

Fidelium orationibus juvari expetit.

§. 1. Verum infirmitatem nostram probe agnoscentes, nec de tam cælesti favore ac benedictione Nobis certo polliceri audentes; sed minime dubitantes, quin concors totius Catholicæ Ecclesiæ ad misericordiarum Patrem supplicantis oratio potentissima sit, ut ille uberrimam omnium cælestium Charismatum copiam super Nos benignus effundat; universos Christifideles rogamus, atque in Domino exhortamur, ut nostris suas etiam alacrius conjungant publicas ferventioresque precationes, supplicationes, jejunia, eleemosynas, atque alia pietatis opera, hoc præsertim tempore, in quo, Carolo claræ memoriæ, dum viveret, Romanorum Rege in Imperatorem electo nuper defuncto, pro novi Romanorum Regis futuri Imperatoris electione Comitia habenda sunt; dum Nos, juxta antiquissimum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum morem, cælestes Ecclesiæ thesauros dispensationi nostræ creditos erogamus, atque elargimur.

Concessio Indulgentiæ Plenariæ perficientibus opera injuncta.

§. 2. Itaque, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus, licet indignis, contulit, universis & singulis utriusque Sexus Christifidelibus in alma Urbe nostra degentibus, qui solemni Processioni, quam Dominica ultima post Pentecostem, die videlicet vigesima currentis mensis Novembris, ab Ecclesia S. Mariæ Angelorum in Thermis ad Basilicam Sanctæ Mariæ Majoris nuncupatam de eadem Urbe, una cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinali-

Quoad existentes in Urbe.

ANNO 1740.

bus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, quos in Romana Curia adesse contigerit, ac Christianorum Regum, & Principum Oratoribus apud Nos existentibus, Prælatis quoque, & Officialibus ejusdem Curiæ, universoque Clero, & Populo, benedicente Domino, agemus, devote interfuerint, vel Sancti Johannis in Laterano, Principis Apostolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris præfatæ Ecclesias, seu Basilicas, vel earum aliquam intra spatium ejusdem, vel proxime subsequentis hebdomadæ, saltem semel visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devote, ut supra, Deum oraverint; ac quarta, & sexta feria, ac Sabbato alterius ex præfatis hebdomadis jejunaverint, & peccata sua confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Dominica die immediate sequenti, vel alia die intra eandem hebdomadam reverenter sumserint, ac pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint: cæteris verò extra Urbem prædictam ubicumque degentibus, qui Ecclesias ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, seu Officialibus, aut de eorum mandato, & ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hæ nostræ pervenerint, designandas, vel Ecclesiarum hujusmodi aliquam, spatio duarum similiter hebdomadarum à publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, seu Officiales, vel alios, ut præfertur, faciendæ decurrendarum, saltem semel visitaverint, ibique, ut supra, oraverint, ac quarta, & sexta feria, ac Sabbato alterius ex hebdomadis hujusmodi jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die Dominica immediate sequenti, vel alia die intra eandem hebdomadam Sanctissima Communione refecti fuerint, & pauperibus aliquam eleemosynam, ut præmittitur, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem, sicut in Anno Jubilei visitantibus certas Ecclesias intra, & extra Urbem prædictam concedi consuevit, tenore præsentium concedimus, & elargimur.

Quoad existentes extra Urbem.

§. 3. Navigantes verò & iter agentes, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis, & visitata Ecclesia Cathedrali, vel Majori, aut Parochiali loci eorum domicilii, eandem indulgentiam consequi possint, & valeant: Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque tam Laicis, quam Ecclesiasticis, Secularibus, vel Regularibus, etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis à locorum Ordinariis ante præsentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus.

Quoad Navigantes & iter agentes.

Aliosque legitimè impeditos.

§. 4. Insuper omnibus, & singulis Christifidelibus utriusque Sexus tam Laicis, quam Ecclesiasticis, Secularibus, & Regularibus cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, tam in Urbe præfata, quam extra eam ubique locorum, ut præfertur, degentibus, licentiam concedimus & facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium tam Secularem, quam cujusvis Ordinis, & Instituti Regularem ex approbatis, ut præmittitur, à locorum Ordinariis, qui eos ab Excommunicationis, Suspensionis, & aliis Ecclesiasticis sententiis, & censuris à Jure vel ab homine quavis causa latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam in literis die Cœnæ Domini legi solitis contentis, & alias per quascumque nostras, aut Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro Conscientiæ, & hac vice tantum absolvere & liberare valeant, & insuper vota quæcumque (Religionis & Castitatis exceptis) in alia pia & salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus pœnitentia salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis.

Facultas eligendi Confessarium.

Pro absolutione a Censuris.

§. 5. Quapropter tenore præsentium in virtute Sanctæ abedientiæ districte præcipimus atque mandamus omnibus, & quibuscumque Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum ubicumque existentibus, eorumque Vicariis, & Officialibus, vel, iis deficientibus, illis, qui curam Animarum exercent, ut cum præsentium literarum transumta aut exempla etiam impressa acceperint, illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedimento, per suas Ecclesias & Diœceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & loca publicent, & publicari faciant, Ecclesiamque seu Ecclesias visitandas designent.

Præcipitur publicatio præsentium ubique locorum.

§. 6. Non intendimus autem per præsentes super aliqua irregularitate publica vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seù inhabilitate quoquo modo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seù habilitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiæ; neque etiam easdem præsentes iis, qui à Nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælato, seu Judice Ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seù aliàs in Sententias, & Censuras, incidisse declarati, vel publicè denuntiati fuerint, nisi intra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Casus excepti.

§. 7. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, præsertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles indulgentiarum, & facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant; nec non Regula nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum & Congregationum, sive Institutorum, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis & consuetudinibus: Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus & Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter, nominatim & expresse ad effectum præmissorum derogamus; cæterisque contrariis quibuscumque. Ut autem præsentes nostræ, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus,

Clausulæ præservativæ, & derogatoriæ.

Transumptis fidem præstari jubetur.

ANNO 1740. Et peccatis reservatis.

Et pro commutatione Votorum.

ANNO 1740.

ut earundem præsentium transumtis vel exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, ubique locorum, & Gentium eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ. Demum sciant omnes, vel palam, vel in corde adversantur Sedi Apostolicæ, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ judiciis, & signanter Constitutioni *Unigenitus*, indignos esse, qui gratiam, & beneficium Jubilei participent. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 11. mensis Nov. 1740. Pont. Nostri Anno I.

D. Card. Passionei.

Refractarii judiciis & Constitutionibus S. Sedis excluduntur.

Dat. Pont. A. 1. die 11. Nov. 1740.

II.

Epistola Encyclica & Commonitoria ad omnes Episcopos.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Procœmium A debito Pastoralis Officii.

UBI primùm placuit Deo, qui dives est in misericordia, humilitatem nostram in suprema Beati Petri Sede collocare, & Vicariam Domini Nostri Jesu Christi potestatem Nobis, nullo quamvis meritorum suffragio suffultis, ad universæ Ecclesiæ suæ gubernationem committere; auribus insonare nostris visa est Divina illa vox: *Pasce agnos meos: pasce oves meas*: injuncta videlicet Romano Pontifici, ejusdem Petri Successori, cura regendi, non modò Gregis Dominici agnos, qui sunt populi per totum terrarum Orbem diffusi, sed etiam oves, nimirum Episcopos, qui veluti agnorum matres, populos in Christo Jesu generant, iterumque parturiunt. Pastoris igitur etiam vestri voces excipite, Fratres, per has nostras literas; & in partem solicitudinis, cujus plenitudo commissa Nobis Divinitus est, vocati, intelligite ex ipsis admonitionibus, & cohortationibus nostris, quanta Nos premat cura non prætermittendi ea, quæ officii nostri sunt, quantaque itidem sit vis paternæ nostræ in vos charitatis, qua ad maximè optandum adducimur, ut de profectu sanctarum ovium fiant gaudia æterna Pastorum.

Episcopis commendatur vigilantia in vitam & honestatè Clericorum.

§. 1. In primis verò date operam, omnique studio, atque ope satagite, ut morum integritas, & Divini cultus studium eluceat in Clero, utque Ecclesiastica Disciplina sarta tecta servetur, & ubi collapsa fuerit, redintegretur. Satis enim constat, nihil esse, quod omnem populum ad pietatem, religionem, & Christianæ vitæ institutionem efficaciùs instruat, excitet, inflammet, quàm eorum exemplum, qui Divino se ministerio dedicarunt. Itaque in id mentis vestræ acies primùm dirigenda est, ut cum accurato delectu ii Clericali militiæ adscribantur, a quibus meritò possit expectari, ut iis in lege Domini ambulantibus, & de virtute in virtutem euntibus, eorum vita cunctis afferat venerationem, & eorum opera Ecclesiis vestris spiritualem afferat utilitatem. Meliùs enim profectò est pauciores habere Ministros, sed probos, sed idoneos, atque utiles, quàm plures, qui in ædificationem Corporis Christi, quod est Ecclesia, nequicquam sint valituri. Quantam idcircò Episcoporum cautionem ea in re Sacri Canones requirant, non ignoratis Fratres; sed ab eorum norma, quæ omninò servari debet, ne patiamini vos abduci humano ullo respectu, vel importunis ambientium suggestionibus, vel fautorum precibus. Apostoli verò præceptum, ut ne manus cuiquam nimis propere imponantur, tunc potissimum servari necesse est, ubi de promovendis ad Sacros Ordines, & ad Sacratissima Mysteria, quibus nihil est divinius, agendum sit: Non enim sufficit ætas, quæ per sacras Ecclesiæ leges unicuique Ordini præscripta est, nec indiscriminatim omnibus, qui in inferiori aliquo Ordine jam sint constituti, suo quasi jure patere debet aditus ad sublimiorem; sed studiosè, magnaque adhibita diligentia investigandum a vobis est, an eorum, qui priora susceperint ministeria, talis fuerit vivendi ratio, & in sacris scientiis progressio, ut verè digni judicandi sint, quibus dicatur: ascende superius: cum alioquin expediat in inferiori potius aliquos remanere gradu, quam cum suo majori periculo, & aliorum scandalo ad altiorem provehi.

Item Ministrorum Ecclesiæ delectus;

§. 2. Et quoniam supra quam dici possit, interest eos, qui in sortem Domini vocantur, ab ineunte ætate ad pietatem, morumque integritatem, & ad canonicam disciplinam, veluti novellas plantationes in juventute sua, informari; cordi idcirco vobis esse debet, ut ubi forsan nondum instituta fuerint Clericorum Seminaria, quam citissimè instituantur, vel jam instituta amplificentur, si majori Alumnorum numero pro Ecclesiarum conditione opus sit, adhibitis in eum finem mediis, quorum parandorum potestate Episcopi jam sunt instructi, & quibus alia etiam, si de eorum necessitate edocti a vobis fuerimus, addituri & Nos sumus. Eadem verò Collegia singulari vestra solicitudine foveantur, necesse est, videlicet ea sæpe invisendo, singulorum adolescentium vitam, indolem, & in studiis profectum explorando, Magistros idoneos, virosque Ecclesiastico spiritu præditos ad eorum culturam destinando, literarias ipsorum exercitationes, sive Ecclesiasticas functiones quandoque præsentia vestra decorando, aliqua demum Beneficia iis, qui virtutum suarum specimen clariùs præstiterint, majoremque laudem retulerint, conferendo. Hujusmodi enim irrigationem arbusculis hisce, dum adolescunt, ministrasse non vos pœnitebit, sed vestra opera lætissimum deinde vobis referet fructum in uberi bonorum operariorum copia. Consueverunt quippe Episcopi sæpius dolere messem quidem esse multam, operarios autem paucos: At fortasse eis quoque dolendum esset, non eam, quam debuissent, industriam ipsos adhibuisse, ut operarii ad messem pares, aptique formarentur: boni namque, & strenui operarii non nascuntur, sed fiunt; ut autem fiant, ad Episcoporum solertiam, industriamque maximè pertinet.

Seminaria Clericorum instituantur, vel augeantur, ubi opus fuerit.

Et ab Episcopis sæpe visitentur.

§. 3. Sed & illud maximi momenti est, ut ils animarum cura committatur, qui doctrina, pietate, castis moribus, & illustribus bonorum operum exemplis ita aliis prælucere possint, ut verè lux, & sal populi sint, & habeantur. Hi nimirum præcipui adjutores vestri sunt in grege vobis credito informando, regendo, perpurgando, in viam salutis dirigendo, & ad Christianas virtutes incitando. Ex quo pronum est intelligere quanti vestra etiam referat, eos ad Parochiale officium obeundum eligi, qui ad fructuosam plebium gubernationem merito judicentur aptiores. In id vero potissimum quoque incumbite, ut quicumque animarum curam gerunt, diligenter, diebus saltem Dominicis, aliisque festis de præcepto, plebes sibi commissas, pro sua, & earum capacitate, pascant salutaribus verbis, docenda ea, quæ Christifideles ad salutem scire oportet, ac explicando Divinæ legis capita, Fideique dogmata, & pueros ejusdem Fidei rudimentis imbuendo, quacunque prava in contrarium consuetudine, ubicumque esset, prorsus sublata. Quomodo enim audient sine prædicante? Aut quomodo rectè credendi, rectèque agendi normam assequi poterunt populi, si animarum curatores

Qualitates eligendorū ad Curam Animarum.

Eorumdem Officiū, prædicandi, & catechizandi.

Et cauta eorum promotio.

ANNO 1740.

ratores in ejusmodi officio segnes, remissi, ac desides fuerint? Quare non satis animo comprehendi, aut verbis explicari potest, quanta Christianæ Reipublicæ pernicies impendeat ex eorum, quibus animarum cura demandata est, negligentia in pueris præsertim catechismo instruendis. Proderit autem plurimum, si studueritis, ut & qui curam animarum gerunt, & alii, qui ad pœnitentium confessiones excipiendas destinati sunt, per aliquot dies spiritualibus exercitiis, quotannis vacent: in eo quippe pio recessu renovabuntur spiritu mentis suæ, & induentur virtute ex alto, ad ea impensius, alacriusque peragenda, quæ suarum partium sunt pro Divini Numinis gloria, & spirituali proximorum utilitate, & salute.

Parochi & Confessarii exercitiis spiritualibus quotannis incumbant.

§. 4. Jam vero scitis, Fratres, Divino præcepto mandatum esse omnibus animarum Pastoribus, oves suas agnoscere, easque verbi Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere; hisque, ac cæteris Pastoralis Officii muniis satisfacere, ut par est, minime posse eos, qui gregi suo non invigilent, neque assistant, vineamque Domini, in qua positi sunt custodes, non custodiant assidue. Itaque in statione vestra maneatis oportet, & personalem in Ecclesia vestra, vel Diœcesi, servetis residentiam, ad quam ex vi muneris vestri obligati estis, quemadmodum pluribus Generalium Conciliorum Decretis, & Prædecessorum nostrorum Constitutionibus luculenter declaratum, præscriptumque est. Cavete autem, ne existimetis fas esse Episcopis per tres Menses singulis annis pro libito, aut quacunque ex causa abesse. Ut enim hoc vere liceat Episcopis, constat habendam esse rationem, ut absentiam hujusmodi æqua requirat causa, simulque consultum sit, ne gregi detrimentum obveniat. Mementote autem Judicem futurum esse eum, cujus oculis omnia nuda, & aperta sunt, adeoque videte, ut causa talis vere sit, quæ probari jure possit supremo huic Pastorum Principi, a quo ovium vobis creditarum sanguis est quantocius requirendus: in quo quidem judicio, frustra Pastor contenderet ea se excusatione tueri, quod lupus oves, absente se, ac inscio, abductas devoraverit: nam si res penitus inspiciatur, satis apparet nullum prope malum, aut scandalum in Diœcesi sic destituta contingere, quod non sit ei adscribendum, cujus erat, subditos a recta semita deflectentes revocare monitis, allicere exemplis, voce confirmare, auctoritate, & charitate continere. Porrò quis etiam non intelligat, multò satius esse negotia alibi per alios, ubi oportuerit, peragi, quam per se ipsum ab Episcopo extra Diœcesim suam morante; negotium vero omnium maximum custodiendi, & gubernandi gregis ab eo per se non per administros curari? Sint enimvero quantumvis idonei, probatique Ministri, non tamen tamen eorum vocem sic solent audire oves, ut vocem veri sui Pastoris: nec vicariam illorum operam supplere satis vigilantiam, atque operam ipsius Episcopi, cui peculiaris Sancti Spiritus gratia ad id opitulatur, experientia abunde compertum est.

Assidua Episcopis residentia in propriis Ecclesiis, vel Diœcesibus, inculcatur.

Reprobatis futilibus absentiæ causis.

§. 5. Ad hæc, cum in omni etiam rei domesticæ cura nihil sit utilius, quam si ipsimet Paterfamilias omnia frequenter inspiciat, suaque vigilantia suorum industriam, & diligentiam alat, propterea vos monemus, & hortamur, Fratres, atque etiam vobis injungimus, ut Ecclesias, & Diœceses vestras, (nisi gravis, ac legitima interveniat causa, quæ aliis id committi postulet) vos ipsi visitetis, vos ipsi oves vestras, & pecoris vestri vultum agnoscatis. Formidinis sane, ac terroris plena est certissima illa sententia, quam supra memoravimus, non admitti Pastoris excusationem, si lupus oves comedit, & Pastor nescit. Multa verò quidem ignorabit Episcopus, multa eum latebunt, vel saltem serius, quam oporteret, intelliget, nisi ad omnes suæ Diœceseos partes se conferat, & nisi per se ipsum ubique videat, ubique audiat, ubique exploret, quibus malis medicina facienda sit, & quænam fuerint eorum causæ, quave ratione occurri etiam providenter queat, ne sublata reviviscant. Præterea cum ea sit humanæ imbecillitatis conditio, ut in agro Dominico, cujus cultura commissa Episcopo est, sensim vepres, & spinæ, ac noxiæ, inutilesque herbæ succrescant, certe nisi ad eas amputandas cultor crebrò redeat, ille ipse nitor vigiliis ejus, laboribusque jam partus, progressu temporis defloresceret. Sed neque etiam satis est lustrari a vobis Diœceses, & oportunis præceptionibus vestris curationi earum esse prospectum: restat & illud enixè perficiendum a vobis, ut quæ in visitationibus constituta fuerunt, vere in effectum perducantur; nam legum etsi optimarum utilitas nulla erit, nisi quod sancitum verbis est, re ipsa ab eis, ad quos pertinet, studiosè præstetur. Quapropter postquam ad animarum morbos expellendos, sive avertendos, salutaria paravistis medicamenta, non ideò solicitudo vestra conquiescat oportet, sed traditorum a vobis præceptorum executio omni vitium contentione urgenda est; idque potissimum per iteratas visitationes estis assecuturi.

Visitatio quoque Ecclesiarum, & Diœcesum.

Atque executio decretorum in Visitationibus editorum.

§. 6. Postremò, ut multa paucis complectamur, Fratres, in omni sacra, & Ecclesiastica functione, & in omni Divini cultus, ac pietatis exercitio vos ipsos auctores, vos duces, vos magistros esse convenit, ut quasi de vestræ sanctitatis splendore, tum Clerus, tum grex universus lumen hauriat, & charitatis vestræ igne incalescat. Itaque in tremendi Sacrificii frequenti, & devota oblatione, in solemni Missarum celebratione, in Sacramentis administrandis, in Divinis Officiis obeundis, in cultu, & nitore Templorum, in disciplina domus, & familiæ vestræ, in pauperum amore, & ope eis ferenda, in ægrotis invisendis, & sublevandis, in peregrinis hospitio excipiendis, in omni denique Christianæ virtutis opere estote vos forma gregis vestri, ut omnes imitatores vestri sint, sicut & vos Christi, quemadmodum decet Episcopos, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Apostolos identidem respicite, in quorum successistis locum, ut eorum vestigia sectemini in laboribus, in vigiliis, in ærumnis tolerandis, in arcendis lupis ab ovilibus vestris, in vitiorum radicibus extirpandis, in Evangelica lege exponenda, in eis, qui erraverint, ad salutarem pœnitentiam reducendis. Aderit profecto vobis omnipotens, & misericors Deus, in quo nos confortante omnia possumus: Non deerit etiam vobis, ut plane confidimus, religiosorum Principum auxilium: Omnia insuper adjumenta parata vobis erunt ab hac Sancta Sede, quotiescumque nostra Apostolica Auctoritate opus esse censueritis. Magno itaque animo, magnaque fiducia venite ad Nos, qui vos cunctos, ut Fratres, & adjutores nostros, & coronam nostram amamus in visceribus Jesu Christi: Venite ad vestram, & omnium Ecclesiarum Matrem, Caput, & Magistram, Sanctam Romanam Ecclesiam, unde Religionis origo manavit, ubi Fidei petra, ubi fons Sacerdotalis unitatis, ubi incorruptæ veritatis doctrina; nihil enim Nobis optatius, nihil jucundius esse potest, quam una vobiscum Dei gloriæ inservire, & Catholicæ Fidei custodiæ, ac propagationi allaborare, atque animas salvas facere, pro quibus ipsum quoque sanguinem, & vitam nostram libentissime, si oportuerit, impende-

Reliqua Episcoporū Officia enumerantur, & commendantur.

Cum spe Divinæ opis.

Et auxilii Principum Christianorum.

Et Pontificiæ Auctoritatis, cujus præsidium omnibus exhibetur.

ANNO 1740.

Adhortatio.

penderemus. Excitet vos demum, ſtimuloſque currentibus vobis addat ingens, ac certa, quæ vos manet, remuneratio; nam cum apparuerit Princeps Paſtorum, percipietis immarceſcibilem gloriæ coronam; coronam utique juſtitiæ, quæ repoſita eſt fidelibus diſpenſatoribus Myſteriorum Dei, & ſtrenuis, vigilibuſque ſpeculatoribus domus Iſrael, quæ eſt Sancta ipſius Dei Eccleſia. Ejus autem vices Nos, quamvis indigni, gerentes in terris, Fraternitatibus veſtris peramanter benedicimus, necnon Clero, ac populo veſtro fideli, eandem Apoſtolicam Benedictionem noſtram paterno affectu impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 3. Decemb. 1740. Pontificatus Noſtri Anno I.

Dat. Pont. A. 1. die 3. Dec. 1740.

III.

Abbreviatoribus de Parco Majori conceditur uſus Redimiculi galeri, vulgò *Cordone*, coloris violacei, etiam dimiſſo Officio.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a Pontificia munificentia.

MAXIMO ad labores alacriter ſubeundos, conſtanter perferendos, ac fideliter abſolvendos incitamento ſemper fore eximiis viris meritos conferre honores, ipſa rerum magiſtra experientia edocti ſapientiſſimi Principes familiarium potiſſimum Miniſtrorumque ſuorum optimum quemque in honore habere, ac præclaris honorum inſignibus decorare ſtuduerunt, intelligentes etiam id & ſibi decus magnum, & maximam in rebus agendis afferre ſecuritatem. Nec minori ſane providentia Romani Pontifices Prædeceſſores Noſtri ſeſe cum iis geſſerunt, qui ad publicam Catholicæ Eccleſiæ utilitatem, & Apoſtolicæ Sedis dignitatem ſumma cum fidei, induſtriæ, prudentiæ, ac dexteritatis laude aſſidue adlaborarent, ut alacrius ſua eidem Sedi impenderent obſequia, & demandata munera ſtudioſus obire ſatagerent.

Varia Privilegia Abbreviatoribus a Summis Pontificibus conceſſa.

§. 1. Hinc eſt quod Nos quoque ad egregia dilectorum Filiorum Majoris Præſidentiæ in Cancellaria noſtra Apoſtolica Abbreviatorum, quos ſel. rec. Sixtus IV., Leo X., Paulus V., Urbanus VIII., Clemens X., & Benedictus XIII. Prædeceſſores Noſtri variis prærogativis & privilegiis cumularunt, in Nos, & dictam Sedem fidei, & devotionis, aliaque multiplicia merita paternæ dirigentes conſiderationis intuitum, eorumque virtutem aliqua honoris prærogativa condecorare volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibusvis Excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis cenſuris & pœnis a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtant, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, motu proprio, & ex certa ſcientia, & mera liberalitate Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, eiſdem Majoris Præſidentiæ in Cancellaria Noſtra Apoſtolica prædicta Abbreviatoribus præſentibus & futuris, ut ipſi omnes, & ſinguli Redimiculum galeri, *Cordone* vulgariter nuncupatum, coloris violacei, in quibuſvis functionibus, & actibus publicis, ac privatis, ubique, etiam dimiſſo Officio hujusmodi, deferre, & geſtare libere & licite poſſint, & valeant, tenore præſentium concedimus & indulgemus.

Eiſdem conceditur Redimiculum Galeri violaceum.

Etiam dimiſſo Officio.

Clauſulæ præſervativæ, & derogatoriæ.

§. 2. Decernentes eaſdem præſentes Litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus & per omnia pleniſſime ſuffragari, ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & alios quoſlibet quacumque præeminentia & poteſtate fungentes & functuros, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris 13. Septembris 1740. Pont. Noſtri Anno I.

ANNO 1740.

Dat. die 13. Sept. 1740.

D. Cardinalis Paſſioneus.

IV.

Congregationis pro Gubernio Civitatis Firmanæ ejusque Comitatus, ab Innocentio XII. erectæ, nova forma conſtituitur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Procœmium.

NEMO eſt, qui non intelligat, quam ſollicite advigilare debeant Romani Pontifices, ut ea omnia, quæ Prædeceſſores ſui pro ſaluberrimo, non ſolum totius Status noſtri Eccleſiaſtici, ſed uniuſcujuſque etiam Provinciæ, Civitatis, & Oppidi, tam Spirituali, quam Temporali regimine, poſt adhibitam omnem diligentiam, & maturam deliberationem, ſtatuenda eſſe cenſuerunt, integerrime ſerventur, & ſi aliqua ex parte tractu temporis per deſuetudinem, aut quamcumque contratiam conſuetudinem non ſine detrimento, immutata eſſe conſtiterit, ut ad priſtinum reducantur, noviſque ſanctionibus confirmentur: Ea propter Nos quoque præcipuum munus noſtrum eſſe ducimus, ut noſtra in hoc potiſſimum ſtudia deſiderari minime patientes, Apoſtolicæ etiam auctoritatis noſtræ partes collocemus.

Eugenius IV. Gubernium Civitatis Firmanæ Cardinali pro tempore Patrono privative conceſſit.

§. 1. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Communitas, & Homines Civitatis Noſtræ Firmanæ, quod inter cætera Indulta, & Privilegia, quibus, ut aſſeritur, Civitas ipſa Firmana a ſel. record. Eugenio PP. IV. Prædeceſſore Noſtro decorata fuit, illud etiam continebatur, ut Gubernatoris, & Judicis privativi Civitatis prædictæ munus a Cardinali pro tempore Summi Pontificis Nepote, vulgò Cardinali Patrono nuncupato, obiretur, quemadmodum uſque ad tempora rec. mem. Innocentii PP. XII. Prædeceſſoris itidem Noſtri factum fuerit. Poſtquam autem ipſe Innocentius Prædeceſſor Cardinalis Patroni titulum, & auctoritatem ſuſtulit, & pro rebus, negotiiſque ejuſdem Civitatis Firmanæ, illiuſque Comitatus peragendis, Congregationem, quæ ex Cardinali a Secretis Status Eccleſiaſtici prædicti, & aliquot Romanæ Curiæ Prælatis conſtabat, inſtituit, cum facultatibus eiſdem, quibus Congregatio Venerabilium Fratrum Noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium ſuper Conſultationibus Civitatum, Terrarum, & Locorum ejuſdem Status Noſtri Eccleſiaſtici deputatorum erecta fuit, ut ex particula Apoſtolicarum ipſius Innocentii Prædeceſſoris in ſimili forma Brevis litterarum in forma Motus Proprii die 3. Januarii MDCXCIII. expeditarum uberius colligitur, quæ particula eſt tenoris ſequentis: *Cum itaque Nos alias, nempe in ipſis Pontificatus Noſtri primordiis,*

Innoc. XII. pro ejuſdem Civitatis & Comitatus negotiis ſpecialem Congregationem inſtituit.

ANNO 1740.

justis ex causis Animum Nostrum moventibus adducti, pro dictæ Civitatis Firmanæ gubernio Dilectum Filium Nostrum Fabritium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Spada nuncupatum Secretarium Nostrum Status, ac nonnullos Romanæ Curiæ Prælatos, prudentia, doctrina, integritate, & rerum usu eximie præditos deputaverimus; Hi vero subinde, prout rerum, & negotiorum momenta postulabant, insimul convenientes, demandatam sibi a Nobis Provinciam rectè, & fideliter, atque ex animi Nostri Sententia hactenus administraverint: Idcirco sperantes in Domino sub eorum prudenti, ac salubri directione Civitatem Firmanam prædictam in futurum quoque optatos Pacis, Tranquillitatis, & Justitiæ fructus suscepturam esse; Motu Proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine Congregationem memoratorum Fabritii Cardinalis, ac Prælatorum a Nobis, ut præfertur, deputatorum, aliorumque in futurum deputandorum, pro Civitatis Firmanæ hujusmodi, ac Civium, & Incolarum, nec non Territorii, & districtus totius Comitatus, ac Castrorum, Terrarum, & Locorum ejusdem, gubernio, tenore præsentium, ad Nostrum, & Sedis Apostolicæ beneplacitum, erigimus, & instituimus. Ac ipsi Congregationi sic erectæ, & institutæ, ut quoad gubernium hujusmodi, omnibus, & singulis facultatibus, Jurisdictionibus, & Indultis, quæ quoad universum Statum nostrum Ecclesiasticum tam per fel. record. Sixtum PP. V., quam alios quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium super consultationibus negotiorum Status Ecclesiastici hujusmodi deputatæ quomodolibet, & qualitercumque concessa, & attributa fuerunt, pari modo, & absque ulla prorsus differentia uti, frui, & gaudere libere, & licitè possit, & valeat, harum serie concedimus, & indulgemus.

Causæ præsentis innovationis.

§. 2. Quoniam autem, præinserta sanctione, per hoc temporis spatium fere neglecta Congregatio Firmana hujusmodi, præter Cardinalem Secretarium Status prædicti, alios etiam Prælatos, nempe Auditorem Romani Pontificis pro tempore existentem, Secretarium cum duobus Ponentibus secundodictæ Congregationis, & Secretarium Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Bono Regimini Communitatum, & Universitatum ejusdem Status nostri Ecclesiastici deputatæ, atque etiam Procuratorem Fiscalem hujus Almæ Urbis nostræ, cum Voto, ac suffragio habere cæpit, factum est, ut, veluti, experientia patuit, in Causis contentiosis, & articulos Juris continentibus, non mediocris confusio inde orta sit, quod ob facilem Prælatorum Ponentium secundodictæ Congregationis mutationem, eædem Causæ jam decisæ, ac terminatæ, iterum atque iterum, non sine gravi Civitatis prædictæ dispendio, in Judicium adductæ fuerint. Hoc autem non aliam ob causam fieri compertum est, quam quod Prælati secundodictæ Congregationis Consultationibus præpositæ, propter plurima negotia totius Status prædicti bis in hebdomada haberi solitæ, eo, quo par est, ordine aliis rebus interesse non possunt. Propterea ipsi Exponentes Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut Congregationem Firmanam hujusmodi de novo, juxta Innocentianæ Sanctionis præinsertam particulam, ad instar Congregationum Lauretanæ, & Avenionensis, quæ Congregationes Prælatos stabiles, ac fixos habent, erigere, & confirmare, cum facultatibus prædictis, de benignitate Apostolica dignaremur.

Incipit dispositiva.

§. 3. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares Personas a quibusvis Excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ Potestatis plenitudine, nominationem, seu deputationem quorumcumque Romanæ Curiæ Prælatorum Congregationem Firmanam ad hoc usque tempus constituentium, a Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris quomodolibet factam, annullantes, & revocantes, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus eandem Congregationem pro Civitatis Firmanæ hujusmodi, ac Civium, & Incolarum, necnon Territorii, & districtus, totiusque Comitatus, & Castrorum, & locorum ejusdem, gubernio, de novo, quatenus opus sit, juxta primævam ejusdem Congregationis erectionem ab Innocentio Prædecessore, cum omnibus, & singulis facultatibus, Jurisdictionibus, & Indultis, sicut præmittitur, concessis, & attributis, & quibus hactenus eadem Congregatio usa, & potita est, factam, erigimus, & instituimus; Ac dilectum filium nostrum Silvium S. R. E. prædictæ Presbyterum Cardinalem Valenti Gonzaga nuncupatum, modernum, ac pro tempore existentem Secretarium Status Nostri prædicti, uti Præfectum, necnon dilectos filios Magistros Ludovicum Merlinum modernum Pro-Auditorem, ac pro tempore existentem Romani Pontificis Auditorem, & in locum aliorum Prælatorum tenore præsentium a Nobis amotorum, Marium Millinum Capellanum Nostrum, & Causarum Palatii Apostolici Auditorem, Joannem Baptistam Mesmerum Cameræ Nostræ Apostolicæ prædictæ Clericum Præsidentem, necnon Franciscum Felicem Amadeum Signaturæ Nostræ Justitiæ Votantem, cui etiam munus Secretarii hujus Congregationis adjungimus cum Voto, firmis pariter remanentibus moderno, & pro tempore existente Promotore Fiscali generali dictæ Urbis cum Voto consultivo tantum, ac uno Relatore Causarum Civitatis, & Comitatus hujusmodi per eumdem Congregationis prædictæ Secretarium nominando, constituimus, & deputamus. In casu vero sive obitus, sive absentiæ, sive Promotionis dictorum Prælatorum, sive alicujus eorum, Nobis, & pro tempore existentibus Romanis Pontificibus Successoribus Nostris in cujuslibet eorum locum, alium, sive alios eligendi, & subrogandi facultatem reservamus.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, nec de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu Intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam substantiali, & formali, ac incogitato, & inexcogitabili, necessariamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, aut in controversiam vocari, aut ad terminos Juris reduci ullo modo unquam posse; sicque, & non aliter in præmissis per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. prædictæ Cardinales etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstan. quatenus opus sit,

ANNO 1740.

Revocatis anteactis Prælatorum deputationibus.

Eadem cõgregatio de novo erigitur.

Composita ex Card. Secretario Status; Auditore SSmi; uno Auditore Rotæ; uno Clerico Cameræ; uno Votante Signaturæ Justitiæ, Secretario; Fiscali generali; & uno Causarũ Relatore.

Clausulæ præservativæ.

Aliter judicari prohibetur.

Contrariis derogatur.

Nostra,

ANNO 1740.

Noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ regula de Jure quæſito non tollendo, aliiſque Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon, quatenus opus ſit, dictæ Civitatis Firmanæ, aliiſve quibuſvis, etiam Juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis quibuſvis Perſonis, & locis ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficaciobus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, ſeu alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis, & pluries innovatis: Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata exprimerentur, & inſererentur, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Dat. die 20. Sept. 1740.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 20. Septembris 1740. Pontificatus Noſtri Anno I.

D. Cardinalis Paſſioneus.

V.

Erectio Congregationis Particularis ſuper promovendis ad Archiepiſcopatus & Epiſcopatus.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Sollicitudo Pontificis pro delectu Epiſcoporum, juxta mentem Concilii Tridentini.

AD Apoſtolicæ ſervitutis onus, nullis licet noſtris opitulantibus meritis, clementiſſimo Divinæ mentis conſilio nuper provecti, ſtatim cogitare cœpimus, quam vere, meritoque Tridentini Concilii Patres edixerint, nihil magis Eccleſiæ Dei eſſe neceſſarium, quam ut Romanus Pontifex ſolicitudinem ex ſui muneris officio univerſæ Eccleſiæ debitam, potiſſimum in id impendat, ut bonos maxime, atque idoneos Paſtores ſingulis Eccleſiis præficiat, neque erretur in electione eorum, qui tamquam lucernæ ſuper candelabrum poſitæ lucere debent omnibus, qui in Domo Dei ſunt, ne alioquin totius Familiæ Domini ſtatum, & ordinem luctuoſe nutare contingat. ſi quod requiritur in corpore, non inveniatur in Capite. Urgebat Nos quoque, angebatque plurimum ejuſdem Sacri Generalis Concilii graviſſima Romano Pontifici propoſita conſideratio, videlicet, Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum de ejus manibus requiſiturum ſanguinem ovium ſuarum, quæ ex malo negligentium, & officii ſui immemorum Paſtorum regimine perierint.

Erectio Congregationis Particularis, cujus conſilio hac in re uti ſtatuit.

§. 1. Cupientes itaque tanto huic negotio, quod ad Epiſcoporum creationem ſpectat, quantum fieri poſſit, tutius, ſalubriuſque conſulere, præter ea, quæ jam circa id, tum per memorati Concilii Decreta, tum per Prædeceſſorum Noſtrorum Conſtitutiones ſapienter ſtatuta ſunt, Congregationem Particularem tenore præſentium erigimus, inſtituimus, & ſpecialiter deputamus, cujus conſilio hac in re, & Nos uti volumus, & Romanos Pontifices Succeſſores Noſtros uſuros itidem eſſe in Domino confidimus. Huic autem Congregationi quinque, (neque enim pauciores, aut plures cenſuimus expedire) ex Venerabilibus Fratribus Noſtris S. R. E. Cardinalibus, pietate, doctrina, prudentia, rerumque uſu præſtantes, nuper a Nobis nominatos, adſcribimus, ejuſdemque Congregationis Secretarium dilectum filium Auditorem Noſtrum deputamus.

ANNO 1740.

Onus Congregationis, probandi digniores & aptiores, qui ad Epiſcopatus promoveri poſſint.

§. 2. Porro hujus Congregationis partes erunt, omni ſtudio, atque opera adhibita, & quovis humano reſpectu poſthabito, Nobis aſſiſtere, ut juxta enixum deſiderium Noſtrum, ad Patriarchales, Primariales, Archiepiſcopales, & Cathedrales Eccleſias regendas aſſumantur Viri, morum integritate, ſacra doctrina, rerum Eccleſiaſticarum peritia, zelo Domus Dei, & vero ſalutis animarum ſtudio præditi, quique non ad propria commoda, ſed ad labores, & ſolicitudines pro Dei gloria ſeſe vocari intelligentes, nec quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti quærentes, miniſterium ſuum, juxta Venerabiles Beatorum Patrum, & Sacrorum Canonum ſanctiones, laudabiliter ſint impleturi; ita ut, pro vacantium Eccleſiarum qualitate, & conditione, omnino digniores, & ad eas fructuoſe gubernandas eligantur aptiores, quales ſemper, adjuvante Domino, a Nobis electum iri intendimus, & ſperamus. Quocirca cum eadem Congregatione communicaturi ſumus de quibus Viris ad Epiſcopatum promovendis mentem Noſtram ſubierit cogitatio, necnon de documentis ad eorum qualitates, & merita ſpectantibus.

Et requirendi ſecreto ab Epiſcopis, & Superioribus Regularibus, an & qui Epiſcopatu digni habeantur.

§. 3. Et ne diutius Paſtoribus careant Eccleſiæ, ſi poſt earum vacationem quærantur, qui ad eas promoveri merito poſſint; volumus, & mandamus, ut ſtatim quidem poſt editam hanc Noſtram Conſtitutionem, ac deinde unoquoque biennio, per Cardinalem præfatæ Congregationis Præfectum ſcribatur diverſorum locorum Epiſcopis juxta a Nobis traditam deſignationem, præcipiendo eis nomine Noſtro, ut ſub ſecreti lege, & eorum conſcientias diſtricte onerando, fideliter referant, diligenti inveſtigatione præmiſſa, an, & qui, ſive Seculares, ſive Regulares Sacerdotes in eorum Diœceſi, vel in propinquis locis exiſtant, quos Epiſcopali muneri idoneos ſecundum Deum exiſtiment, explicando ſingulorum originem, natalia, ætatem, anteactæ vitæ inſtitutionem, Eccleſiaſticarum functionum exercitium, gradus, quos obtinuerint, officia, quæ obierint, doctrinam, pietatem, prudentiam, ceteraſque animi dotes, quibus quiſque valeat. Epiſtolæ vero, quas hac de re Epiſcopi reſcripſerint, ſecreto aſſervabuntur, ut quotieſcumque alicui Eccleſiæ de novo Paſtore providendum fuerit, abſque mora reſumi valeant, indeque facile, & expeditum ſit recognoſcere, quinam Viri digniores, ac vacanti Eccleſiæ congruentiores judicari poſſint a Nobis. Et quoniam ii, qui in aliqua Regulari Familia vitam ducunt, cognoſci penitus poſſunt, & ſolent ab eorum Superioribus, tam Generalibus, quam Provincialibus, ipſos quoque ſub eodem ſecreti vinculo interrogari ad præmiſſum effectum volumus.

Tum ſuggerendi SSmo, occurrentibus vacationibus.

§. 4. Præterea cum primum alicujus Eccleſiæ vacatio innotuerit, Auditor Noſter certiores de ea faciet memoratos quinque Cardinales, ut & ipſi de Viris tali Eccleſiæ utilius præficiendis, nobiſque ſuggerendis, cogitare ſpecialiter poſſint, peculiaremque inveſtigationem pro eorum prudentia adhibere: quod qui-

ANNO 1740.

dem præcipue, & a Nobis ipsis fiet. Deinde vero, quanto citius fieri poterit, habenda erit Congregatio, cui antedicti quinque Cardinales una cum Auditore Nostro intererunt, ibique perpensis omnibus qualitatibus, & meritis Virorum, quorum notitia, vel a Nobis ipsis, vel per antedictas Episcoporum epistolas, vel per investigationem a dictis Cardinalibus factam, accepta fuerit, deliberandum erit quid consilii dandum Nobis sit, ut Auditor Noster referre deinde ad Nos possit quicquid prædicti Cardinales in eum finem Nobis duxerint significandum. Quod si alicujus Viri conditiones nondum satis exploratæ visæ fuerint in una Congregatione, differenda in alteram erit consultatio, ut interea per opportuna media accuratior indagatio fieri valeat.

Item examinandi causas translationum.

§. 5. In hac etiam Congregatione a Nobis, ut præfertur, deputata, agendum deinceps esse decernimus de Episcopis ab una ad alteram Ecclesiam auctoritate Nostra transferendis; debita nimirum maturitate examinando, num graves, legitimæ, Sacrisque Canonibus probatæ interveniant causæ, quæ hujusmodi translationem suadeant, inspecta dumtaxat Ecclesiarum necessitate, vel utilitate, ad quam profecto causæ omnes illæ reducuntur; ne alioquin, ob inconsultam facilitatem, cupiditas, & ambitio eorum, qui forsan ad ampliores Ecclesias aspirent, aut ditiores, foveretur, simulque via aperiretur spiritualibus incommodis, quæ Gregibus obvenire ex crebra Pastorum mutatione consueverunt. Ejusdem vero Congregationis consilium postea itidem ad Nos per eumdem Nostrum Auditorem erit referendum, ut determinari a Nobis possit quicquid magis expedire judicabimus.

Indicitur secreti custodia.

§. 6. Utque hæc omnia in antedicta Congregatione liberius, perfectiusque adimpleantur, secretum ad instar illius, quod pro negotiis ad Sanctam Inquisitionem pertinentibus servatur, singulis prædictis Cardinalibus, nec non Auditori Nostro injungimus; cum facultate tamen communicandi de rebus ad ipsam Congregationem spectantibus, sub simili secreti lege, cum uno cujusque ipsorum Auditore, sive Studiorum adjutore, & uno Amanuensi, nec non cum iis, quos iisdem de rebus interrogandos, vel consulendos censuerint, ad assequendas notitias in eum scopum conducentes, quosque eidem pariter secreto obnoxios esse debere statuimus.

Commonitio ad eos qui aliquod jus habent, vel operam præstant, in promotionibus Episcoporum.

§. 7. Confidimus vero etiam omnes eos, qui ad promotionem præficiendorum quodcunque jus quacunque ratione a Sede Apostolica habent, aut alioquin operam suam præstant, (nihil in iis pro præsenti temporum ratione innovando), ob oculos assidue habituros, in eorumque animo semper hæsuram (prout & hactenus factum, pro ipsorum pietate, ac Religione, putamus) commonitionem illam adeo ponderosam, quam prædictum Concilium Tridentinum censuit inculcandam, videlicet, nihil se ad Dei gloriam, & Populorum salutem utilius posse facere, quam si bonos Pastores, & Ecclesiæ gubernandæ idoneos promoveri studeant; eosque, alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint.

Sanctio Constitutionis.

§. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis, Constitutionis, Decreti, Statuti, Hortationis, & Monitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo, sexto decimo Kalendas Novembris Pont. Nostri Anno I.

P. Card. Prod. D. Card. Passioneus.

VISA DE CURIA

N. Antonellus.

J. B. Eugenius

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

ANNO 1740. Dat. die 17. Octob. 1740.

VI.

Prohibetur omnibus Regularibus, exceptis Hospitalariis S. Joannis de Deo, exercitium artis Aromatariæ pro Sæcularibus, & venditio pharmacorum & medicamentorum.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Motu proprio &c.

Refertur resolutio Congregationis particularis anni 1722.

Essendo Noi appieno informati, che sino dall' Anno 1722. in una Particolare Congregazione composta della fel. mem. di Clemente Papa Duodecimo Nostro Predecessore allora Cardinal Corsini, del fù Cardinal Paolucci, e del Reverendissimo Cardinal Annibale Albani Camerlengo della Santa Romana Chiesa, e di alcuni Prelati, specialmente deputata dalla fel. mem. d'Innocenzo Papa XIII. altro Nostro Predecessore, tenutasi li 25. Gennaro detto Anno, inerendo al Decreto precedentemente emanato dalla Congregazione della Visita delli 29. Agosto 1637., e della Risoluzione presa li 9. Decembre 1720., fù stabilito, che niuno de' Regolari di qualunque sorta, anche Cassinensi, dell' Ordine de' Predicatori, Compagnia di Gesù, e Minimi, potesse per se, nè per altri, nè anche à nome della Religione, esercitare l'Arte dello Speziale, fuori che per servizio de' loro Religiosi, e che dalli medesimi non si potessero vendere Medicamenti preparati, ò non preparati, di qualunque genere, ai Secolari, ò anche donarli, sotto pretesto di amicizia, ò di familiarità, siccome fù approvato dal detto Nostro Predecessore Innocenzo XIII., à riserva della Teriaca, e Balsamo Apoplettico, che permise potersi vendere dalli medesimi Regolari, ottenutane la licenza dal Reverendissimo Nostro Cardinal Vicario; E che in oltre il Nostro detto Predecessore Clemente XII. si degnò confermare il sudetto stabilimento, e Decreto della medesima Congregazione con un suo Breve in data li 20. Luglio 1733. del tenore seguente.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Breve Clementis Papæ XII.

§. 1. Aliàs à Congregatione Particulari tunc existentium S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, de quorum numero tunc in minoribus constituti eramus, ac Romanæ Curiæ Prælatorum, ac Medicorum, à fel. record. Innocentio Papa XIII. Prædecessore Nostro specialiter deputata, ad favorem dilectorum filiorum Aromatariorum de Urbe emanavit Decretum tenoris, qui sequitur, videlicèt:

Tenor prædictæ resolutionis.

§. 2. Die 25. Januarii 1722. Sacra Congregatio Deputata, in qua interfuerunt Emi, & Rmi Domini Cardinales Paulutius Almæ Urbis Vicarius, Corsinus, & Annibal Albanus S. R. E. Camerarius, ac Reverendi Patres Domini Collicola Thesaurarius Generalis Cameræ Apostolicæ, Maresuscus Auditor Sanctissimi Domini Nostri Papæ, Pallavicinus Secretarius Sacræ Congregationis Visitationis Apostolicæ, & Ego Vicesgerens, & Secretarius, necnon Illu-

ANNO 1740.

ANNO 1740.

striſſimus D. Nicolaus de Michelangelis Medicus à Secretis Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ, & D. Paſculus unus de Collegio Medicorum, inhærendo Decreto Sacræ Congregationis Viſitationis Apoſtolicæ edito die 19. Auguſti 1637., & reſolutioni, ſeu voto emanato à Congregatione præcedenti in hac Cauſa habita die 9. Decembris 1720. juxta majorum ſuffragiorum calculum, ſtetit in deciſis, ſeu in reſolutis, juxta modum; nempè cenſuit inſinuandum, & conſulendum eſſe Sanctiſſimo Domino Noſtro Papæ Innocentio XIII. feliciter regnanti, ut omninò prohibeantur omnes, & ſinguli Regulares utriuſque ſexus in hac Alma Urbe, ejuſque Diſtrictu degentes; etiam Caſſinenſes, Fratres Predicatores, Societatis Jeſu, Minimi, aliique omnes quorumcumque Ordinum, & Congregationum, ne per ſe, neque per alios, nec etiam Religionis nomine, Artem Aromatariam, præterquam ſuorum Religioſorum, aut Alumnorum uſibus, exerceant, ac inſuper ne ullo modo Secularibus, aut aliis Religioſis, & Eccleſiaſticis, Pharmaca, aut Medicamenta, ſive compoſita, ſive non compoſita, ſive præparata, ſive non præparata, nec etiam Theriacam, Mitridatum, Hyacinthum, Balſamum, Chinam, Rhabarbarum, atque res ullas chimicas cujuſvis generis, aut ſpeciei, neque ſub prætextu amicitiæ, aut familiaritatis, aut alio quovis titulo, cauſa, vel colore vendant, permutent, aut donent, prævia etiam revocatione omnium, & ſingulorum Decretorum, ſeu Reſcriptorum cujuſlibet Sacræ Congregationis quocumque tempore latorum, etiamſi fuerint cum Brevibus Apoſtolicis, Clauſula ſublata, & Decreto irritanti communitis, approbata, ſeu confirmata, ullo modo concedentium Regularibus, ſeu Monialibus licentiam vendendi Theriacam, Hyacinthum, Balſamum, Medicamenta chimica, aut alia quæcumque cujuſvis generis, & ſpeciei, ſub pœnis Superioribus utriuſque ſexus Religioſorum contravenientibus, conſulentibus, aut quoquo modo tolerantibus, ſuſpenſionis à Divinis ipſo facto irremiſſibiliter incurrendæ, privationis vocis activæ, & paſſivæ, prohibitionis in poſterum exercendi, aut exercere faciendi Aromatariam in eorum Domibus, Monaſteriis, atque Conventibus, etiam pro eorum uſu, ac ulterius confiſcationis ejuſdem Aromatariæ per R. P. D. Theſaurarium Generalem faciendæ, cum facultate procedendi etiam per ſolam inquiſitionem, & applicandi tertiam partem illius ſecreto Denunciatori.

Quæ confirmatur ab Innocent. XIII. cum exceptione, quoad Fratres S. Joannis de Deo.

Et facta relatione Sanctiſſimo Domino Noſtro, Sanctitas Sua præfatam inſinuationem, ſeu reſolutionem laudavit, & approbavit, cum his tamen declarationibus, & limitationibus, nempe, ut in præfata generali prohibitione non intelligantur comprehenſi Fratres Hoſpitalarii S. Joannis de Deo Urbis, & Diſtrictus, etiam juxta vota nonnullorum RR. PP., ſed eis licitum ſit non ſolùm Aromatarias in eorum Conventibus, & Hoſpitalibus pro Infirmorum, Religioſorum, atque Alumnorum uſibus habere, ſed etiam de eis vendere Pharmaca, & Medicamenta Secularibus, Religioſis, & Eccleſiaſticis quibuſcumque, dummodò præfatæ Aromatariæ quolibet anno per Medicos, & Pharmacopolas deputandos ab Eminentiſſimo Cardinali Vicario viſitentur, ac inſimul totum lucrum, quod ex ejuſmodi venditione retrahetur, pro manutentione Aromatariarum, & ſuſtentatione, & augmento Hoſpitalium in eorum Conventibus, ſeu Domibus exiſtentium, ac Infirmorum inibi degentium, ſeu in beneficium Eccleſiarum, & Sacriſtiarum uniuſcujuſque Domus, aut Conventus, integrè, & fideliter erogetur, cujus cognitionem eidem Eminentiſſimo Cardinali Vicario remiſit. Reſpectu verò aliorum Regularium, voluit, & declaravit Sanctitas Sua, poſſe eis indulgeri, ac permitti venditionem Theriacæ, & Balſami Apopletici tantùm, pro majori publico Bono, dummodò obtineant ab eodem Cardinali Vicario licentiam in ſcriptis, ad tempus ejus arbitrio duraturam, & lucra exindè retrahenda in beneficium Eccleſiarum, & Sacriſtiarum uniuſcujuſque eorum Domus, Monaſterii, aut Conventus ſimili modo erogent. Et ità prohiberi, ſervari, & reſpectivè exequi omninò mandavit, ſub pœnis ut ſuprà expreſſis. Non obſtantibus, quoad ſupradicta omnia, & ſingula in præſenti Decreto contenta, Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis in favorem quarumcumque Perſonarum, atque Ordinum, ſive Congregationis Caſſinenſis, Fratrum Prædicatorum, Societatis Jeſu, Minimorum, aut aliorum quorumcumque tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Congregationum, Societatum, ac cujuslibet alterius Inſtituti etiam neceſſariò, & individuè exprimendi, Eccleſiarum, Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, & aliorum quorumcumque Regularium Locorum, necnon illorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis, quibus, quoad ea, quæ præſentibus adverſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, Sacra Congregatio, Sanctitatis Suæ auctoritate, ſpecialiter, & expreſsè derogat, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Et ne præmiſſorum ignorantia à quoquam prætendi poſſit, voluit eadem Sacra Congregatio, ut præſentes Ordinationes in Valvis Baſilicarum S. Joannis Lateranen., & Principis Apoſtolorum de Urbe, & in Acie Campi Floræ, ut moris eſt, affixæ, omnes, ad quos pertinet, ità arctent, & afficiant, ac ſi unicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent: utque earumdem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo Perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorsùs fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ die 11. Martii 1722. N. Epiſcopus Bojanen. Viceſgerens præfatæ Congreg. Particularis Secretarius. Joſeph Cianetti Secretarius.

Loco ✠ Sigilli.

Et pro aliis, quoad venditionem theriacæ, & balſami apopletici.

Cum clauſulis opportunis.

§. 3. Cum autem, ſicut pro parte dictorum Aromatariorum Nobis nuper expoſitum fuit, ipſi Decretum hujuſmodi, quo firmiùs ſubſiſtat, & ſervetur exactiùs, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummoperè deſiderent: Nos ſpecialem ipſis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum ſingulares Perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, Cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium tantùm conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illique Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore; ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter obſervari; Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irri-

Sequitur cõfirmatio Clementis XII. in forma ſpecifica.

tum,

ANNO 1740.

tum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 20. Julii 1733. Pontificatus Nostri Anno IV.

F. Cardinalis Oliverius.

Edictum Cardinalis Vicarii refertur.

§. 4. E che in esecuzione di esso Breve fù publicato sotto li 11. Ottobre 1735. un' Editto dal Reverendissimo Cardinal Vicario, con cui rivocandosi ogni, e qualunque Privilegio, sotto pena della sospensione à Divinis ai Superiori delle Religioni, ed altre pene ivi contenute, si proibisce di esercitare la Speziaria nelle loro Case, Monasteri, e Conventi, e di vendere li suddetti Medicamenti, eccettuata la detta Teriaca, e Balsamo Apopletico, come dalli medesimi Breve, ed Editto a Noi similmente esibiti, non ostante, che per parte de' medesimi Regolari fossero giuridicamente dedotte le loro ragioni, ed avessero in scritto rilevati avanti la sudetta Congregazione i motivi della loro libertà di vendere li medesimi Medicamenti, quali furono riconosciuti insussistenti, e pregiudiziali al ben publico, ed economia del Principato, per non essere sottoposte le loro Spezziarie alla visita de' Protomedici, e Consoli de' Speziali: ad ogni modo hanno sempre cercato li sunnominati Regolari di eludere in qualche maniera il detto Breve, e risoluzione della prenominata Congregazione. E perche dopo il maturo esame, ne fù fatto, anzi dopo di esser state ridotte con Decreto approvato dalla fel. mem. di Clemente XI. similmente nostro Predecessore delli 8. Gennaro 1721. le Spezziarie publiche de' Secolari al numero di sessanta, per non esservi il sufficiente mantenimento delle medesime in numero maggiore, merita pur troppo la conferma da Noi tanto il suddetto Breve del defonto Sommo Pontefice, quanto la precedente Risoluzione della prefata Congregazione; tanto più che a norma delle suddette provisioni, anche dagli altri Prencipi d'Italia n'è stato abbracciato consimile sistema. E Noi mossi da puro zelo di Giustizia, e dall' Amore verso li nostri Sudditi di questa nostra Città di Roma, abbiamo determinato di confermare, ed approvare non tanto il suddetto Breve, quanto anche l'Editto come sopra fatto publicare dal Reverendissimo Cardinal Vicario, e la Risoluzione precedentemente presa dalla suddetta Congregazione sopra la riduzione del numero delle Spezziarie, e rimuovere perciò ogni ostacolo, e pretesto, con ordinare la perpetua osservanza, ed esecuzione, come in appresso.

Causæ præsentis confirmationis.

§. 5. Avendo pertanto nella presente Cedola di nostro moto proprio per espresso, e di parola in parola come sopra registrato l'intero tenore del sudetto Breve promulgato, delle condizioni, e dichiarazioni in esso espresse, come anche il tenore dell' Editto come sopra fatto publicare dal Reverendissimo Cardinal Vicario, e della suddetta Risoluzione precedentemente presa dalla sunnominata Congregazione per la riduzione del numero delle Spezziarie, ed ogni altra cosa necessaria d'esprimersi: Di nostro moto proprio, certa scienza, e pienezza della nostra Suprema Potestà confermiamo, ed in tutto, e per tutto, ed in tutte le sue parti, e circostanze approviamo, ed autorizziamo il sovraccennato Breve, e l'Editto del Reverendissimo Cardinal Vicario, e la precedente Risoluzione presa dalla suddetta Congregazione particolare sopra la riduzione delle Spezziarie di questa nostra Alma Città di Roma; e perciò vogliamo, ed ordiniamo, ed espressamente commandiamo, che quelli, e quella, e tutte le cose ivi contenute, ed espresse debbano sempre, ed in perpetuo avere il loro pieno effetto, ed esecuzione, e che debbansi in ogni futuro tempo inviolabilmente osservare da ogni, e qualunque Persona quantosi voglia privilegiata, e privilegiatissima, anche Ecclesiastica, e Luogo Pio, de' quali dovesse farsi special menzione, nè che sotto qualsisia pretesto, e causa, benchè incogitata, ed inopinata, si possa mai impugnare, nè controvertere la piena, e total osservanza, ed esecuzione delli medesimi Breve, Editto, e Risoluzione della suddetta Congregazione; anzi che per il suddetto effetto della di loro totale, e pienissima osservanza, ed esecuzione irritiamo, rivochiamo, e cassiamo ogni, e qualunque licenza, e permesso di poter vendere qualunque specie di cose, e da qualsivoglia Persona anche in Dignità costituita fosse stato, e respettivamente concessa tacitamente, o espressamente a qualunque Ecclesiastico Regolare del' uno, e l'altro sesso, di qualunque Ordine, Congregazione, ed Istituto, e Luogo Pio contro la forma del suddetto Breve, e Editto del Reverendissimo Cardinal Vicario, e cosi irritati, rivocati, e cassati restino ora, e perpetuamente di niuna forza, e valore, perchè così è mente, e volontà nostra precisa, ed espressa.

Pontifex denuo confirmat omnia supradicta.

§. 6. Volendo, e decretando, che alla presente Cedola di nostro moto proprio benchè non esibita, nè registrata in Camera, e ne' suoi libri, non possa mai darsi, nè opporsi di surrezione, orrezione, nè d'alcun altro vizio, o difetto della nostra volontà, ed intenzione, nè che mai sotto tali, o altri qualunque pretesti, benchè validi, e validissimi, e quantosivoglia sostanziali, anche di Jus quesito, e pregiudizio del Terzo, possa essere impugnato, moderato, o rivocato, ridotto ad viam Juris, o concedersi verso di esso l'aperizione Oris, e che cosi, e non altrimenti debba sempre giudicarsi, definirsi, ed interpretarsi da qualunque Giudice, e Tribunale, benchè Collegiale, Congregazione anche di Reverendissimi Cardinali, Camerlengo di Santa Chiesa, Segnatura di Grazia, e di Giustizia, Tesoriere, Presidenti, Rota, Camera, e qualsisia altro, togliendo loro ogni facoltà, e giurisdizione di definire, ed interpretare diversamente; Dichiarando Noi sin d'adesso preventivamente nullo, irrito, ed invalido tutto ciò, che da ciascuno d'essi con qualsivoglia autorità, scientemente, o ignorantemente fosse in qualunque tempo giudicato, o si tentasse di giudicare contro la forma, e disposizione del presente nostro Moto proprio; siccome sin d'adesso, e preventivamente dichiariamo nullo, irrito, ed invalido ogni contrario uso, consuetudine, prescrizione, anche longissimi temporis, *centenaria, e tutto altro, che fosse atto ad impedire, o fare ostacolo all'osservanza del medesimo, quale vogliamo, che vaglia, e debba avere sempre il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore colla semplice nostra sottoscrizione, benchè non vi sian stati chiamati, sentiti, nè citati li Superiori delle sunnominate Religioni, e qualsisiano altre Persone, ancorchè privilegiate, e privilegiatissime, che vi avessero, o pretendessero avervi qualunque interesse: Non ostanti la Bolla di Pio IV. nostro Predecessore de registrandis, la Regola della nostra Cancellaria* de Jure quæsito non tollendo, *e qualsisiano altre Costituzioni, ed Ordinazioni Apostoliche nostre, e de' nostri Predecessori, Leggi, Statuti, Riforme, Stili, Usi, Consuetudini, e qualunque altra cosa, che facesse, o potesse fare in contrario, benchè fosse tale, che meritasse speciale, specialissima, ed individua menzione, e nella quale vi fossero clausole derogatorie delle derogatorie, alle quali tutte, e singole, avendone il tenore quì per espresso, e di parola in parola inserto, e registrato, e supplendo Noi con la pienezza della nostra Potestà Pontificia ad ogni vizio, e difetto quantunque sostanziale, e formale, che vi potesse essere intervenuto per la totale piena esecuzione, ed effetto di quanto si esprime nel presente nostro Moto proprio, ampiamente, ed espressamente deroghiamo. Data dal nostro Palazzo Apostolico di Monte Cavallo questo dì 14. Novembre 1740.*

Clausulæ Præservativæ.

Sublata aliter judicandi facultate.

Contrariis derogatur.

Dat. die 14. Novembris 1740.

BENEDICTUS PAPA XIV.

DE

ANNO 1740. VII.

De Sacris Liminibus Beatorum Apostolorum visitandis. Confirmatur Constitutio Sixti Papæ V., eaque extenditur ad Abbates aliosque habentes Monasteria seu Ecclesias cum jurisdictione quasi Episcopali, & Territorio separato.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium à verbis Concilii Sardicensis de Relationibus Apostolicæ Sedi faciendis.

QUOD Sancta Sardicensis Synodus Divino edocta magisterio edixit, optimum, & valde congruentissimum esse, si ad caput, idest ad Petri Apostoli Sedem, de singulis quibusque Provinciis Domini referant Sacerdotes, attenta animi consideratione revolventes; ubi primum Nos, licet immeritos, Dominus gratiæ suæ præcipuo munere in eadem Sede collocavit, ea subiit cogitatio, ut cunctarum totius Orbis Ecclesiarum ad parvitatem nostram status, & negotia referrentur, quibus necessitatem de omnibus tractandi Christus in S. Petro Apostolo, cum illi claves aperiendi, claudendique daret, indulsit. Siquidem in Speculis à Deo constituti, & vigilantiæ Nostræ diligentiam pro commissi officii munere coram eo comprobare cupientes, noctes dieque solliciti sumus, ut circa quamvis longinqua spiritalis cura non deficiat, sed se per omnia, qua nomen Dei prædicatur, extendat, memores illius objurgationis Dominicæ: *quod infirmum fuit, non consolidastis; & quod ægrotum, non sanastis; quod confractum est, non alligastis; & quod abjectum est, non reduxistis; & quod perierat, non quæsistis; & dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset pastor; & factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri, & dispersæ sunt; erraverunt greges mei in cunctis montibus, & non erat qui requireret, ecce ego ipse super pastores, requiram gregem meum de manu eorum.* Cum ergo pastoribus talibus, per quos Dominicæ oves negliguntur, & pereunt, sic Dominus comminetur, quid Nos aliud facere oportet, quàm colligendis, & refovendis Christi ovibus exhibere diligentiam plenam, & curandis lapsorum vulneribus paternæ pietatis adhibere medicinam? Nulla est enim major, aut melior cura Præpositorum, quàm diligenti sollicitudine, & medela salubri, fovendis, & conservandis ovibus providere.

Summarium Causarum Constitutionis à Sixto V. editæ.

§. 1. Dudum quidem fel. rec. Sixtus Papa V. serio animadvertens veterem, & laudabilem morem, gravissimis ex causis, & non sine Spiritus Sancti instinctu à Summis Pontificibus Prædecessoribus nostris antiquitus institutum, & per multas ætates magno Ecclesiæ Dei commodo observatum, ut singuli Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi certis præscriptis temporibus per se ipsos, vel per certum eorum Nuntium, Beatissimorum Apostolorum Petri, & Pauli, qui hanc Almam Urbem suo sanguine consecrarunt, Limina se visitaturos jurejurando pollicerentur, ut Episcoporum Romam venientium opera, & adjumento Romanus Pontifex, cui omnium Ecclesiarum sollicitudo concredita est, ubique locorum gregis sibi commissi vultum agnosceret, & spiritualium ovium morbos intelligeret, curationesque oportunas adhiberet, nec quicquam omnino illum lateret earum rerum, quas ad Dei gloriam augendam, ad Christianam Religionem propagandam, ad animarum procurandam salutem, necessariò eumdem scire, atque intelligere oportet, partim hominum culpa, partim antiqui humani generis hostis astutia, variis etiam insurgentibus temporum calamitatibus, à plurimis, in grave animarum suarum periculum, & quibus præerant, Ecclesiarum detrimentum, negligenter observari; ex intimis animi sensibus indoluit, & statim gravi malo quotidie magis ingravescenti occurrere, & congrua adhibere remedia cogitavit.

ANNO 1740.

Et ejusdem dispositivæ.

§. 2. Itaque per suas Apostolicas Litteras, quarum initium est: *Romanus Pontifex*; constituit, ut omnes Patriarchæ, primates, Archiepiscopi, Episcopi per universum terrarum Orbem constituti, & deinceps ordinandi, etiamsi Cardinalatus dignitate præfulgerent, seu eis consecratis Pallium de Beati Petri corpore sumptum traderetur, aut ad aliam Ecclesiam transferrentur, antequam illius regimini, & administrationi se immiscerent, si quidem præsentes in Curia, in manibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis ordine Prioris, si vero absentes, in manibus Antistitis ad impendendum munus prædictum, aut ad tradendum Pallium hujusmodi à Sede Apostolica delegati, juramento se obstringerent, se Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli Limina, statutis in iisdem litteris temporibus, personaliter, ac per se ipsos visitaturos, ac Romanis Pontificibus pro tempore existentibus rationem reddituros de toto eorum Pastorali officio, deque rebus omnibus ad ipsarum, quas regerent, Ecclesiarum statum, ad Cleri, & Populi disciplinam, animarum denique, quæ illorum fidei creditæ sunt, salutem quovis modo pertinentibus, & vicissim mandata Apostolica recepturos, & quam diligentissimè executuros, prout latius in iisdem literis continetur.

In qua nulla mentio Abbatum, Priorum &c.

§. 3. Cum autem Abbatum, Priorum, aliorumque, qui spirituali jurisdictione quasi Episcopali in suis Monasteriis, & Ecclesiis, eorumque Territoriis ab omni alia Episcoporum Diœcesi omnimodè separatis potiuntur, nulla mentio in præfatis literis Sixti facta fuerit, hinc est quod Abbates, aliique, qui hujusmodi Ecclesiis, & Monasteriis præerant cum jurisdictione spirituali, & Territorio separato, nunquam, Beatorum Apostolorum Limina visitantes, de iisdem Ecclesiis, & Monasteriis, & grege curæ suæ commisso ad Romanos Pontifices referrent, adeo ut hujusmodi Monasteriorum, & Ecclesiarum, quæ Nullius dicuntur, status, & conditio Sedi Apostolicæ incognita esset, & sæpe ignorarentur mala, quibus medendum esset, & laterent bona, quæ Apostolica cura, & studio essent fovenda, & amplificanda.

Pontifex confirmat, & innovat Constitutionem Sixtinam.

§. 4. Nos igitur cupientes omnium Ecclesiarum utilitati, & animarum saluti, quantum in Domino possumus, consulere, ac providere, cum de omnibus, &, quod tremendum est, etiam de unius anima ante tribunal Dei rationem reddituri simus, tum etiam volentes ea, quæ salubriter à Prædecessoribus nostris instituta sunt, exactius, diligentiusque observari, ideo easdem literas Sixti V. Prædecessoris, & in eis contenta quæcumque, ex certa scientia, & Apostolica Auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, ac etiam innovamus, omnibusque Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis mandamus, & præcipimus, ut eas sedulo, ac diligenter, & omnia in eis præscripta observare, ac custodire studeant, & Apostolicæ Sedis monitis, ac præceptis in re tanti momenti ea reverentia, atque animi cura, & promptitudine, qua par est, pareant, atque obsequantur, & antiquæ traditionis exempla servantes, & Ecclesiasticæ memores disciplinæ, Sacerdotalis Religionis vigorem non minus in judicando, quàm in consulendo retineant, scientes quid Apostolicæ Sedi, cum

om-

ANNO 1740.

Eamque extendit ad inferiores Prelatos, jurisdictionem quasi Episcopalem habentes.

omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum, debeatur, à quo ipse Episcopatus, & tota auctoritas nominis hujus emersit.

§. 5. Præterea scientia, & auctoritate prædicta, hac nostra in perpetuum valitura constitutione sancimus, decernimus, & mandamus, ut omnes, & quicumque Abbates, Priores, Præpositi, aliique quocumque nomine, ac titulo nuncupati, & quacumque dignitate etiam Cardinalatus honore insigniti, sæculares, & quorumvis ordinum Regulares, ad Monasteriorum, seu Ecclesiarum particulare, & separatum Territorium habentium regimina jam promoti, & imposterum pro tempore, etiam per viam electionis, postulationis, aut aliter quovis modo promovendi, & Monasteria, seu Ecclesias hujusmodi in titulum, commendam, administrationem, aut aliter quomodolibet obtinentes, vel imposterum assecuturi, qui videlicet spiritualem jurisdictionem, quasi Episcopalem cum temporali etiam, vel sine, in Monasteriis, & Ecclesiis prædictis, eorumque Territoriis, Districtibus, & quasi-Diœcesibus ab omni alia Episcoporum Diœcesi omnino sejunctis, & separatis, quocumque jure, & titulo, vel ex origine, vel præscriptione, vel ex indulto, & privilegio Apostolico exercent, antequam eorumdem Monasteriorum, seu Ecclesiarum possessionem adipiscantur, & in eorum regimine, & administratione se de aliquo immisceant; Si quidem præsentes in Curia fuerint, in manibus S. R. E. Diaconi Cardinalis ordine Prioris, si vero absentes in manibus Nuncii, aut Legati Sedis Apostolicæ, si præsens fuerit, sin minus in manibus alicujus Episcopi, aut Archiepiscopi eorum arbitrio eligendi, cum Romana tamen Ecclesia Ecclesiasticam communionem habentis, tamquam ejusdem Apostolicæ Sedis Delegati, jurent, juxta formulam inferius describendam, se Sacras Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli memorias personaliter, ac per se ipsos visitaturos, ac insuper Nobis, & Successoribus Nostris pro tempore existentibus Romanis Pontificibus, statutis hac nostra Constitutione temporibus, rationem reddituros de commissa sibi Monasteriorum, & Ecclesiarum procuratione; in notitiam nostram, nostrorumque Successorum perferentes quæcumque ad ipsorum Monasteriorum, & Ecclesiarum statum, & Ecclesiasticæ disciplinæ in Clero, & Populo observantiam, ad animarum salutem, quæ illorum fidei creditæ sunt, & ad Divinum Cultum, & gloriam pertinent; vicissim recepturos a Sede Apostolica monita, & mandata, quorum censura, & quæ coercenda sunt, resecentur, & quæ observanda sunt, sanciantur, & quæ bene cœpta, atque instituta, approbatione, & confirmatione nostra, nostrorumque Successorum ad debitum finem perducantur.

Qui jurare debebunt se personaliter visitaturos Limina Apostolorum.

Et relationem Status Ecclesiarum facturos.

§. 6. Quod si legitimo impedimento detenti fuerint, jurent, se prædicta omnia adimpleturos per certum Nuncium ad id speciale mandatum habentem, & de gremio suorum Monasteriorum, & Ecclesiarum, in dignitate Ecclesiastica Sæculari, vel Regulari constitutum, aut omnino per aliquem Sacerdotem Sæcularem, vel Regularem spectatæ probitatis, & religionis, de supradictis omnibus plene instructum: per quem etiam de hujusmodi impedimento docere debeant legitimis probationibus ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Præfectum Congregationis Sacri Concilii transmittendis.

Vel per suũ Nuncium, si ipsi legitime impediti fuerint.

Itali & Insul. adjac. tertio quoque anno.

§. 7. Ad hoc autem debitum visitationis, & relationis suorum Monasteriorum, & Ecclesiarum officium opportune explendum supradicti omnes Abbates, Præpositi, Priores, & quocumque alio dignitatis, vel officii nomine nuncupati, tam Regulares, quam Sæculares, Itali videlicet, vel ex Italicis Insulis, veluti Siculi, Sardi, Corsi, & alii adjacentium Provinciarum Italiæ, tertio anno; Reliqui vero in aliis Provinciis, Regnis, & Terrarum Orbis partibus, & Regionibus existentes, tam qui nunc sunt, quam qui imposterum erunt, quinto anno teneantur, diligenterque pro viribus adimplere, Nobisque, & nostris Successoribus exhibere studeant, ac curent, idemque institutum tertio quoque, & quinto anno repetant, & observent. Hæc autem annorum spatia a tempore captæ possessionis, & suscepti Monasteriorum, & Ecclesiarum regiminis, & curæ incipiant.

ANNO 1740. Reliqui quinto quoque anno, a tempore captæ possessionis computando.

§. 8. Ii vero, qui de Ecclesiis, & Monasteriis hujusmodi jam provisi, in earum pacifica possessione a biennio, & amplius reperiuntur, vel quibus præfinitum a Nobis superius tempus a die habitæ possessionis jam effluxit, intra annum, si in Italia, & Insulis adjacentibus, intra vero biennium, si extra sint, a die publicationis præsentis Constitutionis, ad nos præfatam suarum Ecclesiarum relationem, & deinde singulis trienniis, aut aliis præstitutis temporibus pro locorum conditione, & distantia, ad nos transmittere, & Sacras Apostolorum Basilicas visitare, & nostro conspectui, dummodo impediti legitime non fuerint, se præsentes sistere debeant, ut S. R. E. Matris suæ complexu recreati, & paterno humilitatis nostræ colloquio confirmati, ad Monasteria, & Ecclesias suas regendas alacriores, & instructiores revertantur.

Quid de iis, qui jam provisi existunt.

§. 9. Jubemus igitur in virtute sanctæ obedientiæ supradictis omnibus Abbatibus, Prioribus, Præpositis, aliisque quocumque titulo, vel nomine nuncupatis, vel quacumque dignitate præfulgentibus tam Regularibus, quam Sæcularibus præsentibus, & futuris, ut visitationem prædictam, & insuper relationem, statutis a nobis temporibus faciendam, sibi, suisque Monasteriis, & respective Ecclesiis adeo utilem, ac necessariam, juxta præscriptam alias Episcopis formam, omnino conficiant; Si vero, quod absit, a Nobis præcepta, & constituta prompte exequi neglexerint, eos ab ingressu Ecclesiæ, ac etiam ab administratione tam Spiritualium, quam temporalium, nec non a perceptione fructuum suorum Monasteriorum, & respective Ecclesiarum ab Episcopo, vel Archiepiscopo, Monasterio, aut Ecclesiæ *Nullius* viciniori, omni exceptione, & mora cessante, interim libere exigendorum, & in opus fabricæ, seu ornamentorum Ecclesiæ emptionem, prout major exegerit necessitas, insumendorum, ipso facto tamdiù suspensos esse volumus, donec a contumacia resipiscentes, relaxationem suspensionis hujusmodi a Sede prædicta meruerint obtinere.

Præceptum Pontificis, sub pœna suspensionis.

§. 10. Non obstantibus privilegiis, absolutionibus, indulgentiis, & aliis concessionibus de non visitandis liminibus ejusmodi, aliisque peragendis, quibuscumque Ecclesiarum, & Monasteriorum Rectoribus, & per quoscumque Romanos Pontifices, ac etiam Nos, & dictam Sedem ex quibusvis causis perpetuo, vel ad tempus concessis, extensis, & innovatis, quæ omnia contra præmissa cuiquam nolumus suffragari, aliisque contrariis quibuscumque. Quia vero difficile nimis esset, præsentes literas, quocumque illis opus fuerit, perferri, volumus quoque, ut earum exemplis etiam impressis, manu Notarii publici, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis, eadem prorsus adhibeatur fides, quæ eisdem præsentibus haberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Clausulæ derogatoriæ.

Fides transumptis habenda.

§. 11. Formula autem juramenti præstandi ab Abbatibus, aliisque Monasteria, seu Ecclesias habentibus cum jurisdictione quasi Episcopali, & Territorio separato, talis est:

Formula juramenti ab Abbatibus aliisque præstandi.

Ego

ANNO 1740.

Ego N. ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero B. Petro Apostolo, Sanctæque Romanæ Ecclesiæ, & Domino Nostro Domino Benedicto Papæ XIV. suisque Successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio, aut consensu, vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, seu capiantur mala captione, aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur, vel injuriæ aliquæ inferantur quovis quæsito colore. Consilium vero, quod mihi credituri sunt, per se, aut Nuntios suos, seu literas, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam. Papatum Romanum, & Regalia S. Petri adjutor eis ero ad retinendum, & defendendum, salvo meo ordine, contra omnem hominem. Legatum Apostolicæ Sedis in eundo, & redeundo honorifice tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo. Jura, honores, privilegia, & auctoritatem S. R. E., Domini Nostri Papæ, & Successorum prædictorum conservare, defendere, augere, & promovere curabo. Neque ero in consilio, vel facto, seu tractatu, in quibus contra ipsum Dominum Nostrum, vel eamdem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra, vel præjudicialia personarum, juris, honoris, status, & potestatis eorum machinentur. Et si talia a quibuscumque tractari, vel procurari novero, impediam hoc pro posse: Et quanto citius potero, significabo eidem Domino Nostro, vel alteri, per quem possit ad ipsius notitiam pervenire. Regulas Sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, seu dispositiones, reservationes, provisiones, & mandata Apostolica totis viribus observabo, & faciam ab aliis observari. Hæreticos, Schismaticos, & Rebelles eidem Domino Nostro, vel Successoribus prædictis pro posse persequar, & impugnabo. Sacras BB. Apostolorum memorias singulis triennii personaliter, ac per me ipsum visitabo, & Domino Nostro, Successoribusque præfatis rationem reddam de commisso mihi munere, deque rebus omnibus ad mei Monasterii, seu Ecclesiæ statum, ad Cleri, & Populi disciplinam, animarum denique, quæ meæ fidei creditæ sunt, salutem quovis modo pertinentibus, & vicissim Mandata Apostolica humiliter recipiam, & quam diligentissime exequar: Quod si legitimo impedimento detentus fuero, prædicta omnia adimplebo per certum Nuncium ad hoc speciale Mandatum habentem de gremio Conventus Monasterii mei,* aut alium in dignitate Ecclesiastica constitutum, seu alias Personatum habentem, aut, his mihi deficientibus, per aliquem alium Presbyterum Sæcularem, vel Regularem spectatæ probitatis, & religionis, de supradictis omnibus plene instructum. De hujusmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes ad S. R. E. Cardinalem Congregationis Sac. Concilii Præfectum per dictum Nuncium transmittendas. Possessiones vero ad Monasterium meum pertinentes non vendam, nec donabo, neque impignorabo, nec de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu Conventus Monasterii mei, inconsulto Romano Pontifice. Et si ad aliquam alienationem devenero, pœnas in quadam super hoc edita Constitutione contentas, eo ipso incurrere volo. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.*

* *seu quinquennii.*

* *seu Capituli Ecclesiæ meæ.*

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis, Constitutionis, Decreti, Statuti, Hortationis, & Monitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Sanctio pœnalis.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo, IX. Kalendas Decembris. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Dat. die 23. Nov. 1740.

P. Card. Prod. D. Card. Passionеus.

VISA DE CURIA.

N. Antonellus.

J. B. Eugenius

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo quadragesimo, Indictione Tertia, die vero decimaquinta Decembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini Benedicti Divina Providentia Papæ XIV. Anno Primo, supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, Curiæ generalis in Monte Citatorio, in Acie Campi Floræ, ac in aliis Locis solitis, & consuetis Urbis per me Antonium Pelliciam Apost. Curs.

Paulus Biancini Magist. Curs.

ANNO 1740. Publicat. die xv. Decembr. ejusdem anni.

Instructio Sacræ Congregationis Concilii pro Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, & Patriarchis, super modo conficiendi Relationes statuum suarum Ecclesiarum, quas, occasione Visitationis Sacrorum Liminum, eidem Sac. Congreg. exhibere tenentur.

SUMMUS Pontifex Sixtus Papa Quintus, qui tempora statuit, quibus singuli Episcopi, Archiepiscopi, Primates, & Patriarchæ per seipsos, vel per eorum certum Nuntium, visitare tenentur Limina Beatissimorum Apostolorum Petri, & Pauli, antiquissimæ observantiæ inhærendo, nedum voluit, ut ultra Sacrorum Liminum visitationem, Romano pro tempore Pontifici de toto eorum Pastorali Officio, & de rebus omnibus ad ipsarum, quibus præsunt, Ecclesiarum statum, ad Cleri, & Populi disciplinam, animarum denique, quæ illorum fidei creditæ sunt, salutem, quovis modo pertinentibus, rationem redderent, uti fusius habetur in prædicti Pontificis *Constitutione*, quæ incipit *Romanus Pontifex*, sed in alia etiam *Constitutione*, quæ incipit *Immensa æterni Dei*, Sacræ Congregationi præpositæ Interpretationi Sacrosancti Concilii Tridentini, curam demandavit, prædictam rationem, quæ dicitur *Relatio status Ecclesiæ*, perpendendi, & examinandi, ac postulatis in eadem proponendis respondendi.

Sixtinæ hæ Constitutiones suo non caruerunt effectu, tum quoad Sacrorum Liminum visitationem, tum quoad Relationem statuum Ecclesiarum; sed cum nulla unquam edita fuerit instructio pro dictis Relationibus exarandis, factum hinc est, ut aliquæ ex eis aliquando fuerint exhibitæ abundantes in superfluis, & aliquæ aliquando deficientes in necessariis: cumque ad hæc avertenda, in Synodo Romana, hoc anno 1725. a Sanctissimo Domino Nostro BENEDICTO Papa XIII. habita in Basilica Lateranensi, præscriptum sit, ut Instructio hactenus omissa, a Sacra Concilii Congregatione ederetur; hæc idcirco Instructio publici juris fit, ut in Relationibus statuum suarum Ecclesiarum ad eamdem Sacram Congregationem in posterum transmittendis, curent Episcopi, Archiepiscopi, Primates, & Patriarchæ, ipsi se conformare, & suas Relationes ad quædam distincta Capita reducere, quorum Primum ad statum Ecclesiæ materialem: Secundum ad Personam ipsius Referentis: Tertium ad Clerum Sæcularem: Quartum ad Clerum Regularem: Quintum ad Moniales: Sextum ad Seminarium: Septimum ad Ecclesias, Confraternitates, & Loca Pia: Octavum ad Populum: & Ultimum denique referatur ad Postulata, quæ ab ipso Referente Sacræ Congregationi proponuntur.

§. I.

De Primo Relationis Capite, pertinente ad statum Ecclesiæ materialem.

In hoc primo Relationis Capite sequentia erunt exponenda

I. Institutio.

ANNO 1740.

II. Confinia.

III. Privilegia, & prærogativæ Epiſcopatus, Archiepiſcopatus, aut Patriarchatus.

IV. Numerus Civitatum, Oppidorum, aut Locorum, cui Epiſcopatui, Archiepiſcopatui, aut Patriarchatui ſubjecti ſunt.

V. Status Cathedralis, Metropolitanæ, aut Patriarchalis Eccleſiæ, unà cum numero Canonicorum, & aliorum, ſervitio Chori addictorum; & an erectæ fuerint Præbendæ Pœnitentiaria, & Theologalis.

VI. Status Eccleſiarum Collegiatarum unà cum numero pariter Canonicorum, & cæterorum, qui Choris earum interſunt, & an in Collegiatis erecta ſit Præbenda Theologalis.

VII. Status, & numerus Eccleſiarum Parochialium, nec non aliarum Eccleſiarum, & Oratoriorum in Epiſcopatu, Archiepiſcopatu, aut Patriarchatu exiſtentium; referendo ſignanter, an Cathedralis, Metropolitana, aut Patriarchalis, & Collegiatæ, Oratoria, nec non Parochiales, cæteræque Eccleſiæ, ſint ſacris ſupellectilibus inſtructæ, & quænam ex eis habeant redditus pro fabrica aſſignatos.

VIII. Numerus Monaſteriorum tàm Virorum, quàm Mulierum; exprimendo, an aliqua ex Monaſteriis Virorum ſint ſubjecta ſuæ juriſdictioni; & an, & quæ Mulierum Monaſteria ſibi ſubjecta ſint, vel Prælatis Regularibus.

IX. An adſit in Diœceſi Seminarium Clericorum, quot Clerici in eodem alantur, an fuerit ſtatuta taxa, & in qua quantitate, & an aliqua Beneficia fuerint eidem unita, & in univerſum quinam, & quot ſint redditus prædicti Seminarii.

X. Numerus Hoſpitalium, Collegiorum, Confraternitatum, & aliorum Locorum piorum, quæ ſunt in Epiſcopatu, Archiepiſcopatu, aut Patriarchatu, & quinam ſint eorum redditus.

XI. An adſint Montes Pietatis, & quot ſint: unà cum aliis conſimilibus, ad ſtatum materialem Eccleſiæ ſpectantibus; cum advertentia tamen, ut plena ſtatus materialis Relatio in prima Relatione tantùm, quæ fit ab Epiſcopo, Archiepiſcopo, aut Patriarcha exhibeatur; in ſubſequentibus etenim Relationibus ſatis erit, quòd ipſi ſe referant ad primam, niſi aliquid novi, pertinens ad dictum ſtatum materialem, contigiſſet, quod Referens notificandum Sacræ Congregationi exiſtimaret.

§. II.

De Secundo Relationis Capite, pertinente ad ipſum Epiſcopum, Archiepiſcopum, Primatem, & Patriarcham.

In hoc Capite exponi debebit

I. An Reſidentiæ præceptum, a Sacris Canonibus, Concilio Tridentino, & Conſtitutione Urbana præſcriptum, adimpleverit; & an aliquo, & quo tempore abfuerit, & an ultra menſes Conciliares, & an cum, vel ſine Sedis Apoſtolicæ licentia.

II. An, & quoties Diœceſis ſibi commiſſæ viſitationem expleverit.

III. An per ſe, vel per alium Epiſcopum, ſacras Ordinationes expleverit, & Sacramentum Confirmationis adminiſtraverit.

IV. An, & quoties Synodum Diœceſanam coegerit: &, ſi Epiſcopus nulli Archiepiſcopo ſubjectus ſit, an ad Synodum Provincialem ejus Archiepiſcopi, quem ad tramites Tridentini eligere tenetur, ut ejus Synodo Provinciali interſit, acceſſerit; & ſi ſit Archiepiſcopus, an Synodum Provincialem habuerit, & quinam Suffraganei eidem interfuerint.

V. An verbum Dei per ſeipſum prædicaverit, & an, legitimo concurrente impedimento, viros idoneos aſſumpſerit ad hujuſmodi prædicationis officium ſalubriter exequendum.

VI. An habeat Depoſitarium pœnarum, & mulctarum pecuniariarum, & an eædem fuerint piis uſibus applicatæ.

VII. Quænam Taxa, & an Innocentiana in ſua Cancellaria obſervetur.

VIII. An aliquod habeat, quod ſibi obſtet circa exercitium Epiſcopalis Officii, Juriſdictionis Eccleſiaſticæ, nec non tuendæ libertatis, & immunitatis Eccleſiarum.

IX. An aliquod pium opus peregerit pro Eccleſia, pro Populo, aut pro Clero.

§. III.

De Tertio Capite ad Clerum Sæcularem pertinente.

In hoc Capite exponendum erit

I. An Canonici, cæterique Choro addicti Cathedralis, Metropolitanæ, aut Patriarchalis Eccleſiæ, nec non Collegiatarum, Choro jugiter interſint.

II. An, ultra Matutinum, Laudes, cæteraſque alias Horas Canonicas, quolibet die celebrent Miſſam Conventualem.

III. An quolibet die eam applicent pro Benefactoribus.

IV. An ſuas habeant Conſtitutiones, & eas punctualiter obſervent.

V. An, qui obtinent Præbendam Pœnitentiariam, aut Theologalem, adimpleant, quæ adimplenda ſunt, & quomodo.

VI. An Parochi in ſuis Parochiis reſideant.

VII. An librum Matrimonii, & Baptizatorum, alioſque libros, quos ad normam Rituali Romani retinere debent, retineant.

VIII. An aliqui ipſorum indigeant aliorum Sacerdotum opera, ut Sacramenta Populo adminiſtrent.

IX. An iidem per ſe, vel per alios idoneos, ſi legitimè impediti fuerint, diebus ſaltem Dominicis, & Feſtis ſolemnibus, plebes ſibi commiſſas, pro ſua, & earum capacitate, paſcant ſalutaribus verbis, docendo, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, juxta monitum Tridentini, & præcitati Concilii Romani.

X. An ſaltem Dominicis, & aliis Feſtis diebus, in ſuis Parochiis, Fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum, & Parentes, Pueros, cæteroſque hoc adjutorio indigentes, doceant; & an, & qui eis operam præſtent in hoc opere adimplendo, & an fructuosè hoc opus adeò neceſſarium in ſingulis Parochiis proficiat.

XI. An ſinguli Parochi, cæterique curam animarum exercentes, ſingulis Dominicis, Feſtiſque de præcepto, Miſſam applicent pro Populo eorum curæ commiſſo.

XII. An, & quæ præmittantur, antequam quis ad Primam Tonſuram, & Minores Ordines admittatur, & an ſacris Ordinibus initiandi, ante cujuſcumque Ordinis ſacri receptionem, piis meditationibus, vulgò ſpiritualibus exercitiis, vacent per aliquot dies in aliqua Domo Religioſa.

XIII. An omnes prædicti veſtes jugiter deferant Clericales, & an, quo ad fori privilegium, ſerventur diſpoſita a Sacroſancta Synodo Tridentina Seſſ. 23. Cap. 6. de Reformat., & a Conſtitutione Sanctiſſimi Domini Noſtri BENEDICTI Papæ XIII. in eodem Concilio Romano emanata.

XIV. An habeantur Conferentiæ Theologiæ Moralis, ſeu Caſuum conſcientiæ, & etiam Sacrorum Rituum, & quot vicibus habeantur, & qui illis interſint, & quinam profectus ex illis habeatur.

XV. Quinam ſint mores Cleri ſæcularis, & an aliquod in eo adſit ſcandalum, quod remedio indigeat potentiori.

§. IV.

ANNO 1740.

§. IV.

De Quarto Capite, ad Clerum Regularem pertinente.

In hoc Capite exponendum erit

I. An Regulares, curam animarum exercentes, qui Episcopali jurisdictioni, visitationi, & correctioni subsunt in iis, quæ ad curam pertinent, & administrationem Sacramentorum, munus sibi commissum fideliter adimpleant, juxta ea, quæ in præcedenti capite dicta sunt de Parochis sæcularibus.

II. An aliquis Regularis extra Monasterium degat: an aliqui adsint in Diœcesi, a suis Superioribus, servatis servandis, ejecti, vel aliquis fuerit Regularis intra Claustra Monasterii degens, sed qui extra ea ita notoriè deliquerit, ut Populo scandalo fuerit, & quomodo in hisce casibus in sic delinquentes animadvertit.

III. An sua jurisdictione delegata usus sit in explenda Visitatione Conventuum, & Granciarum Monasteriorum, in quibus Religiosi non aluntur in numero a Sacris Constitutionibus præfixo; & quinam sint Religiosorum mores, in dictis Conventibus, & Granciis degentium.

IV. Denique, an aliquod habeat cum Regularibus offendiculum in exercitio jurisdictionis delegatæ in illis casibus, in quibus eadem ipsi tributa est a Sacro Concilio Tridentino, vel a Summorum Pontificum Constitutionibus, & signanter a Bulla Clementis Papæ X. quæ incipit *Superna*.

§. V.

De Quinto Relationis Capite ad Moniales pertinente.

In hoc Capite exponendum erit

I. An Moniales, Episcopo subjectæ, suas servent Constitutiones.

II. An Clausura in earum Monasteriis inviolatè custodiatur.

III. An aliqui abusus in iisdem Monasteriis irrepserint, qui consilio, aut auxilio Sacræ Congregationis indigeant.

IV. An, præter ordinarium Confessorem, alius extraordinarius ab ipso bis, aut ter in anno fuerit oblatus.

V. An dictorum Monasteriorum redditus fideliter administrentur, & Monialium dotes fuerint persolutæ, & quomodo erogatæ.

VI. An in Monasteriis Monialium, quæ sunt Prælatis Regularibus subjecta, curaverit, ut Clausura dictarum Sanctimonialium fuerit exactè observata; & an contra inobedientes, & contradictores, per censuras Ecclesiasticas, & alia juris remedia processerit.

VII. An harum Monialium Confessarii Regulares, sive ordinarii, sive extraordinarii, fuerint ab ipso approbati, antequàm earum confessiones exceperint.

VIII. An, adhibitis Superioribus Regularibus, singulis annis exegerit rationem administrationis ab his, qui administrarunt bona pertinentia ad hæc Monialium Monasteria Regularibus subjecta: & an fideliter eorum redditus administrentur, & alia fuerint adimpleta, quæ præscribuntur in Bulla Gregorii XV., quæ incipit *Inscrutabili*.

§. VI.

De Sexto Relationis Capite, pertinente ad Seminarium.

In hoc Capite exponendum erit

I. Quot sint in Seminario Alumni.

II. An in Ecclesiastica disciplina rectè instituantur.

III. Quibusnam studiis vacent, & quo profectu.

IV. An Cathedrali, & aliis locis Ecclesiæ, diebus Festis inserviant.

V. An cum consilio duorum Canonicorum seniorum, a se electorum, necessaria pro recto regimine statuerit.

VI. An illud aliquando visitet, & operam det, ut Constitutiones adimpleantur.

VII. An statuta sit Taxa ad tramites Concilii Tridentini, eademque exigatur; & an aliqui sint morosi in ejus solutione.

§. VII.

De Septimo Capite, ad Ecclesias, Confraternitates, & Loca pia pertinente.

In hoc Capite exponendum erit

I. An in Sacristiis omnium, & singularum Ecclesiarum exposita sit Tabella onerum Missarum, & Anniversariorum, ad tramites Decretorum san. mem. Urbani VIII., & an eis punctualiter satisfactum sit.

II. An in Confraternitatibus, Scholis, aliisque Locis piis, punctualiter executioni mandentur pia opera, a Testatoribus injuncta.

III. An quolibet anno sibi fecerit reddi rationes ab horum locorum Administratoribus.

IV. An Montem Pietatis, sive Charitatis visitaverit; & an idem habeat redditus, qui superabundent subsistentationi Ministrorum, aliisque necessariis expensis; & in quas causas redditus illi erogentur; & si quid exigatur ab illis, qui pecuniam, aut frumentum, si agatur de Monte frumentario, ab eo recipiunt.

V. An Infirmorum Hospitalia visitaverit, reddituum rationes ab Administratoribus exegerit, & an Infirmis necessaria, quoad salutem animæ, & corporis, in eis subministrentur.

§. VIII.

De Octavo Relationis Capite, ad Populum pertinente.

In hoc Capite exponendum erit

I. Quinam sint Populi mores, & an in pietate proficiat.

II. An aliquis irrepserit abusus, aut prava quædam in eodem inoluerit consuetudo, quæ consilio indigeant, & Sedis Apostolicæ adjutorio.

§. IX.

De Ultimo Capite, ad Postulata pertinente.

Ultimo loco Episcopi, Archiepiscopi, Primates, & Patriarchæ, qui suarum Ecclesiarum Relationes ad Sacram transmittunt Congregationem, si quæ habent Postulata proponenda pro suarum regimine Ecclesiarum, proponere poterunt, cum clara facti, & omnium circumstantiarum expressione; & quatenus Postulata spectent ad negocia forensia, exponant, an ea sint in aliis Tribunalibus introducta, an adsint super iisdem aliorum Tribunalium sententiæ, ut, omnibus maturè pensatis, possit Sacra Congregatio congruum suppeditare prædictis Postulatis responsum.

Et hæc sunt, quæ opportuna visa fuerunt, ut in hac Instructione inserantur. Quod si aliqua fuerint, quæ Episcopi, Archiepiscopi, Primates, & Patriarchæ pro suarum indigentia Ecclesiarum, atque Diœcesum, addenda existimaverint, sciant sibi liberum esse addere, quæ ipsis addenda videbuntur, & ad notitiam Sacræ Congregationis deferre; quæ ex charitatis, & justitiæ norma per se expediet, quæ poterit, & majora ad Summum Pontificem deferet, qui Fratribus suis Episcopis, quantum cum Domino licet, gratificari semper exoptabit.

C. Card. Origus Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

P. Archiepisc. Theodosiæ Secret.

ANNO 1740. VIII.

Erectio Congregationis Particularis Nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum, Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum adjectæ; pro excipiendis, examinandisque Relationibus Episcoporum, Abbatum &c. super statibus earumdem Ecclesiarum.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a procuranda executione rectè constitutorum.

DECET Romanum Pontificem, pro Divinitus credita sibi Dominici gregis cura, non solum quæ Catholicæ Ecclesiæ utilia, ac salubria sunt, & Sacris Canonibus, & Apostolicis Constitutionibus consona, constituere; sed Evangelici Patrisfamilias exemplo, pro cujusque ingenii, & facultatum viribus talenta distribuendo, celeri etiam eorum, quæ decreta sunt, executioni prospicere.

Constitutio Sixti V. super visitatione Liminum Apostolorum, & relatione status Ecclesiarum, ab Episcopis facienda.

§. 1. Alias quidem fel. rec. Sixtus PP. V. Prædecessor Noster per suas Apostolicas literas, quarum initium est: *Romanus Pontifex*: decrevit, ut omnes Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi juramento promitterent, se certis statutis temporibus BB. Apostolorum Petri, & Pauli Limina personaliter, ac per se ipsos visitaturos; legitimo autem impedimento detentos, per certum Nuntium id adimpleturos, rationemque reddituros Romanis Pontificibus pro tempore existentibus de toto eorum Pastorali officio, deque rebus omnibus ad ipsarum, quibus præessent, Ecclesiarum statum quovis modo pertinentibus; & idem Sixtus Prædecessor deinde per consimiles literas, quæ incipiunt: *Immensa*: Congregationi S. R. E. Cardinalium super interpretatione, & executione Concilii Tridentini, demandavit, ut Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, Episcoporum eorumdem postulata audirent, & quæ per se possent, ex caritatis, & justitiæ norma expedirent; majora ad se, suosque Successores referrent. Nos vero necessariis, ac legitimis de causis animum nostrum moventibus, per literas nostras nuper emanatas, præfati Sixti Prædecessoris literas de Sacris visitandis BB. Apostolorum Liminibus, & omnia in eis contenta confirmavimus, atque innovavimus; Præcipientes præterea, & mandantes omnibus Abbatibus, Prioribus, Præpositis, aliisque quacumque dignitate etiam Cardinalatus honore insignitis, tam Regularibus, quam Sæcularibus, qui Monasteriis, seu Ecclesiis, quæ *Nullius* nuncupantur, cum jurisdictione spirituali, & Territorio separato, quocumque jure, & titulo præficiuntur, ut antequam suorum Monasteriorum, & respective Ecclesiarum possessionem adipiscantur, in manibus S. R. E. Diaconi Cardinalis ordine Prioris, si præsentes Romæ fuerint, si autem absentes, in manibus Nuncii, vel Legati Sedis Apostolicæ, seu alicujus Catholici Antistitis eorum arbitrio eligendi, se juramento obstringant, Sacras BB. Apostolorum Petri, & Pauli memorias personaliter, ac per se ipsos, vel, legitime impeditos, per certum eorum Nuncium visitaturos; & insuper certis præscriptis temporibus rationem reddituros de commissa sibi Monasteriorum, seu Ecclesiarum procuratione, aliisque omnibus, quæ ad ipsarum Ecclesiarum, & Monasteriorum statum, Ecclesiasticam Cleri, & Populi disciplinam, ad Animarum salutem, & ad Divinum cultum, & gloriam pertinent, prout in singulis ejusdem Sixti Prædecessoris, ac Nostris respective literis prædictis, quarum integros tenores hic pro plene, & sufficienter expressis, & insertis haberi volumus, plenius continetur.

Aliaque ejusdem, qua demandatur Congr. Concilii eorundem postulatorum cognitio.

§. 2. Cum autem, sicut Nobis, dum adhuc in minoribus versaremur, innotuit, Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales Decretorum ejusdem Concilii Tridentini interpretes tantis negotiorum curis, causarum multitudine, & graviſſimarum occupationum mole distineantur, ut seriùs quàm optarent, non sine aliquo Ecclesiarum detrimento, & nonnullorum querela, postulata, quæ occasione visitationis Sacrorum Liminum fieri solent, audire, & responsa præbere cogantur literis Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, qui legitimis impedimentis detenti, quo minus se in hanc Urbem conferre possint, absentes, vel Romæ præsentes, debitæ suarum Ecclesiarum relationis officium in scriptis, ut moris est, adimplent: Nos hujusmodi incommodo congruum remedium adhibere, eidemque Congregationi S. R. E. Cardinalium Decretorum prædictorum interpretum opportunum levamen afferre satagentes, necnon Venerabilium Fratrum Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, quos in visceribus caritatis gerimus, votis ac desideriis, quantum in Domino possumus, satisfacere, & sollicitæ literarum, & responsorum hujusmodi expeditioni providere cupientes, inhærentes etiam exemplis SS. Nostrorum Prædecessorum, è quibus B. Damasum Prædecessorem nostrum in chartis Ecclesiasticis juvisse, & Orientis, Occidentisque consultationibus respondisse de se B. Hieronymus affirmat, ex certa scientia, & Apostolicæ potestatis Nostræ plenitudine tenore præsentium perpetuò erigimus, instituimus, & decernimus Particularem Congregationem nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum a Nobis, & Romanis Pontificibus Successoribus Nostris pro tempore deputandorum, quorum munus, & officium illud dumtaxat esse volumus, ut eorumdem Venerabilium Fratrum Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, necnon dilectorum filiorum Abbatum, Priorum, Præpositorum, aliorumque tam Sæcularium, quàm Regularium separatum Territorium habentium, & jurisdictionem quasi Episcopalem in locis sibi subjectis exercentium, postulata, quæ in scriptis exhibita fuerint, & literas eidem Congregationi Cardinalium Decretorum prædictorum interpretum, vel Nobis directas, & a Nobis ad præfatam Congregationem remissas, diligenter inspicere, omniaque in eis contenta in eorum Conventibus, & Particularibus Congregationibus, quarum prima coram Nobis habenda erit, accurate exponere, ut communi consilio omnibus consideratis, & perpensis, quæ majoris momenti videbuntur, ad ipsos S. R. E. Cardinales interpretes prædictos, & deinde per ejusdem Congregationis Secretarium ad Nos, quoties coram Nobis prædicta Particularis Congregatio habita non fuerit, & Romanum Pontificem pro tempore existentem, referantur; ut, votis eorumdem Cardinalium, & Prælatorum auditis, de rebus gravioribus ex omnibus Provinciis, & Terrarum Orbis partibus ad Sedem Apostolicam a primis Ecclesiæ temporibus referri solitis, prout in Domino videbitur expedire, statuere, & Episcoporum, aliorumque Præsulum postulatis, & desideriis obsequi, quantum ex alto conceditur, valeamus.

Pontifex extendit prædictam Legem ad Prælatos Inferiores jura quasi Episcopalia habentes.

§. 3. Et quoniam in optatis Nobis est, ut ad hujusmodi munus obeundum Viri eligantur idonei; ideo Nos Venerabilem fratrem Josephum de Saporitis Archiepiscopum Anazarbensem, & dilectos filios Magistros in utraque nostra Signatura Referendarios Antonium Mariam Erbam, Bartholomæum Olivatium, Josephum Mariam Castellum, Nicolaum Antonellum, in præ-

ANNO 1740. Causæ præsentis Constitutionis.

Erigitur Congregat. Particularis.

Cujus munera designantur.

Nomina Prælatorum primo loco deputatorum.

dictæ

ANNO 1740.

dictæ Particularis Congregationis a Nobis, ut præfertur, erectæ, & institutæ Prælatos earumdem tenore præsentium deputamus, nominamus, & constituimus; eosdem autem Prælatos a Nobis, ut supra, deputatos, & a Romano Pontifice pro tempore deputandos, præfatæ Congregationi S. R. E. Cardinalium ejusdem Tridentinæ Synodi Decretorum interpretum Apostolica auctoritate prædicta ita adjungimus, & subjectivè aggregamus, ut eidem Congregationi tamquam membra capiti in præmissis obsequantur, & in commisso sibi munere suffragentur; Proptereaque Nos eorumdem Prælatorum Particulari Congregationi Præfectum dilectum filium Nostrum Antonium Xaverium Tituli S. Stephani in Monte Cœlio ejusdem S. R. E. Presbyterum Cardinalem de Gentilibus nuncupatum, modernum Congregationis prædictæ Cardinalium Decretorum Concilii interpretum pariter Præfectum, Secretarium vero Venerabilem Fratrem Carolum Albertum Guidobonum Cavalchini Archiepiscopum Philippensem etiam modernum ejusdem Congregationis Secretarium, eorumque in Præfecturæ, & Secretarii respectivè munere Successores itidem perpetuò constituimus, & deputamus. Insuper quia opportunum, & congruum arbitramur, ut is, qui eidem Congregationi S. R. E. Cardinalium Decretorum Concilii interpretum in latinis literis Episcopis rescribendis operam præbet, de rerum tractationibus in particularibus prædictorum Prælatorum Conventibus, seu Congregationibus habendis plene sit instructus, ad hoc, ut per eum prædictæ Congregationis Cardinalis Præfectus eisdem Fratribus Episcopis, aliisque Præsulibus supradictis, eorumque potissimùm postulatis diligentius, ac commodius possit satisfacere, volumus, & eadem Apostolica auctoritate statuimus, ut dilectus quoque filius Magister Æneas Silvius Picolomineus, qui nunc est, & qui fuerit deinceps, eidem Congregationi latinarum Epistolarum hujusmodi a Secretis, in eorumdem Prælatorum Conventibus, seu Congregationibus locum habere, & personaliter interesse, non tamen in eis votum ferre, possit, & valeat.

Cardinalis Præfecti.

Secretarii.

Et illius, qui Congregationis nomine, ad Episcopos, aliosque Præsules rescribet.

§. 4. Non obstantibus quacumque contraria consuetudine, quam ad præmissorum effectum, quatenus opus sit, abrogamus, & abolemus, & abrogatam, & abolitam esse volumus, necnon quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Ut autem hæc omnibus innotescere possint, volumus, & mandamus, ut præsentium exempla etiam impressa, & manu Cardinalis Præfecti supradicti subscripta, ejusque Sigillo munita eamdem ubique locorum fidem faciant, quam præsentes facerent, si in medium exhibitæ essent, vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis, Constitutionis, Ordinationis, Decreti, Statuti, Erectionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Clausulæ salutares.

Fides transumptis habenda.

Sanctio.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo, Nono Kalendas Decembris, Pontificatus Nostri Anno Primo.

Dat. die 23. Novembris 1740.

P. Card. Prod. *D. Card. Passionеus.*

VISA DE CURIA.

N. Antonellus.

I. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicat. die xv. Decembris ejusdem anni.

ANNO 1740. IX.

Indulgentiæ, Seu Relaxationes centum dierum de injunctis, seu debitis Pœnitentiis, pro recitantibus flexis genibus singulis Feriis Sextis quinquies Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam, ad sonum Campanæ, hora Tertia post meridiem, in memoriam Passionis, & Agoniæ Domini Nostri Jesu Christi.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD Passionis & Agoniæ Redemptoris, & Domini Nostri Jesu Christi, unde nobis vita, salus, & resurrectio manavit, memoriam in omnium Christifidelium animis excitandam atque fovendam Cœlestibus Ecclesiæ Thesauris, quorum dispensationem Nobis credidit Altissimus, omnibus & singulis Christifidelibus, qui singulis Feriis Sextis totius anni, hora tertia post meridiem, ad sonum Campanæ Ecclesiarum Metropolitanarum, Cathedralium, & Parochialium (quarum Parochis, Rectoribus, aliisque quocumque nomine appellatis Superioribus, ut Campanam uniuscujusque Ecclesiæ hujusmodi pulsari faciant, injungimus, & in virtute sanctæ obedientiæ mandamus) flexis genibus quinquies Orationem Dominicam, & toties Salutionem Angelicam devote recitaverint, & oraverint, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, necnon salutari perditorum hominum emendatione pias ad Deum preces effuderint, centum dies de injunctis eis, seu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus, præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 13. Decembris 1740. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Dat. die 23. Decembris 1740.

D. Cardinalis Passioneus.

X.

Conceditur P. Guardiano Sancti Sepulchri Ordinis Minorum de Observantia, ut absentibus Episcopis Latini Ritus, valeat conferre Sacramentum Confirmationis cum Oleo, & Chrismate a Catholico Antistite benedictis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Dubium super facultate conferendi Sacramentum Confirmationis, delatum ad Congregationem S. Officii.

CUM ad infrascriptam Cardinalium Congregationem delatum fuerit dubium: *An Custos & Guardianus Sancti Sepulchri Domini Nostri Jesu Christi, ex speciali hujus Sanctæ Sedis delegatione, & vigore nonnullorum privilegiorum per dilectos filios Superiores Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum exhibitorum, necessarias facultates habeat conferendi Sacramentum Confirmationis*: Nos pro commissa Nobis cœlitus Pastoralis Officii cura, omnes difficultates, ac in posterum dubitandi hac in re occasionem tollere cupientes, ac dilectum filium Paulum a Laurino Fratrem expresse professum dicti Ordinis, ac Custodem, & Guardianum dicti Sancti Sepulchri, specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a

ANNO 1741.

quibuſvis Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium tantum conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, auditis votis Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Chriſtiana adverſus hæreticam pravitatem Generalium Inquiſitorum auctoritate Apoſtolica deputatorum, eidem Paulo Cuſtodi, & Guardiano ejuſdem Sancti Sepulchri, durante ejus Officio, & pro Locis Terræ Sanctæ hujuſmodi, ubi non erunt Epiſcopi Ritus Latini in propria Diœceſi reſidentes, poteſtatem, & facultatem conferendi Sacramentum Confirmationis hujuſmodi Oleo, & Chriſmate etiam antiquis, ſi nova haberi non poſſint, per Catholicum Antiſtitem gratiam, & communionem Sedis Apoſtolicæ habentem benedictis, dicta auctoritate, tenore præſentium concedimus, & delegamus; ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium. Non obſtantibus præmiſſis, ac Apoſtolicis, & in Univerſalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Pontifex, cum illius Voto, facultatem controverſam concedit cum conditionibus oportunis.

Non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 9. Januarii 1741. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

Dat. die 9. Januarii 1741.

XI.

Conſecratio Joannis Petri Meindarts intruſi in Archiepiſcopatum Ultrajectenſem damnatur, atque excommunicationis & ſuſpenſionis cenſura in ipſum edicitur.

Dilectis Filiis Catholicis in Fœderato Belgio commorantibus.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Oſtenditur pervicacia Joannis Petri Meindarts nulliter electi, & cenſuris irretiti.

AUGET Paſtoralem noſtram ſolicitudinem filius iniquitatis Joannes Petrus Meindarts, qui nec Paternis monitis delinitus, nec anathemate perculſus ullum ſibi facit furendi modum. Cum enim undique admonitus, & publicis monumentis edoctus ignorare non poſſet, ſibi detractam fuiſſe à fel. rec. Clemente XII. ludicram illam Ultrajectenſis Archiepiſcopatus larvam, quam induere inaniter conabatur; Ac propterea vigore literarum in ſimili forma Brevis die VI. Octobris MDCCXXXIX. ſuper nullitate Electionis ſeveriſſimis Cenſuris illigatus fuiſſet; tamen non abſtinuit falſum illud nomen uſurpare, ſed, ut abyſſus abyſſum invocat, patratum ſcelus novo ſcelere cumulavit.

Qui tamen Conſecrationem ſuſcepit.

§. 1. Siquidem non ſine horrore, & in amaritudine animæ noſtræ intelleximus eò temeritatis perveniſſe, ut Sacra omnia polluens, ſolennibus cœremoniis initiari, conſecrarique voluerit. Quid fieri debeat Filio tam degeneri, non audienti amantiſſimi Patris vocem, & ad Eccleſiaſticæ diſtrictionis plagas obdureſcenti, jamdiù conſulimus Dominum, atque utinam auribus noſtris non reſonet horribilis vox illa: *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam;* quo diro fulmine nullum profecto majus.

Adhortatio ad Fideles in Fœderato Belgio commorantes.

§. 2. Quare ad Vos, Dilecti Filii, gaudium & corona noſtra, omnem convertimus curam; & quò magis in proximo objecti eſtis lupo huic inſidioſo, atque implacabili, eò Vos diligentius hortamur & commonemus, ut reſiſtatis fortes in fide, quam ab Apoſtolica Sede omnium Eccleſiarum Matre & Magiſtra à primis uſque temporibus accepiſtis. Nolite à ſemita juſtitiæ abduci ſubdolis, ac venenatis illius vocibus, quas infundere conatus eſt ſua illa captioſa, & in ſimplicium ſubverſionem, & ſchiſma apertè tendente Epiſtola Paſtorali, data die 1. Decembris elapſi anni 1739. ad Gregem ex iis fortaſſe collectum, qui ſecum ambulant in tenebris, non alio ſane animo conſcripta, quàm ut inconſutilem Chriſti Veſtem ſcindat. Scimus, & in Domino gaudemus, Vos ab hac vera fide non aberrare; Noſtra tamen Paterna caritas, & commiſſi Nobis licet imparibus Apoſtolici Miniſterii ratio poſtulant, ut ſoliciti vigilemus ad veſtram cuſtodiam, nec à Vobis dejiciamus oculos, quos vaferrimus ille ſeductor disjungere ſtudet à vero Chriſti Ovili, ut ſecum per vias non bonas errantes pereatis. Nam, utcunque blandiatur ſibi, nemini ſuadebit ſe in Eccleſia manere, quam dilacerat pertinaci ſchiſmate.

ANNO 1741.

Prædicta Conſecratio illicita, & illegitima declaratur.

§. 3. Ad quam profecto Eccleſiam, ut aliquando intelligat pertinere ſe nullo modo poſſe, niſi reſipiſcat; Nos, Prædeceſſorum Noſtrorum, Sacrarumque Legum morem, atque exempla ſequuti, tradita Nobis à Cœlo poteſtate, primùm hujuſmodi nefariam Conſecrationem illicitam, illegitimam, ſacrilegam, ac contra Supremæ Sedis mandata, & Sacrorum Canonum ſanctionem factam declaramus.

Jo. Petrus cum fautoribus excommunicatur, & Schiſmaticus pronunciatur.

§. 4. Deindè eumdem Joannem Petrum, & quotquot huic execrabili facinori operam, conſilium, conſenſum præſtiterunt, auctoritate Omnipotentis Dei excommunicamus, anathematizamus, atque ab Eccleſiæ communione ſegregatos, ac prorſus Schiſmaticos habendos, & evitandos eſſe iterum conſtituimus.

Suſpenditur ab exercitio tam juriſdictionis, quàm Ordinis.

§. 5. Sciat autem idem Joannes Petrus non ſolùm ab iis, quæ ſunt Juriſdictionis, exercendis eſſe ſuſpenſum, prout vigore earumdem literarum Prædeceſſoris Noſtri fuit ſuſpenſus, ſed etiam ab iis, quæ ſunt Ordinis. Mandamus illi propterea, diſtrictèque interdicimus, ſub pœna Excommunicationis ipſo facto, & ſine alia declaratione incurrendæ, ut nullo pacto, aut Chriſma conficere, Clericos ordinare, aut Virgines conſecrare, aut alia Epiſcopalis Ordinis exercere audeat; Decernentes inſuper vacuos, inanes, nulliuſque prorſus roboris, ac momenti omnes, & ſingulos alios actus, quos attentare præſumpſerit. Ac proinde, qui ab ipſo Eccleſiaſticis Ordinibus initiati fuerint, noverint ſuſpenſionis vinculo ſe obſtrictos, atque irregularitati propterea obnoxios, ſi ſuſceptos Ordines exercuerint.

Idem ſtatuitur de his, qui ab illo ordinati fuerint.

§. 6. Hanc ad ſanandum propè deſperatum hominis furorem, extremam medicinam adhibemus, acrem illam quidem, ſed certè neceſſariam: cujus profecto vim ſi non intelligit, miſer; multò verò miſerior, ſi intelligit, & contemnit. Reliquum eſt, ut, quoniam vehementer ſoliciti ſumus, ne propinquitas morbi ſaniores partes trahat Chriſtianæ Reipublicæ, Vos, Dilecti in Chriſto Filii, iterum, atque iterum moneamus, ut ab eo quàm diligentiſſimè caveatis. Quod quidem facilius promptiuſque perficietis, ſi illud ſæpius cogitetis, quod certum omnino eſt, atque exploratum: Neminem verè in Chriſti Eccleſia eſſe poſſe, niſi ejus Capiti Viſibili, atque Divi Petri Cathedræ communione conſocietur. Atque Apoſtolicam Benedictionem Vobis, Dilecti Filii, peramanter impertimur.

Cavendum ab eodem monetur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIV. Januarii MDCCXLI. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

Dat. die 24. Januarii 1741.

Jo. Vincentius Lucchеſinius.

Declaratur,

ANNO 1741. XII.

Declaratur, Quod omnes, qui provisi fuerint à S. R. E. Cardinalibus Ordinariis Collatoribus, sive vigore exceptuationis Regulæ IX. Cancellariæ, sive vigore Indulti Apostolici, de Beneficiis Ecclesiasticis vacatis in mensibus Sanctæ Sedi reservatis, & valorem viginti-quatuor Ducatorum excedentibus; semper teneantur ad reportandum infra certum tempus novam provisionem à Sede Apostolica.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Motu proprio &c.

Obligatio impetrandi novam provisionem à Sede Apostolica oritur ex tenore Indultorum Cardinalibus concessorum.

CUM, sicut accepimus, nonnulli Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, qui Metropolitanas, Patriarchales, Episcopales, aut etiam Abbatiales Ecclesias ex Concessione, & Dispensatione Apostolicis obtinent, quamvis Indulta conferendi Beneficia Ecclesiastica Sedi Apostolicæ affecta, & reservata, etiam ratione mensium Apostolicorum nuncupatorum, acceptaverint, in quibus litteraliter injungitur, quod ab eisdem Cardinalibus pro tempore provisi teneantur, infra certum in eisdem Indultis præfixum tempus, novam Beneficiorum hujusmodi provisionem à Sede Apostolica præfata impetrare, & Jura Cameræ Apostolicæ, aliisque propterea debita persolvere; nihilominus, sub prætextu exceptuationis eorumdem Cardinalium in Regula nona Cancellariæ appositæ, authumant, quod ubi vacatio contingit in octo mensibus Apostolicis, provisi ab ipsis Cardinalibus novam hujusmodi provisionem capere non teneantur, quod plurium Doctorum sententiæ repugnare comperitur. Nos, cui tanquam Romano Pontifici spectat lites, ac controversias declarationis Oraculo terminare, prout, negociorum qualitate, & temporum conditione inspectis, conspicimus in Domino salubriter expedire, Motu simili &c. & de Apostolicæ potestatis plenitudine declaramus, statuimus, atque decernimus, quod deinceps pro tempore provisi à prædictæ S. R. E. Cardinalibus ordinariis Collatoribus, sive Cardinales ipsi tanquam Ordinarii vigore exceptuationis prædictæ regulæ, sive tanquam Indultarii, Beneficia vacantia in mensibus Apostolicis prædictis contulerint, semper, & quandocumque novam provisionem eorumdem Beneficiorum à prædicta Sede Apostolica impetrare, ac Annatam, & Taxas Datariæ, Cancellariæ, & Cameræ nostrarum Apostolicarum, aliaque Jura, & emolumenta Officialibus debita persolvere omninò teneantur, dummodo tamen Beneficia sic vacantia, etiam nullis deductis eorum oneribus, valorem annuum vigintiquatuor ducatorum auri de Camera excedant. Decernentes etiam Motu pari, &c., ut nemo deinceps ab eisdem Cardinalibus Ordinariis Collatoribus provisus de Beneficio in aliquo ex mensibus Apostolicis præfatis vacato, possit se quocumque prætextu eximere ab Expeditione literarum Apostolicarum in forma novæ Apostolicæ provisionis, juxta formam in Indultis Cardinalibus concedi solitis præscriptam, aliàs, elapso tempore ibidem præfixo, possit idem beneficium à Sede Apostolica prædicta impetrari: Præsentes quoque, & desuper, si videbitur, expediendas litteras, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, aut alio quantumvis substantiali defectu notari, impugnari, invalidari, aut adversus eas quodcumque Juris, vel facti, aut gratiæ remedium impetrari posse, sed illas semper validas, & efficaces fore, & esse, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus ad quos quomodolibet spectat, & spectabit in futurum, inviolabiliter observari. Sicque, & non aliàs per quoscumque Judices &c. etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac prædictæ S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, dictæque Sedis Nuncios, sublata &c., judicari &c. debere, irritumque &c. attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Cancellariæ præfatæ regula de jure quæsito non tollendo, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis quibusvis Personis, etiam quavis auctoritate fungentibus, ac qualibet præeminentia, & dignitate fulgentibus, ac specialem, & specialissimam mentionem requirentibus, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis Clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, ac Nos, & Sedem Apostolicam præfatam, etiam Motu pari &c. ac aliàs quomodolibet, etiam Consistorialiter, ac iteratis vicibus concessis, & quantocumque tempore etiam pacificè observatis. Quibus omnibus &c. etiam si de illis &c. eorum tenores &c. illis aliàs &c. permansuris, latissimè, & plenissimè, ac specialiter, & expressè Motu pari &c. harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

ANNO 1741. Sublata aliter judicandi facultate.

Cum derogationibus necessariis, & opportunis.

Fiat Motu proprio P.

Prætextus in contrarium allegari soliti.

ET quod dictæ Regulæ, necnon Indultorum, & Privilegiorum præfatorum quomodolibet, ut præfertur, concessorum, tenores etiam veriores, ac Datæ habeantur pro expressis, seu in toto, vel in parte exprimi possint in literis, ac de perpetuis declaratione, statuto, decreto, derogatione, aliisque præmissis, ut supra in literis latissimè extendendis. Volumus autem, quod sola præsentis Nostri Motus proprii signatura sufficiat, & ubique fidem faciat in Judicio, & extra illud, regula quacumque contraria non obstante, seu si videbitur literæ desuper etiam per viam de Curia quandocumque expediri possint.

Decretum pro valore solius Signaturæ, & expeditione Litterarum per viam de Curia.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem VIII. Kalendas Februarii Anno Primo.

Fiat P.

Dat. die 25. Jan. 1741.

XIII.

Clericis interdicitur quælibet negotiatio, etiam sub alieno Laici nomine, exceptis casibus, & circumstantiis in Constitutione expressis, sub pœnis aliàs contra Clericos negotiatores emanatis: & extenditur pœna spolii ad eos etiam, qui ab illo exempti sunt per Indulta personalia, aut generalia, ad effectum testandi, vel transmittendi.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium à debito dirigendi mores Populi, & Cleri.

APOSTOLICÆ servitutis commissum Nobis divinitus officium assiduè vigilare Nos admonet, ut ex prava hominum cupiditate suborientia mala, quantum in Nobis est, provida sollicitudine coërcentes, Dominici ovilis gregem, Superna opitulante gratia, ad æternam patriam dirigamus. Sed præcipua cura constringit de iis, qui Ecclesiastico Ordini adscripti, & ad sanctioris vitæ genus electi aliis in via salutis actuum suorum claritate prælucere debent. Vehementer enim timidi, ac solliciti sumus, ne cæteros Christifideles, quos pro gradus sui Sanctitate verbis, & exemplo ædificare debent, morum suorum pravitate, à cælestium rerum amore ad terrena desideria avertant.

Clericorum negotiatio sub alieno Laici nomine improbatur.

§. 1. Cum itaque, ut non sine gravi animi Nostri mœrore accepimus, vesana humanarum rerum cupiditas ita nonnullorum Cleri-

ANNI 1741.

corum invaserit animos, ut illicitam Ecclesiasticis negotiationem, ad evitandas Pœnas adversus illam exercentes à Sacris Canonibus, & Apostolicis Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum Constitutionibus sancitas, sub alieni nominis velamine, Dei timore, Ecclesiastici nominis decore, & æterno suarum animarum periculo posthabitis, temerè, nulliterque exercere non dubitent; &, quod palam temporalium pœnarum metu aggredi non audent, quæsitis deinde coloribus, & vanis inanium rationum prætextibus clam efficere non timeant; quasi vel Dei oculos, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, latere, vel Supremi Judicis, qui non fallitur, examen effugere possint: Nos attendentes, quod Clericus, qui tantopere mundanis divitiis parandis, inhiat, cœlestia despicere, & pro nihilo putare convincitur, & quod Clericus negotiator ex inope dives, & ex ignobili gloriosus, tanquam pestis, ut Beatus Hieronymus docet, fugiendus est; ad exitiosam hujusmodi labem ab Ecclesiastico Cœtu eliminandam, & ut Sancto Ecclesiæ Dei famulatui addicti, ab omni turpis lucri cupiditate abhorrentes, studeant bene agere, & divites fieri in bonis operibus, thesaurizantes sibi fundamentum bonum in futurum; omnes & singulas Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum prædictorum Constitutiones, illarumque quamlibet contra quoscumque Clericos illicitos negotiatores desuper quomodolibet respective, cum omnibus, & singulis pœnis, contra eosdem Clericos illicite negotiantes, editas, quas Constitutiones hujusmodi, ac earum quamlibet præsentibus de verbo ad verbum, nihilo penitus omisso, pro insertis haberi volumus, Motu proprio, & ex certa scientia, maturaque deliberatione, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine Nostris innovamus, confirmamus & aprobamus, eisque, & earum cuilibet novum Apostolicæ firmitatis, & inviolabilis observantiæ robur adjicimus; illasque sic innovatas, confirmatas, & approbatas, cum omnibus, & singulis pœnis in eis, & earum qualibet adversus Clericos illicitos negotiatores hujusmodi contentis, ad Clericos illicitè sub alieno laici nomine quomodolibet negotiantes, perindè ac si per se ipsos, ac proprio eorum nomine negotia ipsa illicita exercerent, omnesque, & singulæ Constitutiones, earumque quælibet adversus eos desuper editæ fuissent, & in eis, & earum qualibet expressi, & denominati reperirentur, motu, & potestatis plenitudine præfatis perpetuò extendimus, & ampliamus, illorumque omnia, & singula bona sic ab eis alieno nomine illicitè acquisita, sub inevitabili spolii pœna, ad formam Constitutionis fel. rec. Pii Papæ IV. similiter Prædecessoris Nostri, quæ incipit: *Decens esse*: subjicimus, & subjecta esse volumus, & declaramus.

Dispositiones Constitutionum Apostolicarum contra illos innovantur.

Et ad eos expresse extenduntur.

Eorumque bona Spolio subjiciuntur.

§. 2. Insuper, ut in sortem Domini vocati, depositis quocumque mundanarum curarum onere, & humanarum cupiditatum impedimentis, Christum Dominum, qui propter Nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia Nos divites essemus, per calcatas mundi opes liberius, & expeditius sequantur, memores salutaris illius Beati Apostoli moniti, qui clamat, & dicit: *nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit*, per easdem Nostras præsentes perpetuò valituras, motu, & potestatis plenitudine præfatis decernimus, ac pariter declaramus, quod si aliquod negocium Ecclesiasticis illicitum personis, licet ab eis minime institutum, sed à laica persona inchoatum, & ad eosdem Clericos, sive hæreditario jure, aut quocumque alio titulo, sive singulariter, sive communiter, sive separatim, sive conjunctim cum aliis bonis, & aliis cohæredibus, vel sociis laicis existentibus delatum fuerit, vel per se ipsos, eorumque nomine proprio, vel per alios, aut alieno nomine etiam per suos cohæredes, aut socios prosequuti sint, illud statim dimittere teneantur. Si verò negotium hujusmodi sine ipsius Clerici temporali detrimento statim dimitti nequeat, tunc, si intra Italiam, Insulasque adjacentes existat Clericus, à Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Decretorum Concilii Tridentini interpretum Congregatione, si verò extra Italiam, ab eadem Congregatione, vel ab Ordinario Loci licentiam illud ad aliquod tempus retinendi, proviso interim, quod negotium hujusmodi à laico administretur, impetrare teneatur; dictaque Congregatio, aut Ordinarius Loci, perpensis singulorum casuum circumstantiis, licentiam impertiatur, tempusque in eo ad idem negotium dimittendum præscribat; & si Clericus negotium præfatum, licet à Laico, ut præfertur, institutum, absque licentia hujusmodi gratis semper sibi impertienda, aut illud ultra tempus sibi permissum retinuerint, vel etiam intra tempus prædictum negotium per se ipsum administraverit, pro negotiatore illicito haberi, illumque omnibus, & singulis etiam spolii pœnis præfatis subjectum esse, motu, & potestatis plenitudine dictis perpetuò volumus, & definimus.

Negotia à Laicis inchoata, & ad Clericos delata, statim dimittantur.

§. 3. Ac demum, eo quod fel. rec. Prædecessor Noster Pius Papa IV. per suas literas, quarum initium est: *Romanus Pontifex*: declaravit, præfata Constitutione super Spoliis Clericorum ob illicitam negotiationem à se edita, Prælatos, Officiales, ac alios Seculares, & cujusvis Ordinis Regulares Clericos, aliosque cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ in Urbe, & Curia, ejusque Districtu decedentes, testandi tamen, codicillandi, & alias de bonis suis quibuscumque quomodolibet disponendi, vel ad ipsorum proximiores, decedentibus illis ab intestato, transmittendi facultatem ex speciali Sedis Apostolicæ indulto, vel suorum Officiorum privilegio, vel alio quovis titulo obtinentes, nullatenus comprehendi, & quod Paulus Papa V. pariter Prædecessor Noster per suas Literas, quæ incipiunt: *In eminenti*: Clericos Cives, & Curiales, sive Incolas hujus Nostræ Almæ Urbis, tunc suæ, exemit à spolio, quoad bona in eadem Urbe, ejusque Districtu intra decem milliaria consistentia, etiam ex redditibus Ecclesiasticis per eos acquisita, unde dubitari contigit, an suffragetur quoque ad evitandum Spolium Cameræ Nostræ Apostolicæ competens pro bonis ex illicita negotiatione provenientibus: Nos Constitutiones Pii, & Pauli Prædecessorum Nostrorum præfatas, quoad bona ex illicita negotiatione hujusmodi à Civibus, & Curialibus, sive Incolis Clericis cujuscumque Ordinis, ac Dignitatis, quibuscumque indultis, ac privilegiis munitis, comparata, & in Urbe, ejusque Districtu præfatis, & ubicumque existentia, minime ad præmissorum effectum suffragari, sed illa sic provenientia Cameræ Nostræ Apostolicæ vero jure spolii deberi, perinde ac si Constitutiones Pii, & Pauli Prædecessorum hujusmodi ad præmissorum omnium, & singulorum effectum impediendum minime emanatæ fuissent, Motu simili pariter declaramus, & statuimus, dictasque Pii, & Pauli Prædecessorum Constitutiones, quoad præmissorum effectum fortiendum, plenariè abrogamus, & abolemus.

Exempti à Spolio ad effectum testandi, aut transmittendi, non intelligantur exempti quoad bona per interdictam negotiationem acquisita.

§. 4. Decernentes sic in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quidquid secus super his à quovis quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocircà Venerabili Fratri Nostro Annibali S. R. E. Cardinali Episcopo Sabinen. Albani nuncupato

Clausula Sublata, & Decretum irritans.

Camerarii pro tempore executores deputantur.

ANNO 1741.

Nec nisi necessitate urgente continuari possint, de licentia tamen Congregationis Concilii, aut etiam Ordinarii extra Italiam.

Et ad tempus dumtaxat, ac per interpositam laici personam.

Pœnæ in contraventores.

ANNO 1741.

cupato Camerario Noſtro, & ejus in Camerariatus officio ſucceſſoribus, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſpolia ipſa ex bonis ex illicita negotiatione provenientia, uti verè ſpolia, prout alia ipſius Cameræ jura, exigi, & recuperari, ac præſentes Noſtras Literas, inviolabiliter obſervari faciat, nec permittat, Cameram ipſam, vel pro ea agentes deſuper modo aliquo moleſtari, perturbari, aut inquietari, Contradictores quoslibet, & Rebelles per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, & appellatione poſtpoſita compeſcendo, nec non legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras, & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Contrariis derogatur. Non obſtantibus prædicti Pii, & Pauli Prædeceſſorum, aliiſque Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac quibuſvis facultatibus teſtandi, aliiſque privilegiis, indultis, & literis Apoſtolicis quibuſvis conceſſis, approbatis, & innovatis, etiam ſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, & expreſſa mentio facienda eſſet, illorum tenores pro ſufficienter expreſſis habentes, illis in reliquis in ſuo robore permanentibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque; etiam ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per Literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam de indulto hujuſmodi mentionem. Et quia difficile foret præſentes Noſtras Literas ad ſingula quæque loca deferri, volumus, & declaramus, quod earum tranſumptis etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & alicujus Prælati ſigillo munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Fidem tranſumptis haberi jubetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Noſtri decreti, approbationis, confirmationis, innovationis, declarationis, ſtatuti, ordinationis, conceſſionis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Sanctio pœnalis. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo primo, quinto Kalendas Martii, Pontificatus Noſtri Anno I. Dat. die 25. Feb. 1741.

D. Card. Paſſioneus.
X. Sub-Datarius.
VISA DE CURIA.
N. Antonellus.
J. B. Eugenius.
Loco ✠ Plumbi.
Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Publicata die viij. Martii ejusdem anni.

XIV. Literæ Proceſſus Publicatæ die Cœnæ Domini Anno 1741.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exorditur ab obligatione Romani Pontificis conſervandi ſartam tectā Fidem Catholicam. PASTORALIS Romani Pontificis vigilantia, & ſollicitudo, cum in omni Chriſtianæ Reipublicæ pace, & tranquillitate procuranda pro ſui muneris officio, aſſidue verſatur, tum potiſſimum in Catholicæ Fidei, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, unitate, atque integritate retinenda, & conſervanda, maxime elucet, nimirum, ut fideles Chriſti non ſint parvuli fluctuantes, neque circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, ad circumventionem erroris, ſed omnes occurrant in unitatem Fidei, & agnitionis Filii Dei in virum perfectum, neque ſe in hujus vitæ ſocietate, & communione lædant, aut inter ſe alter alteri offenſionem præbeat, ſed potius in vinculo charitatis conjuncti, tanquam unius corporis membra ſub Chriſto capite, ejuſque in terris Vicario Romano Pontifice, Beatiſſimi Petri Succeſſore, à quo totius Eccleſiæ unitas dimanat, augeantur in ædificationem, atque ita divina gratia adjutrice, ſic præſentis vitæ quiete gaudeant, ut futura quoque beatitudine perfruantur. Ob quas ſane cauſas Romani Pontifices prædeceſſores Noſtri, hodierna die, quæ anniverſaria Dominicæ Cœnæ commemoratione ſolemnis eſt, ſpiritualem Eccleſiaſticæ diſciplinæ gladium, & ſalutaria juſtitiæ arma, per miniſterium Summi Apoſtolatus, ad Dei gloriam, & animarum ſalutem ſolemniter exercere conſueverunt. Nos igitur, quibus nihil optabilius eſt, quam Fidei inviolatam integritatem, publicam pacem, & juſtitiam, Deo auctore, tueri, vetuſtum, & ſolemnem hunc morem ſequentes:

§. 1. Excommunicamus, & anathematizamus ex parte Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac Noſtra, quoſcumque Huſſitas, Wicleſiſtas, Lutheranos, Zuinglianos, Calviniſtas, Ugonottos, Anabaptiſtas, Trinitarios, & a Chriſtiana Fide Apoſtatas, ac omnes, & ſingulos alios Hæreticos quocumque nomine cenſeantur, & cujuſcunque Sectæ exiſtant, ac eis credentes, eorumque receptores, fautores, & generaliter quoſlibet illorum defenſores, ac eorumdem libros hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, ſine auctoritate noſtra, & Sedis Apoſtolicæ ſcienter legentes, aut retinentes, imprimentes, ſeu quomodolibet defendentes ex quavis cauſa, publice, vel occulte, quovis ingenio, vel colore, necnon Schiſmaticos, & eos, qui ſe a Noſtra, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis obedientia pertinaciter ſubtrahunt, vel recedunt. Excommunicat Hæreticos cujuſcumque Sectæ, eorum Fautores, nec non legentes & imprimentes eorum libros, & demum Schiſmaticos.

§. 2. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos cujuſcunque ſtatus, gradus, ſeu conditionis fuerint; Univerſitates verò, Collegia, & capitula quocunque nomine nuncupentur, interdicimus, ab ordinationibus, ſeu mandatis Noſtris, ac Romanorum Pontificum pro tempore exiſtentium ad univerſale futurum Concilium appellantes: necnon eos, quorum auxilio, conſilio, vel favore appellatum fuerit. Excommunicat, ac reſpective Interdicto ſupponit quaſcumque perſonas & Univerſitates a Rom. Pontifice ad futurum Concilium appellantes.

§. 3. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Piratas, Curſarios, ac Latrunculos maritimos, diſcurrentes Mare Noſtrum, præcipuè a Monte Argentario uſque ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores, & defenſores. Excommunicat Piratas Mare Sedis Apoſtolicæ infeſtantes, eorumque Fautores.

§. 4. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos, qui Chriſtianorum quorumcumque Navibus, tempeſtate, ſeu in tranſverſum (ut dici ſolet) jactatis, vel quoquomodo naufragium paſſis, ſivè in ipſis Navibus, ſivè ex eiſdem ejecta in mari, vel in littore inventa, cujuſcumque generis bona, tàm in Noſtris Tyrrheni, & Adriatici, quàm in cæteris cujuſcumque Maris Regionibus, & littoribus, ſurripuerint; itaùt nec ob quodcunque privilegium, conſuetudinem, aut longiſſimi, & immemorabilis temporis poſſeſſionem, ſeu alium quemcumque prætextum excuſari poſſint. Naufragorum Chriſtianorum in quacumque maris regione bona ſurripientes.

§. 5. Item excommunicamus, & anathematizamus, omnes, qui in Terris ſuis nova Pedagia, ſeù Gabellas, præterquàm in caſibus ſibi a jure, ſeù ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia permiſſis, imponunt, vel augent, ſeù imponi, vel augeri prohibita exigunt. Imponentes nova Pedagia, & Gabellas, vel ea augentes.

§. 6. Item excommunicamus, & anathema- Falſificantes literas Apoſtolicas, &

tizamus

ANNO 1741.

supplicationes signatas: necnon falsò publicantes literas Apostolicas.

tizamus omnes falsarios Literarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, ac supplicationum, gratiam, vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vicecancellarios, seù gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem Romani Pontificis signatarum, necnon falsò publicantes Literas Apostolicas, etiam in forma Brevis, & etiam falsò signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis, seù Vicecancellarii, aut gerentium vices prædictorum.

Deferentes ad Christiani nominis hostes & hæreticos arma, & alia usui bellico apta: necnon nunciantes ad statum Reipublicæ Christianæ pertinentia in Christianorum damnum.

§. 7. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes, & inimicos, vel hæreticos per Nostras, sivè hujus Sanctæ Sedis sententias expresè, & nominatim declaratos, deferunt, seù transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stamnum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, canapem, funes, tam ex ipso canape, quam alia quacumque materia, & ipsam materiam, aliaque hujusmodi, quibus Christianos, & Catholicos impugnant, necnon illos, qui per se, vel alios, de rebus statum Christianæ Reipublicæ concernentibus, in Christianorum perniciem, & damnum, ipsos Turcas, & Christianæ Religionis inimicos, necnon Hæreticos in damnum Catholicæ Religionis, certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstant, non obstantibus quibuscunque privilegiis, quibusvis Personis, Principibus, & Rebuspublicis per Nos, & Sedem prædictam hactenus concessis, de hujusmodi prohibitione expressam mentionem non facientibus.

Impedientes eos, qui victualia, & alia necessaria ad Urbem deferunt.

§. 8. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impedientes, seù invadentes eos, qui victualia, seù alia ad usum Romanæ Curiæ necessaria adducunt, ac etiam eos, qui, ne ad Romanam Curiam adducantur, vel afferantur, prohibent, impediunt, seù perturbant, seù hæc facientes defendunt per se, vel alios, cujuscunque fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis, & status, etiamsi Pontificali, seù Regali, aut alia quavis Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate.

Offendentes sua, vel aliorum opera eos, qui ad Sedem Apostolicam veniunt, vel ab ea recedunt: & sine Jurisd. vexantes eos, qui Romæ commorantur.

§. 9. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes, & recedentes eb eadem, sua, vel aliorum opera interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent, necnon illos omnes, qui jurisdictionem Ordinariam, vel delegatam a Nobis, vel Nostris Judicibus non habentes, illam sibi temerè vendicantes, similia contra morantes in eadem Curia audent perpetrare.

Offendentes eos, qui ad Urbem devotionis causa peregrinantur, vel ibi degunt, ac recedunt.

§. 10. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seù deprædantes, Romipetas, seù Peregrinos, ad Urbem, causa devotionis, seù peregrinationis, accedentes, & in ea morantes, vel ab ipsa recedentes, & in eis dantes auxilium, consilium, vel favorem.

Offendentes S. R. E. Cardinales, aliosque Ecclesiarum Prælatos, necnon Legatos, & Nuncios Sedis Apostolicæ.

§. 11. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eos a suis Diœcesibus, Territoriis, Terris, seù Dominiis ejicientes; necnon ea mandantes, vel rata habentes, seù præstantes in eis auxilium, consilium, vel favorem.

Offendentes eos, qui pro suis negociis ad Rom. Curiam recurrunt, ac eorum Procuratores, & Judices ex causa dd. negociorum.

§. 12. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, vel alios, personas Ecclesiasticas quascumque, vel sæculares, ad Romanam Curiam super eorum causis, & negociis recurrentes, ac illa in eadem Curia prosequentes, aut procurantes, negotiorumque gestores, Advocatos, Procuratores, & Agentes, seù etiam Auditores, vel Judices super dictis causis, vel negotiis deputatos, occasione causarum, vel negotiorum hujusmodi, occidunt, seù quoquomodo percutiunt, & bonis spoliant: seù qui per se, vel per alios directe, vel indirecte, delicta hujusmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cujuscumque præeminentiæ, & dignitatis fuerint.

ANNO 1741.

Appellantes a gravamine, vel futura executione Literarum Apost. ad Sæcularem potestatem.

§. 13. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes tàm Ecclesiasticos, quàm Sæculares cujuscunque dignitatis, qui prætexentes frivolam quandam appellationem a gravamine, vel futura executione Litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, tàm gratiam, quàm justitiam concernentium, necnon citationem, inhibitionum, sequestrorum, monitoriorum, processuum, executorialium, & aliorum decretorum, à Nobis, & à Sede prædicta, seù Legatis, Nunciis, Præsidentibus, Palatii Nostri, & Cameræ Apostolicæ Auditoribus, Commissariis, aliisque Judicibus, & Delegatis Apostolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanaverint, aut alias ad Curias sæculares, & laicalem potestatem recurrunt, & ab ea, instante etiam Fisci Procuratore, vel Advocato, appellationes hujusmodi admitti, ac literas, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria, & alia prædicta, capi, & retineri faciunt; quive illa simpliciter, vel sine eorum beneplacito, & consensu, vel examine, exequutioni demandari, aut ne Tabelliones, & Notarii, super hujusmodi litterarum, & processuum exequutione, instrumenta, vel acta conficere, aut confecta, patri, cujus interest, tradere debeant, impediunt, vel prohibent: ac etiam partes, seù eorum Agentes, Consanguineos, Affines, Familiares, Notarios, Exequutores, & Subexequutores litterarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum, capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex Civitatibus, Locis, & Regnis ejiciunt, bonis spoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur per se, vel alium, seù alios, publicè, vel occultè, quive aliàs quibuscumque personis in genere, vel in specie, ne pro quibusvis eorum negotiis prosequendis, seù gratiis, vel literis impetrandis, ad Romanam Curiam accedant, aut recursum habeant, seù gratias ipsas, vel literas à dicta Sede impetrent, seù impetratis utantur, directè, vel indirectè prohibere, statuere, seù mandare, vel aliàs apud se, aut Notarios, seù Tabelliones, vel aliàs quomodolibet retinere præsumunt.

Impedientes editionem actorum executionis Literarum Apostolicarum, necnon vexantes quomodolibet Partes, Notarios, aliosque Officiales ex causa hujus executionis.

Temere avocantes a Delegatis Sedis Apost. aliisque Judicibus Ecclesiasticis causas Beneficiales, & spirituales.

§. 14. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscumque, qui per se, vel alios, auctoritate propria, ac de facto, quarumcumque exemptionum, vel aliarum Gratiarum, & Literarum Apostolicarum prætextu, beneficiales, & decimarum, ac alias causas spirituales, & spiritualibus annexas ab Auditoribus, & Commissariis nostris, aliisque Judicibus Ecclesiasticis, avocant, illorumque cursum, & audientiam, ac personas, Capitula, Conventus, Collegia, causas ipsas prosequi volentes, impediunt, ac se de illarum cognitione, tanquam Judices interponunt; quivè partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt, ad revocandum, & revocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias literas in eis decretas, ad faciendum, vel consentiendum, eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, à censuris, & pœnis in illis contentis absolvi, per statutum, vel aliàs compellunt, vel exequutionem Literarum Apostolicarum, seù exequutorialium, processuum, ac decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt, vel suum ad id favorem, consilium, aut assensum præstant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætensionum, seù etiam donec ipsi ad Nos informandos, ut dicunt, supplicaverint, aut supplicari

Impedientes executionem Literarum Apostolicarum, aliarumque expeditionum supradictorum Judicum.

fecerint,

ANNO 1741.

fererint, nisi supplicationes hujusmodi coram Nobis, & Sede Apostolica legitimè prosequantur; etiamsi talia committentes fuerint Præsidentes Cancellariarum, Consiliorum, Parlamentorum, Cancellarii, Vicecancellarii, Consiliarii ordinarii, vel extraordinarii, quorumcumque Principum sæcularium, etiam Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacunque præfulgeant Dignitate, aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates Commendatarii, seù Vicarii fuerint.

Judices Sæculares, qui Ecclesiasticas personas trahunt ad sua Tribunalia.

§. 15. Quive ex eorum prætenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcumque, personas Ecclesiasticas, Capitula, Conventus, Collegia Ecclesiarum quarumcumque, coram se ad suum Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Consilium, vel Parlamentum, præter Juris Canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directe, vel indirectè, quovis quæsito colore, necnon qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quævis alia decreta in genere, vel in specie, ex quavis causa, & quovis quæsito colore, ac etiam cujusvis consuetudinis, aut privilegii, vel alias quomodolibet fecerint, ordinaverint, & publicaverint, vel factis, & ordinatis usi fuerint, unde libertas Ecclesiastica tollitur, seù in aliquo læditur, vel deprimitur, aut alias quovis modo restringitur, seù Nostris, & dictæ Sedis, ac quarumcumque Ecclesiarum juribus quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expressè præjudicatur.

Publicantes Statuta Ecclesiasticæ libertati præjudicialia, iisque utentes.

§. 16. Necnon qui Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Superiores, & inferiores Prælatos, & omnes alios quoscunque Judices Ecclesiasticos ordinarios quomodolibet hac de causa directè, vel indirectè carcerando, vel molestando eorum Agentes, Procuratores, Familiares, necnon consanguineos, & affines, aut aliàs impediunt, quo minùs sua jurisdictione Ecclesiastica contra quoscunque utantur, secundum quod Canones, & Sacræ Constitutiones Ecclesiasticæ, & Decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini, statuunt; ac etiam eos, qui post ipsorum Ordinariorum, vel etiam ab eis Delegatorum quorumcumque sententias, & Decreta, aut aliàs fori Ecclesiastici judicium eludentes, ad Cancellarias, & alias Curias sæculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata, etiam pœnalia, Ordinariis, & delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant, eos quoque, qui hæc decernunt, & exequuntur, seù dant auxilium, consilium, patrocinium, & favorem eisdem.

Impedientes Ecclesiarum Prælatos, aliosque Judices Ecclesiasticos, ne sua jurisdictione utantur.

Recurrentes ad Curias Sæculares ad eludenda Judicia Fori Ecclesiastici; & qui in his decreta edunt, vel præstant auxilium.

§. 17. Quive jurisdictiones, seù fructus, redditus, & proventus ad Nos, & Sedem Apostolicam, & quascumque Ecclesiasticas personas, ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes usurpant, vel etiam quavis occasione, vel causa, sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia, sequestrant.

Usurpantes, & sequestrantes Jurisdictionem, & fructus spectantes ad Sedem Apostolicam, & personas Ecclesiasticas ratione Ecclesiarum.

§. 18. Quive collectas, decimas, talleas, præstantias, & alia onera Clericis, Prælatis, & aliis personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, & proventibus hujusmodi, absque simili Romani Pontificis speciali, & expressa licentia imponunt, & diversis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita, etiam à sponte dantibus, & concedentibus recipiunt: necnon qui per se, vel alios directè, vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cujuscumque sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiamsi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, seù Principes, Duces, Comites, Barones, & alii Potentatus quicunque, etiam Regnis, Provinciis, Civitatibus, & Terris quoquomodo Præsidentes, Consiliarii, & Senatores, aut quavis etiam Pontificali dignitate insigniti: innovantes decreta super his per Sacros Canones, tam in Lateranensi novissimè celebrato, quàm aliis Concilliis generalibus edita, cum censuris, & pœnis in eis contentis.

Imponentes collectas, & alia onera personis Ecclesiasticis, eorumque bonis.

§. 19. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscunque Magistratus, & Judices, Notarios, Scribas, Executores, Sub-Executores quomodolibet se interponentes in causis capitalibus seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seù sententias contrà illas proferendo, vel exequendo, sine speciali, specifica, & expressa hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ licentia: quique hujusmodi licentiam ad personas, & casus non expressos extendunt, vel aliàs illa perperam abutuntur, etiamsi talia committentes fuerint Consiliarii, Senatores, Præsidentes, Cancellarii, Vice-Cancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati.

Judices Sæculares, qui se interponunt in Causis criminalibus contra Personas Ecclesiasticas.

§. 20. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, seu alios directè, vel indirectè sub quocumque titulo, vel colore invadere, destruere, occupare, & detinere præsumpserint, in totum, vel in partem, Almam Urbem, Regnum Siciliæ, Insulas Sardiniæ & Corsicæ, Terras citra Pharum, Patrimonium Beati Petri in Tuscia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venaissinum, Sabinensem, Marchiæ Anconitanæ, Massæ Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, & Maritimas Provincias, illarumque terras, & loca, ac terras specialis commissionis Arnulforum, Civitatesque Nostras, Bononiam, Cæsenam, Ariminum, Beneventum, Perusium, Avenionem, Civitatem Castelli, Tudertum, Ferrariam, Comaclum, & alias Civitates, terras, & loca, vel jura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictæque Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subjecta; necnon supremam jurisdictionem in illis Nobis, & eidem Romanæ Ecclesiæ competentem de facto usurpare, perturbare, retinere, & vexare variis modis præsumunt: necnon adhærentes, fautores, & defensores eorum, seù illis auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstantes.

Occupantes almam Urbem, aliasque Civitates, & Provincias Ecclesiæ Romanæ, illiusque jurisdictionem usurpantes.

Volentes, præsentes Nostros Processus, ac omnia, & quæcunque his literis contenta, quousque alii hujusmodi Processus à Nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente fiant, aut publicentur, durare, suosque effectus omnino sortiri.

Cæterum à prædictis sententiis nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo, cautione præstita, absolvi possit, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum, quibuscumque Personis Ecclesiasticis, Sæcularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militiarum Regularibus, etiam Episcopali, vel alia majori dignitate præditis, ipsisque Ordinibus, & eorum Monasteriis, Conventibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, & Locis Piis, necnon Laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus, per Nos, & dictam Sedem, ac cujusvis Concilii decreta, verbo, literis, aut alia quacumque scriptura in genere, vel in specie concessorum, & innovatorum, aut concedendorum, & innovandorum.

Absolutionē a censuris, ut supra, latis Rom. Pōtifici reservat.

Quòd si fortè aliqui contrà tenorem præsentium talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui, absolutionis beneficium impendere de facto præsumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus, gravius contra eos spiritualiter, & temporaliter, prout expedire noverimus, processuri.

Excommunicat absolvere præsumentes contra tenorem præsentium.

Declarantes, ac protestantes, quamcumque

Pontificis absolutio eos

absolutionem,

ANNO 1741.

tantum comprehendit, qui a præmissis destiterint.

absolutionem, etiam solemniter per Nos faciendam, prædictos excommunicatos sub præsentibus comprehensos, nisi priùs à præmissis cum vero proposito ulterius similia non committendi, destiterint, ac quoad eos, qui contrà Ecclesiasticam libertatem, ut præfertur, statuta fecerint, nisi priùs statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, & decreta hujusmodi publicè revocaverint, & ex Archiviis, seù Capitularibus Locis, aut Libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri, & cassari, ac Nos de revocatione hujusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari, quin etiam per hujusmodi absolutionem, aut quoscumque alios actus contrarios, tacitos, vel expressos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam nostram, vel Successorum Nostrorum quantocunque tempore continuatam, in præmissis omnibus, & singulis, ac quibuscumque juribus Sedi Apostolicæ, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ undecunque, & quandocumque quæsitis, vel quærendis, nullatenùs præjudicari posse, aut debere.

Derogat cõtrariis.

Non obstantibus privilegiis, indulgentiis, indultis, & literis Apostolicis generalibus, vel specialibus, supradictis, vel eorum alicui, seù aliquibus aliis, cujuscunque ordinis, status, vel conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiamsi, ut præfertur, Pontificali, Imperiali, Regali, seù quavis Ecclesiastica, & mundana præfulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Provinciis, Civitatibus, seù locis à prædicta Sede, ex quavis causa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, & sub quavis alia forma, & tenore, ac cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis concessis, etiam continentibus, quod excommunicari, anathematizari, vel interdici non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de privilegiis, indulgentiis, & indultis hujusmodi, ac de Ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus, & dignitatibus eorum mentionem, necnon consuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac præscriptionibus quantumcumque longissimis, & aliis quibuslibet observantiis, scriptis, vel non scriptis, per quæ contra hos nostros Processus, ac sententias, quominùs includantur in eis, se juvare valeant, vel tueri, quæ omnia, quoad hoc, eorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, insererentur, præsentibus pro expressis habentes, penitùs tollimus, & omninò revocamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Etiam Indulto, quod quis excommunicari non possit, nisi facta ejusdem Indulti mentione.

Affixio præsentium in Urbe vim habeat personalis præsentationis.

Ut verò præsentes nostri Processus ad publicam omnium notitiam facilius deducantur, chartas, seù membranas Processus ipsos continentes, valvis Basilicæ Sancti Joannis Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe appendi faciemus, ut ii, quos Processus hujusmodi concernunt, quod ad ipsos non pervenerint, aut quòd ipsos ignoraverint, nullam possint excusationem prætendere, aut ignorantiam allegare, cùm non sit verisimile, id remanere incognitum, quod tàm patenter omnibus publicatur. Insuper, ut Processus ipsi, & præsentes literæ, ac omnia, & singula in eis contenta eò fiant notiora, quò in plerisque Civitatibus, & locis fuerint publicata, universis, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinariis, & Prælatis ubilibet constitutis, per hæc scripta committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ directè præcipiendo mandamus, ut per se, vel alium, seù alios, præsentes literas, postquàm eas receperint, seù earum habuerint notitiam, semel in anno, aut si expedire viderint, etiam pluriès in Ecclesiis suis, dum in eis major Populi multitudo ad divina convenerit, solemniter publicent, & ad Christifidelium mentes reducant, nuncient, & declarent.

Mandat præsentes annuatim publicari per quoslibet Prælatos in propriis Ecclesiis.

Cæterum Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, aliique locorum Ordinarii, & Ecclesiarum Prælati, necnon Rectores, cæterique curam animarum exercentes, ac Presbyteri sæculares, & quorumvis Ordinum Regulares ad audiendas peccatorum confessiones quavis auctoritate deputati, transumptum præsentium literarum penès se habeant, easque diligenter legere, & percipere studeant. Volentes earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis, & sigillo Judicis ordinarii Romanæ Curiæ, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eamdem prorsùs fidem in judicio, & extra illud ubique locorum adhiberi, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innovationis, innodationis, declarationis, protestationis, sublationis, revocationis, commissionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo primo, III. Kalendas Aprilis, Pontificatus Nostri Anno Primo.

P. Card. Prod. *D. Card. Passioneus.*

VISA DE CURIA.

N. Antonellus.

Loco ✠ Plumbi.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

ANNO 1741.

Singuli Prælati, & animarum curâ habentes, ac simplices Cõfessarii has literas penes se retinere debeant.

Fides habenda Transumptis.

Sanctio pœnalis.

Dat. die 30. Martii 1741.

XV.

Canonici, & Moniales Ordinis Hospitalarii S. Spiritus, in Hispaniarum, & Poloniæ Regnis commorantes, a jurisdictione Præceptoris Generalis S. Spiritus in Saxia de Urbe eximuntur, & Locorum Ordinariis subjiciuntur.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Privilegia Apostolica nonnunquam juxta temporum circumstantias moderanda.

SÆPE Romanorum Pontificum animos vehementer angit, ac sollicitat ea cura, & cogitatio, ne gratiæ, favores, & privilegia ex prudenti Apostolici regiminis dispensatione in animarum salutem, & spiritualem Christifidelium profectum, & ædificationem, eorum præsertim, qui sub suavi Religionis jugo Domino famulantur, benigne liberaliterque impertita, in eorum perniciem, ac detrimentum, vel Hominum culpa, vel infernalis Hostis astutia, vel ipsa mutabili, ac fluxa rerum humanarum natura vertantur. Itaque nonnunquam, quæ justis impellentibus causis concessa sunt, rerum subinde experientia suadente, Romana Sedes solum Deum præ oculis habens, revocat, atque immutat, & providæ solicitudinis studium prudenter interponit, prout, personarum, & rerum, temporumque qualitatibus maturè pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

Quorum plurã Ordini S. Spiritus olim indulta.

§. 1. Aliàs siquidem Romani Pontifices, & præsertim fel. rec. Innocentius III. in sua, quæ incipit: *Inter opera*: ac Nicolaus IV. in sua, quæ similiter incipit: *Inter opera pietatis*; & Sixtus IV. Prædecessores nostri in una, quæ incipit: *Et si universis*: necnon in altera, quæ

incipit:

ANNO 1741.

incipit : *Religionis zelus* : suis respectivè Constitutionibus, Regularem, & Hospitalarium Ordinem Sancti Spiritus in Saxia, ob varia, & laudabilia Christianæ caritatis opera, quæ ab Ordine ipso erga debiles, saucios, atque ægrotos exercentur, plurimis gratiis, indultis, & privilegiis diversis eorumdem Prædecessorum temporibus cumulaverunt; Inter quæ privilegia illud existit, per quod omnes eumdem Ordinem expressè professi, una cum eorum Conventibus, Domibus, & Bonis, sub Sedis Apostolicæ protectione, eique immediatè subjecti, ac ab omnimoda superioritate, jurisdictione, visitatione, correctione, & potestate Ordinariorum perpetuò exempti declarantur, & jurisdictioni, superioritati, & auctoritati Præceptoris Generalis Ordinis prædicti, in hac nostra Alma Urbe apud Archihospitale Sancti Spiritus residentis, plenariè subjiciuntur.

Et præcipue exemptio à jurisdictione Ordinariorum, cum subjectione Præceptori Generali S. Spiritus de Urbe.

§. 2. Cum autem, sicut accepimus, & diuturna experientia compertum est, non satis per ipsius Generalis Præceptoris curam, operam, & auctoritatem, debitæ integritati disciplinæ eorum, qui prædicto Hospitalario Ordini adscripti reperiuntur, & procul in remotis præsertim Regionibus degunt, consuli valeat; Nos igitur, qui ad salubriorem dicti Ordinis, illumque profitentium statum præcipuas Apostolicæ nostræ solicitudinis, & Paternæ providentiæ dirigimus partes, &, ut eorum caritas per debitum cæterarum virtutum cultum uberior efflorescat in dies coram Domino, & bonum exhibeat sanctæ conversationis odorem, de nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, omnes, & singulos Hospitalarios Ordinis Sancti Spiritus prædicti intra Hispaniarum Regna, ac intra Poloniæ Regnum nunc existentes, & pro tempore extituros, etiamsi Priores, vel Præpositi, aut Canonici nuncupati dicti Ordinis, & sive in Conventibus, aut Hospitalibus, aut Prioratibus, & Præceptoriis, sive extra Conventus, Hospitalia, Prioratus, & Præceptorias nunc commorantur, vel pro tempore commoraturi fuerint, ab omnimoda jurisdictione, & obedientia Magistri, seu Præceptoris Generalis Archihospitalis Sancti Spiritus in Saxia de Urbe, non tamen quoad solutionem annui Canonis à Conventibus prædicti Ordinis dicto Archihospitali Sancti Spiritus, tanquam Capiti Ordinis Hospitalarii hujusmodi, persolvi consuetam, quam semper firmam & illæsam esse, & perindè ac si præsentes à nobis minimè emanassent, persolvi volumus, motu proprio, ex certa scientia, matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ nostræ potestatis plenitudine tenore præsentium eximimus, & liberamus, eosque sic exemptos, & liberatos visitationi, correctioni, & omnimodæ jurisdictioni Ordinariorum Locorum, in quibus Ordinem Hospitalarium professi nunc existunt, & pro tempore extiterint, eadem Apostolica Auctoritate etiam perpetuò per easdem præsentes subjicimus, eisque subjacere volumus, ac semper subjectos esse decernimus, statuimus, & mandamus. Necnon Ordinariis prædictis, & eorum cuilibet, ut ipsi, tanquam à Sede Apostolica delegati, rebelles, & eis subjacere renuentes, per Censuras Ecclesiasticas ad se subjiciendos compellere liberè, & licitè valeant, facultatem concedimus, & impertimur.

Causæ præsentis Constitutionis.

Hospitalarii dicti Ordinis in Regnis Hispaniarum & Poloniæ existen. eximuntur à jurisdictione Præceptoris Generalis.

Salva præstatione annui Canonis Archihospitali S. Spiritus de Urbe facien.

Et subjiciuntur omnimodæ jurisdictioni Ordinariorum.

§. 3. Insuper Moniales ejusdem Ordinis Sancti Spiritus in prædictis Hispaniarum Regnis, & Poloniæ Regno existentes, tam in spiritualibus, quàm temporalibus, curæ, & regimini, & omnimodæ Ordinariorum prædictorum, in quorum Diœcesi ipsarum Monasteria sita reperiuntur, jurisdictioni pariter perpetuò eadem Apostolica Auctoritate subjicimus, & subjectas esse volumus; easque propterea à quacumque Fratrum Hospitalariorum Ordinis prædicti subjectione, & regimine penitus, & omnino dicta auctoritate similiter perpetuò tenore earumdem præsentium eximimus, & liberamus: eisdemque Fratribus, ne ipsi in iis, quæ Monasteriorum prædictorum gubernium, & regimen quomodolibet pertinent, in posterum, sub excommunicationis, ac privationis utriusque vocis, aliisque arbitrio nostro imponendis pœnis, se ullatenus ingerere audeant, Apostolica Auctoritate prædicta, earumdem præsentium tenore etiam perpetuò inhibemus, penitusque prohibemus.

Delegata Ordinariis facultate eosdem compellendi.

Moniales item Ordinariorum regimini subjiciuntur.

§. 4. Omnes autem, & singulos Ordinem Hospitalarium prædictum professos, in Hispaniarum Regnis, & in Poloniæ Regno nunc, & pro tempore existentes, & in eisdem Regnis pro tempore commorantes, in virtute sanctæ obedientiæ monemus, ut eosdem Ordinarios, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatos, pro debita Nobis, & Apostolicæ Sedi reverentia, congruo honore, & convenienti observantia, promptaque obedientia venerentur; ipsos quoque Ordinarios hortamur in Domino, ac per Viscera Misericordiæ Dei nostri requirimus, ut Ordinem Hospitalarium hujusmodi profitentes paterno amore prosequentes, benevolè tractent, ac benignè foveant, seque illis pia munificentia liberales exhibeant, ac in omnibus prædictis tanquam in Agro Dominico cooperatores, & laborum participes, congrua benignitate recipiant, eorumque jura omni studio, & cura custodiant, atque tueantur, ut ipsi Ordinem Hospitalarium hujusmodi profitentes, quorum opera, veluti lucernæ ardentes in conspicuo loco positæ, omnibus Christifidelibus erga miseros, & afflictos vulneribus, morbis, variisque ægritudinibus corporis, & nonnunquam simul etiam animi, languentes, caritatis lumen præbere debent, ad Dei laudem, & Fidei Catholicæ exaltationem, & animarum salutem, in tam sublimi, excellentique virtute de die in diem proficientes, exinde à largissimo bonorum omnium retributore Domino perennis vitæ præmium consequi mereantur.

Et præcepto obediendi Ordinariis tamquam Sedis Apostolicæ delegatis.

Quibus prædicti Ordinis Professores eorumque jura enixe commendantur.

§. 5. Ac demum Constitutioni piæ memoriæ Benedicti Papæ XIII. similiter Prædecessoris nostri editæ sub datum Idibus Februarii Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo-sexto, Pontificatus sui Anno secundo, & quæ incipit : *Sacra* : inhærentes, transitum prohibemus à quocumque Regulari, & Claustrali Ordine ad prædictum Hospitalarium Sancti Spiritus in Saxia nuncupatum Ordinem, nisi servata in omnibus, & per omnia, & quoad omnia, forma, & tenore dictæ Constitutionis prædicti Benedicti Prædecessoris, quam potiori pro cautela etiam quoad prædictum Ordinem Hospitalarium Sancti Spiritus in Saxia nuncupatum extendimus per præsentes, & ampliamus, eamque omnino servandam esse, auctoritate, motuque nostris prædictis, earumdem tenore præsentium declaramus, & statuimus.

Constitutio Bened. XIII. super transitu ab aliis Ordinibus Regularibus ad Ordines Hospitalarios, innovatur, & ad Ordinem Sancti Spiritus expresse extenditur.

§. 6. Præsentes quoque nostras literas, nullo unquam tempore, etiam ex eo, quod Præceptorias, Prioratus, & alia Beneficia dicti Ordinis Hospitalarii in Hispaniarum, & Poloniæ Regnis prædictis obtinentes, & in dictis Regnis existentes, vel quicunque alii in præmissis interesse quomodolibet habentes, eisdem præmissis expresse non consenserint, nec ad id vocati, aut requisiti, ac omnes causæ, propter quas eadem præmissa emanaverint, examinatæ, verificatæ, & approbatæ fuerint, seu etiam enormis, vel enormissimæ, & totalis læsionis, aut alio quovis prætextu, & ex quocumque capite, aut quavis causa, vel occasione quantumcumque notabili, & juridica, etiam necessariò

Clausulæ salutares.

ANNO 1741.

Et eximuntur à regimimine Fratrũ Hospitalariorum.

Cum inhibitione, ne isti amplius in earum gubernio se immisceant.

ANNO 1741.

exprimenda, intentionis noſtræ, vel alio quocumque defectu, notari, impugnari, in toto, vel parte reſcindi, retractari, annullari, invalidari, in jus, vel controverſiam vocari, ad terminos juris reduci, ſeu adverſus illas quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari poſſe, minuſque ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, & aliis contrariis diſpoſitionibus à Nobis, ſeu quibuſvis aliis Romanis Pontificibus Succeſſoribus noſtris, ac dicta Sede, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac Conſiſtorialiter pro tempore emanatis, nullatenus comprehendi, nec comprehenſas cenſeri, ſed ſemper ab illis exceptas, & contra quaſcumque alias exceptiones quantumvis graves, omnino, & ſemper validas, & efficaces fore, & eſſe, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & perpetuò ſuffragari in omnibus, & per omnia, ac ſi vocatis omnibus, & ſingulis, quorum intereſt, de illorum conſenſu emanaſſent; neque Locorum Ordinarios prædictos, nunc, & pro tempore exiſtentes, vel alios quoſcumque, ad præmiſſa in toto, vel in parte verificanda, ſeu probanda ullo unquam tempore teneri, nec ad id quavis neceſſitate cogi, aut compelli poſſe; ſed ſolam earumdem præſentium narrationem abſque alia verificatione, vel probatione ſufficere, eiſque in judicio, & extra illud ſtari, nec aliquam probationem, ſeu exceptionem cujuſvis naturæ, & ſpeciei illa ſit, vel fuerit, in contrarium adduci, vel admitti. Sicque, & non aliàs, per quoſcumque Judices Ordinarios, & extraordinarios quacumque facultate fungentes, etiam Cauſarum Palatii noſtri Apoſtolici Auditores, necnon S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, dictæque Sedis Nuncios, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, definiendi, & interpretandi auctoritate, in quavis cauſa, & inſtantia judicari, & definiri debere, ac quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Non obſtantibus Noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ regula *de jure quæſito non tollendo*, necnon prædictis Innocentii, Nicolai, & Sixti Prædeceſſorum noſtrorum quoad præmiſſa dumtaxat, aliiſque Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis ſpecialibus, vel generalibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis Hoſpitalarii Sancti Spiritus in Saxia, illiuſque Præceptoriarum, Prioratuum, & Conventuum, ac Monialium Monaſteriorum in Hiſpaniarum, & Poloniæ Regnis prædictis exiſtentium, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia reſpectivè roboratis ſtatutis, conſuetudinibus, ſtabilimentis, uſibus, naturis, erectionibus, inſtitutionibus, & exemptionibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, illis, eorumque Præceptoribus, Prioribus, & Fratribus, ac Abbatiſſis Monaſteriorum prædictorum, illorumque Monialibus, & reſpectivè perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis per prædictos, & quoſcumque alios Romanos Pontifices ſimiliter Prædeceſſores, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, ac ex certis tunc expreſſis, etiam Conſiſtorialiter propoſitis, & diligenter examinatis cauſis, conceſſis, approbatis, & innovatis; quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione aliàs de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerta eſſent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe, ac latiſſimè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Sublata aliter judicandi facultate.

Derogationes generales, & particulares.

ANNO 1741.

§. 7. Cæterum, quia difficile foret præſentes noſtras Literas ad ſingula loca, ubi opus eſſet, deferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impreſſis, manu tamen Notarii publici ſubſcriptis, vel alicujus Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ Sigillo munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtri Decreti, Conſtitutionis, derogationis, ſubjectionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

De Præſentium exemplis, ſive tranſumptis.

Sanctio.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo primo, Nonis Aprilis, Pontificatus Noſtri Anno Primo.

Dat. die 5. April. 1741.

D. Card. Paſſioneus.

X. Sub-Datarius:

VISA DE CURIA.

N. Antonellus.

A. S. Sifti.

Loco ✠ Plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Admonitio ad Epiſcopos in Poloniæ Regno conſtitutos, ut cautius procedant in admittendis conjugiorum diſſolutionibus. XVI.

Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis Regni Poloniæ.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

MATRIMONII perpetuum indiſſolubilemque nexum, cujus firmitatem ab Adamo tanto ante pronuntiatam Chriſtus Dominus, & his verbis, *quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, confirmare, & Evangelica gratia, unde magnum in Eccleſia Sacramentum eſt, augere dignatus fuit, tanta facilitate, perinde acſi neque lege naturæ, neque Divino Jure, neque Evangelicis præceptis, & Canonicis Sanctionibus initum eſſet Connubium, in aliquot Catholici Orbis partibus, atque in iſto præſertim florentiſſimo Poloniæ Regno in dies diſſolvi audientes; neque lacrymis, neque verbis explicare poſſumus allatam inde Nobis incredibilem ſollicitudinem, conceptamque in Pontificio animo Noſtro ingentem moleſtiam. Etſi autem plurimum dolentes, facilè adducimur, ut credamus hujuſmodi diſſolvendorum Conjugiorum licentiam, propter quam, non ſine gravi bonorum offenſione, ſive vir unus, ſive mulier una, pluribus viciſſim adhuc viventibus ſibi antea copulatis Conjugibus, tertium, aut quartum matrimonium contrahere cernitur, a nimia Curiarum veſtrarum libertate, quemadmodum alibi evenire accepimus, ortum ducere; tamen facere non poſſumus, quin juſtiſſimas ad vos, Venerabiles Fratres, querelas noſtras deferamus; atque inſimul tantæ licentiæ refrænandæ, & intra præſcriptos a Catholica Eccleſia fines coercendæ, ſalutares Leges modumque meditemur.

Matrimonium jure naturali, Divino, & Canonico indiſſolubile.

Ejuſdem diſſolvendi facilitas improbatur.

ANNO 1741. Episcoporum zelus adversus hoc malum, Divini judicii interminatione, excitatur.

§. 1. Ad Sacerdotalem igitur virtutem vestram, vestrumque pro Ecclesiastica disciplina zelum, magna cum Pontificii animi fiducia, pastorales curas conferimus, ut inde opportunum huic malo ab inclyta Polona Natione avertendo propulsandoque, & abstergendæ nomini vestro inustæ notæ, subsidium interea repetamus. Eapropter Fraternitates Vestras in Domino rogamus, & hortamur, ut memores rationum Cœlesti Catholicæ Ecclesiæ Sponso Jesu Christo Judici reddendarum, Apostolicis vocibus Nostris obtemperantes, ministerium vestrum ea, qua decet, vigilantia adimplere satagatis. Ac, dum pares muneri, pietati, & religioni vestræ de hisce rebus successus præstolamur, Fraternitatibus Vestris Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Præsentium transumptis fidem haberi præcipitur.

§. 2. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 11. April. 1741.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die undecima mensis Aprilis anno millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Pontificatus nostri Anno Primo.

D. Card. Passionei.

XVII. Beatificatio Beati Alexandri Saulii, ex Clericis Regularibus S. Pauli Barnabitis nuncupatis, primum Aleriæ, deindè Papiæ Episcopi.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Glorificatio B. Viri ad laudem Dei, & Fidelium utilitatem cessura dicitur, cum mētione perturbationum Regni Corsicæ.

BENIGNITATEM Dei nostri, & divitias bonitatis ejus in Servi Dei Alexandri Saulii, primum Aleriæ, deindè Papiæ Antistitis virtutibus, ac meritis, extollere, & prædicare, non religionis modò debitum esse ducimus officium, sed nihil etiam intelligimus in hac temporum conditione esse opportunius, quàm, ut universis Christifidelibus, & animarum maximè Pastoribus, uberiora suppetant ad imitationem exempla, atque in ejusdem patrocinio, factisque admirandis, præsidia ad pacem, tranquillitatem, & salutem, tàm inter Christianos omnes, quàm inter eos potissimum populos procurandam, quos ab illo per viginti, & amplius annos, non tamquàm solius Aleriæ Episcopo, sed totius Corsicæ Apostolo, olim salutaribus monitis, ac legibus instructos, & moribus correctis, extinctis odiis, conciliatis animis, reformatisque Clericis, viam mandatorum Dei currere edoctos, ipsa rerum humanarum divinarumque perturbatio jamdudum inibi exorta, à tradita sanctissima disciplina alienos tenet. Eapropter inter præcipuas partes Apostolici muneris, quod altissimo Divinæ Sapientiæ consilio infirmitati Nostræ impositum est, illam ministerio Nostro ritè sancteque obeundo magis congruentem reputamus, ut, ad cœlestem Nobis promerendam opem, studeamus, quantum Nobis ex alto conceditur, ad Omnipotentis Dei glóriam, Catholicæ Ecclesiæ decus, bonumque Christiani populi exemplum, promovere cultum, & venerationem ejusdem Servi Dei, qui, pueritiæ curriculo summa cum pietatis, & doctrinarum laude confecto, severioris disciplinæ institutum in Congregatione Clericorum Regularium S. Pauli, Barnabitarum nuncupata, amplexus, omnium religiosarum virtutum splendore longè lateque præfulsit, & ad Pastorales Ovium sibi commendatarum curas evocatus, ità se gessit, ut optimi Pastoris officio perfunctum, à Pastorum Principe Jesu Christo æterna mercede donatum fuisse non dubitemus.

Beati vita strictim attingitur.

§. 1. Cùm itaque, maturè, diligenterque discussis, atque perpensis per Congregationem Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum Processibus de Apostolicæ Sedis licentia confectis super vitæ sanctitate, & virtutibus tàm theologicis, quàm moralibus in gradu heroico, quibus idem Servus Dei Alexander Saulius multipliciter claruisse, necnon miraculis, quæ ad ejus intercessionem, & ad manifestandam hominibus ipsius Sanctitatem, à Deo patrata fuisse asserebantur, eadem Congregatio coràm Nobis constituta, auditis etiam Consultorum suffragiis, uno spiritu, unaque voce censuerit, posse, quandocumque Nobis videretur, prædictum Servum Dei Beatum declarari, cùm consuetis Indultis.

Item ordo in causa servatus.

ANNO 1741.

Et supplicationes a Præsulibus, & Principibus porrectæ.

§. 2. Hinc est, quod Nos, piis atque enixis quamplurium Venerabilium Fratrum Archiepiscoporum, & Episcoporum, necnon dilectorum filiorum Magistratuum, Procerum, & Populorum Italiæ præsertim, ac totius insuper antedictæ Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli, supplicationibus (quas olim etiam humilitet datas fel. rec. Prædecessoribus Nostris Innocentio PP. X., cl. mem. Ferdinandus Romanorum Rex in Imperatorem electus, Clementi PP. X., bo. me. Emmanuel Sabaudiæ Dux, & Innocentio PP. XI., Cosmus itidem bo. me. Etruriæ sibi subjectæ Magnus Dux, piarum suarum precum accessione roboraverant, & fel. pariter rec. Clementi PP. XII. itidem Prædecessori Nostro, Charissima in Christo filia Nostra Maria Amalia utriusque Siciliæ & Hierusalem Regina Illustris, ac Nobis ipsis nuper Dilecti filii Nobiles Viri Dux, & Respublica Januensis renovarunt) Nobis super hoc humiliter porrectis benignè inclinati, de supradictæ Congregationis consilio, & assensu, auctoritate Apostolica, tenore præsentium indulgemus, ut idem Dei Servus Alexander Saulius in posterum Beati nomine nuncupetur, ejusque Corpus, & Reliquiæ venerationi Fidelium (non tamen in processionibus circumferendæ) exponantur, Imagines quoque Radiis, seù Splendoribus exornentur, ac de eo quotannis die xxiij. mensis Aprilis recitetur Officium, & Missa de communi Confessoris Pontificis, cum Oratione a Nobis approbata, juxtà Rubricas Breviarii, & Missalis Romani. Porrò recitationem Officii, & Missæ celebrationem hujusmodi fieri concedimus dumtaxat in universa Congregatione eorumdem Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum, in Civitate Mediolanensi, ubi natus, & Regularem emisit professionem, in Diœcesibus, tàm Alerien si, quàm Ticinensi, quibus Episcopus præfuit, & in Civitate Januensi, undè originem duxit, & ubi adhuc ejus Nobilis Gens, & Familia perstat, ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus, tàm Secularibus, quàm Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, & quantum ad Missas attinet, etiam ab omnibus Sacerdotibus ad Ecclesias, in quibus festum peragetur, confluentibus.

Beati nomē, Corporis Veneratio, Imaginum ornatus, Officii, & Missarum recitatio cōceduntur.

Necnon celebratio solemniū Beatificationis in Urbe, & alibi.

§. 3. Præterea primo dumtaxat anno, à datis hisce literis, & quoad Indias, à die, quo eædem literæ illuc pervenerint, inchoando, in Ecclesiis Congregationis, Civitatum, & Diœcesum antedictarum solemnia Beatificationis ipsius Servi Dei, cum Officio, & Missa sub ritu duplici majori, die ab Ordinariis respectivè constituta, postquàm in Basilica nostra S. Petri in Vaticano de Urbe celebrata fuerint eadem solemnia ipsa die xxiij. currentis Mensis Aprilis, pariter celebrandi facimus potestatem.

Cum derogationibus opportunis.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac decretis de non cultu editis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seù exemplis etiam impressis, manu Secretarii dictæ Congregationis Cardinalium subscriptis, & sigillo Præfecti ejusdem Congrega-

Fides transumptis haberi jubetur.

ANNO 1741.

Dat. die 23. April. 1741.

tionis munitis, eadem prorsùs fides ab omnibus, & ubique tàm in Judicio, quàm extrà illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIII. Aprilis MDCCXLI. Pontificatus Nostri Anno I.

D. Cardinalis Passioneus.

XVIII.

Approbantur Decreta a Congregatione Cœremoniali particulari edita pro Archiepiscopis, sive Episcopis, & Præsidibus, Gubernatoribus, ac Vice-Legatis per Ditionem Ecclesiasticam constitutis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Honores ab Antistibus, & Præsulibus invicem deferendi, a Romanis Pontificibus præscripti.

QUOD Apostolus uniuersis Christifidelibus consulebat, ut inter cætera Officia sibi pariter exhibenda, honore etiam sese invicem prævenirent, & honorem tamquam debitum, cui deferendus esset honor, redderent; id maxime ab Antistitibus, & Præsulibus vicissim inter sese, in mutua tam civilium, quam sacrorum Officiorum exhibitione, præstandum esse intelligentes Romani Pontifices Prædecessores Nostri, per Cæremoniale Episcoporum, juxta uniuscujusque Ordinis, gradus, & dignitatis conditionem, Leges, & Statuta, quibus integerrimè servatis, & unicuique ratio haberetur, & nemini inferretur præjudicium, sapientissimè præscripserunt.

Abusus ea in re oborti.

§. 1. Quoniam autem quosdam abusus in honoribus sibi invicem deferendis inter Venerabiles Fratres Archiepiscopos, & Episcopos ex una, & inter Dilectos Filios Provinciarum Status nostri Ecclesiastici Præsides, Gubernatores, Prælatos, & Apostolicos Vice-Legatos ex altera parte, quocumque pacto, ac tempore etiam immemorabili irrepsisse jamdudum, etiam dum in minoribus essemus, noveramus, ut eosdem penitus adimeremus, ne ullus umquam in posterum querelis, ac dissidiis inter utrosque forsan oborientibus pateat aditus, nonnullis ex Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, qui Congregationibus Sacrorum Rituum, & Cæremoniarum præpositi sunt, negotium dedimus, ut Leges, & Instituta Cæremonialia pro corrigendis, & auferendis iisdem abusibus opportuna, & salutaria conderent.

Quos Pontifex tollere intendit.

Decreta a Cõgregatione particulari super eo edita, approbantur, & cõfirmantur.

§. 2. Hujusmodi verò Leges, & Instituta Cæremonialia ab iisdem Cardinalibus præscripta, & a Nobis inspecta cùm probassemus, quò firmiùs subsistant, & serventur exactiùs, tenore præsentium, Apostolica auctoritate approbamus, & confirmamus, atque ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & in futurum spectabit, perpetuò observanda esse statuimus, præcipimus, & mandamus.

Clausulæ salutares.

§. 3. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari: Non obstantibus quibuscumque in contrarium præmissorum quomodolibet facientibus.

Decretum irritans.

Derogatio contrariis.

Exemplorum fides.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seù exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tàm in judicio, quàm extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die XV. Maji MDCCXLI. Pontificatus Nostri Anno Primo.

D. Cardinalis Passioneus.

ANNO 1741.

Dat. die 15. Maii 1741.

Leges, & Instituta Cœremonialia edita pro Provinciarum Præsidibus, Gubernatoribus, Prælatis, & Apostolicis Vice-Legatis.

DECRETUM.

CUM Sanctissimus Dominus Noster BENEDICTUS Papa XIV. ex Cardinalibus, qui Congregationibus Sacrorum Rituum, & Cæremoniali præpositi sunt, quatuor selegisset, Eminentissimos nempè Rufum Sacri Collegii Decanum, Lercarium, Accorambonum, & de Gentilibus, ut ab eisdem uniforme statueretur Cæremoniale a Provinciarum Præsidibus, Gubernatoribus Prælatis, & Vice-Legatis, in suis respectivè Provinciis, vel Civitatibus, Sanctitate Sua priùs approbante, posthàc perpetuò, & inconcussè observandum; Ipsi Eminentissimi Patres pluribus idcircò præhabitis sessionibus, hæc, quæ sequuntur, mihi peculiaris hujus Congregationis Secretario, Sanctitati Suæ referenda demandarunt.

Factaque per me de infrascriptis omnibus Sanctitati Suæ relatione, Sanctissimus non tantùm ea approbavit, verum etiam pro omnimoda illorum observantia publicari mandavit. Hac die 18. Aprilis 1741.

T. Card. Rufus Episcopus Ostien. & Veliternen.

Loco ✠ Sigilli.

Ignatius Reali Secretarius.

CAPUT PRIMUM.

Quomodo se gerere debeat Præses, aut Gubernator, seù Vice-Legatus in primo accessu ad suam Provinciam, vel Civitatem: & quid, dum in ea permanebit, erga illarum Antistites.

STATIM ac Præses, vel Gubernator Prælatus venerit in Provinciam, vel Civitatem temporali suæ jurisdictioni demandatam, dignioremde sua familia mittet ad Archiepiscopum, sive Episcopum inibi residentem; adventum suum patefaciendo, simulque significando se curaturum quamprimum, ut eum sollenniori, quâ poterit formâ, publicè visitatum adeat.

Officio perhumaniter accepto, non immorabitur Antistes hanc Præsidis, seu Gubernatoris publicam visitationem prævenire, invisens illum privatim amicèque sub noctem, brevioribus indutus vestibus nigri coloris; ac inter eundum, ut quælibet Nuncii forma devitetur, scìscitari dumtaxat curabit, an Domi existat: quo comperto, ascendet ad illum, qui eodem prorsùs habitu erit indutus. In discessu respuet omninò Familiarium, atque luminum comitatum, ut privatæ visitationis assumptam methodum non excedat.

Præses autem, vel Gubernator pari sub forma Archiepiscopum, seu Episcopum continuò revisitabit, quamvis paucos post dies de hoc eodem visitationis actu sit ei publicè & sollenniter satisfacturus.

Imminente itaque publicæ visitationis die, Præses, aut Gubernator illam Archiepiscopo, sive Episcopo, mane pro Vespere, & Vesperi pro subsequenti mane renuntiabit; & dum ad Episcopale Palatium se transferet, in limine Portæ Familiares, in summitate verò Scalarum Antistitem ipsum, qui aliquos etiam gradus descendet, obviam habebit. Sicque comiter exceptus ad dexteram ipsius Antistitis in audientiæ aulam introducetur. Hinc, postquam ambo in æqualibus sedibus

ANNO 1741.

è regione locatis assidentes, mutuis sese officiorum colloquiis ad libitum recreaverint, discedentem Præsidem, aut Gubernatorem, Archiepiscopus, vel Episcopus usque ad finem Scalarum comitabitur; Familiares verò ipsius ad currum usque, non recessuri donec Præses, seu Gubernator prorsùs abierit.

Præmisso item Nuncio, ut dictum est supra, diutiùs haud differet Archiepiscopus, sive Episcopus publicam restituere visitationem Præsidi, seu Gubernatori, qui occurrendo tam per se, quàm per Familiares, sedendo, & comitando adamussim ea omnia servabit, quæ idem Archiepiscopus, aut Episcopus in ejus visitatione secum peregerat.

Quod si, residente jam Præside in Provincia, vel Gubernatore in Civitate, ad eam primò accesserit novus illius Ecclesiæ Antistes; tunc istius erit ante de adventu suo certiorem reddere Præsidem ipsum, vel Gubernatorem, qui hujusmodi recepto officio, visitabit quantocyus eum, non jam privatè, sed enunciata sub forma publica: & ita ab Archiepiscopo, sive Episcopo subindè revisetur.

Advenientibus Natalitii Domini Feriis, Præses, aut Gubernator perget primus ad Archiepiscopum, sive Episcopum, ut illas ei faustas felicesque adprecetur: nec prætereundum quidquam tunc erit ex iis, quæ de prima publica visitatione dicta sunt. Idemque præstabit Archiepispopus, seu Episcopus, quando Præsidem, aut Gubernatorem hoc omine vicissim erit prosequuturus.

Quamquam superiùs statutum sit, quod Archiepiscopus aut Episcopus Domi ponere debeat a dextris Præsidem, seu Gubernatorem, secùs tamen extra Domum servabit; quia semper, & in quocumque tertio loco, cùm ipse, tum cæteri Provinciæ Antistites, dexteram supra Præsidem, vel Gubernatorem retinebunt.

Quæ hactenus pro Præsidibus, & Gubernatoribus præscripta fuere, a Vice-Legatis etiam tam erga Archiepiscopum, quàm Episcopos non Cardinales, in locis eorum ditioni subjectis erunt omninò adimplenda.

CAPUT SECUNDUM.

Quo habitu induti Archiepiscopi, seu Episcopi, & Præsides, sive Gubernatores mutuò publicas Visitationes exequentur.

QUotiescumque Archiepiscopus, vel Episcopus ad Præsidem, seu Gubernatorem diverterit, ut eum visitet in forma publica, sive ut in executione pro prima tantum vice Literarum Apostolicarum, Oratorium privatum in Palatio præfatorum Præsulum de novo erigendum approbet; supra talarem vestem capiet Mozzettam cum Roccherto discooperto. Et Domi eodem utetur habitu, dùm accedentem ad se pro enunciatis publicis visitationibus Præsidem, seu Gubernatorem, aut Vice-Legatum suscipiet.

Archiepiscopus autem utens Cruce, nullatenùs illam ante se deferri permittet in consimilibus actibus.

Talari etiam Veste, Rocchetto, & Mantelletto amictus erit Præses, sive Gubernator, vel Vice-Legatus publicè invisens Archiepiscopum, seu Episcopum; & quando eum pro publica visitatione, aliave de causa in publica forma advenientem, excipere debet.

CAPUT TERTIUM.

De accessu Præsidis, aut Gubernatoris unà cum Archiepiscopo, seu Episcopo Cappa induto, ad Metropolitanam, vel Cathedralem Ecclesiam, pro publicis sollennibus Functionibus explendis.

ANnuis sollennioribus festis diebus recurrentibus, qui *in capite primo Libri secundi* Cæremonialis Episcoporum enumerantur, videlicet: Nativitatis Domini Nostri JESU CHRISTI, Epiphaniæ, Ascensionis, Pentecostes, Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, Assumptionis Beatæ MARIÆ Virginis, Omnium Sanctorum, Dedicationis Ecclesiæ Metropolitanæ, vel Cathedralis, Sancti Titularis illarum Ecclesiarum, & Patroni Civitatis, vel Festivitatibus aliis extraordinariis juxta peculiares locorum mores, & circumstantias, pari cum sollennitate celebrandis; Præsidis, vel Gubernatoris erit sub horam ab Archiepiscopo, seu Episcopo designatam, & per certum Nuncium ei patefactam, unà cum Magistratu se conferre intra Januam Episcopii. Eo quidem tempore, & nullâ prorsùs interpositâ morâ Antistitem gradus Scalæ descendentem adinveniet, quem post debita urbanitatis verba vicissim expleta, ipso Magistratu præeunte, usque ad Portam sive Metropolitanæ, sive Cathedralis Ecclesiæ comitabitur Præses, seu Gubernator, semper ad ejus sinistrum latus incedendo.

Cùm ambo in limine præfati ostii steterint, accipiet Archiepiscopus, sive Episcopus aspersorium, & postquam se lustrali aqua munierit, de illa primùm porriget per contactum aspersorii ipsi Præsidi, vel Gubernatori: sicut ante ingressum cujuscumque alterius Ecclesiæ, aut privati Oratorii pariter cum eo semper faciet: ac deinde Capitulum, Magistratum, & circumstantem Populum asperget.

ANNO 1741.

CAPUT QUARTUM.

De adoratione Augustissimi Sacramenti, atquè indè progressu ad Altare majus: ubi de loco, & sella Præsidis, seu Gubernatoris, aut Vice-Legati: ac de recessu a Metropolitana, vel Cathedrali, Sacris actionibus absolutis.

ARchiepiscopus, sive Episcopus, aspersione completa, eo, quo venerat ordine, Eucharisticum Sacramentum in ejus Altari adoratum simul cum Præside, vel Gubernatore progredietur. Intra Cappellam, ubi illud asservari solet, genuflectent ambo: Antistes super ligneo Scabello (quod genuflexorium vocitatur) ante Altare accommodato, panno viridi, seu violaceo pro qualitate temporum cooperto; appositis pulvinaribus superiùs, & inferiùs. Præses autem, vel Gubernator in alio genuflexorio ex latere Evangelii præparato, violacei semper coloris panno, ac pulvinaribus instructo: non in æquali linea, sed per transversum locato; ac tali forma, ut illud Archiepiscopi, sive Episcopi respiciat; Ad Præsidis autem, vel Gubernatoris dexteram erit Magistratus directo ordine super pulvinaribus tantum genuflexus.

Post debitam Sacramenti venerationem, præstituto jam ordine procedetur ad Altare majus: Parum distans ab eo Archiepiscopus, sive Episcopus, mutuis consalutationibus sese dividet a Præside, vel Gubernatore, qui, dùm ille iterum oraturus ad suum faldistorium, ut in eo procumbat, accesserit, petet & ipse Residentiam suam hacce sub forma comparatam.

Prope, & inter Solium Pontificale, ac immobile consuetum scamnum pro Magistratu, constituetur suppedaneum, unicus nempe ligneus gradus, in cujus planitie decens Sedes Cameralis collocabitur. A tergo autem ipsius Sellæ attolletur Postergale non prælatum palmorum septem aut octo, nec latum magis quam sex, quod panno coloris violacei, nulla auri, argentive textura, sive ornatu distincto contegetur. Ante præfatam sedem congruum insuper apponetur genuflexorium, tapete, & pulvinaribus enunciati violacei coloris non absimiliter stratum, super quo Præses, aut Gubernator queat submittere genua. Haud tamen stabilis unquam, fixaque detinebitur inibi hujusmodi Residentia, sed sicut opportunè

ANNO 1741.

apponenda, quoties Præses, vel Gubernator sacris erit interfuturus actionibus, ita singulis vicibus illicicò removenda, Functionibus ipsis expeditis.

Quando pro Concionibus commodiùs audiendis, Archiepiscopo, vel Episcopo discedendum erit a sua Pontificali Cathedra fixa, ut propiorem locum è conspectu suggesti comparatum adeat; tunc, si pro ipso Archiepiscopo, seu Episcopo solium cum umbella fuerit ibidem erectum; paritèr, & pro eodem Præside, seu Gubernatore supradescriptum Postergale cum gradu, & sella præstabitur. Si autem Baldachinum nequaquam fuerit Antistiti exhibitum, tali casu parabitur absque postergali dumtaxat sella, alteri Antistitis prorsùs uniformis, ac similis.

Quoniam verò juxta diversas locorum consuetudines contingere potest, ut seorsùm ab Archiepiscopo, aut Episcopo, vel ipso etiam astante, Præses, seu Gubernator, Divinis cum Magistratu interfuturus, ad aliquam Ecclesiam a Cathedrali, seu Metropolitana alienam divertere debeat: in hâc etiam erit tunc præfata Residentia pro Præside, vel Gubernatore comparanda, modò sit in illa pariter erectus, & comparatus Thronus Pontificalis pro Archiepiscopo, sive Episcopo; adeout, non erecto Pontificali Solio, neque Residentia unquam sit attollenda.

Eâ tamen uti poterit Præses, vel Gubernator, quoties alicujus Thesis disceptationi, aut literariis lusibus, consimilibusque publicis actibus, tamquam præcipuus & principalis Patronus, præerit, licèt eo tempore nec appositus, nec apponendus unquam sit Thronus pro Archiepiscopo, seù Episcopo.

Post exactas sacras Functiones, quibus unà cum Archiepiscopo, sive Episcopo cappâ induto astiterit Præses, vel Gubernator, repetendo augustissimi Sacramenti Altare pro fundendis in gratiarum actionem novis precibus ante illud, quidquid de primo accessu statutum fuit, ad unguem servabitur. Nullatenus tamen in discessu sinet Archiepiscopus, seù Episcopus, se a Præside, vel Gubernatore rursùs perduci usque ad januam proprii Palatii, sed ab illo commeatum accipiet in limine ipsius Ecclesiæ.

CAPUT QUINTUM.

De Thure, ac Pace, Præsidi, seu Gubernatori, aut Vice-Legato deferendis: ac insuper de loco eorum, pro accipiendis Candela, Cineribus, & Palma; nec non de adoratione Crucis Feria sexta in Parasceve.

CIrca Thus, & Pacem omnimodè servabitur dispositio Cœremonialis Episcoporum, & Præses, vel Gubernator, sive Vice-Legatus nunquam erit thurificandus a Presbytro, Archiepiscopo, sive Episcopo Assistente, qui Antistitem ipsum in Vesperis officium facientem, aut iis, vel sollennibus ab alio celebratis Missis, apud Solium astantem thurificavit: Sed duplici ductu ipsum Præsidem, seu Gubernatorem, aut Vice-Legatum, post tres Canonicos in eodem Solio assistentiam Archiepiscopo, vel Episcopo exhibentes, atque unà cum eo individuum corpus efformantes, solùm debebit incensare Minister ille, cui subindè cæteros Canonicos de Choro, licet sacris indutos paramentis, inerit onus thurificandi. Et iste modus, & ordo, quoad locum, & Personam, servabitur in delatione Pacis: Eam etenim Præses, vel Gubernator, aut Vice-Legatus, recipiet ab eo, qui distributurus mox erit illam enunciatis Canonicis in Choro existentibus.

Candelam in die Purificationis, & Palmam in distributione earum, Præsidi, seu Gubernatori, aut Vice-Legato dabit ipsemet Archiepiscopus, sive Episcopus; statimac, propriâ receptâ, alteram reddiderit digniori Canonico parato, a quo ipse suam priùs receperat. Præses autem, aut Gubernator, seu Vice-Legatus, cùm ascenderit ad Archiepiscopum, vel Episcopum, ut ab illo Candelam, seu Palmam accipiat, non genuflectet, sed stans ipsam capiet cum debitis osculis tùm illius, tùm manus Archiepiscopi, sive Episcopi eam sibi porrigentis.

ANNO 1741.

Stans pariter recipiet Cineres ab Archiepiscopo, vel Episcopo, postquam hic eos imposuerit Canonico in illa die Missam cantaturo.

Feriâ sextâ in Parasceve, non celebrante Episcopo, Præses, vel Gubernator, aut Vice-Legatus, ad Canonici officium facientis siniſtram incedendo, ad adorandam Crucem procedet. Episcopo verò celebrante, ibit immediatè post eum, ante omnes Dignitates, & Canonicos.

CAPUT SEXTUM.

De generali Communione Feria quinta in Cœna Domini, quoad habitum, locum, & ritum Præsidis, seu Gubernatoris, vel Vice-Legati.

QUando Præses, aut Gubernator, vel Vice-Legatus sit in Sacro Presbyteratus, seu Diaconatus ordine constitutus; quia multum decet, & convenit, ut cum aliis eo die communicet; adventante Communionis tempore, Cottam superinduet Rocchetto, cùm Stolam sumere, & a Collo, vel ab humero siniſtro pendentem etiam habere debeat. Communionem primus omnium accipiet, & manum Archiepiscopi, sive Episcopi ante illam osculabitur.

Si autem neutro fuerit charactere insignitus, cunctorum primus pariter ad communicandum procedet, Rocchetto, & Mantelletto tantummodò indutus.

CAPUT SEPTIMUM.

De mutuis reverentiis inter Ecclesiarum Antistites, & Præsidem, sive Gubernatorem, aut Vice-Legatum: deque salutatione Concionatoris erga alterutrum.

POntificalis salutatio regulariter inter sacras actiones in eo consistit, ut manu aperta singulis benedicat: nihilominùs, ut a communi cæterorum, Fidelium cœtu, velut filiorum spiritualium Antistiti subjectorum, distinguatur Præses, sive Gubernator, vel Vice-Legatus: sicut erga Canonicos servari jubet Cœremoniale Episcoporum *Libro primo Capite decimo octavo;* oportebit, ut Archiepiscopus, seu Episcopus capitis inclinatione Præsidem, vel Gubernatorem, aut Vice-Legatum salutet, quoties ad sedem suam ascendere, seu ab illa descendere incipiet; eique Præses, sive Gubernator, vel Vice-Legatus cominùs bireto depositò assurgens, mutuam rependet salutationem, caput similiter inclinando.

Verùm enim verò in hujusmodi consalutationibus exequendis, regula a laudato Episcoporum Cœremoniali eodem in capite designata omninò erit attendenda, videlicet: ut, dignitate gradus minimè attentâ, sed præ oculis actionis modo, & commodo dumtaxat posito, reverentia semper fiat *primò ei, a quo discèditur, & ultimò ei, ad quem itur; nullo habito respectu quis eorum sit major.* Sicque quælibet præeminentiarum, & præcedentiarum discrepantia, quæ forsan Canonicos inter, & enunciatos Præsules fuisset unquam exorta, prorsùs dirimetur.

Quos quidem reverentiales mutuos actus omittere necesse erit in Matutinis Tenebrarum, per integram Feriam sextam in Parasceve, ac Sabbato Sancto, usque ad solemnem Missam exclusivè: Sicut etiam in singulis Mortuorum Officiis, quæ obvenire fortasse poterunt. Consentaneum quippe hoc erit legi, & praxi usque adhùc servatæ, abstinendi in præfatis conventibus etiam a benedictionibus tum solemnibus, tum privatis, & Cleri inferioris, & Populi circumstantis, ut-

potè

ANNO 1741.

porè quæ sunt actus potestatis, & sollemnitatis, luctuosis hisce actionibus repugnantes.

Concionator verò salutationem hujusmodi nunquam prætermittet, sive eâdem Feriâ sextâ in Paraseeve sermonem de Passione, sive de laudibus alicujus Defuncti post mortualem Missam sit facturus: prout in præcitati Cœremonialis Episcoporum Libro secundo, Cap. 11., & 25. super utroque casu decernitur: Et ideò post illam primo loco debitam Episcopo, vel Archiepiscopo, speciatim versùs Præsidem, seu Gubernatorem, aut Vice-Legatum, reverentiam aliam semper faciet.

CAPUT OCTAVUM.

Præsidi, vel Gubernatori in incessu variatur locus, quando Episcopus, vel Archiepiscopus fuerit sacris Paramentis indutus.

QUod in superiori capite tertio stabilitum fixumque fuit circa locum Præsidis, seu Gubernatoris, accedentis cum Episcopo, sive Archiepiscopo ad Ecclesiam, & ab Altari augustissimi Sacramenti divertentis ad principem Aram, ut scilicet ad sinistram ipsius Antistitis incederet, est solummodo intelligendum, quando Archiepiscopus, vel Episcopus fuerit solâ Cappâ Pontificali indutus. Nam de cætero, si sacris indumentis exornatus processerit, sive ut Deo sacrificium offerat, sive publicis sollemnibusque supplicationibus cum Pluviali interfit, ibit Præses, aut Gubernator in habitu suo ordinario, hoc est Mantelletto supra Rocchettum, non ampliùs ad sinistram, sed immediatè post Archiepiscopum, seu Episcopum.

CAPUT NONUM.

De Archiepiscopi, sive Episcopi descensu in Ecclesiam per Scalam interiorem, & privatam Portam.

SI ob aëris intemperiem, aut peragendarum Functionum qualitatem, seu ob aliam quamcumque causam, aptiorem commodioremque judicaret Antistes descensum in Metropolitanam, seu Cathedralem, tam obeundi gratia omnes illas sacras actiones a Cœremoniali circumscriptas, quàm alias ab eo minimè definitas, per Scalam interiorem Palatii in ipsammet Ecclesiam porrigentem; Præsidis, aut Gubernatoris tunc erit, præstitutâ sub horâ, unà cum Magistratu ad eam accedere, & in illa Antistitem jam cappâ indutum descendentem officiosis verbis excipere, ac subindè comitari, prout supra fusiùs explicatum est. Quæ quidem obviatio a solo etiam Magistratu erit explenda, Præside, aut Gubernatore absente.

CAPUT DECIMUM.

Quò accedere debeat Magistratus, ut Archiepiscopo, seu Episcopo inserviat, absente Præside, vel Gubernatore; ac generatim de loco illius in incessu, adsit vel absit Præses, aut Gubernator.

MAgistratus sæcularis, quotiescumque legitimo impedimento detentus abfuerit Præses, vel Gubernatòr, non ad ostium Episcopii tantùm, sed superiùs ascendere debebit in Aulam, seu Cubiculum ab Archiepiscopo, vel Episcopo ad hoc destinatum: Atque ibi præstolari, ut eum, postquam fuerit opertus Cappâ, progredientem ad Ecclesiam comitetur, & deducat; procedet autem immediatè ante illum, sit quidem præsens, aut absens Gubernator, aut Præses.

Quod si fuerit Archiepiscopus utens Cruce, tunc Magistratus ibit immediate ante ipsam Crucem. Nullus enim inter eam, & Archiepiscopum incedere debet, cùm sit peculiare ipsius insigne.

CAPUT UNDECIMUM.

Quid si Archiepiscopus, vel Episcopus Cardinalitia præstet dignitate?

SI Archiepiscopus, sive Episcopus non Pontificali dumtaxat refulgeat potestate, sed præter hanc Cardinalatus supereminеat dignitate, quoties Eminentia Sua erit descensura in Ecclesiam, tempestivè Præses, aut Gubernator aderit in ejus Aula, seu Cubiculo præsignato, ut in illius obsequiis comitatuque sit, cùm progredietur: & tunc præeunte omnino Magistratu, permittet Cardinalis, ipsum Præsidem, aut Gubernatorem ad sui sinistram incedere.

In limine Ecclesiæ, postquam Cardinalis Episcopus, seu Archiepiscopus lustrali se aqua signaverit, aspersorium tangendum porriget Præsidi, vel Gubernatori, qui deinde apud augustissimi Sacramenti aram genuflectet super unico tantum pulvinari, quod ei præstabitur in terra post Eminentiam Suam in consueto genuflexorio procumbentem.

Postergali prorsùs amoto, Residentia pro ipso Præside, vel Gubernatore apud Altare majus relinqui poterit quoad cætera ornatus genera, prout in capite quarto describitur.

Si audiendi causa Conciones exegerit commoditas, ut pro Cardinali alius aptetur locus sermocinaturo propinquior: Eminentiæ Suæ præstanda quidem erit prænobilis Sedes supra ligneum gradum tapete contectum, non omisso, ut desuper dependeat Baldachinum. At Præsidi, sive Gubernatori nil aliud, quàm inferior Sella super nudo pavimento, & aliquantulum post illam Cardinalis locata, exhibebitur.

Consueta Concionatoris reverentia unicè ad ipsum Cardinalem dirigetur: Quod generatim, & universè ab aliis etiam, sermonem quacumque de causa habentibus, præsente Cardinali erit inconcussè adimplendum.

Sacris actionibus expeditis, nisi aliter Archiepiscopò, seu Episcopo Cardinali visum fuerit, & Præses, vel Gubernator, & Laicus Magistratus Eminentiam Suam iterum comitabuntur ad Cameram usque, sive Cubiculum, unde procedentem susceperant.

ANNO 1741.

Providetur Abusibus adversus Jejunii Quadragesimalis observantiam invectis. XIX.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, & Episcopis universis, gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentibus.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

NOn ambigimus, Venerabiles Fratres, quin universis Catholicæ Religionis Cultoribus notum sit, a tota per Christianum Orbem Ecclesia inter præcipua Orthodoxæ disciplinæ capita perpetuo adnumeratum retineri Quadragesimale Jejunium; quod olim in Lege, & Prophetis primitus adumbratum, ipsius Domini Nostri Jesu Christi exemplo veluti consecratum, ab Apostolis traditum, a Sacris Canonibus ubique præscriptum, & ab universali Ecclesia ab ipso sui primordio retentum, & observatum est. Hoc nimirum, ut veteres tradidere Patres, nobis quotidie peccantibus communis pœnitentiæ constituto remedio, per consortium Crucis Christi, nos etiam aliquid in eo, quod ipse propter nos præstitit, agimus; simulque ad recolenda sacratiora Redemptionis nostræ mysteria, quæ per Dominicæ Passionis, ac Resurrectionis memoriam, Quadragesimali potissimum tempore sol-

Jejunii Quadragesimalis origo, utilitas, & scopus.

ANNO 1741.

lemnius celebrantur, purificatis Jejunio corporibus, & animis, dignius paramur. Hoc, veluti noſtræ militiæ teſſera, ab inimicis Crucis Chriſti ſecernimur, flagella Divinæ ultionis avertimus, & cœleſti præſidio in dies adverſus principes tenebrarum munimur. Hoc deſpectui habito, non contemnendum divinæ gloriæ detrimentum, non leve Catholicæ Religioni dedecus, nec dubium animabus Chriſtifidelium periculum oboritur: nec aliunde populis calamitates, rebuſque publicis, & privatis cladem extitiumque importatum eſſe conſtat.

Pravæ conſuetudines inter Fideles inductæ.

§. 1. Ab hac verò inſita inhærentique in omnium Catholicorum hominum animis de ſacratiſſima Quadrageſima, aliiſque diebus jejunio conſecratis perſuaſione, & reverentia, quàm aliena, quàm diſcors, quàm abſona ſit hodierna Jejunantium conſuetudo, quantum ab ipſa Jejuniorum inſtitutione, & ſervata ſemper, ubique, & ab omnibus diſciplina quàm longiſſime diſtet; Vos, Venerabiles Fratres, qui populorum curæ veſtræ commiſſorum mores, & uſus probe noſtis, pro ſingulari ſapientia veſtra, præ cæteris clarius intelligitis. Nos ſane, quibus in hac ſublimi Apoſtolicæ procurationis ſpecula conſtitutis undique gentium nuntii afferuntur, lacrymis ſatis deplorare non poſſumus, auguſtiſſimam Quadragemalis Jejunii obſervantiam ob nimiam, nullis legitimis urgentibus cauſis, ubique indiſcriminatim diſpenſandi facilitatem plane ſublatam eſſe; ita ut Orthodoxæ quidem Religionis Cultores merito querantur; hæreſum vero Sectatores illudant, & exultent. Pernicioſæ huic corruptelæ plurimorum inſuper licentiam adjunctam eſſe graviter dolemus; quæ uſque adeo invaluit, ut nulla Apoſtolici Inſtituti, ſacratiſſimique præcepti habita ratione, Jejuniorum tempore, pálam, & impune ab iiſdem agitentur convivia, & epulæ interdictæ promiſcue inferantur.

Excitantur Epiſcopi ad eas evellendas.

§. 2. Eapropter, quemadmodum quibus curis, ſollicitudinibus, & angoribus urgeamur, cum Fraternitatibus Veſtris communicamus; ita facere non poſſumus, quin pro injuncto Nobis ſupremo ſacroſancti Apoſtolatus officio, & ardentiſſimum Fraternitatum Veſtrarum zelum ad opportunum hiſce malis adhibendum remedium excitemus, &, ad congruentes hujuſmodi abuſibus penitus extirpandis leges præſcribendas, meditemur. Interea, Venerabiles Fratres, gaudium, & corona noſtra, nobiſcum conſiderantes, nihil Deo acceptius, nihil Paſtorali miniſterio noſtro dignius, nihil gregibus curæ noſtræ commiſſis utilius, quàm ut verbo, & exemplo præeuntes, Chriſtifideles ad tam ſalutarem Chriſtianæ pœnitentiæ, & pietatis exercitationem alacriùs ſuſcipiendam, conſtantiſſime retinendam, & ea, qua inſtituta fuit, diſciplina peragendam vehementius inflammemus; omni opera atque induſtria ſtudeamus, ut fideles populi in conſpectu Dei, per auſteriorem Jejuniorum obſervantiam, tales permaneant, quales in ipſo Paſchali feſto dignum eſt inveniri.

Diſpenſatio nemini concedatur ſine legitima cauſa; nec Univerſitatibus, ſine urgente neceſſitate.

§. 3. Debitum igitur paternæ uniuſcujuſque veſtrum ſedulitatis, & caritatis officium jure poſtulat, ut omnibus notum faciatis, & annuntietis, nemini quidem ſine legitima cauſa, & de utriuſque Medici conſilio; multitudini verò, veluti populo, aut civitati, aut genti indiſcriminatim integræ, nonniſi graviſſima, & urgente neceſſitate, & in caſibus per ſacra Canonum ſtatuta præſcriptis, cum debita Apoſtolicæ hujus Sanctæ Sedis reverentia, a Quadrageſimali Jejunio diſpenſationem, toties, quoties opus fuerit, concedendam, nec audacter fidenterque uſurpandam, nec ſuperbe, & arroganter ab Eccleſia, ſicut alicubi in more poſitum eſſe accepimus, eſſe poſtulandam.

Unica cometio ſemper ſervetur.

§. 4. Graviſſimam vero urgentemque neceſſitatem etſi non eſt cur Vobis explicemus: Nolumus tamen Vos ignorare, cùm hujuſmodi neceſſitate, & ſervandam eſſe potiſſimum Unicam Comeſtionem, ſicut alias hic Romæ, ac Nos ipſi hoc anno urgentibus cauſis diſpenſantes, expreſſe præſcripſimus; & licitas atque interdictas Epulas promiſcue minime apponendas eſſe.

ANNO 1741. Epulæ vetitæ, cum licitis non apponantur.

Pontifex onerat conſcientiâ Epiſcoporum.

§. 5. Porro quemadmodum de ejuſmodi indulgentia tam caute impertienda, ſi ſecus fieret, Nos perſuaſum habemus, diſtrictam ſupremo Divino Judici redditum iri rationem, ita conſcientiam uniuſcujuſque Veſtrum onerandam eſſe ducimus. Inſimul Fraternitates Veſtras rogamus, & in Domino exhortantes, obſecramus, ut populos, qui communem omnium Chriſtifidelium pœnitentiam, ac diſciplinam ſervare nequeant, commonere ſatagatis, ne per alia pietatis opera, ut ſua cuique devotio ſuggeret, peccata ſua expiare, & Deo ſatisfacere negligant; quinimmo ſanandis vulneribus, quibus humana infirmitas ſauciatur, diligentem adhibere ſtudeant curationem, ut culpas de mundano pulvere contractas, dum caſta jejunia decoquere non poſſunt, pia opera, orationum ſuffragia, & eleemoſynæ munera redimant. Interim ſolatium, & levamen non leve mœrori noſtro a Paſtorali vigilantia, & caritate veſtra præſtolantes, ac certo Nobis pollicentes; Apoſtolicam benedictionem, cum uberi cœleſtium chariſmatum copia conjunctam, in eoſdem populos veſtros redundaturam, Vobis, Venerabiles Fratres, peramanter impertimur.

Diſpenſatos moneri jubet, ut alia pia opera jejunii loco ſubſtituant.

§. 6. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, ſive exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus ubique fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, & adhiberi poſſet, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Præſentium tranſumptis fidem tribuit.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die trigeſima menſis Maji anno milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo primo, Pontificatus Noſtri Anno Primo.

D. Cardinalis Paſſioneus.

Dat. die 30. Maji 1741.

XX.

Innovantur Pœnæ adverſus Confeſſarios, qui pœnitentes ad turpia ſollicitant; cum præcepto hujuſmodi denunciandi, & reſervatione abſolutionis quoad Calumniatores. Adimitur præterea Sacerdotibus facultas Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtrandi complicibus in peccato contra caſtitatem, cum pœnis &c.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium à fine inſtituti à Deo Pœnitentiæ Sacramenti.

SACRAMENTUM Pœnitentiæ, quam ſecundam, poſt naufragium deperditæ gratiæ, tabulam Sancti Patres aptè nuncuparunt, Nos licèt immerentes ad univerſi Dominici Gregis curam ſuperna diſpoſitione vocati, omne ſtudium, & Paſtoralem ſollicitudinem adhibere tenemur, ne quod poſt amiſſam Baptiſmi innocentiam datum eſt Divina benignitate perfugium, per Dæmonum fraudem, & hominum Dei beneficiis perversè utentium malitiam, naufragis, ac miſeris peccatoribus luctuoſum evadat exitium; & quod in ſalutem, & curationem Animarum, à Deo, qui dives eſt in miſericordia, inſtitutum eſt, execrabili ſceleſtorum quorumdam Sacerdotum improbitate, in earum perniciem, atque interitum vertatur.

Conſtitutio Gregor. XV. contra Confeſſarios ſollicitantes ad turpia.

§. 1. Dudum quidem à fel. record. Gregorio Papa XV. Prædeceſſore Noſtro per ſuas literas in forma Brevium ſub datum Romæ apud S. Mariam Majorem die xxx. Auguſti MDCXXII. Pontificatus ſui anno ſecundo, ſapienter provi-

ſum

ANNO 1741. Declarationes Congregationis Sancti Officii.

sum fuit contra quoscumque Sacerdotes audiendis Confessionibus deputatos, ad turpia, & inhonesta solicitantes; Et deinceps successivis temporibus, ad earum literarum interpretationem, ac declarationem, plura subindè à Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium adversus hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum sub die XI. mensis Februarii Anno Domini MDCLXI. prodierunt decreta, & à rec. mem. Alexandro PP. VII. pariter Prædecessore Nostro in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ Universalis Inquisitionis die XXIV. Septembris MDCLXV. coram eo habita, inter alias ab Evangelica veritate, & Sanctorum Patrum doctrina alienas, & dissonas propositiones, sexta videlicet, & septima, huc revocandæ, damnatæ, & prohibitæ fuerunt; Nos itaque maturè perpendentes quanti momenti sit ad æternam animarum salutem ea ubique exactè observari, & quanti ad infirmas oves curandas, & decorem Sanctæ Ecclesiæ Dei retinendum, interfit, ne aliqui Sacerdotes Pœnitentiæ Sacramento nefariè abutentes, Pœnitentibus pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro medicina venenum porrigant, sed animo secum recolentes, se à Christo Domino Præsides, & Judices animarum constitutos, ea sanctitate, quæ sublimitati, ac dignitati muneris convenit, tam venerandum Sacramentum administrent: Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostra, præfatas literas hujusmodi, ac omnia, & singula decreta prædicta ad illarum interpretationem, & declarationem emanata, Apostolica Auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque omnibus, & singulis inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; Atque etiam, quatenùs opus sit, denuò committimus, & mandamus omnibus hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, & Locorum Ordinariis omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, & Locorum universi Orbis Christiani, in suis respectivè Diœcesibus, ut diligenter, omnique humano respectu postposito, inquirant, & procedant contra omnes, & singulos Sacerdotes tàm Sæculares, quàm Regulares, quomodolibet exemptos, ac Sedi Apostolicæ immediatè subjectos, quorumcumque Ordinum, Institutorum, Societatum, & Congregationum, & cujuscumque Dignitatis, & Præeminentiæ, aut quovis Privilegio, & Indulto munitos, qui aliquem Pœnitentem, quæcumque persona illa sit, vel in actu Sacramentalis Confessionis, vel antè, vel immediatè post Confessionem, vel occasione, aut prætextu Confessionis, vel etiam extra occasionem Confessionis in Confessionali, sivè in alio loco ad Confessiones audiendas destinato, aut electo, cum simulatione audiendi ibidem Confessionem, ad inhonesta, & turpia solicitare, vel provocare, sivè verbis, sivè signis, sivè nutibus, sivè tactu, sivè per scripturam, aut tunc, aut post legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, vel tractatus temerario ausu habuerint; Et quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumstantiis, severè animadvertant, per condignas pœnas, juxtà memoratam Gregorii Prædecessoris Nostri Constitutionem, quam hic de verbo ad verbum pro inserta haberi volumus: Dantes etiam, si opus sit, & rursus concedentes facultatem, ne delictum tam enorme, & Ecclesiæ Dei injuriosum, remaneat, ob probationum defectum, impunitum, jam aliàs in præfata Constitutione tributam, procedendi cum Testibus etiam singularibus, dummodò præsumptiones, indicia, & alia adminicula concurrant.

Propositiones in hac materia damnatæ ab Alexandro VII.

„Prædicta omnia confirmantur, & innovantur.

Cum præcepto Inquisitoribus, & Ordinariis exequendi omnia, & singula in eisdem contenta.

§. 2. Meminerint præterea omnes, & singuli Sacerdotes ad Confessiones audiendas constituti, teneri se, ac obligari, suos Pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, sedulò monere, juxtà occurrentium casuum circumstantias, de obligatione denunciandi Inquisitoribus, sivè Locorum Ordinariis prædictis, Personam, quæ sollicitationem commiserit, etiamsi Sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem validè impertiendam careat, aut sollicitatio inter Confessarium, & Pœnitentem mutua fuerit, sivè sollicitationi Pœnitens consenserit, sivè consensum minimè præstiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluxerit, aut sollicitatio à Confessario, non pro se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit. Caveant insuper diligenter Confessarii, nè Pœnitentibus, quos noverint jam ab alio sollicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denunciationem prædictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti Judici, vel saltem se, cum primùm poterunt, delaturos spondeant, ac promittant.

Confessarii injungant Pœnitenti-

ANNO 1741. bus ab aliis solicitatis, ut sollicitantes denuncient.

Denegando absolutionè, nisi paruerint, aut parere promiserint.

§. 3. Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel odio, vel ira, vel alia indigna causa commoti, vel aliorum impiis suasionibus, aut promissis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati, tremendo Dei judicio posthabito, & Ecclesiæ auctoritate contempta, innoxios Sacerdotes apud Ecclesiasticos Judices falsò sollicitationis insimulant: Ut igitur tam nefaria audacia, & tam detestabile facinus metu magnitudinis pœnæ coerceatur, quæcumque persona, quæ execrabili hujusmodi flagitio se inquinaverit, vel per se ipsam innocentes Confessarios impiè calumniando, vel scelestè procurando, ut id ab aliis fiat, à quocumque Sacerdote quovis privilegio, auctoritate, & dignitate munito, præterquam à Nobis, Nostrisque Successoribus, nisi in fine vitæ, & excepto mortis articulo, spe absolutionis obtinendæ, quam Nobis, & Successoribus prædictis reservamus, perpetuò careat.

Calumniatores extra mortis articulum privantur beneficio absolutionis, quæ Summo Pontifici reservatur.

§. 4. Demùm magnopere cupientes à Sacercerdotalis Judicii, & Sacri Tribunalis sanctitate omnem turpitudinis occasionem, & Sacramentorum contemptum, & Ecclesiæ injuriam longè submovere, & tam exitiosa hujusmodi mala prorsus eliminare, & quantum in Domino possumus, animarum periculis occurrere, quas sacrilegi quidam, Dæmonis potiùs, quàm Dei Ministri, loco eas per Sacramentum Creatori suo, ac nostro reconciliandi, majori peccatorum mole onerantes, in profundum iniquitatis barathrum nefariè submergunt, nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & aliquorum in Theologia Magistrorum consilio desuper adhibito, accedentibus quoque iteratis plurium Episcoporum supplicationibus, hac Nostra in perpetuum valitura sanctione, quemadmodum à pluribus Episcopis per Synodales suas Constitutiones jam factum esse novimus, omnibus, & singulis Sacerdotibus, tàm Sæcularibus, quàm Regularibus cujuscumque Ordinis, ac Dignitatis, tametsi alioquin ad Confessiones excipiendas approbatis, & quovis Privilegio, & Indulto, etiam speciali expressione, & specialissima nota, & mentione digno suffultis, Auctoritate Apostolica, & Nostræ Potestatis plenitudine interdicimus, & prohibemus, ne aliquis eorum, extra casum extremæ necessitatis, nimirùm in ipsius mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, Confessionem Sacramentalem personæ complicis in peccato turpi, atque inhonesto, contra sextum Decalogi Præceptum commisso, excipere audeat, sublata propterea illi ipso jure quacumque auctoritate, & jurisdictione ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam; adeò quidem, ut absolutio,

Providentia Pontificis ulterius extenditur.

Adimit Sacerdotibus facultatem excipiendi Confessiones complicum in peccato turpi, extra casum extremæ necessitatis.

ANNO 1741.

Sub pœna nullitatis absolutionis.

Et excommunicationis ipso facto incurrendæ, & Summo Pontifici reservatæ.

Etiam tempore Jubilæi &c.

Cum derogationibus necessariis, & opportunis.

Dispositio præsentium Confessariis inculcanda.

Earumdem publicationi in Urbe factæ vis personalis intimationis, transumptis verò fides in judicio, & extra, tribuitur.

siquam impertierit, nulla, atque irrita omninò sit, tamquam impertita a Sacerdote, qui jurisdictione, ac facultate ad validè absolvendum necessaria privatus existit, quam ei per præsentes has nostras adimere intendimus; Et nihilominùs, si quis Confessarius secùs facere ausus fuerit, majoris quoque excommunicationis pœnam, à qua absolvendi potestatem Nobis solis, Nostrisque Successoribus dumtaxat reservamus, ipso facto incurrat.

§. 5. Declarantes etiam, & decernentes, quod nec etiam in vim cujuscumque Jubilæi, aut etiam Bullæ, quæ appellatur Cruciatæ Sanctæ, aut alterius cujuslibet Indulti, Confessionem dicti complicis hujusmodi quisquam valeat excipere, eique sacramentalem absolutionem elargiri; cum ad hunc effectum, & in hoc casu, nullus Confessarius, utpotè qui in hujusmodi peccati, & Pœnitentis genere, jurisdictione, ut præfertur, careat, & absolvendi facultate a Nobis privatus existat, habendus sit pro Confessario legitimo, & approbato. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, præsertim, quæ nuncupantur Cruciatæ Sanctæ, vel Jubilæi Universalis, & plenarii, necnon quibusvis Ecclesiarum, & Monasteriorum, & Ordinum quorumlibet, quorum ipsi Sacerdotes fuerint, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam motu proprio, aut aliàs quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis; Quibus omnibus, eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus demum, ac præcipimus, ut omnes Locorum Ordinarii, tàm præsentes, quàm futuri pro tempore existentes, in approbatione Confessariorum, tàm prædictam Constitutionem Gregorii Prædecessoris, quàm præsentem hanc Nostram, ab omnibus Sacerdotibus approbandis attentè legi, & accuratè observari curent, moneantque eos in Domino, atque hortentur, ut Sacrum Ministerium ipsorum fidei commissum summa animi innocentia, morum puritate, judicii integritate peragant, exhibeantque semetipsos, ut Ministros Christi, & Dispensatores Mysteriorum Dei; Memores præterea sint, se locum tenere, ac vices obire Summi, atque æterni Sacerdotis, qui Sanctus, innocens, impollutus, per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, ut emundaret conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi: Sedulò igitur studeant, diligenterque caveant, nè quærentibus, & pulsantibus eorum culpa Cœlum claudatur; ne deperditæ Oves ad Ovile Dominicum redire properantes, eorum manibus ferarum dentibus dilaniandæ tradantur; ne prodigi Filii egentes, & saucii, ad cœlestem Patrem revertentes, nefaria eorum improbitate, gravioribus peccatorum vulneribus, dum adhuc in via sunt, confodiantur.

§. 7. Ut autem præsentes Literæ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, seù earum exempla ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi, & publicari, sicque publicatas, & affixas, omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perindè arctare, & afficere, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent: utque ipsarum præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsùs fides, tàm in judicio, quàm extrà illud, ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

ANNO 1741.

Sanctio.

§. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostræ voluntatis, sanctionis, præcepti, mandati, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 1. Jun. 1741.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Kalendis Junii, Pontificatus Nostri Anno I.

X. Sub-Datarius.

Pro D. Card. Passioneo

Cajetanus Amatus.

VISA DE CURIA.

N. Antonellus.

J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicat. die xvij. ejusdem Mensis, & Anni.

XXI.

Monialibus in Portugalliæ, & Algarbiorum Monasteriis rigorosam Clausuram professis, & extrà illa degentibus, injungitur reditus ad Claustra, & egressus in posterum prohibetur.

Venerabilibus Fratribus, Antistitibus Regnorum Portugalliæ, & Algarbiorum.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium à cura servandarum Virginum Deo sacrarum.

CUM Sacrarum Virginum, quæ se Christo intra claustra dicaverunt, & tam carne, quam mente se Deo voverunt, ut consumment opus suum magno præmio destinatum, quo sublimior gloria est, eo major & cura esse debeat; inter præcipuas Apostolicæ nostræ sollicitudinis partes, illam non ultimam reputamus, ut, cæteris inter Apostolicam hanc Sanctam Sedem, & Portugalliæ, Algarbiorumque Regna jamdiù exortis dissidiis, benedicente Domino, compositis, salutarem quoque nostram, ad majorem Monialium in iisdem Regnis degentium progressum in viâ mandatorum Dei, & vocationis suæ semitâ faciendum, operam conferamus.

Abusus inter Moniales Regnorum Portugalliæ, & Algarbiæ invecti, quoad exitum extra Claustra.

§. 1. Quoniam autem, sicut accepimus, quamplurimæ Moniales variarum Diœcesium Regnorum hujusmodi, quæ Regularem in Monasteriis quorumcumque Ordinum rigorosæ, & perfectæ clausuræ emiserunt Professionem, variis, & in speciem quæsitis coloribus, & simulationibus, ac præsertim prætensis curandarum infirmitatum causis, non solum è Monasteriis exeunt, nec ad breve tempus, nec ad Civitates, & Oppida, ubi cujuslibet Monialis Monasterium reperitur, divertunt, verum etiam per integrum unius, ac plurium annorum spatium, & in locis à proprio uniuscujusque Monasterio longissimè distitis, moram ducunt: Eapropter fit, quamplurima inde scandala, & abusus incredibiles, ac Regularis perfectionis detrimenta, non sine gravi bonorum hominum offen-

sione,

ANNO 1741.

sione, oriantur: Conspiciuntur enim nonnullæ earumdem Monialium per Plateam incedere, ad publica Spectacula, & Theatra, Comædias, Tragædias, & Dramata, audiendi, spectandique causâ, convolare, & ad alia loca nullo pacto religiosis Virginibus convenientia pergere; His accedit, quod non religiosæ consuetudinis, sed, licentiosæ vitæ exemplo, iis, quibuscum in eorumdem Domibus commorantur, sint offensioni, & scandalo.

Præcipitur Ordinariis earum prompta ad Clausuram revocatio; sub pœnis contra violantes Clausuram, ipso facto incurren.

§. 2. Hinc est, quod Nos, non quod, humilitatis nostræ admodum conscii, aliquid ad censuram licentiæ vindicemus, sed quod, ad sollicitudinem magis cauti, plus de Diaboli infestatione timeamus, opportunum hisce malis remedium afferre, &, quantum cum Domino possumus, debitæ earumdem Sacrarum Virginum custodiæ, decori, atque honestati providere cupientes, motu proprio, & ex certâ scientiâ, & maturâ deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine vobis omnibus, & singulis, Venerabiles Fratres, injungimus, & mandamus, ut statim ac ad Fraternitates Vestras præsentes nostræ in formâ Brevis literæ, aut earumdem transumpta, sive exempla, etiam typis impressa, & manu alicujus publici Notarii subscripta, & sigillo Personæ in Ecclesiasticâ Dignitate constitutæ munita pervenerint, illicò notum faciatis, & nuntietis omnibus, & singulis Monialibus Monasteriorum, sivè vestrarum respectivè, sivè aliarum Diœcesum in uniuscujusque vestrum Diœcesi quacumque auctoritate, facultate, licentiâ, Indultis, ac privilegiis, sivè per hanc Sanctam Sedem, sivè per Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis Episcoporum, & Regularium propositam, sivè per Vos ipsos, aut Prædecessores vestros Antistites, sivè per ordinarios Nostros, & ejusdem Sanctæ Sedis pro tempore Nuntios quomodolibet concessis, extra claustra suorum Monasteriorum quacumque etiam infirmitatis causâ commorantibus, in virtute sanctæ obedientiæ præcipiatis, ut intra quindecim, aut viginti dies, & non ampliùs, ab earumdem præsentium nostrarum literarum publicatione, & affixione, ad proprium Monasterium, in quo regularem Professionem emiserunt, redeant, ibique permaneant, aliter ipso facto pœnas à Sacris Canonibus contra violantes clausuram Monialium inflictas, præter alias vestro arbitrio irrogandas, incurrere, & incurrisse sciant, quibus sane pœnis, aliisque vestro etiam arbitrio imponendis, obnoxios, & ipso facto subjectos esse decernimus, & declaramus omnes, & singulos consilium, auxilium, commodum, aliaque hujusmodi dantes, aut præstantes, ne eædem præsentes suum sortiantur effectum.

Adhortatio ad eosdem pro præsentium executione.

§. 3. Cæterum, Venerabiles Fratres, rogamus Vos, & in Domino hortamur, ut pro eximiâ pietate vestrâ, religionis zelo, Ecclesiasticæ disciplinæ amore, & æternâ Sacrarum Virginum salute Fraternitatibus Vestris potissimum credita, statim hisce nostris acceptis, omnia, & singula in ipsis contenta debitæ executioni mandanda curetis, super quibus vestras conscientias oneramus, ac significamus districtam Supremo Divino Judici Jesu Christo Cœlesti Sacrarum Virginum Sponso reddendam esse rationem. Contendite igitur omni ope, consilio, prudentiâ, & auctoritate vestrâ, Sacerdotale Ministerium vestrum cumulatè explere; Nos enim omnes opportunas, & necessarias ad ejusmodi effectum facultates, etiam auxilium Brachii Sæcularis, quatenus opus fuerit, invocandi, Apostolica auctoritate earumdem præsentium tenore impertimur.

Cum facultatibus opportunis.

§. 4. Verum, ne imposterum Indulta exeundi è Monasteriis, & extra Claustra permanendi, ob quamcumque causam, tantâ facilitate Monialibus in iisdem Portugalliæ, Algarbiorumque Regnis concedantur, tum Fraternitatibus Vestris, vestrisque successoribus, tum ordinariis ejusdem Apostolicæ Sedis pro tempore isthic Nuntiis, tum denique ipsi Congregationi Cardinalium Episcoporum, & Regularium, quamcumque facultatem tribuendi, expediendique Indulta hujusmodi, quacumque auctoritate, potestate, privilegiis, & Indultis, quibus omnibus quoad hanc partem earumdem præsentium tenore derogamus, attributam, omninò inhibemus, & inhibitam esse volumus, & declaramus. Quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

Sublata eisdem, atque etiam Con-

ANNO 1741.

gregationi Episcoporũ, & Regulariũ facultate in posterum indulgendi egressus è Monasteriis.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die primâ Junii anno millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Pontificatus Nostri Anno Primo.

Dat. die 1. Junii. 1741.

D. Cardinalis Passionеus.

XXII.

Mercimonia super eleemosynis Missarum vetantur, sub pœna Censurarum, quarum absolutio Summo Pontifici reservatur.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, & Episcopis universis, gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentibus.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

A Missarum celebratione quælibet aviditatis species arcenda.

QUANTA cura adhibenda sit, ut Sacrosanctum Missæ Sacrificium non solum omni Religionis cultu, ac veneratione celebretur; verum etiam ut a tanti Sacrificii dignitate cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, importunæ atque illiberales eleemosynarum exactiones potius, quam postulationes, aliaque hujusmodi, quæ a simoniaca labe, vel certe a turpi quæstu non longe absunt, e medio tollantur, nemo est ex Catholicæ Fidei cultoribus, qui ignoret.

Abusus in hac materia introducti.

§. 1. Verum eousque tandem progressa est, sicut non sine ingenti cordis nostri mœrore undique accepimus, nonnullorum, sive Ecclesiasticorum, sive Laicorum Virorum avaritia, quæ est idolorum servitus, ut eleemosynas quidem seù stipendia propter Missarum celebrationem, juxta locorum consuetudines, vel Diœcesanarum Synodorum Sanctiones, in subsidium alimentorum uniuscujusque Sacerdotis dumtaxat, pro regionum opportunitatibus præscripta, colligant; Missas vero celebrari curent alibi, ubi eleemosynæ, seu stipendia, vel consuetudine, vel Synodali lege, pro singulis Missis attributa sunt minoris pretii, quam illic, ubi accipiuntur, darentur.

Quibus frustratur offerentium voluntas.

§. 2. Id quam absonum sit, atque alienum ab ipsa, sive expressa, sive tacita pie offerentium voluntate, omnes plane intelligunt. Nec aliter existimandum est; in illa enim potius Missas esse celebrandas quisque vult, ad quam, religionis, & pietatis stimulis ductus, eleemosynas confert, aut in qua quispiam fortasse tumulatus est, quam in alia Ecclesia sibi prorsus ignota. Quod sanè, veluti mercaturis faciendis a turpis lucri cupiditate inductum, non solùm ab avaritiæ suspicione, & vitio, verum etiam a furti crimine, unde restitutioni subjacet, haud immune, in causa est, ut bonorum quamplurimi, ad quorum notitiam mercatura hujusmodi venit, graviter offensi, ab eleemosynis ad celebrandas Missas amplius offerendis sese abstineant.

ANNO 1741. Iidem aliàs a Summis Pontificibus dãnati.

§. 3. Execrabilem hujuſmodi abuſum alicubi ſenſim irrepentem deteſtantes Romani Pontifices Prædeceſſores Noſtri, de conſilio tum Congregationis S. R. E. Cardinalium Univerſalis Inquiſitionis contra hæreticam pravitatem, tum Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, decretum voluerunt, nimirum a quolibet Sacerdote, ſtipendio, ſeu eleemoſyna majoris pretii pro celebratione Miſſæ a quocumque accepta, non poſſe alteri Sacerdoti Miſſam hujuſmodi celebraturo ſtipendium, ſeù eleemoſynam minoris pretii erogari, etſi eidem Sacerdoti Miſſam celebranti, & conſentienti, ſe majoris pretii ſtipendium, ſeu eleemoſynam accepiſſe indicaſſet.

Adhortatio ad Epiſcopos pro extirpanda avaritiæ labe.

§. 4. Eapropter Vos, Venerabiles Fratres, in Apoſtolici Miniſterii, & ſollicitudinis Noſtræ partem adſcitos, rogamus, & maximopere in Domino hortamur, ut cuſtodientes vigilias ſuper gregibus veſtris, enitamini, ne ea peſtis amplius pervagetur, ſed ut penitus extinguatur. Ab avaritia enim, tamquam a radice, mala omnia germinant; quam quidam appetentes, erraverunt a Fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Avaritia quidem nulla potior contagio, quæ conceptam apud omnes Sacerdotalis dignitatis perfectioniſque opinionem magis inficiat evellatque. Avaritia opibus Deum poſthabere, ac ſervire Mammonæ docens, efficit, ut Avari hæreditatem non habeant in Regno Chriſti, & Dei. Quod ſi hæc in Laicis hominibus minime toleranda, atque adeo legibus coërcenda, quid in Eccleſiaſticis viris, qui terrenis rebus nuntium miſerunt, qui in ſortem Domini vocati, qui Deo mancipati ſunt? Quid, quod non per mundana lucra, ſed per Altaris miniſterium, tam ſordide, & cum ſanctiſſimarum legum contemtu, & cum Sacerdotalis characteris dedecore, in avaritiam præcipiti animo rapiuntur? Contendite igitur, Venerabiles Fratres, quibus Chriſti ovium cura demandata eſt, non ſolum ut verbo, & exemplo præeuntes, Chriſti ſitis bonus odor in omni loco, unde populi veſtigia veſtra ſequantur; verum etiam ut Eccleſiaſticos primum, deinde Laicos viros ab infectis vitiorum paſcuis avertentes, per viam mandatorum Dei ad Cœleſte Ovile currere doceatis.

Injungitur publicatio Edictorum contra illicitos quæſtus.

§. 5. Quoniam autem ita comparatum eſt, ut præſentis pœnæ metu ſalutaribus monitis facilius obtemperetur; per Edictum in veſtris Diœceſibus proponendum affigendumque, univerſis notum facite, quemcumque qui eleemoſynas, ſeu ſtipendia majoris pretii pro Miſſis celebrandis, quemadmodum locorum conſuetudines, vel Synodalia Statuta exigunt, colligens, Miſſas, retenta ſibi parte earumdem eleemoſynarum, ſeu ſtipendiorum acceptorum, ſive ibidem, ſive alibi, ubi pro Miſſis celebrandis minora ſtipendia, ſeu eleemoſynæ tribuuntur, celebrari fecerit, Laicum quidem, ſeu Sæcularem, præter alias arbitrio veſtro irrogandas pœnas, Excommunicationis pœnam, Clericum vero, ſive quemcumque Sacerdotem, pœnam Suſpenſionis ipſo facto incurrere; à quibus nullus per alium, quam per Nos ipſos, ſeu Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, niſi in mortis articulo conſtitutus, abſolvi poſſit. Fore autem in Domino confidimus, ut unuſquiſque memor conditionis ſuæ, poſthac bene conſultum velit animæ ſuæ, nec tam ſalutares leges cenſuraſque Eccleſiaſticas parvipendat. Interea Fraternitatibus Veſtris Apoſtolicam Benedictionem, in populos etiam curæ veſtræ commiſſos redundaturam, peramanter impertimur.

Cum pœna Excommunicationis a Laicis, & ſuſpenſionis a Sacerdotibus, ipſo facto incurren. & Summo Pontifici reſervatæ.

Præſentium tranſumptis fidem præſtari ſancitur.

§. 6. Volumus autem, ut præſentium literarum tranſumptis, ſive exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die xxx. menſis Junii, anno milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo primo, Pontificatus Noſtri Anno Primo.

D. Cardinalis Paſſioneus.

ANNO 1741. Dat. die 30. Junii 1741.

De eodem Argumento Breve encyclicum ad Epiſcopos Provinciæ Pedemontanæ. XXIII.

Venerabili Fratri, Archiepiſcopo Taurinenſi

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Abuſus ſuper Miſſarum eleemoſynis in Diœceſibus Pedemõtii tunc temporis vigentes.

PRo eximia tua pietate obſervantiaque, quam canonicæ diſciplinæ præſtare debes, Venerabilis Frater, quem paſtoralis creditarum Tibi impenſa commendat, plane non dubitamus, quin permoleſtum quoque Fraternitati Tuæ accidat, quòd Nos per alias Noſtras in ſimili forma Brevis literas ad univerſos Catholici Orbis Antiſtites, hac ipſa die datas, ac typis impreſſas, Tibique cum hiſce inſimul reddendas, non ſine effuſis lacrymis communicamus. Etſi autem deteſtabilem in Miſſarum celebratione mercaturam, de qua tantopere querimur, alibi etiam fieri accepiſſemus, non ea tamen, nec tanta cum turpis lucri aviditate exerceri noveramus, quanta a nonnullis Pedemontii Eccleſiaſticis, & Laicis viris frequentari recentibus nuntiis certiores facti fuimus, ut ſalutare, ad tam ſordidæ negotiationis, & criminis notam a Diœceſibus Pedemontii penitus delendam, remedium adhibere ſatageremus. Verùm Nos, ne opinionem, quam omnes de Eccleſiaſticæ diſciplinæ decore, & obſervantia in Pedemontii Diœceſibus vigente habent, minuere videremur, & ut debitis Apoſtolicæ ſollicitudinis officiis faceremus ſatis, id ſcribendi inivimus conſilium.

Epiſcoporum zelus excitatur, ad eos evellendos.

§. 1. Itaque quemadmodum facile hinc perſpicis, Venerabilis Frater, non obſcurum hac in re peculiaris noſtræ erga unumquemque Pedemontii Antiſtitem caritatis teſtimonium, ita vehementer enitaris oportet, ut omnem tam pro negotii gravitate, quàm pro noſtræ providentiæ ratione operam colloces, ut de contagione mercaturæ hujuſmodi penitus extincta Tecum gratulemur.

Implorato etiam auxilio brachii ſæcularis.

§. 2. Verùm ſi malorum hominum pervicacia tanta fuerit, ut, pœnis per eaſdem literas noſtras irrogandis arroganter deſpectis, ad eam confringendam Brachii ſæcularis auxilio Tibi opus ſit, illud invocare ne omittas, minime dubitans, quin libentius quàm optas, Tibi præſto ſit.

Commendatur Religio Seren. Sardiniæ Regis.

§. 3. Tanta namque eſt cariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Caroli Emanuelis Sardiniæ Regis Illuſtris in Nos, & Apoſtolicam hanc Sanctam Sedem obſervantia ſæpiſſime rebus ipſis probata, ut majora in dies Regiæ, non ſolum erga Nos ipſos, ſed etiam erga Fraternitatem Tuam pietatis, & pro Eccleſiaſtica diſciplina zeli, ac patrocinii argumenta Nobis certo polliceamur. Interea Fraternitati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die xxx. Junii MDCCXLI. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

D. Cardinalis Paſſioneus.

Dat. die 30. Junii 1741.

XXIV.

Confirmatur Militia S. Januarii Episcopi, & Martyris a Carolo Rege utriusque Siciliæ erecta; ejusque Officialibus, & Militibus plura Indulta, & Privilegia conceduntur.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Procœmium.

ROMANÆ Ecclesiæ benignitas spirituales gratias, & favores liberaliter impertire solet Catholicis Principibus, quorum eximia devotio, fideique sinceritas, & præclara Majorum virtutum merita in ejus conspectu clarere noscuntur, & piis eorum Votis annuens, quæ ad augendum Divinum Cultum, fovendamque Christianorum pietatem laudabiliter ab eis instituta sunt, Apostolicæ confirmationis præsidio munire non recusat, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

Militia S. Januarii a Rege utriusque Siciliæ erecta.

§. 1. Nuper quidem exposuit Nobis Dilectus Filius Noster Trojanus Tit. S. Cæciliæ S. R. E. Cardinalis de Aquaviva nuncupatus nomine Charissimi in Christo Filii Nostri Caroli Siciliæ, & Hierusalem, & Terræ citra Pharum Regis Illustris, & Infantis Hispaniarum, quod ipse Carolus postquam de præfato Regno ex gratia, & liberalitate Sedis Apostolicæ a Sede prædicta meruit investiri, atque ea, quæ ad ejusdem Regni felix regimen, ac firmum præsidium conducerent, providè disposuit, volens religionem suam, ac pietatem erga Deum, per quem Reges regnant, & legum Conditores justa decernunt, & piam animi devotionem erga gloriosum Martyrem, & Episcopum Januarium Neapolitanæ Civitatis, & totius Regni Patronum, illustri actu omnibus testatam facere, necnon aliquod præcipuum habere, unde gratis, acceptisque personis, optimè de se, ac Regno meritis, Regiæ voluntatis testimonium posset provenire, ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, ad Catholicæ Religionis propagationem, & defensionem, ac Christianæ pietatis augmentum unam laudabilem Confraternitatem, seu Societatem Nobilium Militum, ad instar alterius celebris Societatis, seu Militiæ Velleris aurei nuncupatæ, pro sexaginta Fratribus, seu Militibus, vel etiam pro quocumque majori, vel minori eorumdem numero, prout Primati ejusdem Societatis magis placuerit, una cum Cancellario, Thesaurario, Secretario, & Cœremoniarum Magistro, quorum Caput, & Primas Ipse, & qui in dicto Regno Siciliæ ei legitimè succederet, esse deberet, sub titulo, seu invocatione, & patrocinio ejusdem S. Januarii Episcopi, & Martyris, quibusdam præscriptis Regulis, ac Capitulis, instituit: Ut verò præfatæ Societati ab Eo, ut præfertur, institutæ spiritualium gratiarum dona, honor, firmitas, & decus valeant accedere, Nobis pro parte dicti Regis Caroli humiliter supplicavit, ut Apostolicis gratiis, & favoribus eam prosequi, & de Nostra benignitate pro prædictæ Societatis, seu Militiæ majori stabilitate, ac spirituali directione, conservatione, decore, & ornamento opportunè providere dignaremur.

Militum numerus, & Officialium munera.

Confirmatio Summi Pontificis.

§. 2. Nos igitur, qui eumdem Carolum Regem speciali dilectionis affectu ex visceribus charitatis prosequimur, & ejus commendabile institutum promovere in Domino desideramus, hujusmodi supplicationibus inclinati prænominatam Societatem, seu Militiam sub invocatione, & protectione S. Januarii Episcopi, & Martyris, cum quibusdam laudabilibus Regulis, Ordinationibus, & Statutis erectam, de nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, & perpetuæ, ac inviolabilis firmitatis robur adjicimus.

Conceditur Cancellario facultas absolvendi, vel Confessarium deputandi.

§. 3. Præterea eumdem Carolum Regem, & dictam Societatem, seu Militiam specialibus gratiis, & favoribus prosequi volentes, Primati, Cancellario, Thesaurario, Secretario, & Cœremoniarum Magistro Societatis, seu Militiæ hujusmodi nunc, & pro tempore existentibus, & præterea sexaginta Confratribus, vel etiam majori eorum numero, dummodo tamen numerum centum Fratrum, seu Militum, comprehensis etiam dictis Officialibus non excedant, auctoritate prædicta concedimus, & impartimur, ut Cancellarius ipsius Societatis pro tempore existens in Episcopali, seu Archiepiscopali dignitate, prout in Statutis ejusdem Societatis continetur, constitutus, seu Presbyter ad audiendas confessiones idoneus, per ipsum tamen Cancellarium ad hoc deputandus, vel per ipsos Confratres, eosdemque Officiales extra fines dicti Regni utriusque Siciliæ commorantes, ex approbatis tamen a Locorum Ordinariis eligendus, ipsos, & eorum singulos ab omnibus, & singulis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure quavis occasione, vel causa latis, seu inflictis, necnon ab omnibus eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis, quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam Apostolicæ Sedi qualitercumque reservatis, (non tamen de reservatis Locorum Ordinariis) de quibus ore confessi, & corde contriti fuerint: de reservatis autem qualitercumque Sedi Apostolicæ semel in vita, & in mortis articulo, etiamsi mors secuta non fuerit; de aliis verò eidem Sedi non reservatis, quoties opus fuerit, in Foro conscientiæ dumtaxat absolvere, ac eis, & eorum cuilibet pro commissis debitam absolutionem impendere, & pœnitentiam salutarem injungere; necnon vota per eos pro tempore emissa (ultramarino, Visitationis Liminum BB. Apostolorum Petri, & Pauli, ac S. Jacobi in Compostella, necnon castitatis, & Religionis Votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare; necnon in mortis articulo, etiamsi mors non subsequatur, plenariam omnium peccatorum suorum remissionem, & indulgentiam, & Apostolicam Nostram benedictionem, per se ipsum, vel per alium quemcumque idoneum Sacerdotem per singulos Fratres eligendum, impendere possit, ac valeat.

Eligendi verò Militibus extra Regnum existen.

Pro absolutione a censuris, & peccatis S. Sedi reservatis, semel in vita, & in morte.

Et pro commutatione Votorum.

Et concessione Indulg. Plenariæ in artic. mortis.

§. 4. Insuper ut liceat eisdem Primati, Officialibus, Confratribus Societatis, seu Militiæ prædictæ in privatis domorum suæ habitationis in quacumque Civitate, ejusque Diœcesi existentibus Oratoriis ad hoc decenter muro extructis, & ornatis, seu extruendis, & ordinandis, ab omnibus domesticis usibus liberis, per Ordinarium Loci prius visitandis, & approbandis, ac de ipsius Ordinarii licentia, unam Missam pro unoquoque die, dummodo in iisdem domibus celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri concessa non fuerit, per quemcumque Sacerdotem ab eodem Ordinario approbatum, sæcularem, seu de Superiorum suorum licentia Regularem, sine tamen quorumcumque jurium Parochialium præjudicio, ac Paschatis, Resurrectionis, Pentecostis, & Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, aliisque solemnioribus anni Festis diebus exceptis, in sua, ac familiæ, & in hospitum Nobilium suorum præsentia, etiam per unam horam ante auroram, & itidem per horam post meridiem, si aliqua urgente necessitate detenti fuerint, celebrari facere; necnon, si forsan ad Loca, & Terras Ecclesiastico interdicto, tam Ordinaria, quàm Apostolica auctoritate

Eisdem conceditur Oratorium domesticum.

Cū facultate celebrari faciendi una hora ante Auroram, & post meridiem.

Et tempore Interdicti, clausis januis &c.

ritate suppositas, eos declinare contigerit, dummodo causam non dederint hujusmodi interdicto, nec eis specialiter interdictum sit, & fecerint quantum in eis fuerit, ut in iis, propter quæ interdictum ipsum dicta auctoritate Apostolica pro tempore appositum fuerit, paritio fiat, & ea executioni debitæ demandentur, ac per eos non steterit, quò minus pareatur, per quemcumque Sacerdotem ab Ordinario approbatum, in sua, & cujuslibet ipsorum Familiarium, Domesticorum, Parentum, Consanguineorum pro tempore existentium præsentia, Missas, & alia Divina Officia in dictorum Locorum, & Terrarum Ecclesiis, submissa voce, clausis januis, & non pulsatis Campanis, ac excommunicatis, & interdictis exclusis, celebrari facere, illaque audire, & eis interesse, necnon tempore Interdicti hujusmodi Sacram Eucharistiam, & cætera Sacramenta recipere, ipsisque dicto tempore decedentibus, eorum corpora Ecclesiasticæ Sepulturæ, sine tamen funerali pompa, tradi possint, salvis juribus Parochialium Ecclesiarum.

Et recipiendi Sacramenta durante Interdicto.

Indulgentia plenaria in diebus Festis in honorem S. Januarii.

§. 5. Singulis autem anni diebus, & per eorum octavas, quibus ejusdem Beati Martyris Januarii memoria recoli, & festum celebrari solet, nempe primo Sabbato mensis Maji, die decimasexta Decembris, omnibus & singulis Confratribus, seu Militibus, & Officialibus Societatis, seu Militiæ prædictæ ubicumque existentibus, verè pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam Ecclesiam devotè visitaverint, & pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem, de Omnipotentis Dei misericordia, & BB. Apostolorum ejus Petri, & Pauli auctoritate confisi, misericorditer in Domino concedimus: Quodque unam, vel duas Ecclesias, seu duo vel tria Altaria unius, vel diversarum, in partibus, ubi singulos eorum pro tempore residere contigerit, per eos, & eorum quemlibet eligendas, seu eligenda, quadragesimalibus, & aliis diebus Stationum Ecclesiarum Urbis, & extra muros ejus, devotè visitando, omnes & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones etiam plenarias consequantur, quas consequerentur, si eisdem temporibus, & diebus Stationum, Basilicas, & alias Ecclesias Urbis, & extra ejus muros ad id deputatas personaliter visitarent.

Indulgentiæ Stationales.

Indultum vescendi lacticiniis in Quadragesima, ac etiam carnibus, cum opus fuerit.

§. 6. Et demum tam quadragesimalibus, quàm aliis anni temporibus, & diebus, quibus esus carnium, ovorum, casei, butyri, & aliorum lacticiniorum est prohibitus, eisdem ovis, caseo, butyro, & aliis lacticiniis, ac etiam, si necessitas, vel infirma corporis valetudo, ac alia quæcumque indigentia exegerit, carnibus, de utriusque Medici consilio, exceptis tamen diebus Majoris hebdomadæ, die Cinerum, seu feria quarta in capite jejunii, Vigiliis Natalis Christi Domini, Pentecostes, BB. Apostolorum Petri, & Pauli, Assumptionis B. Mariæ Virginis, & quatuor temporum, uti, & vesci, servata tamen lege jejunii per unicam comestionem, aliisque contentis in nostris Literis noviss. emanatis, sub Datum Romæ die 30. Maji 1741. quibus nullatenus per has præsentes intendimus derogare, liberè, & licitè valeant, Apostolica Auctoritate prædicta eorumdem tenore præsentium de speciali gratia concedimus, & indulgemus.

Derogatur contrariis.

§. 7. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, necnon in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, statutis, & consuetudinibus, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ac quibusvis suspensionibus, seu limitationibus similium remissionum, & facultatum per Nos, & Sedem prædictam quomodolibet factis, & faciendis, quibus quoad præmissa, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Rebelles Fidei, & S. Sedi, Privilegiis privantur.

§. 8. Volumus autem (ne, quod absit, propter hujusmodi concessionem, & remissionem, Confratres, ac alii prædicti reddantur procliviores ad illicita in posterum committenda) quod si a sinceritate fidei, unitate Romanæ Ecclesiæ, ac obedientia, & devotione Nostra, vel Successorum Nostrorum canonicè intrantium hujusmodi destiterint, aut ex confidentia ejusdem concessionis, vel remissionis aliqua commiserint, concessio, & remissio prædicta, ac quoad illos præsentes literæ eis nullatenus suffragentur.

Exemplorum Fides.

§. 9. Cæterum, quia difficile foret præsentes nostras literas ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu tamen Notarii publici subscriptis, & Cancellarii ejus Societatis, seu Militiæ sigillo munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostri decreti, confirmationis, concessionis, indulti, constitutionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Data die 30. Junii 1741.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo primo, pridie Kal. Julii, Pontificatus Nostri Anno Primo.

D. Card. Passioneus.
X. Sub-Datarius:
VISA DE CURIA.
N. Antonellus.
A. S. Sisti.
Loco ✠ Plumbi.
Registrata in Secretaria Brevium.

XXV.

Jurisdictio in Ægyptios aliosque Ritus Cophtici ad Ecclesiam Catholicam conversos, cujuscumque sint Diœceses, tribuitur Episcopo Hierosolymitano ejusdem Ritus.

Venerabili Fratri, Athanasio Episcopo Hierosolymitano Ritus Cophtorum.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Pontificis gaudium in conversione hæreticorum, & schismaticorum.

QUEMADMODUM ingenti lætitia exultat cor nostrum, cum ad veram Catholicæ Fidei, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cujus universali procurationi per immensam Divinæ Bonitatis abundantiam plane immerentes præfecti fuimus, cognitionem, sinum, & obedientiam, ejuratis hæresum, ac schismatum erroribus, Animas pretioso Jesu Christi Domini Nostri sanguine redemptas convolare accipimus; ita non minori sollicitudine, ac dolore afficimur, cum intelligimus tot Christifideles ab ejusdem Romanæ Ecclesiæ amplexibus longe distractos, & in sinceritate Fidei Orthodoxæ Deo famulari cupientes, veluti Oves sine Pastore errare, & veluti parvulos cœlestem panem petere, nec esse, qui ipsis frangat. Benedictus Deus, & Pater Domini Nostri Jesu Christi Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur Nos in omni tribulatione nostra, ut possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt.

Et cura de ipsorum regimine, & gubernatione.

Cophti ad Catholicam Fidem conversi Pastoribus destituuntur.

§. 1. Cum itaque quamplurimi Ritus Cophtici Fideles, tam sæculares, quàm Ecclesiastici, paucis ab hinc annis, veritatis lumine illustrati,

qui

qui sub Antistitibus sive hæresis labe infectis, sive in schismatis pertinacia obstinatis, per vastissimas inferioris superiorisque Ægypti regiones reperiuntur, non habeant Catholicum Antistitem, a quo in iis, quæ ad Deum sunt, & ad æternam suarum Animarum salutem in Orthodoxæ Fidei unione procurandam conducunt, saluberrime instituantur, opportune confirmentur, & sapienter regantur.

Pontifex, de Consilio &c. eorum curam interim demandat Episcopo Hierosolymitano ejusdem Ritus, quem laudibus prosequitur.

§. 2. Eapropter de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum consilio, Te, Venerabilis Frater, quem, sicut justus Noë ab aquarum inundatione, & Lot a Sodomis erepti fuerunt, ita ab aliorum Nationis tuæ Antistitum erroribus immunem, ac liberum esse in Domino gratulamur, super omnibus, & singulis Christifidelibus Ritus Cophtici, tam in superiori inferiorique Ægypto, quàm alibi commorantibus Præsulem, ad nostrum, & Sedis Apostolicæ beneplacitum, & quousque Pastorum Princeps Jesus Christus alios animarum Pastores tui similes ad ovile suum ibidem regendum dare dignetur, Apostolica auctoritate Nostra, quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus, constituimus.

Cum facultatibus specialiter ipsi significandis.

§. 3. Jurisdictionem verò super iisdem Christifidelibus a Te exerceri volumus, & mandamus cum iis omnibus facultatibus, quas tam ab ipsis Cardinalibus Congregationis Propagandæ Fidei, quàm a Cardinalibus in tota Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus præscriptas accipies.

Adhortatio ad eumdem Episcopum.

§. 4. Enitere igitur, Venerabilis Frater, Sacerdotale ministerium tuum ea, qua decet, sollicitudine, pietate, fortitudine, caritate, & orthodoxæ Fidei zelo adimplere, certa bonum certamen, ut coronam legitime certantibus in Cœlo propositam consequi mereari; ad cujus auspicium, & pignus, Fraternitati Tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

*Data die 4. Aug. 1741.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 4. Augusti 1741. Pontificatus Nostri Anno Primo.

XXVI.

Residentia in propriis Diœcesibus Episcopis Hiberniæ inculcatur.

Venerabilibus Fratribus, Archiepiscopis, & Episcopis Regni Hiberniæ.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Pontifex refert, & improbat negligentiam Episcoporum non residentium.

GRAVE, & permolestum Nobis accidit compertum habere, nonnullos Hiberniæ Episcopos adeo muneris sui, & animarum curæ sibi commissarum esse oblitos, ut alter, ex quo jampridem Episcopale regimen susceperit, nunquam hactenus in Diœcesi resederit, alter, transacto vix cum ovibus suis mense, Angliam, deinde Galliam, Belgium, Germaniamque peragraverit, nonnulli verò semel in anno æstivo tempore, paucis quidem diebus, quasi relaxandi animi causa, ad Ecclesiam sibi traditam accedere consueverint. Hoc autem quanto Nos dolore confecerit, verbis explicare satis non possumus. Quid enim aliud ex tam absurda Episcoporum absentia cogitare possumus, nisi certam Populorum calamitatem, æternamque animarum perniciem? Experientia quippe didicimus, & oculis propè Nostris vidimus in ipsa Italia Ecclesiasticam disciplinam, pietatem, & mores in deterius ire, si quando Episcopum à Sede sua diutius abesse contigerit; quamquam in Italia non desint & Parochi vigilantes, & Ecclesiastici plurimi docti, ac probi tam Sæculares, quàm Regulares, imò & Vicarius probitate vitæ, scientia, usuque Ecclesiasticarum rerum valdè peritus, qui absentis Episcopi partes pro viribus expleat. Quid verò sperandum, aut quid mali non metuendum, ubi summa Ecclesiasticorum paucitas, ubi Catholici inter Heterodoxos versari debent, & ab ipsis Magistratibus sæpè Religionis causa vexari solent?

Ecclesiasticas leges super residentia innuit.

§. 1. Non est autem, cur Nos in præsens novas leges, aut pœnas, ad coercendam ejusmodi licentiam, statuamus; cum dubitare minimè possimus, Vos non ignorare, quàm graviter, strictèque per Sacros Canones, Apostolicasque Constitutiones, tum maximè per Concilium Tridentinum Episcopis injungatur in Ecclesiis suis residere, & Oves sibi creditas nullo unquam tempore extra summam necessitatem deserere. Qua de re etiam nomine Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum nonnullos ex Vobis admonitos fuisse certò scimus. Cui sanè residendi debito satis nequaquam faciunt, qui per alium à se substitutum, seù Vicarium, Ecclesiam regunt, nisi fortè ad breve tempus, & gravi de causa id fieret.

Quæ sit residentia materialis, & formalis.

§. 2. Neque verò opus esse censemus, Viros doctos, & sacrarum literarum apprimè callentes, quales Vos estis, docere de differentia residendi, quam materialem, & formalem vocant. Quis enim Vestrum, Venerabiles Fratres, ignorat, tunc Episcopum materiali modo in Ecclesia sua residere, cum neque Verbum Dei voce, & exemplo disseminat, neque à semita justitiæ deflectentes revocat, neque periclitantibus opem, & auxilium defert, neque demum adversus Lupos rapaces, qui in vestimentis ovium sæpe intrant ovile, ut rapiant, & mactent, sedulò invigilat, fortiterque se opponit? In qua sanè vigilantia, ac Pastorali sollicitudine potissimùm sita est vera, & formalis residendi ratio. Alloquimur profectò Viros Theologos, humanarum, Divinarumque rerum scientissimos, qui probè intelligitis, curam, & salutem animarum opus esse Divinum, & onus Angelicis, ut ajunt, humeris formidandum, Oves Dominicas pascere: quarum de manibus vestris sanguinem Summus Pastor aliquando requiret, si quæ fortè vitio, aut negligentia vestra perierit. Neque enim se quisquam excusatione tuebitur, quod illæ se inscio, aut absente, substituti alicujus, aut Vicarii oscitantia aberraverint. Unicuique enim vestrum singulatim ab Oraculo Divino districtè denunciatur: Attendite Vobis, & universo gregi, in quo Vos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Vobis igitur, non alteri, pascendi oves præceptum datum est: Vobismet ipsis spiritualis animarum salus innititur, & Vos illam suscepistis, de ipsis rationem reddituri. Proindè Vobis non immeritò tribuetur inopia Verbi Dei, Sacramentorum neglectus, corruptela morum, & omnis eorum, qui ignorant, & errant, miseranda pernicies.

Muneris Episcopalis gravitas, & periculum.

Adhortatio ad Episcopos ab exemplis Prædecessorum.

§. 3. Nos itaque hæc omnia non sine lacrymis considerantes, hortamur Vos, & per amantissima Jesu Christi Viscera, cujus vices in terris, licet immerentes, gerimus, obsecramus, ut animarum vestrarum non minus, quàm earum, quæ Fidei vestræ traditæ sunt, miseratione moti, malis hisce tempestivè occurratis; habentes præ oculis judicium illud durissimum, quod Princeps Pastorum faciet iis, qui Ecclesiæ præsunt, & Populum suum salvum non faciunt. Ponite Vobis ante oculos clarissima, & quidem domestica tot Sanctorum Episcoporum exempla, qui charitate pleni, & de animarum salute, ultra quàm dici possit, solliciti, Hiberniam Catholicæ fidei zelo illustrarunt, eamque pietate, & religione florentissimam effecerant.

*De S. Patritio.

§. 4. Memoria recolite Sanctum Patritium,

ANNO 1741.

Hiberniæ Apostolum nuncupatum, quem Sanctus Cœlestinus Prædecessor Noster ad Vos misit: cujus Apostolicæ Legationis, & prædicationis uberrimus fructus extitit, ut Hibernia antea Idolorum cultrix, mox Sanctorum Insula diceretur, & esset.

De S. Malachia Archiepiscopo Armachano.

§. 5. Recolite Sanctum Malachiam Archiepiscopum Armachanum, & Legatum Apostolicum per universam Hiberniam ab Innocentio II. Prædecessore Nostro constitutum, cujus ingens animarum studium à Sancto Bernardo quasi coloribus expressum legimus: *Stetit Pastor intrepidus, omnimodis argumentosus, quomodo faceret oves de lupis, monere communiter, secretò arguere, flere per singulos, nunc asperè, nunc leniter convenire, prout cuique expedire videbat ..... Circumiens Civitatem, perquirebat anhelus, quem Christo acquireret. Sed & foris rura, & oppida nihilominus sæpius percurrebat; ibat, & erogabat vel ingratis cælestis tritici mensuram, nec vehebatur equo, sed pedes ibat, & in hoc se Virum Apostolicum probans*: hæc S. Bernardus.

De S. Laurentio Archiepiscopo Dublinen.

§. 6. Sed & sinceriora percurrite S. Laurentii Archiepiscopi Dublinensis acta, quem Regio sanguine ortum, Legatum Apostolicum in Hiberniam Alexander III. Prædecessor Noster in Concilio Lateranensi III. selegit, eique postea Honorius III. pariter Prædecessor Noster solemni ritu Sanctorum honores decrevit; atque inde facilè intelligetis, quæ, quantaque pro grege suo Vir Apostolicus fecerit, atque pertulerit.

De aliis Sanctis Hiberniæ.

§. 7. Quod si recensere voluerimus Sanctissimos Viros, Columbanum, Kilianum, Virgilium, Rumoldum, Gallum, aliosque plures, qui ex Hibernia in alias Provincias Catholicam fidem invexerunt, aut illam per martyrium effuso sanguine collustrarunt, plus nimio epistolæ modum excederemus. Satis sit eos breviter indicasse, quò facilius in memoriam revocetis, quæ fuerit majorum vestrorum religio, ac pietas, quæ, quantaque dignitatis Episcopalis sollicitudo, quæ quidem illos glorioſos, ac beatos effecit. Horum sane vestigiis ut Vos, quantum fieri potest, insistatis, iterum in Domino rogamus, & obtestamur.

Invalidis suadet, ut Coadjutores petant.

§. 8. Confidimus autem plurimum, ut Vos, non tam paternæ hujus admonitionis officio, quàm conscientiæ vestræ stimulis excitati, in Diœcesibus Vestris in posterum residebitis, & gravissimum pascendi oves debitum seriò, accuratèque persolvatis. Quod si vestrum quispiam, vel ratione provectioris ætatis, aut ægræ valetudinis impedimento, se Pastorali muneri revera imparem sentiat, is Coadjutorem sibi dari à Nobis petat, Nobisque simul indicet, quem ipse idoneum ad illud munus fore judicaverit: Nam statim ac erimus de ejus probitate, doctrina, aliisque ad Episcopatum necessariis satis instructi, Coadjutorem haberi indulgebimus. Apostolicam interim Benedictionem Nostram paterno affectu Vobis impertimur.

Dat. die 15. Aug. 1741.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 15. Aug. 1741. Pontificatus Nostri Anno Primo.

XXVII.

Declaratur Unicam comestionem diebus Jejunii ab omnibus servandam esse, etiam ab iis, quibus ob peculiares causas permittitur esus carnium, ovorum &c.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, & Episcopis universis, gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentibus.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Litteræ Apostolicæ pro observantia

IN suprema Universalis Ecclesiæ procuratione, meritis licet imparibus, per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam, ut Orthodoxæ Fidei assertores, sic etiam Ecclesiasticæ disciplinæ custodes, ac vindices constituti, Quadragesimale præsertim Jejunium, quod inter præcipua orthodoxæ disciplinæ capita semper, & ubique ab ipso Ecclesiæ exordio numeratum esse nemo ex Catholicis inficiatur, ab hodierna Jejunantium corruptela vindicare, & in pristinam, quantum, benedicente Domino, fieri posset, observantiam revocare cupientes, per alias nostras in simili forma Brevis literas ad Fraternitates Vestras die xxx. proximè elapsi mensis Maji currentis anni datas, eximium Fraternitatum vestrarum zelum excitandum curavimus, ut adlaborare studeretis, ne hac in parte, & optatum Apostolicæ nostræ sollicitudinis angoribus levamen, & salutare abolendæ sacratissimi Jejunii corruptelæ remedium deesset. Quoniam autem paternæ Pontificiæ caritatis, quæ novit imbecillitates infirmorum sustinere, atque etiam cum infirmantibus infirmari, non immemores, quemadmodum à Jejunio aliquando, legitima causa, aut gravissima urgentique necessitate exigente, dispensandum esse ex Apostolica benignitate censuimus, ita inter cætera præscripsimus Unicam Comestionem servandam, & licitas, atque interdictas Epulas minime esse apponendas.

ANNO 1741. jejunii jam emanatæ.

Quæstio exorta super earum sensu.

§. 1. Hinc factum esse accepimus, quod non defuerint, qui, per humanas, & hominibus à Christiana pœnitentia abhorrentibus dumtaxat dignas illationes, sibi aliisque persuadeant, unicam potissimum Comestionem servari, atque Epulas licitas, & interdictas minime apponi debere, cum multitudini quidem indiscriminatim ob urgentem gravissimamque necessitatem, non vero singulis ob legitimam causam, & de utriusque Medici consilio dispensatur.

Declaratur.

§. 2. Quam sane persuasionem à sententia nostra alienam ut ex omnium animis penitùs evellamus, Nos quibuscumque, quacumque occasione, sive multitudini indiscriminatim ob urgentem gravissimamque necessitatem, sive singulis ob legitimam causam, & de utriusque Medici consilio, dummodo nulla certa, & periculosa affectæ valetudinis ratio intercedat, & aliter fieri necessario exigat, in Quadragesimæ, aliisque anni Temporibus, & diebus, quibus carnium, ovorum, & lacticiniorum esus est prohibitus, dispensari contigerit, ab omnibus omnino, nemine excepto, Unicam Comestionem servandam, & licitas, atque interdictas Epulas minime esse apponendas, tenore præsentium declaramus, & edicimus; quemadmodum per singulas nostras in pari forma Brevis literas singulis utriusque sexus Christifidelibus, ob corporis infirmitates, quibus obnoxii reperiuntur, in sacratissima Quadragesima, aliisque Jejunio consecratis diebus, vescendi prohibitis licentiam dantes, unicuique expressè præscribimus, atque præcipimus.

Adhortatio ad Episcopos.

§. 3. Eapropter Fraternitates Vestras rogamus, atque in Domino obsecramus, ut populos vestræ curæ commissos ad tam opportunum sanandis vulneribus, quibus per humanam infirmitatem quisque sauciatur, sanctissimi Jejunii remedium alacriter adhibendum cohortantes, sedulò, ac paterne moneatis, rem agi non quidem exiguam, sed longè gravissimam, de observando, sustinendoque Jejunio purificandis animis corporibusque salutari. In spem igitur illos erigite cœlestium præmiorum, quibus assequendis non sunt condignæ passiones hujus temporis; immo leve, ac momentaneum non tribulationis, sed modicæ abstinentiæ nostræ incommodum, magnum gloriæ pondus operatur in Cœlis. Ab omnibus se abstinent, qui in agone contendunt, ut corruptibilem coronam accipiant; pudeat tam imbelles, ac delicatos Christianæ militiæ milites, refugientes à consortio Crucis Christi, qui coronam legitimè certantibus

ANNO 1741.

propositam sperare præcipit incorruptam; ad cujus auspicium, & pignus, Fraternitatibus Vestris Apostolicam Benedictionem, iisdem etiam Populis vestris Nostro nomine impertiendam, peramanter elargimur.

Præsentium transumptis fides habenda.

§. 4. Volumus autem, ut præsentium transumptis, sivè exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, & adhiberi posset, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 22. Aug. 1741.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die vigesima secunda mensis Augusti anno millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Pontificatus Nostri Anno Secundo.

D. Card. Passioneus.

XXVIII.

Commissiones Causarum ad partes non aliis dirigendas esse statuitur, quàm Judicibus Synodalibus; quorum electio Ordinariis Locorum commendatur, & permittitur fieri extra Synodum, cum consilio Capituli.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Abusus committendi causas Judicibus imperitis, aut minus integris.

QUAMVIS Paternæ vigilantiæ, quâ de justitiâ unicuique integrè, sapienterque administranda solliciti esse debemus, jamdiù innotuerit, quod Causæ extra nostram Romanam Curiam, pro Litigantium commodo, ad partes (ut ajunt) committi solitæ, iis quandoque decidendæ, ac fine debito terminandæ delegentur, qui tum congrua Juris peritiâ, tum quoque probitatis, spectatæque Fidei præsidio destituuntur: Acerbiori nihilominus doloris sensu perculsi fuimus, postquam hujusmodi abusum, rumore publico evulgatum, multorum querelis ad Apostolicam Sedem delatis, eorumque literis ad Nos crebrò datis apertiùs sensimus confirmari. Rationes præterea, & peculiares Causæ dicti abusus cum Nobis plures in eisdem literis obtenderentur, eas potissimùm referri perspeximus eximio Protonotariorum non Participantium numero, quibus, utpotè in Dignitate Ecclesiastica constitutis, in more positum est dictas Causas delegari, licet tempore quo ad hujusmodi Dignitatis, & Officii gradum provehuntur, nulla meritorum, & qualitatum fiat diligens inquisitio, nec sedulò examinetur, an polleant requisitis ad Jus dicendum, & Justitiæ habenas moderandas necessariis.

Tribuitur nimio Protonotariorũ non participantium numero.

§. 1. Quàm graves curas id animo nostro ingesserit, quàmve intimo mœrore affecti simus, ubi aliorum res, & negocia, ob Judicum ignorantiam, & malitiam, periclitari, & in discrimen adduci rescivimus; intelliget planè cui perspectus erit ille, quo semper incensi fumus, Justitiæ administrandæ zelus. Sed cum silere diutiùs, pro commissa Nobis Populorum salute, Paterna Charitas non pateretur, & ad propulsandam hanc corruptelam, restituendamque judiciorum integritatem, congruis remediis manus admoveremus; novimus non recentes, sed obsoletas esse hujusmodi querelas, atque rem esse non de morbo nunc ingruente, sed jamdudum invecto: Remedia ad illum avertendum non esse modò excogitanda, sed antiquitùs præstituta: Originem verò non Curiæ nostræ Romanæ, sed iis adscribi oportere, qui de praxi ejusdem Curiæ injustè nimis conqueruntur.

Pontificis sensus.

§. 2. Si enim longè præteriti temporis ratio habeatur, facilè quisque conjiciet fel. record. Bonifacio Papæ VIII. has querimonias fuisse suggestas, eundemque Pontificem ad implendas Apostolici regiminis, partes sua Decretali *Statutum de Rescriptis in 6.* consultò præscripsisse, ne à Sede Apostolica, ejusque Legatis Causæ imposterum aliis delegarentur, quàm Personis in Ecclesiastica Dignitate constitutis, & quibus sive Personatus, sive Canonicatus in aliqua Cathedrali Ecclesia obtigisset: Judicia præterea non in obscuro, sed in insigni, & populoso Oppido, ac in Urbibus instrui oportere, in quibus Peritorum Judicum copia commodè haberi posset. Sacro etiam Concilio Tridentino hanc ipsam imperitorum Judicum querelam propositam fuisse, fas est credere: Postquam etenim *sess. 25. de Reformat. cap. 10.* præmissum fuit, à Sede Apostolica Judicibus non undequaque idoneis Causas in partibus delegari, & id fieri tum ob malitiosam petentium suggestionem, tum quoque ob locorum longinquitatem, à quibus notitia Personarum, quibus Causæ mandentur, haberi non potest: *Statuit eadem Sancta Synodus, in singulis Conciliis Provincialibus, aut Diœcesanis aliquot personas, quæ qualitates habeant juxta Constitutionem Bonifacii VIII., & alioquin ad id aptas designari, quibus imposterum Causæ committerentur; Et si aliquem interim ex designatis mori contingeret, substitueret Ordinarius Loci cum consilio Capituli alium in ejus locum, usque ad futuram Provincialem, aut Diœcesanam Synodum: Itaut haberet quævis Diœcesis quatuor saltem, aut etiam plures probatas, & qualificatas Personas, quibus hujusmodi Causæ committerentur; Alioquin post designationem factam, quam statim Episcopi ad Summum Romanum Pontificem transmitterent, delegationes quæcumque aliorum Judicum, aliis, quàm his factæ, subreptitiæ censerentur.*

Sancta Sedes aliàs super hoc provi-

ANNO 1741.

dit, ut in Cap. Statutum de Rescript. in 6.

Item Concilium Tridentinum, demandata Judicum Synodalium designatione.

§. 3. Cum verò Concilia Provincialia quolibet Triennio, Diœcesana anno quolibet ex præscripto Tridentini cogenda, ob varia, quæ obversantur impedimenta, longiùs protrahantur, nec Episcopis subsit quandoque certa spes, quod iis properè sublatis, dicta Concilia haberi possint, atque in illis designari novi Judices Synodales, in locum illorum, qui defecerunt: Sæpè idcircò Congregatio Concilii Tridentini Interpres à Locorum Ordinariis requisita, consultissimè respondit, subrogandorum Judicum electionem ab Episcopis esse faciendam cum Consilio Capituli.

Horũm electio permissa fuit etiam extra Synodum.

§. 4. Providæ igitur, & vetustæ hujusmodi leges palàm evincunt, antiqua esse vulnera in hac parte disciplinæ illata, illaque modò recrudescere, non quia congrua desit medela, sed quia negligitur ad præscriptum Canonicarum Sanctionum Judicum Synodalium designatio, quorum notitia si Romano pro tempore Pontifici exhibita fuisset, eisdem tantummodò Judicibus facta fuisset Causarum delegatio, semota quavis querelarum occasione.

Vera abusus inducti causa.

§. 5. Dum minoribus in hac Curia muneribus, atque illo præsertim Secretarii Congregationis Concilii fungeremur, nihil Nobis fuit antiquius, quàm Episcopis, aliisque Ecclesiarum Prælatis hosce sensus ingerere, eosque pro viribus ad has Ecclesiasticas leges custodiendas sedulò commonere: Nunc verò imperscrutabilis Consilii altitudine ad Supremum Apostolatûs fastigium licet immerentes evocati, Pastoralis officii exigit ratio, ut nostris hisce literis certa vobis imposterum methodus præscribatur, ad quamcumque dubiorum, & querelarum occasionem avertendam. Volumus itaque, & mandamus, quod in iis Diœcesibus, in quibus vigiles Ecclesiarum Antistites ad tramites Tridentinæ Synodi Judices elegerunt in Conciliis, sive Provincialibus, sive Diœcesanis, electorum Nomina quamprimum Nobis renuncient; & si forte unum, vel plures illorum mori contingat, antequàm denuò

Cui Pontifex occurrere intendit.

Jubet sibi renunciari nomina Judicum Synodalium.

ANNO 1741.

eadem Concilia cogantur, decedentibus subrogentur novi Judices, eligendi ab Episcopo cum Consilio Capituli, qui Nomina subrogatorum in dicto munere, usque ad diem Synodi duraturo, Nobis itidem significent. Ubi verò Concilia Provincialia, & Synodalia jamdiù coacta non sunt, nec ulla idcircò facta dignoscitur Judicum electio: pro injuncta humilitati nostræ omnium Ecclesiarum sollicitudine, Archiepiscopos, & Episcopos in Domino jugiter hortamur, & obtestamur, ut sublatis quibusvis impedimentis, eadem Concilia, sicubi omissa sunt, quamprimum haberi curent; interim verò cum consensu suorum Capitulorum Judices eligant, & Nomina Electorum in Albo redacta Nobis remittant; & si mori aliquem contingat, alios cum Consilio Capituli sufficiant, suffectosque Nobis indilatè denuncient. Quo autem ad Numerum eligendorum, etsi Tridentini Decreto cautum sit, quatuor saltem in unaquaque Diœcesi eligi debere, plures nihilominus eligi volumus, si Diœcesis amplitudo, aliæque peculiares circumstantiæ id probè exposcere videantur.

Eosque eligi à coactis Conciliis, & Synodis.

Vel interim extra Synodum, cum consilio Capituli.

§. 6. Monitos tamen esse volumus Locorum Ordinarios, quod licèt ad tramites præmissæ Decretalis Bonifacii VIII., cui etiam consona sunt disposita à Tridentino, facultas judicandi tribuenda sit Personis, Dignitate aliqua Ecclesiastica, Personatu, vel Canonicatu Cathedralis Ecclesiæ insignitis; hujusmodi qualitates ita esse accipiendas, ut non desit in persona ad hoc munus assumenda, altera potissimum requisita qualitas Doctrinæ, & idoneitatis, in qua summa Negocii est constituta. Hoc pacto designati, & electi Judices Nostro Supplicum Libellorum Secretario denuncientur ab Ordinariis, vel immediatè per se ipsos, vel mediatè per suos in Urbe Negociorum Gestores: Nostræque erit vigilantiæ solerter cavere, ne imposterum ab Officialibus nostræ Curiæ ad id Deputatis, Causæ aliis, quàm dictis Judicibus, delegentur. Quæ quidem dum Vobis, Venerabiles Fratres, per hæc Apostolica scripta nota esse volumus, in felicitatis auspicium, & paternæ dilectionis pignus, Apostolicam Benedictionem vobis impertimur.

Qualitates Judicum eligendorum.

Eorum nomina Secretario Supplicum Libellorum denuncianda.

Nec aliis deinceps Causarum commissiones dirigendæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 26. Augusti 1741. Pontificatus Nostri Anno II.

Dat. die 26. Aug. 1741.

XXIX.

Cessiones commodi exigendi fructus Beneficiorum prohibentur, sub pœna excommunicationis, & nullitatis contractus.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium à præcavenda Clericorum criminosa depauperatione.

UNIVERSALIS Ecclesiæ cura, quam inscrutabilis Divinæ Sapientiæ, atque Bonitatis altitudo humilitati nostræ committere dignata est, inter cæteras sollicitudines exigit etiam, ac postulat, ut diligenter invigilemus, ne Clerici Ecclesiasticis Beneficiis, quæ è liberali Ecclesiæ manu acceperunt, abutentes, eorum redditus, non sine aliorum fidelium scandalo, inconsulta prodigalitate disperdant, sed tanquam boni dispensatores ita administrent, ut & vitæ suæ necessaria provideant, & pauperum inopiæ, & Ecclesiarum necessitatibus succurrant.

Alienatio reddituum Beneficiorũ, obtentu cedendi commodum exactionis, improbatur.

§. 1. Relatum est ad aures nostras, quosdam Clericos Ecclesiasticis Beneficiis cum onere, vel sine onere residentiæ provisos, turpibus ut plurimum ex causis impulsos, annuos eorumdem Beneficiorum redditus, quos, donec viverent, percipere possent, unico actu alienare sub nomine cedendi commodum, seù utilitatem percipiendi fructus eorumdem Beneficiorum, quos alteri, quoad vixerint, vendunt, recepta pecunia ad eam summam, & quantitatem, quam ipsi, habita ratione eorum ætatis, & corporis valetudinis, durante vita, verisimiliter consequi potuissent. Cum autem isti improvidi Clerici instar illius prodigi filiifamilias, de quo in Evangelio scriptum est: *cum substantiam suam à Patre recepisset, totam statim consumpsisse luxuriosè vivendo, & deinde, facta fame valida, coactum esse vivere de siliquis immundorum animalium;* pia Ecclesiæ subsidia, & Ecclesiasticos proventus in suas explendas cupiditates improbo hujusmodi contractu profundant; multa hinc, & gravia mala, ut experientia ipsa compertum est, evenire solent. Nam primùm non leve dedecus Ecclesiastico Ordini inuritur, & grave reliquis fidelibus scandalum generatur, dum vident, Ecclesiasticas pecunias, quæ sunt vota fidelium, bona pauperum, patrimonium Christi, in pravos usus insumi, vel improvida profusione dissipari, quæ ab Ecclesiasticis, tamquam probis dispensatoribus, in solamen pauperum, & Ecclesiarum restaurationem impendi deberent. Præterea sæpe hujusmodi Clerici ad summam rediguntur egestatem, & ut se sustentare possint, vel indecorè, non sine infamia Clericalis gradus, mendicant, vel indignis quæstibus, & negotiis operam præbent; Ecclesiam autem, & Ecclesiasticas res quodammodo aversantur, quasi fraudati mercede, vel stipendiis suis, quæ nullius culpâ, sed solùm vitio, & flagitiis suis amiserunt; Ideò Ecclesiastica munera, vel nunquam, vel negligenter obeunt, Divinam Psalmodiam, si ad eam in publicis Ecclesiis ratione suorum Beneficiorum teneantur, frequenter omittunt, vel oscitanter persolvunt, Ecclesiasticos cœtus non frequentant, animarum salutem non curant, Divina fastidiunt, mundana sectantur.

Quæ mala inde proveniant.

§. 2. Volentes igitur hanc improbam consuetudinem, & non ferendam pravitatem, qua non mediocriter Clericalis ordinis fama minuitur, & honor conculcatur, Ecclesiæ autem debito servitio, pauperes opportunis subsidiis, & sacræ ædes necessariis reparationibus, & ornamentis fraudantur, penitus abolere, Motu proprio, ac certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnibus Clericis quacumque dignitate, præeminentia, honore, & privilegio insignitis interdicimus, & prohibemus, ne in posterum audeant sub nomine alienandi utilitatem, & commodum percipiendi fructus, vel alio quovis titulo, prætextu, & colore vendere, ac distrahere suorum respectivè Beneficiorum redditus, & proventus, vel ad vitam, vel in longum tempus, recepta ab Emptore, per unam, vel plures solutiones, pecuniarum quantitate, quam ipsi Beneficiati per ejusdem temporis, vel vitæ spatium probabiliter consequi potuissent: sub pœna excommunicationis, & nullitatis actus, seù contractus, & omnium inde consecutorum, aliisque pœnis inflictis, præscriptis, & statutis contra alienantes bona Ecclesiæ, quas rursus hic contra eosdem Clericos sic contrahentes renovare, decernere, ac statuere intendimus, & volumus. Et insuper ad uberiorem cautelam, & quatenus opus sit, omnes hujusmodi contractus, quos in futurum fieri contigerit, motu, scientia, deliberatione, & potestate simili damnamus, reprobamus, cassamus, irritamus, & annullamus, eosque nullos, cassos, ac irritos decernimus, & declaramus, illosque suis auctoribus tanquam invalidos, cassos, irritos, atque inanes, viribusque, & effectu ab initio vacuos, neque in judicio, neque extra, ad ullum effectum suffragari debere, neminemque ad eorum observantiam obligari, etiamsi pluries juramento firmati, & vallati sint, sed nullum inde jus cuicumque, aut actionem, vel titulum etiam coloratum possidendi, aut præscribendi per quodvis longissimum temporis spatium acquiri unquam posse pariter præcipimus, & jubemus.

Dictus abusus prohibetur sub pœnis contra alienantes bona Ecclesiæ.

Contractus, & actus ejusmodi annullantur ad quoscumque effectus.

§. 3. De-

ANNO 1741. Clausulæ salutares.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas & in eis contenta quæcumque nullo unquam tempore impugnari, aut retractari posse, sed semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari: Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac prædictæ S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis Apostolicæ præfatæ Nuncios, alioſve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari: Non obstantibus quibuscumque privilegiis, indultis, concessionibus, & gratiis Apostolicis tàm generalibus, quàm particularibus quantumvis speciali mentione, & nota dignis, quibuscumque Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Superioribus, & Inferioribus Ecclesiarum Prælatis, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ac eorum, & nostris familiaribus continuis commensalibus, necnon literarum Apostolicarum Scriptoribus, Abbreviatoribus, cæterisque Romanæ Curiæ Officialibus, concessis, & confirmatis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Decretum irritans.

Derogationes opportunæ.

§. 4. Ut autem facilius præsentes Literæ omnibus innotescant, & nemo prætextu illarum ignorantiæ excusari possit, jubemus, easdem ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, aliisque locis solitis, & consuetis, ut moris est, publicari, earumque exempla affigi: Volumusque, eas sic publicatas, omnes, & singulos perinde afficere, & obligare, ac si illis ipsis fuissent singulariter intimatæ: Exemplis quoque prædictis etiam impressis, manuque Notarii publici, & Sigillo Prælati Ecclesiastici, vel ejus Curiæ obsignatis, eamdem prorsùs fidem adhiberi, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, constitutionis, declarationis, annullationis, infirmationis, prohibitionis, interdicti, ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Publicationis præsentium vigor.

Exemplorum auctoritas.

Sanctio pœnalis.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLI. IV. Kalendas Septembris, Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Dat. die 29. Aug. 1741.

D. Cardinalis Passionens.

X. Sub-Datarius.

VISA DE CURIA.

N. Antonellus.

Loco ✠ Plumbi.

J. B. Eugenius.

Publicat. die 3. Octobris ejusdem Anni.

ANNO 1741. XXX.

Resignationes Beneficiorum cum reservatione Pensionis, & pacto eam cassandi, prohibentur, & annullantur; adjecta pœna privationis Beneficii, inhabilitationis ad alia assequenda, restitutionis pecuniæ, &c., & irritantur cassationes, & extinctiones pensionum, intra sex menses a capta possessione Beneficii obtentæ.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium à conservatione Ecclesiasticæ disciplinæ.

IN sublimi Beati Petri Cathedra Divina dispensatione, licèt immerentes, collocati, gravi dolore constringimur, quoties considerationis nostræ oculos convertimus ad præstantiorem Dominici Gregis partem, hoc est ad Ecclesiasticum cœtum, eumque conspicimus, vel pravis moribus, vel indecoris actibus dehonestari; non enim ignari sumus, quanta sit inde in populis corruptionis timenda pernicies, si sal, unde cætera condiri debent, evanuerit.

Exponitur abusus resignationum, cum reservatione Pensionis, & pacto eam abolendi.

§. 1. Pervenit quidem ad aures sollicitudinis nostræ, non rarò contingere solere, ut quidam Clerici in minoribus, vel majoribus ordinibus constituti, aut sola Ecclesiastica tonsura decorati, Beneficia, seù Officia simplicia, vel cum onere residentiæ possidentes, aliis resignent, annua sibi pensione sub Apostolico beneplacito reservata, inito eodem tempore pacto cum Resignatario, cassandi, & abolendi dictam pensionem, repræsentata pecunia, nempe factis quibusdam anticipatis solutionibus pecuniarum ad eam summam, quæ ad abolitionem, & extinctionem prædictæ pensionis, vel potius ad palliatam ipsius beneficii venditionem nefariè perficiendam, expressa inter Partes conventione, stabilita fuit. Et quoniam profani isti Beneficiorum distractores non ignorant, quod si hujusmodi improba pacta Datariæ Apostolicæ nostræ Ministris, aut Nobis innotescerent, nunquam resignationes hujusmodi a Datario, vel Prodatario Nostro, vel a Nobis, aliisque Romanis Pontificibus pro tempore existentibus admitterentur; ut circumspectam eorumdem Datariæ Apostolicæ Officialium, & Nostram, aliorumque Pontificum vigilantiam fallerent, callida malorum hominum improbitas hanc perditionis viam, & rationem excogitavit: Arcano, & clandestino pacto inter Resignantem, & Resignatarium, ad pensionem cassandam, & extinguendam, conventa pecuniæ quantitate, eâque quandoque etiam depositâ apud publicum mercatorem, seù mensam argentariam, unitim, ac simul expediri curant Bullam resignationis Beneficii, & alteram Pensionis reservatæ super eodem Beneficio favore Resignantis; ita tamen, ut propè eodem, vel non multò post tempore, quo Supplicationi pro reservatione Pensionis solita Data apponitur, alia Supplicatio subscribatur, seù signetur pro cassatione, atque extinctione ejusdem Pensionis per anticipatas, seù anticipandas solutiones faciendâ, nulla mentione facta de præcedenti abominanda conventione, & simoniacam labem redolente pacto, quo Beneficii resignatio in occultam ipsius Beneficii venditionem execrabili transformatione commutatur.

Fraudes adhiberi solitæ ad extorquendum assensum Apostolicum.

Mala inde consequetia.

§. 2. Cum autem hujus generis pacta improba, reprobata, damnata sint, & gratiæ hujusmodi cassationis, seù extinctionis Pensionis, tanquam subreptitiæ, & dolosa calliditate obtentæ, & quæ, rei veritate, & totius negocii serie expressa, nunquam a Sede Apostolica concessæ fuissent, nullæ, irritæ, ac inanes sint, & in maximum animarum eas fraudulenter impetrantium damnum, ac detrimentum tendant, & præterea

ANNO 1741.

scandalo simplicibus, & bonis abominationi, & pluribus æterno exitio sint: Siquidem gratiarum hujusmodi impetratores, qui Ecclesiastica Beneficia tali infami mercatu negotiantur potiùs, quàm resignant, non solùm gravissimo peccato, quod præ oculis habere deberent, animas suas illaqueant, sed insuper palàm apud omnes in populo, non sine infamia Ecclesiastici ordinis, exsecrantur, & contemnuntur; Et si pro aliis Beneficiis obtinendis ad Datariam Apostolicam accedere ausi fuerint, tanquam Beneficiorum Venditores malè audiunt, & publicè redarguuntur; cum statim ipsis ab eorum competitoribus opponatur Resignatio facta, cum cassatione Pensionis anticipatas, seù anticipandas solutiones, hoc est, indigna Beneficii jam antea obtenti negotiatio, & clandestina sub ambagibus, & fraudulentis conventionibus detestanda venditio.

Pacta cassationis Pensionis contemporanea Resignationi damnantur, & annullantur.

§. 3. Nos igitur hoc execrabile malum, quo non leve Ecclesiastico Ordini dedecus, & infamiæ nota inuritur, prout necessitas, & pastorale munus postulat, coercere in futurum volentes, & longè a Sanctuario Dei profanam hujusmodi abominationem removere, Motu proprio, ac certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine statuimus, & declaramus, omnia hujusmodi pacta, & conventiones pro cassatione, seù abolitione Pensionum per anticipatas, vel anticipandas solutiones contemporaneè ad Resignationes Beneficiorum, cum reservatione Pensionis, per quascunque personas quavis dignitate, honore, ac præeminentia insignitas inita, tanquam à Sacris Canonibus, & Apostolicis Constitutionibus improbata, & simoniacam labem redolentia, nulla, cassa, ac irrita esse; & omnes cassationes, abolitiones, & extinctiones Pensionum hujusmodi, quas in posterum intra sex menses, à die captæ possessionis Beneficii per Resignatarium computandos, fieri contigerit, etiam si nullum præcedens pactum interveniisse inter partes probari possit, & cassatio prædicta secuta sit vigore Supplicationis manu nostra, vel Romani Pontificis pro tempore signatæ, quam nullatenus, tanquam per subreptionem, & fraudes obtentam, neque in judicio, neque extra, ad ullum effectum eis suffragari volumus, irritas, nullas, & inanes esse, ac omnibus viribus, ac effectu vacuas, & quatenus opus sit, motu, scientia, & deliberatione simili, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium damnamus, revocamus, annullamus, cassamus, & abolemus, & insuper tàm Resignantem, quàm Resignatarium ab omni jure Beneficii decidisse, eosque ipso facto, absque alia declaratione, vel Judicis sententia, privatos, & ad alia obtinenda inhabiles esse, ac fore, & à quocumque Beneficium hujusmodi, tanquam de jure, & de facto vacans, impetrari posse; & præterea Resignantem ad restituendas pecunias pro cassatione Pensionis hujusmodi indebitè, & simoniacè perceptas, quæ arbitrio Ordinarii erunt piis locis applicandæ, vel pauperibus personis distribuendæ, sub peccato gravi teneri, & Ecclesiasticis remediis, ac pœnis, si renuat, ipso jure, absque alia sententia, & declaratione, cogi posse, motu, scientia, & potestate pari decernimus, & declaramus.

Irritantur abolitiones pensionum per anticipatas solutiones obtentæ intra sex menses a capta possessione Beneficii.

§. 4. Et quoniam multa malitia hominum est in terra, ut omnis aditus fraudibus, & dolis, quos perversa nonnullorum calliditas, & in exitium sui ingeniosa excogitare consuevit, quoad fieri potest, intercludatur, volumus, præcipimus, & declaramus, sub hac Nostra voluntate, constitutione, & dispositione comprehendi omnes, & singulas cessiones, seù translationes in ipsum Resignatarium, aut in aliam personam, commodi, seù utilitatis percipiendi fructus pensionum hujusmodi, necnon alias quascumque cessiones, translationes, resignationes, extinctiones, abolitiones, quovis modo, titulo, nomine, colore, & auctoritate, per anticipatas solutiones, seù repræsentata pecunia factas intra dictum tempus sex mensium; & etiam ultra id temporis spatium, dummodo reprobum illud, & detestabile pactum præcessisse constiterit.

Tam Resignans, quam Resignatarius Beneficio privantur ipso facto, & inhabiles ad alia assequ. declarantur.

Pecuniæ pro cassatione Pensionis perceptæ restitui jubentur.

Irritantur, etiam cessiones comodi exigèdi Pensiones factæ intra sex menses a capta possess.

§. 5. Mandamus præterea, & jubemus, easdem præsentes literas perpetuò firmas, validas, & efficaces existere, & fore, & nullo unquam tempore sub quovis colore, & prætextu, etiam defectus nostræ intentionis, impugnari posse: Sicque, & non aliàs, in præmissis omnibus, & singulis, per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac prædictæ S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis Apostolicæ præfatæ Nuncios, aliosque quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari: Non obstantibus Resignantium, seù Cedentium voluntatibus, conditionibus, protestationibus, & clausulis in ipsismet resignationibus, & cessionibus, seù Procuratorum constitutionibus, & Mandatis, ac aliàs, etiam ad præservationem suorum jurium, & significationem, quod non aliter, nec alio modo resignant, seù cedunt, appositis, & quacumque verborum vi, formula, & multiplicatione, & amplitudine expressis; necnon quibusvis indultis, privilegiis, & gratiis Apostolicis tam generalibus, quàm particularibus, quantumvis speciali mentione, & nota dignis, quibuscumque Archiepiscopis, Episcopis, & aliis superioribus, & inferioribus Ecclesiarum Prælatis, etiam S. R. E. Cardinalibus, ac eorum; & nostris familiaribus continuis commensalibus, necnon Literarum Apostolicarum Scriptoribus, Abbreviatoribus, cæterisque Romanæ Curiæ Officialibus concessis, & confirmatis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Clausulæ salutares.

Derogationes ampliss. mæ, etiam quoad præservationes in Resignationibus adjectas.

§. 6. Cœterum, ut faciliùs præsentes Literæ omnibus innotescant, & nemo prætextu illarum ignorantiæ excusari possit, jubemus, easdem ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, aliisque locis solitis, & consuetis, ut moris est, publicari, eorumque exempla affigi: Volumusque, eas sic publicatas, omnes, & singulos perindè afficere, & obligare, ac si illis ipsis fuissent singulariter intimatæ. Exemplis quoque prædictis etiam impressis, manuque Notarii publici, & sigillo Prælati Ecclesiastici, vel ejus Curiæ obsignatis, eamdem prorsus fidem adhiberi, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Publicationis vigor.

Fides transumptis habenda.

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostri decreti, constitutionis, declarationis, annullationis, infirmationis, prohibitionis, interdicti, ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Sanctio.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo primo, quarto Kal. Septembris, Pontificatus Nostri Anno II.

Dat. die 29. Aug. 1741.

D. Cardinalis Passionеus.

X. Sub-Datarius.

VISA DE CURIA.

N. Antonellus.

Loco ✠ Plumbi. J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicat. die 3. Octobris ejusdem Anni.

Confirmatio

ANNO 1741. XXXI.

Confirmatio Synodi Nationalis Maronitarum, habitæ in Monte Libano Anno Domini MDCCXXXVI.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

S. Sedes Cath. Fidem, & disciplinã ubique promovet variis mediis.

SINGULARIS Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum in Suprema Catholicæ Ecclesiæ procuratione sollicitudo, cura, atque providentia, tum ad Sacrosancta Orthodoxæ Religionis dogmata, tum ad tradita Ecclesiasticæ Disciplinæ præcepta, sive declaranda, sive sustinenda, sive confirmanda, sive tuenda, sive in pristinum, ubi fortasse excidissent, aut in aliquod, quamvis minimum, erroris, vel corruptelæ vitium inclinassent, observantiam revocanda instaurandaque, accuratissime semper servata, in eo maximopere commendatur, quod minime passi fuere omnia opportuna, ac necessaria caritatis, sapientiæ, vigilantiæ, atque auctoritatis Apostolicæ remedia suaviter fortiterque, ubicumque terrarum, ac gentium, ubi Catholica Fides colebatur, adhibenda fuissent, unquam desiderari. Sæpe enim per Apostolicas Literas arguebant errantes; sæpe verò de Apostolico fonte per omnes Provincias petentibus responsa dabant; interdum quidem aliis, cum longius abessent, suæ curæ vices gesturis, causas cognoscendas definiendasque committebant; interdum etiam viros dignitate, ac doctrina insignes, per quos ibi, ubi præsentes esse non poterant, sua repræsentaretur auctoritas, decernebant; alias Cœtus, ac Synodos, ut a Fratribus, & Coëpiscopis ibi congregatis, Canonica, & Apostolica integritate causæ discussæ Deo placita æquitate definirentur, indicendas mandabant; nonnunquam & Legatos suos mittebant, qui Cœtus, & Synodos, sive Generales, sive Nationales, aut Provinciales convocarent; in quibus Apostolicæ Sedis nomine aut adstantes, aut præsidentes, postquam salubriter, servatâ æquitate, omnia discussa, & canonica integritate fuissent definita, ad eorumdem Prædecessorum Nostrorum studerent perducere notionem, quatenus ab ipsis valerent congrua siue dubio sententia terminari atque confirmari.

Inter cætera, Conciliorum celebratione.

Eorum utilitas semper agnita.

§. 1. Quantum autem ad Catholicæ Religionis veritatem illustrandam, confirmandamque, quantum ad ecclesiasticæ disciplinæ observantiam procurandam, quantum ad Christianæ pietatis, & sanctimoniæ studium promovendum prodesset hujusmodi Cœtus, & Synodi, satis superque experimento comprobavit ipsa antiquitas. *Quæ* sane *ex causa*, inquit Sanctus Martyr, & Episcopus Cyprianus, *necessario apud Nos fit, ut per singulos annos seniores, ac Præpositi in unum conveniamus ad disponenda ea, quæ curæ nostræ commissa sunt, ut, si quæ graviora sunt, communi consilio dirigantur.* Eapropter Tridentina Synodus præcepit, ut Concilia quidem Provincialia, sicubi omissa fuissent, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex Sacris Canonibus permissis, quolibet saltem triennio, Diœcesanæ verò Synodi quotannis renovarentur.

Et a Concil. Trid. commendata.

Maronitarũ rebus necessarium erat Concilium Nationale.

§. 2. Etsi autem Venerabiles Fratres Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, aliique pro tempore existentes Inclytæ Nationis Maronitarum, quæ ab ipsa sua origine Orthodoxam Romanam Fidem professa semper intactam ab Infidelibus, Hæreticis, Schismaticis undique circumsedentibus custodire, atque Apostolicæ huic Sanctæ Sedi arctissime adhærere, debitaque obedientia obsequi studuit, ac pergit, Cœtus, & Synodos ejusmodi veluti in speciem inter se celebrare non destiterint; nunquam tamen apud illos Provinciale, seu totius Nationis Concilium habitum fuisse constat. Quo factum fuit, ut, cum nonnulla ad Disciplinam Ecclesiasticam potissimum spectantia sensim à primæva institutione, ac splendore declinare viderentur, ad eadem sustinenda reparandaque assidue per Congregationum Venerabilium Fratrum S. R. E. Cardinalium, tum Generalis adversus hæreticam pravitatem Inquisitionis, tum Propagandæ Fidei, Decreta super propositis dubiis, & exortis controversiis edita, quantum fieri potuit, consuleretur. Quæ certe providentia jamdudum inita, ac servata, etsi quodammodo salutaris, haud tamen satis visa fuit modernis Venerabilibus Fratribus Josepho Petro Patriarchæ Antiocheno, cæterisque Archiepiscopis, & Episcopis ejusdem Nationis Maronitarum, ut votorum suorum compotes fierent. Quamobrem per supplices Literas eximiis singularis erga Apostolicam hanc Sanctam Sedem reverentiæ, & obedientiæ notis insignes, iterum atque iterum datas, non modo abusus sensim irreptos, ac controversias, & confusiones pacem plerumque interturbantes, e medio tollendas significabant; verùm enixis etiam precibus tandem postularunt, ut ad gravissimum hujusmodi negotium cum ejusdem Nationis decore atque utilitate conficiendum, adlegare dignaretur Apostolica Sedes Dilectum Filium Josephum Simonium Assemanum, ejusdem Nationis Virum, primæ in Bibliotheca nostra Vaticana Custodiæ Præfectum, Canonicum Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, Magistrum in utraque Signatura nostra Referendarium, Prælatum domesticum, & intimum Cubicularium nostrum, quem triginta fere ab hinc annis Nobis notum, & acceptum, tum propter obsequia sua in earumdem Congregationum Inquisitionis, & Propagandæ Fidei negotiis Nationum Orientalium expediendis laudabiliter præstita, & tot volumina, de Orientalibus præsertim, aliisque rebus, jam typis edita, plurimi facimus.

ANNO 1741.

Ideo recurrunt ad S. Sedem.

Et petunt allegari R. P. Assemanum.

Clemẽs XII. annuit.

§. 3. Itaque fel. record. Clemens PP. XII. Prædecessor noster, ex ejusdem Congregationis Propagandæ Fidei consilio, supplicationibus hujusmodi inclinatus, laudatum Josephum Simonium, tum suis Apostolicis in simili forma Brevis Literis, tum Decreto, & Instructione super nonnullis articulis peculiari reformatione dignis habitis, & facultate Synodum Provincialem, seu totius Nationis, si opus fuisset, congregandi instructum, ablegare dignatus fuit. Hic autem supremis ejusdem Clementis Prædecessoris jussibus, ea, qua decebat, obedientia obtemperans, Orientem contendit. Postquam ad Libanum Montem accessit, Apostolica Mandata, Decreta, & Instructionem dictæ Congregationis in Apostolicis Literis, & Decretis, ut præmittitur, contenta, iisdem Josepho Petro Patriarchæ, aliisque Præsulibus Maronitis exposuit. Quibus omnibus cum veneratione Apostolicæ Sedi debita exceptis, lectisque, unanimi consensu statutum fuit, ut Synodus hujusmodi haberetur, in qua non solum recitarentur, atque observanda proponerentur decreta, & ordinationes dictæ Congregationis Propagandæ Fidei; verùm etiam alia decreta, & canones, si aliquo pacto id, ad Ecclesiasticam Disciplinam cum ejusdem Nationis laude reformandam illustrandamque, necessarium, atque oportunum fuisset visum, conderentur.

Ablegatus, cum Mandatis Apost. ad M. Libanum accedit; & Synodus indicitur.

Locus Concilii, & Personæ in eo convenientes.

§. 4. Interea variis prolusionibus, & congressibus ante peractis, Synodus hujusmodi, quæ jam indicta fuerat, in Ecclesia sub Invocatione Beatæ Virginis Mariæ Immaculatæ Monasterii de Loaisa Dilectorum Filiorum Monachorum Sancti Antonii Congregationis Montis Libani in Provincia Chesroanensi Phœniciæ convocata fuit. In ea sane, præter Patriarcham, & Ablegatum hujusmodi, interfuerunt Archiepiscopi, & Episcopi, nimirum quatuordecim Maronitæ, duo Syri, &

totidem

totidem Armeni, Abbates Generales Monachorum tum Sancti Antonii Congregationis Montis Libani, tum Sancti Isaiæ, singuli cum quatuor Diffinitoribus, & aliis Abbatibus localibus, tam ejusdem Congregationis Montis Libani, quàm Monasteriorum antiqui Instituti, Locumtenens Custodiæ Hierosolymorum, ac totius Terræ Sanctæ, Apostolici Missionarii omnium Ordinum, qui in Syria, & Palæstina commorantur, nempe Sancti Francisci Minorum de Observantia, & Capuccinorum, Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupatorum, & Clerici Regulares Societatis Jesu, ac quamplures Archipresbyteri, Parochi, Presbyteri, Theologi, Collegii Pontificii de Urbe olim Alumni, aliique Clerici, Monachi, Principes, ac Magnates Gazeni, Hebaiscii, & aliarum Familiarum insignium Montis Libani, & Antilibani.

Conduntur Decreta juxta Instructiones, & acceptantur.

§. 5. Antedicti omnes in sessionibus, tam matutinis, quàm vespertinis, trigesima mensis Septembris, ac prima, & secunda diebus mensis Octobris anni 1736. habitis, insimul convenientes, postquam recitata, & proposita fuerant decreta, canones, & articuli juxta instructionem dictæ Congregationis Propagandæ Fidei, ut præmittitur, in Synodo hujusmodi condita, & contenta, non solum omnia, & singula comprobarunt laudaveruntque, iisque omnes, & singuli, qui suffragium, & votum habebant, aliique subscripserunt; verùm etiam Literas, quibus & ea, quæ gesta erant, significabant, & ipsum Ablegatum propter suum zelum, prudentiam, doctrinam, pietatem, sapientemque in rebus gestis habitam rationem, maximopere commendabant, diebus tertia, quarta, quinta, septima, & decimaquinta ejusdem mensis, & anni datas, ad Clementem Prædecessorem præfatum, & fæpedictam Congregationem perferendas curarunt; suppliciter expostulantes, ut Synodus hujusmodi, prævio Apostolicæ hujus Sanctæ Sedis examine, censura, & correctione, quatenus necessitas exegisset, Apostolica auctoritate approbata, & confirmata, Typis etiam Arabicis dictæ Congregationis Propagandæ Fidei in lucem prodiret.

Petitur examen, & confirmatio S. Sedis.

Dissensiones exortæ circa nonnullorum executionem.

§. 6. Interea, dum ipse Joseph Simonius Ablegatus Instructioni memoratæ Congregationis, & bo. mem. Felicis Cardinalis Zondadari, dum viveret, Nationis Maronitarum Protectoris, & hujusmodi ad Montem Libanum Ablegationis Ponentis, mandatis obtemperaturus, & iis, qui in dicta Synodo suffragati fuerant, morem gesturus, statim nonnulla in quibusdam articulis, ut præmittitur, contenta, ac primum hic Romæ, deinde in memorata Synodo jam discussa atque decreta, executioni mandanda curat, ac præsertim omnimodam Monialium a Monachis separationem; non levis eumdem Ablegatum inter, & Patriarcham, quoad modum separationis, emersit dissensio. Accessit deinde controversia de inhibita quacumque vel modica pecuniæ summa, aut aliarum rerum contributione, tum in Sacrorum Oleorum distributione, tum in Sacrorum Ordinum collatione, Patriarchæ, aut Episcopis aliàs solvi, & erogari solita. Demum de statuta uniuscujusque propriæ Ecclesiæ Antistitis firma incardinatione, & Episcopatuum ad certum numerum, juxta folium ab ipso Patriarcha, Archiepiscopis, & Episcopis subscriptum, reductione, dissidium erupit. De hisce omnibus idem Patriarcha, & per suas Litteras anno 1737. scriptas, & per suum Nuntium anno 1738. hanc Almam Urbem assequutum, Apostolicam Sedem consuluit.

Quæ pariter ad S. Sedem deferuntur.

Eædem examinantur in Congreg. de Prop. Fide.

§. 7. Narratis autem, relatisque prius in fæpedicta Congregatione Propagandæ Fidei non semel habita, quamplurimis, tum quoad puncta in antedictis articulis contenta, tum quoad auctoritatem legitimitatemque Synodi præfatæ, rationum momentis hinc inde adductis, & accuratissime expensis; audita tum Venerabilis Fratris Gabrielis Eva Archiepiscopi Cypri Maronitæ, tum Dilectorum Filiorum Thomæ Budi Abbatis Generalis Monachorum Sancti Antonii dictæ Congregationis Montis Libani, & Pompilii Rodatà in Bibliotheca nostra Vaticana Græci Scriptoris, & de rebus Orientalibus non ignari, quibus Synodus præfata revidenda, & examinanda commissa fuerat, relatione; Particularem Congregationem eorumdem Venerabilium Fratrum nostrorum Propagandæ Fidei jam à Nobis deputatam, coram Nobis die 27. proxime elapsi mensis Augusti, Ponente Dilecto pariter Filio nostro Vincentio S. R. E. Cardinali Petra ejusdem Congregationis Propagandæ Fidei Præfecto, in locum Dilecti itidem Filii nostri Caroli S. R. E. præfatæ Cardinalis Rezzonici Ponentis absentis suffecto, habendam indiximus.

Ac demum coram SSmo.

Dubia in Congr. proposita.

§. 8. Proposita fuerunt in Congregatione hujusmodi dubia, quæ sequuntur. I. *An constet de legitimitate dictæ Synodi?* II. *An Canon quoad cohabitationem prohibitam Monialium, seu Mulierum, cum Monachis, sustineatur, vel quomodo moderandus?* III. *An Canon prohibens Patriarchæ quamcumque exactionem in distributione Olei Sancti Parochis, substineatur, & mereatur confirmationem?* IV. *An Canon quoad residentiam Episcoporum Maronitarum in propriis Titulis Ecclesiarum Episcopalium, sit approbandus; & quid quoad Appendicem Synodi Cap. 41. in quo adest divisio Sedium Episcopalium, cum limitibus Diœcesum Maronitarum, pro distributione Diœcesum in tot Episcopis, itaut non possint amoveri a Patriarcha?* V. *An sit consulendum Sanctissimo pro approbatione dictæ Synodi etiam per Breve Apostolicum?* Ad quæ sane dubia, omnibus sedulo expensis, per eosdem Cardinales responsum fuit. Ad primum. *Constare de legitimitate Synodi, omnibus suffragantibus.* Ad secundum. *Pro approbatione Canonis, citra tamen approbationem Monasteriorum.* Ad tercium. *Approbandum: & ad Sanctissimum, qui dignetur alio modo providere Domino Patriarchæ.* Ad quartum. *Pro approbatione Canonis demandantis Residentiam Episcoporum: & ad Sanctissimum quoad contenta in Appendice Cap. 41. in quo proponuntur Metropolitanorum, & Episcoporum Maronitarum Sedes, & limites.* Ad quintum. *Ad Sanctissimum, qui dignetur approbare Synodum, cum Brevi Apostolico.*

Congregat. Responsa.

§. 9. Hinc est, quod Nos, qui in sublimi Sacrosancti Apostolatus specula per Divinæ bonitatis abundantiam constituti, nihil optamus impensius, quàm ut per universum Catholicum Orbem evangelizemus, & dogmata Orthodoxæ Fidei omnes Christifideles edoceamus, & Ecclesiasticæ Disciplinæ præcepta intacta sanctissimè servanda curemus: Eapropter, omnibus, & singulis dissidiis, controversiis, dissensionibus, cæterisque quibuscumque, quæ ad hanc usque diem super præmissis omnibus quocumque pacto, & quomodolibet excitata fuerunt, perpetuum silentium imponentes; necnon omnium, & singulorum supra memoratorum Patriarchæ, Ablegati, Archiepiscoporum, Episcoporum, cæterorumque Nationis Maronitarum hominum votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere, eorumque singulares personas specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, atque Apostolicis laudibus commendantes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes; supplicationibus eorumdem nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de eorumdem Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, Synodum hujusmodi, omniaque, & singula in ea, ut præmittitur, edita Statuta,

Pontifex de illius consilio, Synodum approbat, & confirmat.

Decre-

Decreta, Ordinationes, & Canones, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; ita tamen, quod per nostram prædictæ Synodi confirmationem nihil derogatum esse censeatur Constitutionibus Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, & Decretis Conciliorum Generalium super Ritibus cæterarum quarumcumque Nationum, sive specialiter, sive generaliter factis, quæ, non obstante hujusmodi confirmatione, in suo robore permanere debeant; ac salva semper in præmissis auctoritate dictæ Congregationis Propagandæ Fidei, Nobis tamen, ac Successoribus nostris Romanis Pontificibus, toties, quoties opus fuerit, super præmissis omnibus prius consultis.

Salvis Constitutionibus super Ritibus aliarum Nationum editis.

Et facultatibus ejusdem Congregationis.

§. 10. Decernentes easdem præsentes Literas, ac Synodum, in eaque edita Statuta, Ordinationes, Decreta, & Canones hujusmodi, semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia inviolabiliter, & inconcusè observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, definiri, atque interpretari debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, sive Patriarcha, Archiepiscopis, & Episcopis Nationis Maronitarum, tam singulatim, quàm una insimul convenientibus, sive Apostolicis Operariis, qui ab eadem Congregatione ad quascumque Orbis Terrarum partes mittuntur, quavis auctoritate, etiam per hanc Sanctam Sedem concessa, nisi expressa quoad Synodum hujusmodi à Nobis, & Successoribus nostris Romanis Pontificibus data fuerit facultas, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis omnibus, & Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Clausulæ pro Decretorum observantia, sublata &c.

Derogationes.

§. 11. Cæterum quidquid quoad omnia, & singula dubia antedicta, aliaque quæcumque pro totius Nationis Maronitarum splendore, utilitate, pace, ac concordia proficuum, ac salutare fore noverimus, per alias nostras in simili forma Brevis Literas cumulate declarabimus.

Reliquorum Dubiorũ Declaratio differtur.

§. 12. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Fides Transumptis habenda.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die prima Septembris 1741. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Dat. die 1. Sept. 1741.

D. Cardinalis Passionens.

XXXII.

Erectio sex Officiorùm Ecclesiasticorum in Ordine Equestri S. Georgii Martyris in Bavaria, auctoritate Apostolica confirmatur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procœmium.

MILITARES Equestres Ordines, ad Orthodoxæ Religionis præsidium, & firmissimum adversus Infidelium, Turcarum, & Acatholicorum insultus propugnaculum, à Regibus, & Summis Principibus institutos, in quibus Equites Milites præclara nobilitate, spectata virtute, prudentia, ac pietate præditi adscriberentur, tam ipsi Reges, & Summi Principes, quàm Romani Pontifices Prædecessores nostri certatim insignibus honoribus, prærogativis, beneficiis, commendis, ac privilegiis augere, & cumulare studuerunt, ut unusquisque Equitum Militum ad injunctum sibi muneris sui ministerium accuratissimè obeundum magis, magisque incitaretur.

Ordo S. Georgii a Duce Bavariæ institutus.

§. 1. Quoniam autem, sicut Nobis nuper pro parte Dilecti Filii Nobilis Viri Caroli Alberti Ducis Bavariæ, & Sacri Romani Imperii Electoris expositum fuit, ipse, ut eximiis bon. mem. Maximiliani Emmanuelis parentis sui, belli, pacisque laudibus, dum viveret, florentissimi, & Sacrosanctæ Religionis studio cum primis flagrantis, qui Equestrem Militiæ Ordinem in honorem Intemeratæ Deiparæ Virginis Mariæ, sub invocatione, & protectione Beati Georgii Martyris erigere constituerat, etsi propter varios bellorum eventus executioni demandare non potuit, eidem tamen Alberto Carolo in supremis tabulis commendavit, votis, ac mandatis obsecundaret, suæque pietati faceret satis, eumdem Militarem Equestrem Ordinem non solum instituit, verùm etiam Apostolica auctoritate confirmandum curavit à fel. record. Benedicto Papa XIII. Prædecessore Nostro per Apostolicas ejusdem Benedicti sub plumbo literas Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo octavo XV. Kalendas Aprilis, Pontificatus sui Anno Quinto datas, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, & in quibus de Ordinis hujusmodi institutione, & confirmatione uberius continetur. Ut autem eumdem Ordinem, cujus laudatus Carolus Albertus Dux & Elector, Institutor, ac Magnus Magister existit, & cui quamplurimi Nobiles Viri nomen dederunt, majori decore, & incremento adaugeat, pro singulari sua pietate, & avita erga res Sacras reverentia, sex Nobiles Viros in Ecclesiastica Dignitate constitutos, prout infra, in Ordinem hujusmodi cooptare desiderans, in Capitulo Militum Equitum memorati Ordinis ad antedictum effectum habito, unanimi omnium suffragantium consensu, decretum voluit, ut iidem sex Nobiles Viri Ecclesiastici, si Nostrum hac in re Apostolicum beneplacitum accederet, adlegerentur.

A Benedicto XIII. confirmatur.

Erectio sex Officiorum Ecclesiasticorum.

§. 2. Præcipuus verò ejusdem Caroli Alberti in ea sententia finis in hoc vertitur, ut, ad majorem Dei gloriam, & Ordinis splendorem, Sacra Officia, quæ in Ecclesia dicti Ordinis pro tempore obeunda sunt, quàm maxima potest majestate, ac dignitate peragantur. Horum itaque sex Virorum Nobilium Equitum Ecclesiasticorum primum quidem exoptat Episcopali Dignitate, & Charactere, ut Pontificalia munera in Ordinis præfati Ecclesia sub invocatione Sancti Georgii Martyris Deo dicata, quæ in Ducalibus & Electoralibus Ædibus posita, & ab omni Ordinarii Episcopi loci jurisdictione immunis, & exempta est, exercere valeat, insigniri; alterum verò cum Præpositi nomine, & Pontificalium usu constitui, ut vices Antistitis, hoc absente, vel legitime impedito, expleat; tertium, ac quartum Decanorum itidem nominibus dici, qui Divinis Officiis, sive Horis Canonicis, cum aliorum Militum Equitum interventu, in dicta Ecclesia persolvendis in Choro intersint; quintum, ac sextum denique Eleemosynarios ab honore appellari, à quibus Decanorum munera, ipsis absentibus pariter, aut legitime impeditis præstentur. Porro pro congruenti, idoneoque antedictorum in suis respectivè Dignitatibus, & muneribus debito cum decore sustinendis emolumento, idem Carolus Albertus Dux & Elector primos duos, nempè Episcopum, & Præpositum pro tempore exi-

Eorum munera.

Emolumenta.

stentes,

stentes, ad Præposituras, ad quas quemlibet nominandi sibi jus, cui non est in aliquo hactenus derogatum, competit, nominabit; duobus Decanis Collegiales Præbendas conferet; reliquis duobus ab honore Eleemosynariis, servata antianitatis regula, eas, quibus alii Milites Equites donantur, commendas, pensiones, & beneficia impertietur. Quo autem debitus honor, auctoritas, & reverentia Episcopo, & Præposito pro tempore existentibus concilietur, uterque Magnam Crucem cum Stella super Pallio, & Vestibus; Decani, ad instar Equitum Commendatariorum, Mediam, & Eleemosynarii Parvam eandem prorsus, è collo vitta serica cœrulei coloris pendentem, quam cæteri Equites ferre solent, Crucem gestare teneantur. Quæ quidem omnia, ut præmittitur, per ipsum Carolum Albertum, in Capitulo cum unanimi Equitum Militum consensu statuta, & decreta, ut debitæ executioni demandentur, & imposterum firmius subsistant, ac serventur exactius, ejusdem Caroli Alberti nomine Nobis humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis opportune providere, & de benignitate Apostolica indulgere dignaremur.

Insignia.

Confirmatio Apostolica.

§. 3. Nos igitur ipsum Carolum Albertum Ducem, Electorem, & Ordinis præfati Institutorem, ac Magnum Magistrum, de Catholica Religione, atque Apostolica hac Sancta Sede præclarè mereri pergentem, specialibus gratiarum favoribus prosequi volentes, eumque à quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi Nobis ejusdem nomine porrectis inclinati, præmissa omnia, & singula, tenore præsentium, Apostolica auctoritate approbamus, indulgemus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, omnesque & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, & sanamus.

Clausulæ, & Derogationes.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuntios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Militaris Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Forma jurisjurandi ab Ecclesiasticis præstandi.

§. 5. Cæterum earumdem præsentium tenore, ac pari auctoritate volumus, & mandamus, primum, ut Episcopus, Præpositus, Decani, & Eleemosynarii pro tempore existentes, quippe qui Ecclesiastici Ordinis, cum in Militarem Equestrem Ordinem præfatum cooptari contigerit, votum seu jusjurandum, scilicet ut prompti semper, & quacumque oblata occasione parati sint, Sanctam Fidem Catholicam, & Apostolicam Romanam, ejusque propagationem, honoremque Deiparæ Virginis, sanguine ipso impavide contra quoscumque palam tueri, & defendere, ita concipiant, ut nullo unquam tempore iidem ad apertum bellum quibuscumque inferendum, inconsulta Apostolica hac Sancta Sede, & nonnisi de expressa ejusdem Sedis toties, quoties opus fuerit, pro eorum singulis impetranda licentia accedere teneantur: ac propterea hoc ipsum sibi in emittendo voto, ac jurejurando dicendo, expresse cáveant; aliter nullum sit, & inane, ac nullius prorsus roboris, ac momenti.

Pontificalia quatenus ipsis liceat exercere.

§. 6. Deinde, ut Episcopus, & Præpositus, qui Pontificalia, ut præmittitur, sive statis, sive indictis solemnitatibus, aliisque diebus exercebunt, non nisi in ipsa dumtaxat Ecclesia in Ædibus Ducalibus & Electoralibus sita, & Militum Equitum dicti Ordinis Conventui assignata, quæ ab omni Ordinarii Episcopi Loci jurisdictione, ut asseritur, immunis est, atque exempta, obire debeant: in quacumque enim alia Ecclesia Pontificalia hujusmodi qualibet de de causa exerceri contigerit, nullo pacto, nisi de Ordinarii Locorum permissu, toties, quoties occasio postulaverit, sub pœnis juxta Canonicas sanctiones inflictis fieri liceat.

Episcopi nominatio conceditur Duci Magno Magistro.

§. 7. Tertium, ut cum Episcopus hujusmodi viam universæ carnis ingressus fuerit, idem Dux Elector, ac Ordinis præfati Magnus Magister Virum pietate, ac doctrina insignem, toties quoties id acciderit, nominet, qui, postquam omnia, & singula de more, institutoque Majorum servanda in Antistitum, sive Residentialium, sive Titularium, ut dicitur, inauguratione, fuerint confecta, & omnino servata, ac dignus ea dignitate repertus fuerit, in Episcopum inauguretur.

Datum in Arce Gandulphi Albanensis Diœcesis sub Annulo Piscatoris die VI. Octobris MDCCXLI. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Dat. die 6. Oct. 1741.

D. Cardinalis Passionеus.

Causarum Matrimonialium judicia coram quibus, & quo ordine, ac forma peragenda sint, constituitur. XXXIII.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

Dei miseratione, cujus judicia incomprehensibilia sunt, & viæ investigabiles, in suprema Ecclesiæ specula immerentes constituti, ut super universum Dominicum gregem excubias sedulò agamus, ad commissum Pastoralis officii munus pertinere dignoscimus, subnascentes ex infernalis hostis astutia, & hominum malitia, abusus, quibus & animarum saluti pernicies, & Sacramentis Ecclesiæ injuria infertur, radicitus evellere, & potestatis Nobis desuper traditæ operam interponere, ut & humana cohibeatur temeritas, & veneranda Divinæ Legis servetur auctoritas.

Matrimoniũ jure naturali, & Divino indissolubile.

§. 1. Siquidem Matrimonii fœdus a Deo institutum, quod, & quatenus naturæ officium est, pro educandæ prolis studio, aliisque Matrimonii bonis servandis, perpetuum, & indissolubile esse convenit; & quatenus est Catholicæ Ecclesiæ Sacramentum, humana præsumptione

dissolvi non posse, Salvator ipse ore suo pronunciavit, dicens : *Quod Deus conjunxit, homo non separet* : ad aures Apostolatus nostri pervenit, in quibusdam Ecclesiasticis Curiis inconsulta nimis Judicum facilitate infringi, & temerè, atque inconsideratè de eorumdem Matrimoniorum nullitate latis sententiis, potestatem Conjugibus fieri transeundi ad alia vota. Quos sanè improvidos Judices humanæ naturæ conditione, & voce ipsa quodammodo admoneri oportebat, ne tam præcipiti audacia Sanctum Matrimonii nexum frangerent, quem perpetuum, atque indissolubilem primus humani generis Parens præmonuit, inquiens : *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea* : Et illud additum est : *Quamobrem relinquet homo Patrem suum, & Matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.*

Excessus abusuum, in connubiorū dissolutionibus admittendis.

§. 2. Hujusmodi autem abolendæ pravitatis notitia diversis ex partibus Nobis delata est, atque etiam indicata sunt exempla nonnullorum Virorum, qui post primam, & secundam, ac tertiam, quam duxerant, uxorem, ob nimiam Judicum præcipitantiam in nullitate Matrimoniorum declaranda, adhuc illis primis uxoribus superstitibus, ad quartas contrahendas nuptias devenerant; & similiter fœminarum, quæ post primum, secundum, & tertium maritum, quarto etiam, illis quoque viventibus, se junxerant, non sine pusillorum scandalo, & bonorum omnium detestatione, qui sacra Matrimonii vincula ita contemni, & temerè perfringi dolebant. Nos autem, his intellectis, gravi affecti dolore, intimo animo ingemuimus, & non prætermisimus Apostolicæ nostræ sollicitudinis partes in Domino adimplere. Siquidem primo Pontificatus Nostri Anno ad Episcopos illarum Partium, in quibus prædicta acciderant, plenissimis datis literis, graviter conquesti sumus de hujusmodi pravitate, quæ in Ecclesia Dei tolerabatur, & ad eam abolendam eorum animos erigere, & pastoralem zelum accendere curavimus : quod etiam egimus cum aliis aliarum Regionum Episcopis, ubi hujusmodi pravum dirimendorum Matrimoniorum usum irrepsisse cognovimus.

Causæ, quibus tribuitur hujusmodi pravitas.

§. 3. Verùm Nobis responsum est, id sæpe contingere partim ex culpa illorum Judicum, quibus, vel in prima instantia, cum Causa coram Judice Ordinario ex aliqua legitima causa cognosci nequit, vel in secunda, cum in partibus nullus adest Judex, ad cujus Tribunal Causa in gradu appellationis devolvatur, vel si adest, justa de causa coram eo disceptari nequit, Causæ Matrimoniales hujusmodi à Sede Apostolica committuntur; qui vel ob inscitiam, vel ob malam voluntatem, proclives sunt ad Matrimonia dissolvenda, atque eadem Matrimonia, levi, vel etiam nullo habito examine, irrita, ac invalida declarant : partim etiam ex facto Conjugum super nullitate suorum Matrimoniorum litigantium; cum frequenter unus tantùm eorum, qui dissolutionem Matrimonii postulat, in judicio compareat, & Sententiâ, nullo contradicente, secundum sua vota obtentâ, ad alias nuptias convolat; vel ambobus Conjugibus in Judicium venientibus, altero, qui pro Matrimonio, altero verò, qui contra agit, Sententiâ de nullitate Matrimonii prolatâ, nullus est, qui ad superiorem Judicem appellationem interponat; vel quia litigantes in specie quidem discordes, re vera inter se concordes sunt, & invicem colludentes, contractum Matrimonium dissolvi cupiunt; vel quia Pars, quæ pro validitate Matrimonii stabat, ejusque nullitatem acriter contra adversarium impugnabat, lata à Judice Sententia contra Matrimonium, mutat voluntatem, vel pecunia sibi ad sumptus litis non suppetente, vel aliis deficientibus auxiliis ad litigandum necessariis, & incœptum opus, ac Causam post primam Sententiam deserit : Quo fit, ut deinde ambo Conjuges, vel unus eorum, ad aliud contrahendum Matrimonium se conferat.

Pontificis providentia circa commissiones causarum ad partes.

§. 4. Quod autem ad Judices pertinet, quibus extra Romanam Curiam pro Litigantium commodo causæ Matrimoniales committuntur, paternâ illâ vigilantiâ, qua de justitia unicuique integrè sapienterque administranda solliciti esse debemus, encyclicis Literis ad Venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & Episcopos scriptis vicesima sexta Augusti anno secundo Pontificatus Nostri, providere curavimus, in quibus ea præscripsimus, quæ Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini decretis consona, si diligenter, ut speramus, serventur, in posterum Causæ non nisi personis congrua juris peritia, & necessario probitatis, spectatæque fidei munitis præsidio committentur. Insuper ad ea, quæ in iisdem encyclicis litteris constituta sunt, id etiam in præsenti adjungimus : Quod, quamvis Concilii Tridentini Decretum, quo causæ Matrimoniales subtractæ fuerunt Decani, Archidiaconi, & aliorum inferiorum judicio, & Episcoporum tantùm examini, & jurisdictioni reservatæ, dumtaxat procedat de Archidiaconis, Decanis, aliisque inferioribus, qui in eadem Diœcesi constituti, vel privilegio aliquo, vel præscriptione, saltem in visitatione, Causarum Matrimonialium cognitionem sibi adrogabant; ac idcircò minimè obstet commissionibus, quæ, pro iisdem causis matrimonialibus definiendis, à Sede Apostolica alicui eorum in secunda instantia fierent : nihilominus præcipimus, ac mandamus iis, ad quos hujusmodi Commissionum, seù Delegationum expediendarum cura pertinet, ut in futurum causarum matrimonialium cognitionem non committant nisi Episcopis, præsertim vicinioribus, vel si nullus sit Episcopus, cui ex legitima causa commodè committi possit, tum commissio, & delegatio dirigatur uni ex iis, qui, secundum ordinem, & modum à Nobis in præfatis encyclicis Literis præscriptum, pro Judice idoneo ab Episcopo cum consilio sui Capituli nominatus fuerit.

Causæ Matrimoniales nonnisi Episcopis, &, his deficiētibus, Judicibus Synodal. committendæ.

Defensor Matrimoniorum in singulis Diœcesibus eligatur.

§. 5. Quod verò ad ordinem, & seriem judiciorum in causis matrimonialibus pro debita, & congrua earum terminatione, servandum spectat; motu proprio, certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine hac Nostra in perpetuum valitura sanctione constituimus, decernimus, ac jubemus, ut ab omnibus, & singulis Locorum Ordinariis in suis respectivè Diœcesibus persona aliqua idonea eligatur, & si fieri potest, ex Ecclesiastico cœtu, juris scientia, pariter & vitæ probitate prædita, quæ Matrimoniorum Defensor nominabitur, cum facultate tamen eam suspendendi, vel removendi, si justa causa adfuerit, & substituendi aliam æque idoneam, & iisdem qualitatibus ornatam : quod etiam fieri poterit, quotiescumque persona ad Matrimoniorum defensionem destinata, cum se occasio agendi obtulerit, erit legitimè impedita.

Defensoris officia.

§. 6. Ad officium autem Defensoris Matrimoniorum hujusmodi, ut supra electi, spectabit, in judicium venire, quotiescumque contigerit, matrimoniales causas super validitate, vel nullitate coram legitimo Judice disceptari, eumque oportebit in quolibet actu judiciali citari, adesse examini testium, voce & scriptis Matrimonii validitatem tueri, eaque omnia deducere, quæ ad Matrimonium sustinendum necessaria censebit.

Idem semper adsit Judicio.

§. 7. Et demum Defensoris hujusmodi per-

sona, tanquam Pars necessaria, ad judicii validitatem, & integritatem censeatur, semperque adsit in Judicio sive unus ex Conjugibus, qui pro nullitate Matrimonii agit, sive ambo, quorum alter pro nullitate, alter verò pro validitate in judicium veniant. Defensor autem, cum ei munus hujusmodi committetur, juramentum præstabit fideliter officium suum obeundi, & quotiescumque contigerit, ut in judicio adesse debeat pro allcujus Matrimonii validitate tuenda, rursùs idem juramentum præbebit: quæcumque verò, eo non legitimè citato aut intimato, in judicio peracta fuerint, nulla, irrita, cassa declaramus, ac pro nullis, cassis, ac irritis haberi volumus, perindè, ac si citata, & intimata non esset ea Pars, cujus citari intererat, & quam, juxta legum, & canonum præscripta, ad legitimam judicii validitatem, citari, aut intimari omninò necessarium erat.

Juramentum præstet.

Et citetur in omnibus actibus.

§. 8. Cum igitur coram Ordinario, ad quem causas hujusmodi cognoscere pertinet, controversia aliqua proponetur, in qua de Matrimonii validitate dubitabitur, & existentibus in judicio, vel uno ex Conjugibus, qui pro nullitate Matrimonii, vel ambobus, quorum alter pro validitate, alter verò pro nullitate actionem intendat, Defensor Matrimonii partes omnes officii sui diligenter adimpleat. Itaque si à Judice pro Matrimonii validitate judicabitur, & nullus sit, qui appellet, ipse etiam ab appellatione se abstineat; idque etiam servetur, si à Judice secundæ instantiæ pro validitate Matrimonii fuerit judicatum, postquam Judex primæ instantiæ de illius nullitate Sententiam pronunciaverat; sin autem contra Matrimonii validitatem Sententia ferätur, Defensor inter legitima tempora appellabit adhærens Parti, quæ pro validitate agebat; cum autem in judicio nemo unus sit, qui pro Matrimonii validitate negotium insistat, vel si adsit, lata contra eum Sententia, judicium deseruerit, ipse ex officio ad superiorem Judicem provocabit.

Non appellabit à Sententia pro validitate Matrimonii prolata.

Contra, si pro invaliditate pronunciatum fuerit.

§. 9. Appellatione à prima Sententia pendente, vel etiam nulla, ob malitiam, vel oscitantiam, vel collusionem Defensoris, & Partium, interposita, si ambo, vel unus ex Conjugibus novas nuptias celebrare ausus fuerit, volumus, ac decernimus, ut non solùm serventur, quæ adversus eos, qui Matrimonium contra interdictum Ecclesiæ contrahunt, statuta sunt, præsertim, ut invicem à cohabitatione separentur, quoadusque altera Sententia super nullitate emanaverit, à qua intra decem dies non sit appellatum, vel appellatio interposita deserta deinde fuerit; Sed ulteriùs ut contrahens, vel contrahentes Matrimonium hujusmodi, omnibus pœnis contra Poligamos à Sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis constitutis, omninò subjaceant, quas in eos, quatenus opus sit, motu, scientia, ac potestate simili rursus statuimus, decernimus, ac renovamus.

Post unicam Sententiam, sive appellatum sit, sive non nemini liceat ad alia vota transire.

Sub pœnis contra Poligamos statutis.

§. 10. Posteaquàm verò, appellationis beneficio, ad alterum Judicem causa in secunda instantia delata fuerit, omnia, & singula quæcumque coram Judice in prima instantia servanda præfinita fuerunt, etiam coram altero in secunda exactè, ac diligenter custodientur, citato in quolibet Judicii actu Defensore matrimonii, qui voce, & scripto matrimonii validitatem strenuè, ac pro viribus tuebitur. Et si Judex in secunda instantia fuit Metropolitanus, aut Sedis Apostolicæ Nuncius, aut Episcopus vicinior; Matrimonii Defensor sit, qui ab ipsis fuerit deputatus, quemadmodum ipsis deputare mandamus, ut quæ à Nobis superius constituta sunt, peragere possit; si autem Judex in secunda instantia erit Judex Commissarius, cui à Sede Apostolica causa cognitio demandata sit, & qui Tribunal, & jurisdictionem ordinariam non habeat, & propterea careat Defensore Matrimonii, volumus, ut illo Defensore Matrimonii utatur, qui constitutus fuerit ab Ordinario, in cujus Diœcesi causam cognoscet, etiam si idem Ordinarius sit, qui primam Sententiam in eadem causa pronunciaverit.

Defensoris officia eadem in secunda instantia.

§. 11. Instructo autem in hunc modum judicio, si secunda Sententia alteri conformis fuerit, hoc est, si in secunda, æquè ac in prima, nullum, ac irritum matrimonium judicatum fuerit, & ab eâ Pars, vel Defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum, vel appellationem interpositam prosequendam minimè censuerit; in potestate, & arbitrio Conjugum sit novas nuptias contrahere; dummodo alicui eorum, ob aliquod impedimentum, vel legitimam causam id vetitum non sit. Potestas tamen post alteram Sententiam conformem, ut supra, Conjugibus facta intelligatur, & locum habeat, salvo semper, & firmo remanente jure, seu privilegio causarum matrimonialium, quæ ob cujuscumque temporis lapsum nunquam transeunt in rem judicatam; sed si nova res, quæ non deducta, vel ignorata fuerit, detegatur, resumi possunt, & rursus in judicialem controversiam revocari. Quod si à secunda Sententia super nullitate, vel altera Pars appellaverit, vel hujusmodi sit, ut ei, salva conscientia, Defensor Matrimonii acquiescendum non putet, vel quia sibi videtur manifestè injusta, vel invalida, vel quia fuerit lata in tertia instantia, & sit revocatoria alterius præcedentis super validitate in secunda instantia emanatæ, volumus, ut, firma remanente utrique Conjugi prohibitione ad alias transeundi nuptias, quas si contrahere ausi fuerint, pœnis, ut præfertur, à Nobis constitutis subesse decernimus, causa in tertia, vel quarta instantia cognoscatur, servatis diligenter omnibus, quæ à Nobis in prima, & secunda instantia demandata fuerunt, nempe, in quolibet judiciali actu, citato, & audito Defensore matrimonii, qui à Judice tertiæ instantiæ deputatus fuerit.

Illius electio ad quem spectet.

Novas nuptias contrahere liceat post duas conformes, nisi appellatum sit;

Vel aliàs Prohibitum;

vel nisi aliquid novi detegatur.

Appellatio semper suspendit executionem.

Et in quavis instantia idem Ordo servandus.

§. 12. Defensor autem Matrimonii, quem ad munus suum gratis obeundum pro amore Dei, & proximi utilitate, & Ecclesiæ reverentia, in Domino exhortamur, si operam suam sine mercede, aut salario, aliqua ex causa exhibere recusaverit, ab ipsius Causæ Judice ei constituatur, & ab ea Parte, quæ pro validitate Matrimonii agit, si ipsi facultas sit, solvatur; sin minus, a Judice primæ, vel secundæ, vel tertiæ instantiæ respectivè submini strabitur, qui pecunias ex mulctis suorum Tribunalium redactas, vel redigendas, & in opera pia erogandas, in hujusmodi sumptus insumere poterunt. Cum verò Judices causæ erunt Judices Commissarii, qui neque forum habent, & consequenter neque pecuniam ex mulctis collectam, volumus, ac mandamus, ut Defensori Matrimonii satisfiat ex pecunia mulctarum illius Episcopi, in cujus Diœcesi Judex Commissarius, juxta Sedis Apostolicæ mandatum, judicium exercebit.

Salarium Defensori volenti, a quo, & unde constitui debeat.

§. 13. Hactenus quidem quoad Causas Matrimoniales, quæ extra Romanam Curiam pertractantur: Quoad Causas verò, quæ Romæ disceptandæ sunt, cum earum cognitio in primæ instantia ad S. R. E. Cardinalem in præfata Urbe, ejusque Suburbiis, & Districtu Vicarium nostrum in Spiritualibus pro tempore spectet; mandamus, ac jubemus, ut omnia, & singula, quæ in aliis causis extra Romanam Curiam pertractandis præscripta fuerunt, nempe ut judicium peragatur, citato, & audito Defensore Matrimonii ab eodem Cardinali Vicario deputato, aliaque, ut supra, omninò serventur: Tum etiam in aliis causis, quæ in prima instantia, ex consensu Partium, vel in secunda, per appellationem ad Sedem Apostolicam, omisso medio,

Eadem omnia serventur in Romana Curia.

interpo-

interpositam, vel in tertia, Romam deferuntur; quas omnes judicari volumus, vel in Congregatione S. R. E. Cardinalium super interpretatione, & executione Concilii Tridentini, vel in causarum Palatii nostri Auditorio, dummodo Nobis, & Romano Pontifici pro tempore justis ex causis non videatur particularis Congregatio S. R. E. Cardinalium, vel Romanæ Curiæ Prælatorum deputanda. Cum autem causa super Matrimonii nullitate agitabitur in dicta Congregatione S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, Defensor Matrimonii à Cardinali Præfecto ejusdem Congregationis, si verò in Palatii nostri Auditorio, ab Auditore Decano præfati Tribunalis, si demum in Congregatione particulari, à Persona ejusdem Congregationis digniore deputetur.

Defensoris electio ad quem ibi pertineat.

§. 14. Unica quidem resolutio pro nullitate Matrimonii emanata, si causa in Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, vel in Congregatione particulari deputatâ cognoscatur, & similiter in Palatii nostri Auditorio, unica Sententia super eadem nullitate pronunciata minime sufficiat ad tribuendam liberam Conjugibus facultatem novas nuptias contrahendi. Sed, si causa in præfata Congregatione Cardinalium Tridentini Concilii Interpretum introducta fuerit, rursus in eadem, ad Defensoris Matrimonii instantiam, reproponantur; Si verò Congregationi particulari commissa fuerit, ad petitionem ejusdem Defensoris, altera etiam particularis Congregatio deputabitur; Si verò in Palatii nostri Auditorio judicata sit, à præfato Defensore appellatione interposita, ab aliis Auditoribus juxta ordinem in gyrum, seù turnum definiatur; Si autem causa universo Tribunali commissa fuerit, ab omnibus Auditoribus rursus examinabitur: nolentes omninò, ut ullo in casu Matrimonii vinculum dissolutum censeatur, nisi duo judicata, vel resolutiones, aut Sententiæ penitus similes, & conformes, a quibus neque Pars, neque Defensor Matrimonii crediderit appellandum, emanaverint. Quod si secus factum fuerit, & novum initum Matrimonium, nostræ voluntatis hujusmodi transgressores pœnis à Nobis, ut supra, statutis subjacere.

Iteratum examen Causæ semper necessarium.

§. 15. Et quoniam sæpe apud Sedem Apostolicam preces porrigi solent pro dispensatione Matrimonii rati, & non consummati, quæ ut plurimùm pro voto consultivo ad Congregationem S. R. E. Cardinalium Concilii Interpretum, vel nonnunquam ad aliquam Congregationem particularem deputatam, à Romanis Pontificibus pro tempore remitti solent; ut hujusmodi instantiæ ordine, ac ritè procedant, volumus, ac mandamus, ut supplex libellus Nobis, vel Romano Pontifici pro tempore exhibeatur, in quo plena, & accurata totius facti species contineatur, causæque omnes in eo exprimantur, quæ ad obtinendam petitam dispensationem conducere posse à supplicante censentur ut Romanus Pontifex, eo lecto, & maturè considerato, secum deliberare possit, an petitionem rejiciat, vel ejus examen alicui ex dictis Congregationibus committat; à qua posteaquàm suum votum consultivum editum fuerit, à Secretario ejusdem Congregationis totius negotii series exactè Romano Pontifici pro tempore referatur, qui pro sua prudentia judicabit, an Congregationis Resolutio sit approbanda, vel potius totius causæ examen alteri Congregationi, vel Tribunali, proùt eidem Pontifici videbitur, rursus committendum.

Coram quibus respectivè faciendum sit.

Instantiæ pro dispensatione Matrimonii rati, & non consum., nō recipiantur, absque remissione Pōtificis.

Nec absque ejus Oraculo definiantur.

§. 16. Demum volumus, ac decernimus, easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime, & inviolabiliter observari. Sicque, & non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & S. Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus verborum, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus in genere, vel in specie, seu aliàs quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu, quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma in illis tradita observata eisdem præsentibus pro expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad permissorum effectum, hac vice dumtaxat expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Quibuscumque non obstantibus.

§. 17. Volumus autem, ut præsentes Literæ in valvis Ecclesiæ Lateranensis, & Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, publicentur, & affigantur, sicque publicatæ, & affixæ, omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perinde arctent, & afficiant, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent; quodque earumdem præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quàm extra illud ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Publicationis effectus, & exemplorum auctoritas.

§. 18. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostri decreti, statuti, constitutionis, prohibitionis, revocationis, annullationis, declarationis, mandati, ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Sanctio.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo primo, tertio nonas Novembris, Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Dat. die 3. Nov. 1741.

D. Cardinalis Passionеus.

X. Sub-Datarius.

VISA DE CURIA.

N. Antonellus.

Loco ✠ Plumbi.

J. B. Eugenius.

Publicat. die 29. ejusdem Mensis, & Anni.

XXXIV.

Declaratio, cum Instructione, super Dubiis respicientibus Matrimonia in Hollandia, & Belgio contracta, & contrahenda.

Dubium super validitate Matr., cum Hæreticis contract. in Dominiis Ordinũ Fœderat., non servata forma Concilii Trid.

MATRIMONIA, quæ in locis Fœderatorum Ordinum dominio in Belgio subjectis iniri solent, sive inter Hæreticos ex utraque parte, sive inter Hæreticum ex una parte Virum, & Catholicam Fœminam ex alia; aut viceversa, non servata forma à Sacro Tridentino Concilio præscripta, utrum valida habenda sint, nec ne, diù multumque disceptatum est, animis hominum, ac sententiis in diversa distractis: Id quod satis uberem anxietatis, ac periculorum sementem per multos annos subministravit, quum præsertim Episcopi, Parochi, atque illarum Regionum Missionarii, nihil certi hac super re haberent, nihil verò inconsulta Sancta Sede auderent statuere, ac declarare. Cùm autem, proximè evolutis annis, in tam ancipiti, gravique causa Apostolicæ Sedis judicium vehementiùs exposceretur, urgeretque id imprimis vigilantissimus Iprensis Episcopus, dum pro debito Officii sui, & sua erga Beati Petri Cathedram observantia, de Ecclesiæ sibi concreditæ statu ad Romanum Pontificem referebat, ponendumque omninò esse tam prolixæ dubitationi finem, gravissimis verbis, ac rationibus persuaderet: Clemens XII. id temporis Romanus Pontifex, qui rei gravitatem, quanti oportebat, æstimaret, Sacræ Congregationi Eminentiss. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum in mandatis dedit, ut de tota controversia diligenter more suo cognosceret. In re itaque tanti momenti volens eadem Sacra Congregatio quàm accuratissimè procedere, commissæ sibi cognitionis initium ab exquisitis aliorum quoque Belgii Episcoporum Relationibus, atque sententiis, quas desuper explorari sategit, petendum duxit, eodemque tempore audire voluit præstantes aliquot hujus Almæ Urbis Theologos, quibus injunxit, ut rem totam ea, qua decet, maturitate discuterent, suamque opinionem proferrent.

Quod a Clemente XII. remittitur Congreg. Concilii.

§. 1. At dum hæc maximè agerentur, supersedendum per aliquot Menses fuit ab istiusmodi Causæ expeditione, propter viduitatem, quæ intercidit Romanæ Ecclesiæ, donec ad Summum Pontificatum feliciter evectus Sanctissimus D. N. BENEDICTUS XIV. inter primas Regiminis suæ curas, Causæ hujus cognitionem repeti jussit à memorata Sacra Congregatione Concilii, quam voluit coram se haberi, ut, auditis Eminentissimorum Patrum Sententiis, ipse demum, quid de hac de re tenendum foret, supremo suo pronunciaret oraculo. Cùm igitur Congregatio præfata sub die 13. Maji currentis anni 1741. coram Sanctitate Sua fuerit habita, idem Sanctissimus D. N., spatio aliquo temporis ad rem secum expendendam accepto, hanc nuper Declarationem, & Instructionem exarari præcepit, qua, veluti certa regula, ac norma, omnes Belgii Antistites, Parochi, earumque Regionum Missionarii, & Vicarii Apostolici deinceps in hujusmodi negociis uti debeant.

BENEDICTUS XIV. Congregationem coram se convocat.

Declarat valida Matrimonia ibidẽ inter Hæreticos contracta.

§. 2. Primo scilicet, quod attinet ad Matrimonia ab Hæreticis inter se in locis Fœderatorum Ordinum dominio subjectis celebrata, non servata forma per Tridentinum præscripta, licet Sanctitas Sua non ignoret, aliàs in casibus quibusdam particularibus, & attentis tunc expositis circumstantiis, Sacram Congregationem Concilii pro eorum invaliditate respondisse; æquè tamen compertum habens nihil adhuc generatim, & universè super ejusmodi Matrimoniis fuisse ab Apostolica Sede definitum, & alioquin oportere omninò ad consulendum universis Fidelibus in iis locis degentibus, & plura aver-

Ideo, si ambo Conjuges ad Fid. Cath. redeant, consensum non esse renovandum.

Si unus convertatur, cum ad alias nuptias transire non posse.

Nuptias a Catholicis cum Hæreticis contractas detestatur.

tenda gravissima incommoda, quid generaliter de hisce Matrimoniis sentiendum sit, declarare; negocio mature perpenso, omnibusque rationum momentis hinc inde sedulò libratis, declaravit, statuitque, Matrimonia in dictis Fœderatis Belgii Provinciis inter Hæreticos usque modo contracta; quæque imposterùm contrahentur, etiamsi forma à Tridentino præscripta non fuerit in iis celebrandis servata, dummodò aliud non obstiterit canonicum impedimentum; pro validis habenda esse; Adeoque si contingat, utrumque Conjugem ad Catholicæ Ecclesiæ sinum se recipere, eodem, quo antea, conjugali vinculo ipsos omninò teneri, etiamsi mutuus consensus coram Parocho Catholico ab eis non renovetur; Sin autem unus tantùm ex Conjugibus, sive Masculus, sive Fœmina, convertatur, neutrum posse, quamdiu alter superstes erit, ad alias nuptias transire.

Validas tamen pronunciat, etiam non servata forma &c.

§. 3. Quod verò spectat ad ea Conjugia, quæ pariter in iisdem Fœderatis Belgii Provinciis, absque forma à Tridentino statuta, contrahuntur à Catholicis cum Hæreticis, sive Catholicus Vir Hæreticam Fœminam in Matrimonium ducat, sive Catholica Fœmina Hæretico Viro nubat, dolens imprimis quam maximè Sanctitas Sua, eos esse inter Catholicos, qui insano amore turpiter dementati, ab hisce detestabilibus Connubiis, quæ S. Mater Ecclesia perpetuò damnavit, atque interdixit, ex animo non abhorrent, & prorsus sibi abstinendum non ducunt, laudansque magnoperè zelum illorum Antistitum, qui, severioribus propositis spiritualibus pœnis, Catholicos coërcere studeant, ne sacrilego hoc vinculo sese Hæreticis conjugant; Episcopos omnes, Vicarios Apostolicos, Parochos, Missionarios, & alios quoscumque Dei, & Ecclesiæ fideles Ministros in iis Partibus degentes seriò, graviterque hortatur, & monet, ut Catholicos utriusque sexus ab hujusmodi nuptiis in propriarum Animarum perniciem ineundis, quantum possint, absterreant, easdemque Nuptias omni meliori modo intervertere, atque efficaciter impedire satagant. At, si fortè aliquod hujus generis Matrimonium, Tridentini forma non servata, ibidem contractum jam sit, aut imposterùm (quod Deus averrat) contrahi contingat; declarat Sanctitas Sua, Matrimonium hujusmodi, alio non concurrente canonico impedimento, validum habendum esse, & neutrum ex Conjugibus, donec alter eorum supervixerit, ullatenus posse, sub obtentu dictæ formæ non servatæ, novum Matrimonium inire. Id verò debere sibi potissimè in animum inducere Conjugem Catholicum, sive Virum, sive Fœminam, ut pro gravissimo scelere, quod admisit, pœnitentiam agat, ac veniam à Deo precetur, coneturque pro viribus alterum Conjugem à vera Fide deerrantem ad gremium Catholicæ Ecclesiæ pertrahere, ejusque Animam lucrari, quod porrò adveniam de patrato crimine impetrandam oportunissimum foret, sciens de cetero, ut mox dictum est, se istius Matrimonii vinculo perpetuo ligatum iri.

Quid faciendum Conjugi Catholico.

Idem judicandum edicit quoad personas addictas Præsidiis Locorũ *di Barriera*.

§. 4. Ad hæc declarat Sanctitas Sua, ut quidquid hactenus sancitum, dictumque est de Matrimoniis sive ab Hæreticis inter se, sive inter Catholicos, & Hæreticos initis in locis Fœderatorum Ordinum dominio in Belgio subjectis, sancitum, dictumque intelligatur etiam de similibus Matrimoniis extra fines Dominii eorumdem Fœderatorum Ordinum contractis ab iis, qui addicti sunt Legionibus, seù Militaribus Copiis, quæ ab iisdem Fœderatis Ordinibus transmitti solent ad custodiendas, muniendasque Arces conterminas, vulgò dictas *di Barriera*; Ita quidem, ut Matrimonia ibi præter

Tridentini

Tridentini formam, sive inter Hæreticos utrinque, sive inter Catholicos, & Hæreticos inita, valorem suum obtineant, dummodò uterque Conjux ad easdem Copias, sive Legiones pertineat; Et hanc declarationem vult Sanctitas Sua complecti etiam Civitatem Mosæ Trajectensis, à Republica Fœderatorum Ordinum, quamvis non jure dominii, sed tantùm oppignarationis, ut ajunt, nomine possessam.

Et Incolas Civitatis Mosæ Traject.

Domiciliarii Provinciarum Fœd. nubentes in regionibus Catholicorum, & viceversa, subsint juri cõmuni.

§. 5. Tandem circa Conjugia, quæ contrahuntur, vel in Regionibus Principum Catholicorum ab iis, qui in Provinciis Fœderatis domicilium habent, vel in Fœderatis Provinciis ab habentibus domicilium in Regionibus Catholicorum Principum, nihil Sanctitas Sua de novo decernendum, aut declarandum esse duxit; volens, ut de iis, juxta canonica Juris communis principia, probatasque in similibus casibus aliàs editas à Sacra Congregatione Concilii resolutiones, ubi disputatio contingat, decidatur. Et ita declaravit, statuitque, ac ab omnibus imposterum servari præcepit. Die 4. Novembris 1741.

Dat. die 4. Nov. 1741.

A. Card. Gentili S. C. Concilii Præf.

C. A. Arch. Philippen. Secret.

XXXV. Matrimonia occulta, quibus, & quomodo sint permittenda, quibusque cautelis celebranda, & in actis describenda: Quomodo consulendum educationi, & indemnitati Prolis.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Matrimonia palam celebrari jubet Ecclesia.

SATIS Vobis compertum esse non dubitamus, *Venerabiles Fratres*, eam semper fuisse piæ Matris Ecclesiæ vigilem curam, ut Sacramentum Matrimonii, *Magnum* ab Apostolo nuncupatum, publicè, & palàm à Fidelibus celebretur. Quod quidem, ut diligentiùs, quàm antea factum fuerat, imposterum ab omnibus observaretur, Sancta Tridentina Synodus, Lateranensis Concilii sub Innocentio III. celebrati vestigiis inhærendo, præcepit, ut imposterum, antequam Matrimonium contrahatur, ter à proprio Contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publicè denuntietur; deindeque, nullo legitimo concurrente impedimento, ad illius celebrationem in facie Ecclesiæ, coram Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seù Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus Testibus præsentibus, ritè procedatur. Voluit etiam eadem Sancta Synodus, apud Parochum diligenter Librum custodiri, in quo Conjugum, & Testium nomina, diesque, & locus Matrimonii describantur.

Concilii Tridentini Decretum.

Contrarius usus nimis frequens.

§. 1. Providæ tamen hujusmodi leges, tantâ auctoritate saluberrimè institutæ, pravâ horum temporum conditione sensim prolabi visæ sunt, & enerves propemodum reddi, ob Matrimonia usu nimis recepta, quæ occultè adeò celebrantur, ut illorum notitia, quantum fieri potest, obliteretur, & in tenebris ignorantiæ perpetuò jaceat consepulta. In more etenim positum est, illa celebrari nullis præviis factis Denunciationibus, coram solo Parocho, vel alio Sacerdote de ejus licentia, adhibitâ præsentiâ tantùm duorum Testium appositè à Contrahentibus advocatorum, quorum fides nemini illorum est suspecta; remque peragi sæpè extra Ecclesiam, quandoque etiam intra illam, januis tamen occlusis, vel eo temporis momento, quo semotâ alterius cujusvis præsentiâ, scientia initi Matrimonii, præter Parochi, Contrahentium, Testiumque personas, alios penitùs effugiat.

Mala & peccata inde consequentia.

§. 2. Quantùm à Sacramenti dignitate, & ab Ecclesiasticarum legum præscripto occulta hæc Matrimonia, *Conscientiæ* vulgò nuncupata, ut plurimùm abhorreant, satis superque conjicere quis poterit, qui mentis aciem ad exitiosos illorum effectus convertat. Hinc enim gravia ortum habent peccata, præsertim verò eorum, qui Divini Judicii interminatione posthabitâ, priore Uxore, cum qua clàm contraxerunt, relictâ, cum alia spe futuri Matrimonii decepta, & in turpem secum vivendi licentiam abducta, palàm contrahere promittunt. Quorumdam verò mentem ita pravæ cupiditates excæcant, ut novum contrahere secretum Matrimonium audeant, post alterum secretò itidem contractum, & nondum prioris Conjugis morte solutum, sesèque magno scelere polygamos reddant. Alii etiam eò impudentiæ devenere, ut in hujus magni Sacramenti contemptum, post primas secretò initas, alteras aut publicè, aut privatim nuptias contrahendo, sese audaciùs polygamiâ pariter innodare non perhorrescant. Age verò quàm gravia, quàm nullo pacto ferenda ex his Matrimoniis mala oriantur. Si enim ad quamcumque Matrimonii suspicionem submovendam, Virum seorsim à Muliere vivere contingat, sublata est illico individua vitæ consuetudo, & contemptum est verbum Domini: *Adhærebit Homo Uxori suæ, & erunt duo in carne una*: Sin hæc vitæ consuetudo servetur, nemo est, qui illam criminis nonarguat, & utpotè detestabilem, in scandali materiam non traducat. Neque illata per scandalum dispendia rependit subsecuta celebratio occulti Matrimonii, quod in tenebris delitescit, & ab omnibus ignoratur.

Prolis damna spiritualia, & temporalia.

§. 3. Leviora quoque damna non sunt, quæ susceptæ Proli irrogantur. Sæpè enim contingit, illam à Parentibus, & à Matre præsertim amotam, nec piè, nec liberaliter institui; sed incertis fortunæ casibus objectam relinqui; nisi etiam Parentes ipsi, contra naturæ leges, ausu nefario illius vitæ insidientur. Ubi verò tam immane facinus Parentes deterreat, illosque ad sobolem alendam, instituendamque humanitas ipsa compellat; alia imminet Liberis susceptis ex occulto Matrimonio lugenda Avitarum facultatum, & Bonorum jactura, pro quorum possessione assequenda quamvis clament jura sanguinis, illis tamen careant necesse est, propter occulta Parentum Matrimonia, & ademptam legitimitatis, & Filiationis probationem.

Filiorumfamilias, & Clericorum excessus.

§. 4. Huic etiam malorum origini sunt referenda ipsa quoque secreta Matrimonia contracta à Filiisfamilias contra Patris justè dissentientis voluntatem; ex quibus quàm gravia incommoda exoriri soleant, neminem latet. Quid plura? Adeò invaluit malitia, ut quandoque in Minoribus Ordinibus constituti Pensiones, & Beneficia, ad Divinum Cultum, & Ecclesiastica munia instituta, etiam post initum clam Matrimonium retinuerint, sibique de mammona iniquitatis loculos miserrimè comparaverint.

Ideo monentur Episcopi, ne facile dispensent à publicationibus.

§. 5. Defienda hæc igitur potius uberibus lacrymis, quàm latiore calamo explicanda malorum congeries, cum ex hac Apostolicæ Sedis specula omnes sibi vindicet nostræ vigilantiæ curas; temperare non possumus, quin Vos ipsos, Venerabiles Fratres, in partem nostræ sollicitudinis evocantes, vestram pietatem, & zelum excitemus ad custodiendas vigilias noctis super Grege Vobis credito, quem luctuosa horum

temporum conditio in discrimen adducit. Primùm itaque periculi non infrequens occasio Vos reddat difficiliores ad remittendum Publicationes, à quibus contracturi Matrimonium sæpè per malitiosam suggestionem petunt dispensari. Quàm cautè, solerterque oporteat ea in re Episcopos versari, non obscura Vobis à Concilio Tridentino exhibentur argumenta. Si enim (ait eadem Sancta Synodus) probabilis fuerit suspicio, Matrimonium malitiosè impediri posse, si præcesserint Denunciationes; tunc vel una tantùm Denunciatio fiat; vel saltem Parocho, & duobus Testibus præsentibus, Matrimonium celebretur, & deinde ante illius consummationem Denunciationes in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsunt impedimenta, faciliùs detegantur. Præterea licèt Episcopo relictum sit omnimodè super Denunciationibus dispensare, hæc tamen facilitas, non à sola Dispensantis voluntate pendet, sed à Tridentino coërcetur arctis prudentiæ, discretique arbitrii legibus; quod idem est, ac legitimam causam dispensationis requirere.

Nec temere permittant Matrimonia secretò iniri.

§. 6. Parem quoque, imò fortasse majorem vigilantiam necesse est à Vobis adhiberi, ne, post remissas Denunciationes, celebretur Matrimonium coram Parocho, vel alio Sacerdote ab ipso Parocho, vel à Vobis deputato, præsentibus duobus, vel tribus Testibus confidentibus, ne ulla celebrationis notitia, vel rumor oriantur. Id enim, ut præscriptum Sacrorum Canonum licitè fieri possit, non satis est obvia quævis, & vulgaris causa, sed gravis, urgens, & urgentissima requiritur. A Sacro Nostræ Pœnitentiariæ Tribunali, eo potissimùm casu fit potestas, ita celebrandi Matrimonium, quo Vir, & Fœmina in figura Matrimonii publicè degentes, & de quibus nulla viget circumvisionis suspicio, in occulto tamen Concubinatu perseverent: Facilè enim quisque conjiciet, quàm absonum esset, eos, à statu damnationis per gratiam Sacramenti revocandos, ad publicè contrahendum Matrimonium prævios Denunciationibus compelli. Hanc verò praxim Vobis duximus proponendam, non quia Dispensatio præmisso casui solùm congruat, cum alii similes, & fortasse urgentiores esse possint, in quibus dispensari expediat; sed quia Vestri Pastoralis Officii partes versari debent in sedulò investiganda legitima, & urgenti causa Dispensationis, ne Matrimonia occultè celebrata luctuosos habeant exitus, quos intimo cordis mœrore recensuimus.

Qualitates petentium diligenter expendant.

§. 7. Hunc porrò in scopum Vos hortamur, & impensè admonemus, ut Personarum Matrimonium secretò contrahere petentium diligens fiat à Vobis inquisitio: An scilicet ejus qualitatis, gradus, & conditionis sint, quæ id probè exposcant; An sint sui, vel alieni juris; An Filiifamilias, quorum nuptiæ Patri justè dissentienti sint invisæ: ab Episcopali etenim, quod geritis, munere nimium esset alienum, facilem præberi Filio inobedientiæ occasionem; An res sit de Personis Ecclesiasticis, licèt in Minoribus Ordinibus constitutis, Pensiones, & Beneficia Ecclesiastica obtinentibus, ut detestabilis illorum retentio in statu Uxorato congruis remediis postea compescatur. Potissimùm verò curet Vestra sollicitudo, antequam secreti Matrimonii licentia concedatur, quod Contrahentes clara, & indubia, & à quavis fraude immunia exhibeant documenta status liberi, ad avertendum ab iis, qui improbi sint ingenii, polygamiæ periculum.

Et præcipuè eorum statû liberum.

§. 8. Quod attinet ad Ministrum secreti Matrimonii, volumus ad id munus deputari Parochum alterius ex Contrahentibus, quem notitia Personarum, experientia, & diuturnus rerum usus, quovis Sacerdote extraneo peritiorem effecisse præsumuntur. Si quæ tamen Vobis occurrant circumstantiæ, quæ alium Sacerdotem loco Parochi exposcere videantur; gravi impellente causâ, is Sacerdos à Vobis eligatur, qui probitate, & doctrinâ, & obeundi muneris peritiâ commendetur.

Sacerdotem extraneum sine causa non deputent.

§. 9. Uni tamen, aut alteri Sacramenti Ministro à Vobis deputando districtè præcipiatur, ne Matrimonio intersit, nisi prius paterna charitate Conjuges in Domino monuerit, Sobolem procreandam regenerari quamprimum oportere Sacro Baptismatis lavacro; ac Christo Judici districtam reddituros esse rationem, nisi Filios ut legitimos agnoverint, eosque pietate, bonisque moribus imbuerint, & frui patientur Bonis temporalibus, à Majoribus in supremis tabulis relictis, vel providâ legum auctoritate delatis.

Contrahentes moneantur de ipsorum debito.

§. 10. Celebrato autem Matrimonio, indilatè à Parocho, vel alio Sacerdote, coram quo initum est, exhibeatur Episcopo illius scriptum documentum, cum nota loci, & temporis, Testiumque, qui celebrationi interfuerunt. Vestrum erit postea diligenter incumbere, quod ad perennem gestæ rei memoriam, præfatum documentum fideliter transcribatur in Libro prorsus distincto ab altero, in quo Matrimonia publicè contracta de more adnotantur. Hujusmodi Liber pro Matrimoniis secretis appositè compactus, clausus, & Sigillis obsignatus, in vestra Episcopali Cancellaria cautè erit custodiendus: Et eo tantùm casu resignari, & aperiri vestrâ accedente licentiâ patiemini, quo alia id genus Matrimonia describi oporteat, vel id sibi vindicet justitiæ administrandæ necessitas, vel demum aliquod documentum ab eo exposcant verum interesse habentes, quibus probationum aliunde petendarum non suppetit copia: Sedulò tamen animadvertentes, quod, re absolutâ, denuò claudatur, & Sigillis, ut antea, obsignetur. Fides, seu Attestationes clam celebrati Matrimonii, à Parocho, vel Sacerdote, qui vices Parochi gessit, exarandæ, Vobisque exhibendæ, transcribantur in dicto Libro, prout jacent, de verbo ad verbum, à Persona à Vobis deputanda, quæ apud omnes integritatis, probatique nominis luculentum habeat testimonium. Fides verò, & Attestationes ipsæ in secretiori loco, sartæ, tectæque à Vobis serventur.

Matrimonii occulti documenta Episcopo exhiberi, in acta referri, & cautè servari jubentur.

§. 11. Quod si ex occulto hujusmodi Matrimonio Prolem nasci contingat, eadem mundetur salutari Aquâ Baptismi in Ecclesia, in qua aliis Infantibus hoc Sacramentum indistinctè confertur. Et quia ad operiendum clam initum Matrimonium, facilè est in Libro Baptizatorum nullam fieri mentionem Parentum, & eorum Nomina consultò reticeri: Volumus, ac expressè mandamus, quod à Patre Baptizati, eoque defuncto, ab illius Matre, suscepta Proles vobis denuncietur; dictaque Denunciatio fiat, vel immediatè per Parentes ipsos, vel per literas eorum charactere exaratas, vel per fide dignam Personam ab ipsis Parentibus designatam, ut certò, & clarè Vobis constet, quod Proles tali loco, & tempore, vel reticitis, vel falsò expressis nominibus Parentum, baptizata, est legitima, licèt occulti Matrimonii fœdere procreata. Quæ sanè omnia cum Vobis innotuerint, ne illorum excidat memoria, in Libro fideliter describentur ab eo, cui facta à Vobis est potestas adnotandi Matrimonia occultè celebrata. Liber, in quem Baptizatorum, ac utriusque Parentis nomina referentur, quamvis distingui debeat ab altero Matrimoniorum; eâdem tamen diligentiâ, iisdemque cautelis in Cancellaria Episcopali clausus, & sigillis obsignatus, erit custodiendus, prout Librum Matrimoniorum cautè custodiri suprà mandavimus.

Proles tempestivè baptizari.

Ejusque nativitas Episcopo denunciari.

Et in actis ritè describi debet.

§. 12. Quia verò nonnulli deesse non possunt, qui propriæ conscientiæ vocibus obsurdescant, & nostris hisce mandatis parere negligant;

Contravenientiû pœna, Matrimonii divulgatio.

debitâ

debitâ pœnarum districtione pro modo culpæ à Vobis puniantur. Quinimmò cum satis Nobis experientiâ compertum sit, in hujusmodi negociis homines, in terram oculos declinantes, ob humanos respectus tardiores effici, & à rectè agendi semita revocari: Mandamus idcircò, Matrimonio occulta à Vobis evulgari, & nota fieri, si certò Vobis constiterit, ex aliquo Matrimonio occulto procreatam fuisse Sobolem, & baptizatam suppressis Parentum nominibus, nullâ præstitâ Vobis notitiâ, ut par erat, ab illius Parentibus, intra triginta dies à Nativitate numerandos.

Prædicta omnia contrahentibus edicenda.

§. 13. Ne autem Contumaces, & Inobedientes, violatæ fidei, proditique Secreti Pastores suos insimulent; sedulò à Vobis curandum est, ut à Parocho, vel alio Sacerdote pro secreta celebratione Matrimonii à Vobis deputando, Conjuges clarè, & apertè moneantur, eâ lege, & pacto illis permitti Secreti Matrimonii celebrationem, ut Soboles inde procreanda non solum regeneretur Sacro Baptismate, sed post Baptisma denuncietur Episcopo cum nota loci, & temporis administrati Sacramenti, ac sincera indicatione Parentum, à quibus ortum habuit, quemadmodum supra præmissum est: Alioquin Matrimonium, licèt contractum datâ per Episcopum Secreti fide, in lucem proferetur, in gratiam Filiorum, & ad propulsandam ab illis gravem, nulloque pacto ferendam jacturam.

Regestis secretis auctoritas tribuitur.

§. 14. Volumus denique, ac mandamus, Fides, seu Attestationes Matrimonii clàm initi, & Sobolis ex eo procreatæ, excerptas ex dictis Libris, modo, quo dictum est, apud Vos cautè custodiendis, tantam promereri fidem, quantam sibi alii Libri Parochiales Baptismatis, & Matrimonii vindicare consueverunt.

Adhortatio ad Episcopos.

§. 15. Hæc à Vobis, Venerabiles Fratres, in hac temporum calamitate observari enixè præcipimus, ad communem Animarum salutem, & ad præsidium Ecclesiasticæ disciplinæ, propter invalescentem hominum malitiam nova semper detrimenta vel patientis, vel reformidantis. Cæterum nostris hisce literis sublata nolumus ea validiora remedia, quæ huic malo in diem ingruenti consona dignoscet prudentia vestra, ad Pastorale officium cumulatè obeundum. Vobis interea paternæ charitatis, & benevolentiæ testem, Apostolicam Benedictionem impertimur.

Dat. die 17. Nov. 1741.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 17. Novembris 1741. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

XXXVI. Beatificationes Servorum Dei, & Beatorum Canonizationes in Basilica Principis Apostolorum peragi debere statuitur.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Procœmium.

AD Sepulcra Apostolorum, quorum consecrata Sanguine Roma, quæ fuerat Magistra erroris, facta est discipula veritatis; ad Sacros Beati Petri cineres, super cujus fidei firmitate extructa totius sacri ædificii Cœlo inserenda consurgit sublimitas, Romana Mater Ecclesia in suis triumphat Filiis, qui, calcatis Mundi blanditiis, & infernalis hostis superatis insidiis, ad præmia pervenerunt æterna, & quos inter Sanctos Dei Servos, & cœlestis beatitudinis consortes, congruo devotionis cultu venerandos, Romani Pontificis à Christo Domino accepta, & per Petrum ad Successores suos derivata decernit auctoritas. Quæ igitur à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris prudenti consilio, & provida ratione instituta sunt, & longo deinde usu recepta, piè sancteque servata, Nos, quorum humilitatem ineffabilis Dei benignitas ad Cathedram Petri evehere dignata est, decet diligenter servare, & studiosè custodire, & si quid vel temporum, vel rerum varietate immutatum est, in integrum restituere, & ad pristinam rationem, ac formam revocare, atque alia disponere, prout in Domino videtur expedire.

Pontifex refert morem peragendi Canonizationes in Basilica Vaticana.

§. 1. Sanè quidem omnes, & singulas Beatorum Canonizationes in Urbe nostra peragendas in Basilica B. Petri Apostolorum Principis semper peractas fuisse, antiqua ac fide digna testantur monumenta: Cum autem fel. record. Benedictus Papa XIII. Prædecessor noster, à quo ad Cardinalatus honorem assumpti fuimus, in eadem Vaticana Basilica Beatos Turribium ex Majorga, Jacobum à Marchia, Agnetem à Monte Politiano, Peregrinum Latiosum, Johannem à Cruce, Franciscum Solanum, Aloysium Gonzagam, Stanislaum Kotskam, & biennio post Beatam Margaritam à Cortona, Sanctorum cultu honorandos solemniter de more constituisset; ac deinde Beatum Johannem Nepomucenum in Sanctorum numerum similiter referre vellet; ei persuasum est, ut id in Basilica nostra Lateranensi solemni ritu perageret. Nos, qui per id temporis Ecclesiæ Anconitanæ ex concessione, & dispensatione Apostolica præeramus, eumdem Benedictum Prædecessorem per nostras litteras certiorem facere non prætermisimus, Beatorum Canonizationes, quoties in Urbe faciendæ erant, nonnisi in Vaticana Basilica ab antiquo tempore celebrari consuevisse; & ad hujusmodi officium præstandum eo magis Nos teneri credidimus, quia per plures annos, dum in minoribus eramus, unus ex insignis ejusdem Basilicæ Capituli Canonicis extitimus, & per plures etiam annos munere Promotoris Fidei functi fuimus. Tum autem Româ benignè Nobis responsum est, quod in Basilica Lateranensi solemnis apparatus pro Canonizatione ibidem habenda jam nimium processerat, nostræque literæ seriùs, quàm oportebat, ad Urbem pervenerant.

Qui, ipso dissentiente, semel interruptus fuit sub Bened. XIII.

Et iterum sub Clemen. XII.

§. 2. Postmodum à piæ mem. Clemente Papa XII. similiter Prædecessore nostro ab Ecclesiæ Anconitanæ, ad Ecclesiæ Bononiensis regimen Apostolica ejus auctoritate translatis Nobis significatum est, prædictum Clementem Prædecessorem BB. Vincentii de Paulis, Johannis Francisci Regis, Catherinæ Fieschi Adorni, & Julianæ Falconeriæ Canonizationem propediem in Ecclesia Lateranensi solemniter celebraturum: Sed quoniam per id tempus jam primus Tomus Operis Nostri de Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione in publicum editus fuerat, in quo nullam, ante præfati Benedicti Prædecessoris tempora, Beatorum Canonizationem in Urbe solemniter, nisi in dicta Basilica, celebratam fuisse satis superque demonstratum fuerat, ulterius animi nostri sensus aperire superfluum duximus.

Idem accidit quoad Beatificationes.

§. 3. Præterea, cum ante fel. rec. Alexandri Papæ VII. pariter Prædecessoris nostri tempora, nulla statuta esset solemnitas in Beatificatione Venerabilium Servorum, & Ancillarum Dei observanda, idemque ritum, & solemnitatem adhibendam in sacra functione hujusmodi, eamque debita cum pompa in Vaticana Basilica explendam decreverit, ità semper posterioribus temporibus servatum est, ut omnes Beatificationes in eadem Vaticana Basilica celebrarentur, usque ad præfati Benedicti XIII. tempora, quo Romanam Ecclesiam gubernante, quamvis in Vaticana Basilica Beatificatio Ancillæ Dei

Beatæ Hiacynthæ Mariscottæ, & Servi Dei B. Joannis de Prado facta sit; nihilominus Beatificatio Servi Dei B. Fidelis à Sigmaringa, paulò post Canonizationem B. Johannis Nepomuceni, in Basilica Lateranensi celebrata fuit. Post hanc verò Beatificationem, in ejusdem Benedicti Pontificatu, in Basilica Vaticana solemni ritu relati fuerunt in Beatorum numerum Servus Dei postea Beatus, & nunc Sanctus Vincentius de Paulis, & Servus Dei Beatus Petrus Forerius; in Pontificatu autem Clementis XII., paulò post supradictas Canonizationes in Basilica Lateranensi uno eodemque die unica solemnitate peractas, in eadem Basilica solemniter adscriptus est inter Beatos Servus Dei nunc Beatus Joseph à Leonissa: Cum autem à Nobis, ob ineffabilem Dei benignitatem Pontificatus honorem, ac onus gerentibus, decretum fuisset, ut inter Beatos Servus Dei Alexander de Saulis adscriberetur, solemnis ejusdem Beatificationis functio in Basilica Vaticana celebrata est.

Non tamen sub Pontificatu SS. D. N.

§. 4. Matura igitur consideratione perpendentes, quod à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris omnes Venerabilium Servorum, & Ancillarum Dei Sanctificationes in Urbe nostra solemniter peragendæ, laudabili instituto, optimisque ex causis ab antiquissimo tempore in Vaticana Basilica, & quod ab Alexandri Papæ VII. Prædecessoris nostri, & successivis deindè temporibus, Beatificationes quoque in eadem Vaticana Basilica, exceptis nonnullis supramemoratis Canonizationibus, & Beatificationibus ab iisdem Prædecessoribus nostris Benedicto, & Clemente in Basilica Lateranensi peractis, semper celebratæ fuerunt: Ne igitur commendabili, & antiquæ consuetudini, prædictæ Vaticanæ Basilicæ prærogativæ hujusmodi, ex B. Johannis Nepomuceni Canonizatione, ac Venerabilis Servi Dei Fidelis à Sigmaringa Beatificatione à Benedicto, necnon ex Beatorum Vincentii de Paulis, & Johannis Francisci Regis, ac Beatarum Catharinæ Fieschi Adorni, & Julianæ Falconeriæ, respectivè Canonizatione, & Venerabilis Servi Dei Josephi à Leonissa Beatificatione, à Clemente, Prædecessoribus prædictis, in Ecclesia Lateranensi celebratis, præjudicium aliquod afferatur; hac nostra perpetuò valitura constitutione veterem consuetudinem, ac venerandum Prædecessorum nostrorum institutum, decretumque Alexandri Prædecessoris prædicti, ac integrum ejus tenorem Apostolica auctoritate approbantes, confirmantes, & innovantes, ac illis quodcunque Apostolicæ firmitatis robur adjicientes, motu proprio, ex certa scientia, ac Apostolicæ potestatis plenitudine, decernimus, præcipimus, & constituimus, ut in posterum, & perpetuis inde futuris temporibus, omnes, & singulæ Venerabilium Servorum, & Ancillarum Dei Beatificationes, ac BB. Canonizationes in Urbe nostra prædicta pro tempore celebrandæ, non in aliis, quàm in Basilica Principis Apostolorum de Urbe prædicta, privativè quoad reliquas Basilicas, Ecclesiasque ejusdem Urbis, celebrari omninò debeant; utque Canonizationes, & Beatificationes in eadem Ecclesia Lateranensi à Benedicto, & Clemente Prædecessoribus prædictis, ut præfertur, peractæ, nullo unquam tempore, perinde ac si in ea celebratæ non fuissent, præjudicium aliquod antiquo instituto, & Vaticanæ Basilicæ prærogativæ afferre valeant.

Qui veterem consuetudinem Decreto suo firmat.

Et prædictas Functiones deinceps in Basilica Sancti Petri fieri mandat, non obstantibus &c.

Confirmat Decretum Alex. VII. circa præstationes ejusdem Basilicæ Sacrario debitas.

§. 5. Insuper quoniam ab eodem Alexandro Prædecessore nostro, usque ab anno 1659. alterum emanavit decretum super contributione, tam in Beatificationibus, quàm in Canonizationibus, favore Sacrarii ejusdem Basilicæ facienda, quod à Nobis in prædicto Tomo primo Operis Nostri de Beatorum Canonizatione relatum est, motu, scientia, & potestate simili illud approbamus, & confirmamus, & quatenus opus sit, quæ ab ipso Alexandro Prædecessore decreta sunt, rursùs decernimus, & constituimus, & in futurum ab omnibus inviolabiliter observari volumus, & mandamus.

Clausulæ salutares.

§. 6. Præsentes quoque, ex eo quod interesse ad præmissa habentes ad hoc vocati, & auditi non fuerint, aut ex alia quavis juridica, & legitima, etiam necessariò exprimenda causa, vel quocumque prætextu, de intentionis nostræ, aut alio quovis defectu notari, vel impugnari nullo unquam tempore posse, sed semper firmas, validas, & efficaces fore, & esse: Sicque, & non aliàs, per quoscumque Judices, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, ac quoscumque alios Judices quacumque judicandi facultate suffultos, judicari, & definiri debere, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate: irritum quoque, & inane, quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 7. Non obstantibus Canonizationibus, & Beatificationibus in prædicta Ecclesia Lateranensi, ut præfertur, celebratis, ac nostræ, & Cancellariæ Apostolicæ regula, de jure quæsito non tollendo; necnon Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, siquæ contra literarum nostrarum hujusmodi tenorem editæ existant, statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, & indultis, quibus, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogationes.

§. 8. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostri decreti, statuti, constitutionis, confirmationis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Sanctio.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, nono Kal. Decembris Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Dat. die 23. Nov. 1741.

D. Card. Passionеus.

X. Sub-Datarius.

VISA DE CURIA.

N. Antonellus.

I. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicat. die 13. Decembr. ejusdem anni.

Præscribitur Forma, & solemnitas in Exequiis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium servanda. XXXVII.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Pontificis studium erga S. R. E. Cardinales, viventes atque defunctos.

PRÆCIPUUM intimi amoris nostri, & sinceræ in Christo caritatis erga Venerabiles Fratres Nostros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, quos in Apostolicæ nostræ sollicitudinis partem superna cœlestis Patrisfamilias evocat dispositio, à Nobis exigit studium, ut quemadmodum omnia & singula, eis viventibus, eorumque sublimi dignitati debita privilegia, quantum in Domino possumus, firmo constantique

animo

animo tuemur, ita & eorumdem ex hac mortali vita decedentium curam geramus; ut & ipsorum funera à Nobis, Romanisque Pontificibus Successoribus nostris, & ipsorum Cardinalium superstitum cœtu, stabili, ac solemni, etsi lugubri, decorentur honore; & ipsorum animæ incruento Altaris Sacrificio, Ecclesiasticis precibus, ac supplicationibus juventur; quibus adjutæ, omni macula diluta, quam in terreno hujus Sæculi pulvere contraxerunt, per merita Salvatoris nostri Christi Domini, cœlestem patriam ingrediantur; ibique apud Patrem misericordiarum pro Nobis intercedant, Divinamque opem Nobis implorent in gravissimo Apostolici hujus ministerii onere ferendo; ut in fine diei repromissum laborantibus in Vinea sua æternæ beatitudinis denarium à Domino recipere mereamur.

Cardinalium exequiæ vario ritu celebratæ.

§. 1. Cum itaque, sicut accepimus, postquam piæ memoriæ Benedictus Papa XIII. Prædecessor noster, piè provideque attendens, quod ab aliquo tempore, & ante ejus Pontificatum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium pro tempore in Romana Curia decedentium exequiæ, quæ olim, & veteribus temporibus multifariè, sed augusta semper, & decenti pompa celebratæ fuerunt, tunc verò cum assistentia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium superstitum cœtus, decantatis in eisdem exequiis à Regularibus ex Ordinibus Mendicantium, tribus nocturnis Defunctorum Officii, ut plurimum de Vespere, & si aliquando de mane, aliqua sic suadente causa, habitæ fuerant, numquam cum solemni Defunctorum Missæ celebratione, præsente defuncti Cardinalis corpore, peragebantur; propterea, ut in exequiis celebrandis hujusmodi, solemnis Missa prædicta semper, prout exigit pia Ecclesiæ consuetudo, præsente defuncti Cardinalis Cadavere, celebraretur, Cardinalibus ab onere interveniendi de vespere recitationi Officii Defunctorum, non autem Fratribus ex Oidinibus Mendicantium à decantandi Nocturnos Officii prædicti obligatione exemptis, laudabilem personaliter, una cum omnibus, & singulis Ordinibus Capellas Pontificias constituentibus, ad exequias prædictas de mane celebrandas, in quibus præfata Missa solemnis à Cardinale reliquorum Cardinalium cœtus Camerario pro tempore existente solemniter celebrabatur, conferendi se ipsum, & in exequiarum hujusmodi fine, supra defuncti Cardinalis corpus per se absolutionem impertiendi, introduxerat morem; quem, usquequò in hac terrena peregrinatione permansit, religiosè servavit; felicis recordationis Clemens Papa XII. similiter Prædecessor noster, provida animi consideratione secum perpendens, quod ad peragendas de mane, & vespere exequias prædictas, pro duplici videlicet uno, & altero lugubribus apparatibus, celebratio hujusmodi majores exigebat sumptus, gravioribus dispendiis parcere cupiens, exequias ipsas ad primævum statum redegerit.

Duplices sub Bened. XIII. qui ipsis de mane interesse solebat.

Clem. XII. eas ad primævum statum redegit.

Pontifex, inhærendo veteri consuetudini;

§. 2. Nos igitur animo nostro attentè, ac diligenter considerantes, quod antiquitus, sicut ex veteribus sacrarum Cœremoniarum libris compertum est, in more Romanæ Ecclesiæ fuit, ut, adsistente Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Collegio, Missa, præsente Cardinalis defuncti cadavere, celebraretur, & pro ejus anima offerretur Deo salutare immaculatæ Hostiæ Sacrificium, quemadmodum nunc in omnibus, etiam infimi Ordinis personarum, exequiis piè, sancteque servari solet; cupientesque antiquam, & laudabilem consuetudinem in usum revocare; & insuper rationi congruum, maximeque conveniens existimantes, ut Romanus Pontifex pro tempore existens eis, qui sibi in oneroso Pontificii regimine adjutores extiterunt, ultimum debitumque sui amoris, suæque pietatis persolvat officium, absque eo tamen, quod eorum patrimonia majori expensarum onere graventur; præsenti hac nostra perpetuò valitura Constitutione, motu proprio, ex certa scientia, Apostolica Auctoritate, de consensu etiam Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, quibuscum deliberationem nostram in Consistorio nostro secreto communicavimus; decernimus, & statuimus, quod in posterum Cardinalium in Romana Curia decedentium exequiæ semper de mane, nunquam verò de vespere, celebrentur, & celebrari debeant, infrascripta forma servata, videlicet, quod Fratres ex Ordinibus Mendicantium de mane diluculò ad Ecclesiam, in qua defuncti Cardinalis corpus expositum reperitur, pro inibi prædictis tribus Officii defunctorum Nocturnis de more decantandis, sollicitè accedant; quibus quidem Nocturnis decantatis, eodem mane, absque ulla lugubris apparatus mutatione, vel aliarum expensarum augmento, Capella Pontificia, intervenientibus Romano Pontifice, ac Sacro Cardinalium Cœtu, necnon omnibus, & singulis Capellam Pontificiam constituentibus, habeatur, & in ea Sacrum Missæ Defunctorum Sacrificium à prædicto Cardinale Cardinalium Cœtus pro tempore Camerario existente, eoque impedito, ab altero Cardinale ab eodem Cardinale Camerario delegato, solemniter celebretur, quodque supra defuncti Cardinalis corpus absolutio ab eodem Pontifice præsente, eoque absente, à dicto Cardinale Camerario, seu eo pariter absente, à Cardinale, ut præfertur, delegato impertiatur.

Ac de consensu Collegii S. R. E. Cardd.

Præscribit hujusmodi exequias de mane tantum celebrari.

Et Capellam Pontificiam haberi ad Missam.

§. 3. Quocirca Romanum Pontificem pro tempore existentem, Sacrumque nunc & pro tempore etiam existentem prædictæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Cœtum enixè obsecramus, ut in celebratione exequiarum Cardinalium in Curia decedentium, omnia & singula à Nobis per præsentes perpetuò statuta & decreta debitæ executioni demandari, eaque semper, & inviolabiliter servari studeant; qua de re minimè dubitamus, sed certa spe in Domino confidimus, quod quisque Romanorum Pontificum Successorum nostrorum memor erit, se vicem gerere in terris Cœlestis æternique Pontificis, qui in morte Lazari amici sui lacrymatus est adeò, ut mirarentur Judæi, & dicerent: *Ecce quomodo amabat eum;* ita & ipse, exemplo Christi Domini, eosdem Cardinales, sibi Coadjutores à Domino datos, in visceribus caritatis complectens, in eorum ab hac luce discessu, supremis paterni amoris officiis, & solemni Pontificalium exequiarum, ac propitiatorii Missæ Sacrificii celebratione, aliisque piarum orationum subsidiis prosequi libenter curabit, ut & defunctorum animæ, ob eorum Apostolatus munus laudabiliter expletum, una cum Beatis Apostolis manere mereantur in Cœlis, & erga sublimem Cardinalatus dignitatem, ex solemni celebratione hujusmodi, populorum obsequium, & veneratio in terris augeatur.

Successoribus commendat præsentium executionem.

§. 4. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam Nostri decreti, constitutionis, declarationis, exhortationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Sanctio Constitutionis.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, nono Kal. Decembris, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Pontificatus Nostri Anno II.

Dat. die 23. Nov. 1741.

✠ Ego Benedictus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

† *Ego T. Episcopus Ostien., & Veliternen. Card. Rufus Decanus, & S. R. E. Vice-Cancellarius.*

Subscriptiones S. R. E. Cardinalium.

† *Ego*

† Ego A. Episcopus Sabinensis Card. S. Clementis S. R. E. Camerarius.
† Ego L. Episcopus Portuensis Card. Picus.
† Ego Petrus Episcopus Tusculanus Card. Corradinus.
† Ego V. Episcopus Prænestinus Card. Petra Major Pœnitentiarius.
† Ego P. A. Episcopus Albanen. Card. Carafa.
†
†
†
†
†
†
† Ego Ludovicus Tit. S. Praxedis Presbyter Card. Belluga.
†
†
† Ego A. M. Tit. S. Marci Presbyter Card. Quirinus S. R. E. Bibliothecarius.
† Ego Nicolaus Maria Tit. SS. Joannis, & Pauli Presbyter Card. Lercari.
†
†
†
†
† Ego Fr. Vincentius Ludovicus Tit. S. Sixti Presbyter Card. Gotti Ordinis Prædicatorum.
† Ego Joseph Tit. S. Mariæ Transtyberim Presbyter Card. Accorambonus.
† Ego Camillus Tit. S. Mariæ Angelorum Presbyter Card. Cybo.
† Ego F. Tit. S. Silvestri in Capite Presbyter Card. Burghesius.
†
†
† Ego V. Tit. S. Matthei in Merulana Presbyter Card. Bichius.
† Ego J. Tit. S. Crucis in Hierusalem Presbyter Card. Firrao.
† Ego A. Tit. S. Stephani in Monte Cœlio Presbyter Card. Gentili.
† Ego Fr. J. A. Tit. SS. Silvestri, & Martini Presbyter Card. Guadagni.
† Ego T. Tit. S. Cæciliæ Presbyter Card. de Aquaviva.
† Ego D. Tit. Basilicæ Sanctorum Duodecim Apostolorum Presbyter Card. Rivera.
† Ego P. Tit. S. Eusebii Presbyter Card. Aldrovandus.
†
†
†
†
†
†
†
† Ego D. Tit. S. Bernardi ad Thermas Presbyter Card. Passionеus.
† Ego S. Tit. S. Priscæ Presbyter Card. Valenti.
†
† Ego P. Tit. SS. Nerei, & Achillei Presbyter Card. de Tencin.
†
† Ego Alexander S. Agatæ Diaconus Card. Albanus.
† Ego N. S. Mariæ ad Martyres Diaconus Card. Judice.
† Ego Nerius S. Eustachii Diaconus Card. Corsinus.
† Ego A. S. Georgii in Velabro Diaconus Card. Mosca.
† Ego J. B. S. Cæsarei Diaconus Card. Spinula.
†
† Ego C. S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Card. Rezzonicus.
† Ego M. S. Adriani Diaconus Card. Corius.
† Ego P. S. Angeli in Foro Piscium Diaconus Card. Columna.
† Ego C. S. Mariæ in Porticu Diaconus Card. Sacripantes.
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†

P. Card. Pro-Datarius.
D. Card. Passionеus.

Visa de Curia.

N. Antonellus.

Loco ✠ Plumbi.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicat. die 10. *Januarii* 1742.

Indorum in Provinciis Paraquariæ, Brasiliæ, & ad Flumen *de la Plata* existentium, libertati, & indemnitati consulitur. XXXVIII.

Venerabilibus Fratribus, Antistibus Brasiliæ, aliarumque Ditionum Carissimo in Christo Filio Nostro Johanni Portugalliæ, & Algarbiorum Regi, in Indiis Occidentalibus, & America subjectarum.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Pontificia caritas omnes homines ubique Terrarum degentes amplectitur.

Immensa Pastorum Principis Jesu Christi, qui, ut homines vitam abundantius haberent, venit, & se ipsum tradidit redemptionem pro multis, caritas urget Nos, ut, quemadmodum ipsius vices plane immerentes gerimus in terris, ita majorem caritatem non habeamus, quam ut animam nostram non solum pro Christifidelibus, sed pro omnibus etiam omnino hominibus ponere satagamus. Etsi autem, pro suprema Catholicæ Ecclesiæ procuratione infirmitati nostræ injuncta, Apostolicam hanc Sanctam Sedem, ad quam undique gentium in dies concurritur, ut opportunum, ac salutare emergentibus in Christiana Republica, sive negotiis, sive detrimentis remedium afferatur, hic Romæ, more institutoque Majorum, tenere, ac regere cogimur; nec longinquas dissitasque regiones, ut qualemcumque inibi Apostolici ministerii nostri pro lucrandis animabus pretioso Jesu Christi sanguine redemptis operam impendamus, ac vitam ipsam, quemadmodum cupimus, profundamus, adire non possumus: tamen sicut nolumus omnes Apostolicæ providentiæ, auctoritatis, benignitatisque partes ab omni natione, quæ sub Cœlo est, desiderari; ita Vos, Venerabiles Fratres, quos ad excolendam Vineam Dei Sabbaoth Cooperatores eadem Apostolica Sedes sibi adscivit, in Pontificiæ sollicitudinis vigilantiæque nostræ partem libenter advocamus; ut & imposito Vobis muneri magis magisque satisfacere, & coronam legitime certantibus in Cœlo repositam facilius consequi valeatis.

Episcoporū operam in subsidium advocat.

§. 1. Porro Fraternitatibus Vestris compertum est, quæ & quanta Romani Pontifices Prædecessores nostri, & Catholici Principes de

Apostolicæ Sedis studiū pro Infidelium conversione.

Christiana Religione benemerentissimi, laborum incommoda, ac pecuniarum dispendia alacri constantique animo passi fuerint; ut hominibus, qui ambulabant in tenebris, & in umbra mortis sedebant, per Sacros Operarios, tum sacris prædicationibus bonisque exemplis, tum donis, tum opibus, tum subsidiis, tum auxiliis, lumen Orthodoxæ Fidei illucesceret, & ad agnitionem veritatis venirent: & quibus etiam nunc muneribus, quibus beneficiis, quibus privilegiis, quibus prærogativis, quemadmodum semper factum est, Infideles cumulentur, ut iis illecti, Catholicam Religionem amplectantur, in eaque manentes, per bona Christianæ pietatis opera æternam salutem adipiscantur.

Nonnullorum asperitas in Indos tum Infideles, tum etiam Christianos.

§. 2. Eapropter non sine gravissimo paterni animi nostri mærore accepimus, post tot inita ab iisdem Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus Apostolicæ providentiæ consilia, post editas Constitutiones, opem, subsidium, ac præsidium Infidelibus omni meliori modo præstandum esse, non injurias, non flagella, non vincula, non servitutem, non necem inferendam esse, sub gravissimis pœnis, & Ecclesiasticis censuris, præscribentes; adhuc reperiri, præsertim in istis Brasiliæ regionibus, homines Orthodoxæ Fidei cultores, qui veluti caritatis in cordibus nostris per Spiritum Sanctum diffusæ sensuum penitus obliti, miseros Indos non solum Fidei luce carentes, verum etiam sacro regenerationis lavacro ablutos, in montanis asperrimisque earumdem Brasiliæ, tam occidentalium, quam meridionalium, aliarumque regionum desertis inhabitantes, aut in servitutem redigere, aut veluti mancipia aliis vendere, aut eos bonis privare, eaque inhumanitate cum iisdem agere præsumant, ut ab amplectenda Christi Fide potissimum avertantur, & ad odio habendam maximopere obfirmentur.

Ea improbatur a pietate Serenissimi Lusitaniæ Regis.

§. 3. Hisce malis, quantum cum Domino possumus, occurrere satagentes, primum quidem eximiam pietatem, & in Catholica Religione propaganda incredibilem Carissimi in Christo Filii Nostri Johannis Portugalliæ, & Algarbiorum Regis illustris zelum excitandum curavimus; qui pro filiali sua erga Nos atque hanc Sanctam Sedem observantia, statim se omnibus & singulis suarum Ditionum Officialibus, & Ministris in mandatis daturum pollicitus est, ut quemcumque suorum Subditorum aliter, quàm Christianæ caritatis mansuetudo exigit, erga Indos hujusmodi sese gerere comperissent, gravissimis juxta Regia edicta pœnis afficerent.

Pontifex hortatur Episcopos, ut ipsi quoque eam refrænare curarent.

§. 4. Deinde Fraternitates Vestras rogamus atque in Domino hortamur, ut nedum debitam ministerii vestri vigilantiam, sollicitudinem, operamque vestram hac in re, cum nominis dignitatisque vestræ detrimento, deesse non patiamini; quin immo, studia vestra Regiorum Ministrorum officiis conjungentes, unicuique probetis, Sacerdotes animarum pastores quanto, præ Laicis Ministris, ad Indos hujusmodi opem ferendam, eosque ad Catholicam Fidem adducendos, ardentiori Sacerdotalis caritatis æstu ferveant.

Confirmat Prædecessorum Constitutiones.

§. 5. Præterea Nos; auctoritate Apostolica, tenore præsentium, Apostolicas in simili forma Brevis Literas à fel. rec. Paulo Papa III. Prædecessore nostro, ad tunc existentem Johannem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem de Tavera nuncupatum Archiepiscopum Toletanum die 28. mensis Maji anno 1537. datas, & à rec. mem. Urbano Papa VIII. itidem Prædecessore nostro, tunc existenti jurium & spoliorum Cameræ Apostolicæ in Portugalliæ & Algarbiorum Regnis debitorum Collectori Generali, die 22. mensis Aprilis anno 1639. scriptas renovamus, & confirmamus; necnon eorumdem Pauli, & Urbani Prædecessorum vestigiis inhærendo, ac impiorum hominum ausus, qui Indos prædictos, quos omnibus Christianæ Caritatis & mansuetudinis officiis ad suscipiendam Christi Fidem inducere oportet, inhumanitatis actibus ab illa deterrent, reprimere volentes unicuique Fraternitatum vestrarum, vestrisque pro tempore Successoribus committimus & mandamus, ut unusquisque vestrum, vel per se ipsum, vel per alium, seù alios, editis atque in publicum propositis affixisque edictis, omnibus Indis, tam in Paraquariæ, & Brasiliæ Provinciis, ac ad Flumen *de la Plata* nuncupatum, quam in quibusvis aliis regionibus, & locis in Indiis Occidentalibus, & Meridionalibus existentibus, in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, universis & singulis personis, tam sæcularibus, etiam Ecclesiasticis cujuscumque status, sexus, gradus, conditionis, & dignitatis, etiam speciali nota, & mentione dignis existentibus, quam cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, etiam Jesu, Religionis, & Instituti Mendicantium, & non Mendicantium, ac Monachalis, Regularibus, etiam quarumcumque Militiarum, etiam Hospitalis Sancti Johannis Hierosolymitani, Fratribus Militibus, sub excommunicationis latæ sententiæ per Contravenientes eo ipso incurrenda pœna, à qua, nonnisi à Nobis, vel pro tempore existente Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo constituti, & satisfactione prævia, absolvi possint, districtius inhibeant; ne de cætero prædictos Indos in servitutem redigere, vendere, emere, commutare, vel donare, ab Uxoribus, & Filiis suis separare, rebus, & bonis suis spoliare, ad alia loca deducere, & transmittere, aut quoquo modo libertate privare, in servitute retinere; necnon prædicta agentibus consilium, auxilium, favorem, & operam quocumque prætextu, & quæsito colore præstare, aut id licitum prædicare, seu docere, ac alias quomodolibet præmissis cooperari audeant, seu præsumant; Contradictores quoslibet, & rebelles, ac unicuique Vestrum in præmissis non parentes, in pœnam excommunicationis hujusmodi incidisse declarando, ac per alias etiam censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Nos enim unicuique Vestrum, vestrorumque pro tempore Successorum, desuper plenam, amplam, & liberam facultatem tribuimus, & impertimur.

Inhibendo quibuslibet, ne eos in servitutem redigant, vendant, spolient &c.

Contravenientes anathemate, & censuris puniant.

§. 6. Non obstantibus similis memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædecessoris nostri de una, ac Concilii Generalis de duabus diætis, ac aliis Apostolicis, & in Conciliis Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, Legibus quoque etiam municipalibus, ac quorumcumque locorum piorum, & non piorum, & generaliter quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seù quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, acsi de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plenè, &

Contrariis derogat.

Mandat publicari Edicta in favorem Indorum.

suffi-

sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem tribuit.

§. 7. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Episcopos obtestatur pro præsentium executione.

§. 8. Cæterum, Venerabiles Fratres, custodientes Vos vigilias super grege unicuique vestrum credito, ministerium vestrum satagite atque enitamini, ea, qua obstricti estis, diligentia, sedulitate, & caritate adimplere, assidue in animis vestris recolentes rationem, quam & Vos Pastorum Principi Jesu Christo æterno Judici de ovibus suis reddituri eritis, & quam ille accuratissime à Vobis exacturus erit. Ita enim fore confidimus, ut unusquisque Vestrum omnem operam atque conatum adhibeat, ne debitum in hoc tam eximiæ caritatis opere officium desideretur. Interea ad prosperi eventus successum, Apostolicam benedictionem, cum uberrima cœlestium Charismatum copia conjunctam, Vobis, Venerabiles Fratres, peramanter impertimur.

Dat. die 20. Dec. 1741.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 20. Decembris 1741. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

D. Cardinalis Passionеus.

XXXIX.

Clausura Monasteriorum quorumcumque Virorum Regularium asseritur, sublata quibuslibet dispensandi facultate.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Veteris disciplinæ rigor in arcendis Mulieribus a Regularium domibus, & Ecclesiis.

REGULARIS disciplinæ observantiam, ante etiam quam & Generalium, ac Particularium alicujus Nationis, aut Provinciæ Conciliorum decretis confirmaretur, & Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum legibus sanctionibusque præscriberetur, quoad vetitum Mulieribus quibuscumque, etiam consanguineis, intra quorumcumque religiosorum Virorum Clausuram ingressum, tam integerrimè custoditam fuisse constat; ut, ne dum fœminis quibuscumque, sed masculis quoque, non tam ad Monasteriorum claustra, seu septa, quàm ad ipsa eorumdem Monasteriorum Oratoria, & Ecclesias nullus patuerit aditus, & accessus; quin immo sub gravissimis pœnis fuerit interdictus; ne scilicet, ut inquit S. Gregorius Papa I. Prædecessor noster, in Servorum Dei secessibus occasio præbeatur popularibus conventibus, & simpliciores ex hoc animas plerumque, quod absit, in scandalum trahat.

Nihil remissum quoad earum ingressum intra Monasteria.

§. 1. Hujusmodi autem regularis disciplinæ observantia, etsi, pro temporum varietate, ac necessitate, tot tantasque subiit vices, ut iidem Prædecessores nostri aditum & accessum ad publicas Monasteriorum Ecclesias dumtaxat, sive masculis, sive fœminis, Sacrosanctum Missæ Sacrificium audiendi, Prædicationibus Verbi Dei interessendi, & Sacramentum Sanctissimæ Eucharistiæ sumendi, ac peccata sua confitendi causa, sine tamen Parochorum præjudicio, interdum concesserint; vicissim tamen ipsi Prædecessores nostri, tam ante Concilii Tridentini decreta, quàm post eorumdem Decretorum promulgationem denuntiationemque, providis saluberrimisque Constitutionibus ordinationibusque, sub pœna etiam excommunicationis latæ sententiæ, fœminis quibuscumque aditum ingressumque hujusmodi intra Monasteriorum clausuram interdixerunt.

Sed nimia dispensationum facilitas invecte.

§. 2. Quoniam autem, sicut dolentes accepimus, alii quidem Apostolicas leges, ac præcepta hujusmodi, vel ausu temerario parvipendentes, vel ad eorum arbitrium interpretantes, fœminis quibuscumque aditum ingressumque, tam manifestè, ac tanta sollemnitate vetitum, permittunt; alii verò privilegia, indulta, prærogativas, facultates, licentias, & alias quocumque pacto excogitatas concessiones sibi sive à jure, sive ab homine factas, & impertitas, seu facta, & impertita, ac quorumcumque munerum, dignitatum, ac præeminentiarum ratione debitas, seu debita arrogantes, prætendentes, obtendentesque; fœminas quaslibet intra Monasteriorum claustra, septa, cænacula, cubicula, aliasque officinas aut admitti, ac recipi sinunt mandantque, aut una secum ducunt; alii denique sub pietatis, ac religionis prætextu, cùm Supplicationes, sive cum Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, sive cum sacris Sanctorum Sanctarumque Reliquiis, Statuis, & Imaginibus, per claustra, septa, & alia Monasteriorum loca de more, ut asserunt, habentur, sine ullo prorsus discrimine masculos, & fœminas Supplicationes hujusmodi per eadem loca sequi, & comitari licitum, quin imo, ut Indulgentias lucrari valeant, necessarium esse obtendunt.

Pontifex eam tollere statuit.

§. 3. Hinc est, quod Nos, qui, dum in minoribus essemus, quamplurimos hujusmodi abusus compertos habebamus, in hac sublimi Sacrosancti Apostolatus specula constituti, non tam assiduis nonnullorum aliarum Ecclesiarum Antistitum documentis, quam justis etiam Superiorum, aliorumque Virorum ex Religiosis Ordinibus, Dei honorem, & instituti sui disciplinam zelantium, expostulationibus, de antedictis similibusque abusibus in dies admonemur, ut opportunum, ac salutare iisdem abusibus tollendis, quantum cum Domino possumus, remedium afferamus; auctoritate Apostolica, tenore præsentium, primùm quidem omnes, & singulas Constitutiones, Sanctionesque à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, tam ante, quàm post Concilii Tridentini decreta, super Clausura Monasteriorum quorumcumque religiosorum Virorum editas, renovamus, & confirmamus, necnon in posterum ab omnibus & singulis, ad quos spectat, & in futurum spectabit, sub iisdem pœnis in Constitutionibus Sanctionibusque eorumdem Prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, & decretis ejusdem Concilii Tridentini contentis, inviolabiliter observandas esse statuimus, decernimus, præcipimus, atque mandamus.

Renovat, & confirmat Prædecessorum Sanctiones.

Abolet, & revocat quascumque facultates dispensandi quibuslibet concessas.

§. 4. Deinde motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, earumdem præsentium tenore, omnia & singula indulta, privilegia, prærogativas, facultates, licentias, & quocumque alio pacto nuncupatas concessiones, omnibus & singulis quibuscumque Ecclesiasticis personis quacumque auctoritate, dignitate, honore, præeminentia, ac jurisdictione fungentibus, etiam Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, sive singulis, sive eorumdem Cardinalium Congregationibus, etiam de Latere Legatis, sive qui Provinciis, & Legationibus Status nostri Ecclesiastici pro tempore præsunt, sive quos ad Carissimos in Christo Filios nostros Romanorum Regem in Imperatorem pro tempore eligendum, vel electum, Reges, & Reginas illustres, aliasque summas Potestates, prout rerum conditio postulaverit, mitti, & ablegari contigerit; sive qui, licet aliarum insignium Ecclesiarum Antistites, tamen tamquam Apostolicæ hujus S. Sedis

Legati

Legati de Latere aliàs nuncupati, & habiti sunt, & fortasse habentur, aut haberi, & esse prætendunt, & in posterum habendi sunt; sive Ordinarii, sive Extraordinarii nostri & ejusdem Apostolicæ Sedis ubicumque, etiam ad ipsos Imperatorem, & Reges, ac summas Potestates, Nuntii, sive Inter-Nuntii residentes; ac demum quibuscumque aliis quocumque nomine, & expressione nuncupatis personis, quocumque tempore, à quibusvis, etiam ab ipsis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, quacumque de causa, occasione, titulo, colore, & prætextu, per quascumque Apostolicas, sive in simili forma Brevis, sive sub Plumbo expeditas literas, sub quibuscumque verborum formis, facta, data, concessa, & impertita, sive factas, datas, concessas, & impertitas, super hujusmodi accessu, & ingressu, revocamus, abolemus, annullamus, atque irritamus, necnon à datarum earumdem præsentium die revocata, abolita, annullata, & irrita, ac nullius prorsus momenti, ac vigoris esse, & fore, neminique cuilibet quocumque tempore suffragari statuimus, decernimus, & declaramus.

Earum usum interdicit, & irritum fore declarat.

§. 5. Quemadmodum etiam statuimus, decernimus, & declaramus, quemlibet omnium antedictorum, etiam speciali mentione dignorum, quacumque facultate hujusmodi temere uti audentem, ipso facto, absque ulla alia declaratione, pœnas, & Ecclesiasticas censuras, à quibus, præter quam à Nobis, & pro tempore existente Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi possit, incurrere, & incursum esse, licentiamque hujusmodi cuicumque concessam nullo modo suffragari, atque nullius momenti, perinde, ac si minime concessa fuisset, ipso facto fore, & haberi, ac pœnas, & censuras Ecclesiasticas ipso etiam facto, ut præmittitur, per contrafacientem incurri, & incursas esse.

Præsentium firmitati consulit.

§. 6. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod quicumque in præmissis interesse habentes, seù habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, seù alia specifica, & individua mentione, & expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, causæque, propter quas præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet etiam quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quomodolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quod spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari; sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis prædictæ Nuntios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sublata, & Decretum irritans.

Derogat contrariis.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, Ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ac usibus, & stylis, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis prædictis, aliisque quibuslibet personis, etiam quacumque Ecclesiastica, vel mundana dignitate fulgentibus, & aliàs quomodolibet qualificatis, ac specialem expressionem requirentibus, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, & quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Præservat privilegia à a S. Sede legitime concessa Patronis &c.

§. 8. Cæterum per præsentes non intendimus derogatum esse iis concessionibus, quæ ad favorem quarumcumque Nobilium fœminarum, ex eo, quod sive earumdem Majores, ac pro tempore existentes de familia, fuerint, & habeantur Fundatores, vel insignes Benefactores illius Monasterii, intra cujus claustra, vel septa fœminas etiam de familia ingredi, vel concessum, vel cautum esse sibi voluerunt, & de concessione hujusmodi confirmationem ab Apostolica hac Sancta Sede obtinuerunt; sive fœminæ hujusmodi sint Consanguineæ, & Affines eorum, qui sunt Domini in Temporalibus locorum, in quibus Monasteria sita reperiuntur, & quacumque legitima tituli, vel consuetudinis causa, & occasione, ingressu hujusmodi de præsenti gaudent, factæ, & impertitæ fuerunt; dummodo concessiones hujusmodi per Apostolicas in simili forma Brevis, vel sub Plumbo desuper expeditas literas dumtaxat, & non aliter omninò factas, & impertitas fuisse prius Ordinariis locorum Antistitibus, vel Præsulibus, per legitima, & authentica documenta constare fecerint; & dummodo nec vagandi, nec otiandi, nec comedendi cænandique, nec per ambulacra, cubicula, cænacula, aliaque loca, & officinas discurrendi causa, sed ad Ecclesias accedendi, Sacrosanctum Missæ Sacrificium audiendi, aliaque erga Deum pietatis officia, & opera exercendi studio ingrediantur; & dummodo de earum adventu, & ingressu interdiu, & opportune faciendo, Superiores pro tempore existentes prius certiores fiant, ad hoc ut, absque Fratrum incommodo, & offensione, recto tramite ad Ecclesiam pergatur, & alia de jure servanda serventur.

Dummodo sola pietatis causa, & caute iis utantur.

Transumptis fidem tribuit.

§. 9. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 3. Januar. 1742.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die tertia Januarii millesimo septingentesimo quadragesimo secundo, Pontificatus Nostri Anno Secundo.

D. Cardinalis Passionеus.

Public. die 4. ejusdem Mensis, & Anni.

XL.

De Clausura Monialium. Confirmantur Sanctiones Ecclesiasticæ, antea editæ. Revocantur facultates extraordinariæ permittendi ingressum, & egressum è Monasteriis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Exacta Monialium Clausura semper in Ecclesia servata fuit.

Salutare in Catholica Ecclesia institutum, ab ipsa antiquitate susceptum, ac tanta cum sollicitudine & pastorali zelo custoditum, ut flos ille Ecclesiastici germinis, decus, atque ornamentum gratiæ spiritalis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum, atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi, Sacræ Virgines, quarum, quo sublimior gloria est, major & cura est, intra Monasteriorum sepia, & claustra vigili sollicitaque custodia servarentur, tam ante, quàm post Tridentinæ Synodi Decreta, Romani Pontifices Prædecessores nostri tot sanctissimis Legibus, & initis Apostolicæ providentiæ caritatisque consiliis communire, & confirmare studuerunt; ut, quæ se Christo dicaverint, & à carnali concupiscentia recedentes, tam carne, quam mente se Deo voverint, consumment opus suum magno præmio destinatum.

Relaxatio hujus disciplinæ ab aliquibus invecta.

§. 1. Quoniam autem, etsi providas hujusmodi Sanctiones, Constitutionesque, si ea, qua decet, regularis disciplinæ observantia custodirentur, satis esse scimus, ut Virgines ea, quæ Cœlestis earumdem Sponsi Jesu Christi sunt, cogitantes, sint sanctæ & corpore, & spiritu; longa tamen experientia edocti, & assiduis Venerabilium Fratrum aliarum Ecclesiarum Antistitum querelis admoniti, supremas Apostolicæ auctoritatis providentiæque partes requiri, ut abusibus quamplurimis ex nimia quorumcumque, aut sibi quocumque pacto arrogantium, aut prætendentium, aut obtendentium facultatem alias sibi quomodolibet, sive à jure, sive ab homine concessam, vel demandatorum munerum ratione debitam esse, ut sive ipsi, sive alii, ingredi clausuram Monialium, aut ipsæ Moniales è clausura ob quascumque etiam non legitimas causas egredi, & extra clausuram hujusmodi commorari possint, licentiam concedendi, indulgentiâ sensim invectis, opportunè occurratur.

Pontifex confirmat Prædecessorum Constitutiones.

§. 2. Hinc est, quod Nos, pro suprema omnium Christifidelium procuratione imbecillitati nostræ in universalis Orthodoxæ Ecclesiæ regimine divinitus impositа, opportunum abusibus hujusmodi remedium, quantum cum Domino possumus, adhibere satagentes; Auctoritate Apostolica, tenore præsentium, omnes, & singulas Constitutiones à Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris, tam ante, quam post Concilii Tridentini Decreta, super clausura Monialium editas renovamus, & confirmamus, necnon imposterum ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & in futurum spectabit, sub iisdem pœnis in Constitutionibus eorumdem Prædecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum, & Decretis Concilii Tridentini præfati contentis, inviolabiliter observandas esse statuimus, decernimus, præcipimus, atque mandamus.

Adimit, & revocat facultates dispensandi quibuslibet concessas.

§. 3. Præterea motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, earumdem præsentium tenore, omnia, & singula indulta, privilegia, prærogativas, facultates, licentias, & quocumque alio pacto nuncupatas concessiones, omnibus & singulis quibuscumque Ecclesiasticis personis, quacumque auctoritate, dignitate, honore, præeminentia, ac jurisdictione fungentibus, etiam Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, sive singulis, sive eorumdem Cardinalium Congregationibus, etiam de Latere Legatis, sive, qui Provinciis, & Legationibus Status Nostri Ecclesiastici pro tempore præsunt, sive quos ad Carissimos in Christo Filios Nostros Romanorum Regem in Imperatorem pro tempore eligendum, vel electum, Reges & Reginas illustres, aliasque Summas Potestates, prout rerum conditio postulaverit, mitti & ablegari contigerit; sive qui, licet aliarum insignium Ecclesiarum Antistites, tamen tamquam Apostolicæ hujus Sanctæ Sedis Legati de Latere alias nuncupati, & habiti sunt, & fortasse habentur, aut haberi, & esse prætendunt, & imposterum habendi sunt; sive Ordinarii, sive Extraordinarii Nostri, & ejusdem Apostolicæ Sedis ubicumque, etiam apud ipsos Imperatorem, & Reges, ac Summas Potestates Nuntii, sive Inter-Nuntii residentes (exceptis dumtaxat locorum Ordinariis, iisque omnibus Superioribus, quibus tamquam Ordinariis, & ordinaria jurisdictione utentibus, Monialium Monasteria subjecta, & addicta sunt, in casibus tamen necessariis, & servatis aliis de jure servandis, & non aliter omnino), ac demum quibuscumque aliis quocumque nomine, & expressione nuncupatis personis, quocumque tempore, à quibusvis, etiam ab ipsis Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris, quacumque de causa, occasione, titulo, colore, & prætextu, per quascumque Apostolicas, sive in simili forma Brevis, sive sub Plumbo expeditas Literas, sub quibuscumque verborum formis facta, data, concessa, & impertita, sive factas, datas, concessas, & impertitas, super hujusmodi ingressu, revocamus, abolemus, annullamus, atque irritamus; necnon à datarum earumdem præsentium die revocata, abolita, annullata, & irrita, ac nullius prorsus momenti, ac vigoris esse, & fore, neminique cuilibet quocumque tempore suffragari;

Salva auctoritate Ordinariorum.

Usum facultatum hujusmodi sub Censuris interdicit, & irritum decernit.

§. 4. Ac quemlibet omnium antedictorum, etiam speciali mentione dignorum, quacumque facultate hujusmodi, sive pro se, sive pro aliis temerè uti audentem, ipso facto, absque ulla alia declaratione, pœnas, & Ecclesiasticas censuras contra violantes Clausuram Monialium inflictas, à quibus, præterquam à Nobis, & pro tempore existente Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi possit, incurrere, & incursum esse; licentiamque hujusmodi concessam nullo modo suffragari, atque nullius momenti, perinde ac si minime concessa fuisset, ipso facto fore, & haberi, ac pœnas, & censuras Ecclesiasticas ipso etiam facto, ut præmittitur, per contrafacientem incurri, & incursas esse, statuimus, decernimus, ac declaramus.

Clausulæ præservativæ, & de perpetuo præsentium vigore.

§. 5. Decernentes easdem præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, seu alia specifica, & indivi-

dua mentione, & expreſſione digni, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, cauſæque, propter quas præſentes emanarint, ſufficienter adductæ, verificatæ, & juſtificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata cauſa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, nullo umquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis Noſtræ, vel intereſſe habentium conſenſus, aliove quomodolibet, etiam quantumvis magno, & ſubſtantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, individuamque expreſſionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controverſiam vocari, aut ad terminos juris reduci, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, ſeu etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare ullo modo poſſe; ſed ipſas præſentes Literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter, & inconcuſsè obſervari: ſicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis prædictæ Nuntios, alioſve quoslibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Sublata cuilibet ſecus judicandi, & interpretandi facultate.

§. 6. Non obſtantibus præmiſſis, ac, quatenus opus ſit, Noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula *de jure quæſito non tollendo*, aliiſque Conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus, ac uſibus, & ſtylis, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis prædictis, aliiſque, quibuslibet perſonis, etiam quacumque Eccleſiaſtica, vel mundana dignitate fulgentibus, & aliàs quomodolibet qualificatis, ac ſpecialem expreſſionem requirentibus, ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac conſiſtorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, editis, factis, ac pluries iteratis, & quantiſcumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitùs omiſſo, & forma in illis tradita, obſervata, exprimerentur, & inſererentur, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, ac derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Derogationes ampliſſimæ.

§. 7. Volumus autem, ut earumdem præſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in Judicio, & extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Exemplorum auctoritas.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris die III. Januarii MDCCXLII. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

Dat. die 3. Jan. 1742.

D. Card. Paſſionеus.

Publicat. die 5. ejuſdem menſis, & anni.

Indultum pro celebratione Miſſarum ſuper Triremibus Militiæ Hoſpitalis S. Johannis Hieroſolymitani. XLI.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Summarium precum, & rationum.

EXponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius Magnus Magiſter Hoſpitalis Sancti Johannis Hieroſolymitani, quod ipſe, conſiderans tam Fratres Milites, quàm Officiales, Nautas, & Turmam Catholicam, qui ſuper Claſſe Triremium Hoſpitalis præfati reperiuntur, tempore expeditionum, præſertim in Littore Maris Africi, & Lybici, aliiſque partibus communi Chriſtiani nominis hoſti ſubjectis, longo tempore, & multoties in ſolemnioribus anni Feſtis diebus, prout etiam quando in oris maritimis Catholicorum Principum, & in illorum portubus exiſtunt, tum propter anni tempeſtates ſibi adverſas, quæ minime permittunt tentorium in terra figere, & obtendere, ſub quo Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrari poſſit, tum propter diſtantiam Terræ firmæ, Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium hujuſmodi audire non poſſe; ut incommodis, & inconvenientibus hujuſmodi, ne pietas, & devotio Fratrum, Subditorumque ejuſdem Hoſpitalis minuatur, occurri poſſit, idem Miſſæ Sacrificium in Triremibus prædictis celebrari poſſe plurimum deſiderat: Nobis propterea dictus Magnus Magiſter humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Pontifex annuit.

§. 1. Nos igitur piis dicti Magni Magiſtri votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere, eumque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, moderno, ac pro tempore exiſtenti Magno Magiſtro, & Dilectis Filiis Conſilio Hoſpitalis præfati, petitam facultatem celebrari faciendi Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium hujuſmodi, tum tempore navigationis, quo Triremes hujuſmodi anchoratæ ſunt, in quibuſvis oris, littoribus, & portubus, habitatis, & non habitatis, & dummodo celebratio Miſſæ hujuſmodi eo tempore, quo mare tranquillum, & Cœlum ſerenum reperiatur, & cum aſſiſtentia alterius Presbyteri, ſeu Diaconi, fiat; itaut periculum effuſionis Sanguinis in dicta celebratione minime adſit; auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Cum conditionibus opportunis.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XV. Januarii MDCCXLII. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

D. Cardinalis Passionеus.

Dat. die 15. Jan. 1742.

XLII.

De Doctrina Christiana Populis tradenda: Qua ratione, & methodo Fidelium indigentiæ hac in re consulendum sit.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Cura Pontificis de Fidelium instructione.

ETsi minimè Nobis dubitandum sit, omnes, quibus animarum cura credita est, Vosque præsertim, Venerabiles Fratres, ad Apostolatûs officium evectos, atque in Prælationis fastigio à Deo constitutos, in id potissimùm sollicitudinem intendere, ut Christianus Populus Cœlestis Doctrinæ pabulo enutritus, & rudimentis Fidei saluberrimè instructus, in semitam Mandatorum Domini, facem Vobis præferentibus, feliciter dirigatur: temperare tamen non possumus, quin vos ipsos Nostræ Auctoritatis, ac Paternæ dilectionis stimulis excitemus ad tam pium, tamque salutare Opus Doctrinæ Christianæ impensiori cura provehendum, sublatis iis impedimentis, quæ animarum saluti adversantur.

Aliqua mysteria Fidei explicitè credenda de necessitate medii, aliqua de necessitate præcepti.

§. 1. Quia verò scientibus Legem loquimur, & vigiles Ecclesiarum hortamur Antistites, quibus nec Pietatis, nec alia sacrarum Literarum desunt præsidia; supervacaneum ducimus plurimis urgere argumentis, non satis esse ad cœlestem Beatitudinem assequendam, confusim, & involutè credere à Deo revelata, & ab Ecclesia Catholica proposita Mysteria; Sed hanc cœlestem Doctrinam divinitùs traditam, & quæ ex auditu concipitur, Doctoris legitimi ac fidelis ministerio ita esse accipiendam, ut singillatim illius capita explicentur, & eorum aliqua necessitate *medii*, aliqua verò necessitate *præcepti* fidelibus ad credendum proponantur. Præterea licèt per Fidem justificari dicamur, cum ea sit humanæ salutis initium, & fundamentum; ad futuram tamen, quam inquirimus Civitatem, ut pervenire aliquando mereamur, satis compertum est, solam Fidem non sufficere; Sed viam nosse, constanterque tenere oportere, nempe præcepta Dei, & Ecclesiæ; tum virtutes, quas persequi, tum vitia, quæ studiosè declinare debemus.

Tenenda quoque morum præcepta.

Episcoporum officium quoad traditionem Doctrinæ Christianæ.

§. 2. Quæ quidem omnia cum primis Catholicæ Fidei Rudimentis, sive *Doctrina*, ut ajunt, *Christiana*, contineantur; Episcopalis muneris exigit ratio, ut illa in singulis Diœcesibus, & ubique locorum rectè, atque ex ordine explicetur; nec posse Episcopos sine tacito conscientiæ convicio illam negligere, sed in hoc opus maximè necessarium omnem curam, & diligentiam conferre debere. Id tamen oneris non ita Episcopo impositum esse intelligimus, ut ipse per se Doctrinæ Christianæ semper interfit, pueros interroget, & Mysteria Fidei, quam profitemur, aperiat. Nimium quippe novimus, in Pastoralis sollicitudinis munere prægravari Apostolicæ servitutis sarcinam, ac plane intelleximus, cum Anconitanam primùm, tum deinde Bononiensem Ecclesiam regeremus, multis, variisque curarum veluti fluctibus jactari Præsulem suo satis muneri facere cupientem. Id verò futurum affirmamus, ut si Episcopus, alieno etiam à Visitatione Diœcesis tempore, quandoque adsit ubi doctrina traditur Christiano homine digna, pueros, puellasque de rebus antea auditis sciscitetur, ac Mysteria nostræ Religionis evolvat, & annunciet; Pastoris operam in maximam crediti sibi Gregis utilitatem cessuram, ejusdemque exemplum alios excitaturum ad Vineam Domini Sabaoth pro viribus excolendam.

Quatenus extendatur.

§. 3. Hanc administrandæ Ecclesiæ quasi legem sibi dixerunt nedum veteres, sed recentiores etiam Præsules, Beatorum Civium Albo adscripti; Carolus nempe Borromæus, Franciscus Salesius, Turribius, Alexander Sauli, quorum aliqui (ut litteris consignatum est) cum gravioribus distenti, atque impediti curis, adesse coram non possent, operæ, ac diligentiæ suæ Vicarium aliquem ex Canonicis, aut ex Sacerdotibus designabant, qui, susceptis Pastoralis Ministerii partibus, Adolescentulos ad omnia Religionis Officia Fidei elementis informarent.

Exempla Sanctorum Episcoporum.

§. 4. Optimum ergo, & ad profectum animarum maximè accommodatum erit Antistitis exemplum, si, quod antea dictum est, id omni tempore, præsertim verò dum obit Diœcesim, in singulis Parœciis impleverit. Sed ut quisque facilè conjiciet, ad hoc vires ejus non suppetunt. Ideoque ut propositum assequatur, necesse est, diligentiâ, quantâ potest maximâ, curet, ne in aliis, quos tam laudabilis, tamque fructuosi operis Vicarios constituit, studium, ac sedulitas desideretur.

Inferiorum Pastorum opera ab Episcopis dirigenda.

§. 5. Duo potissimum onera à Tridentina Synodo Curatoribus animarum sunt imposita: alterum ut Festis diebus de rebus divinis sermonem ad Populum habeant; alterum, ut pueros, & rudiores quosque, Divinæ Legis, Fideique rudimentis informent. Si statis diebus eam Parochi concionem habebunt, quæ non persuasibilibus humanæ Sapientiæ verbis obstrepat auribus, sed captui Auditorum accommodata in eorum animos ostensione spiritus illabatur; si Mysterium aliquod annunciabunt, in primis verò, quod eo tempore Ecclesia recolit, ea differentes, quæ ad virtutem incitamento sint, & ad vitia fugienda, graviora præsertim, & quæ fœdiùs grassantur in Populo; si diebus ipsis (hoc enim pariter debent suo muneri) pueros, tamquam infantes modo genitos, nutriant Doctrinæ lacte, nunc hos, nunc illos interrogando, dubia, atque involuta explicando; Si demum cum Apostolo attendant lectioni, exhortationi, & doctrinæ, ut perfectus sit homo Dei, & ad omne opus bonum instructus: fas est credere, exitum optatis respondere posse, & Populum acceptabilem sectatorem bonorum operum facilè extiturum.

Parochorum munus duplex, prædicandi, & catechizandi.

Eorum labor ab aliis de Clero sublevandus.

§. 6. Verùm satis experientiâ compertum est, imparem esse solius Parochi laborem; Cum nequeat unus omnes instruere, ubi Doctoris diligentiam numerus vincit. Quoties tamen Episcopus toto animo, ac studio in Ecclesiam sibi commissam incumbat, nunquam necessariis, & opportunis destituetur auxiliis. Semper enim invenias, qui Tonsura initiari, qui per Minorum, qui per Sacrorum Ordinum gradus ad Sacerdotii fastigium promoveri, qui denique ad Ecclesiastica Beneficia viam sibi munire studeant. Gravissimis idcirco verbis (& verbis facta respondeant) affirmet Episcopus, numquam se facturum, ut Tonsurâ inauguret grandiores ætate, aut Minores, præsertim verò Majores Ordines iis conferat, qui in tradendâ Christianâ Doctrinâ operam suam Parochis commodare neglexerint. Hunc porrò Clericorum numerum idem Episcopus in singulas suæ Civitatis, & Diœcesis Parochias aptè distribuat, & eorum aliquos determinatæ Ecclesiæ adscribat. Denunciet præterea, ac fidem præstet, in conferendo Parochiarum, & aliorum Beneficiorum Jure, plurimum apud se ponderis, & momenti habiturum studium, & diligentiam in hoc opus

à Clericis collatam : atque ita re ipsa constabit, non Rectori tantùm impositum esse docendi munus, sed plures illi præsto esse, ut omnes Officii sui numeros cumulatè implere possit.

Item à Puerorum, & Puellarum Magistris.

§. 7. His accedit, Sacris Apostolicis Constitutionibus, & septimâ præsertim sel. rec. Leonis X. Prædecessoris Nostri editâ in Concilio Lateranensi, saluberrimè cautum fuisse, ut tam Ludimagistri discipulos suos, quàm Piæ Fœminæ Puellas instituentes, sanâ, & incorruptâ Doctrinâ, (Episcopo id potissimum urgente), tamquam pabulo vitæ, nutriant, & confirment. Constat etiam, ipsum Episcopum posse, ac debere Sacris Oratoribus quàm diligentissimè commendare, ut pro concione in Parentum aures animosque ingerant, suâ interesse Mysteriis nostræ Religionis susceptam prolem imbuere : & si ad id minus idonei fuerint, filios in Ecclesiam adduci oportere, in qua Divinæ Legis præcepta explicantur. Pluribus itidem in locis pia, ac laudabilis, &, ubi non sit recepta, inducenda consuetudo invaluit, ut Parocho idem munus persequenti auxilium ferant Laici tum viri, tum mulieres, in Christiana institutione veluti adjutricem operam navantes, qui audiunt pueros, ac puellas Orationem Dominicam, Angelicam Salutationem, Symbolum Apostolorum, aliaque id genus memoriter pronunciantes. Alibi quoque Sodalitia erecta sunt, quorum cura in explicanda Christianæ Religionis disciplina versatur, & quorum Institutum nedum meritis laudibus cumulat san. mem. Pius V. in sua Constitutione, quæ incipit : *Ex debito* ; sed in omnibus etiam Diœcesibus propagari enixè exposcit. Quæ quidem omnia in unum collecta si sedulò perpendantur, certum omnibus, atque exploratum erit, ubi multa sit messis, paucos nequaquam esse Operarios, nec eos deesse, qui parvulis panem petentibus frangant.

A Patribusfamiliis.

Ab aliis Laicis Viris, & Mulieribus.

Et à piis Sodalitiis in hunc finem erectis.

§. 8. Sed quia compertum est, non solum Adolescentulos, illosque qui confirmata sunt jam ætate, in divinarum rerum ignoratione versari, sed etiam viros, ipsosque senes salutaris Doctrinæ esse omninò expertes ; vel quia numquam illam perceperunt, vel quia jamdiù perceptam paulatim delevit oblivio : huic etiam malo provida Episcoporum occurret vigilantia, si operis sui Vicarios cogent, quæ parata sunt, remedia sedulò adhibere.

Christiana Institutio omni ætati necessaria.

§. 9. Ut autem ab iis, qui in prima sunt ætate, sermo instituatur, ad Sacram Eucharistiam, & Confirmationem admitti plures postulant : Pauci enim enixam hanc voluntatem, ac ferè impatiens studium non præseferunt. Moneat igitur Episcopus Parochos, eisque districtè præcipiat, ne quis eorum sacrum Eucharistiæ Sacramentum administret, & *Schedulam*, ut ajunt, Confirmationis iis tradat, qui graviora Fidei, & Doctrinæ capita, & Sacramenti virtutem, & vim ignorent ; vel quia parum in hoc Tirocinio profecerint, vel quia ea neglexerint audire, quæ ad hujusmodi Sacramenta piè, ritèque suscipienda statis temporibus tradita sunt. Hoc sanè pacto primæ ætati satis videri potest consultum.

Quid agendum cum Pueris.

§. 10. Si verò loquamur de Adolescentia, quoniam unusquisque proprium donum habet ex Deo, usu satis constat, alios Ecclesiasticæ, alios verò sæcularis vitæ rationem inire. De primo hominum genere verba jam fecimus, cum de iis ageremus, qui Ordinibus initiari volunt. Id unum addi posse videtur, rem fore magni commodi, multæque utilitatis plenam, si qui se sistunt examini, eos Præsul potissimùm interroget de iis, quibus Christiani hominis scientia continetur. Etenim magistra rerum experientia edocuit, ex his aliquos, tametsi latini sermonis nitore, & elegantiâ excultos, in scientiarum curriculo liberaliter institutos, & quæ ad Ordines pertinent apprimè callentes, de Doctrinâ tamen Christianâ percunctanti parum, aut nihil appositè respondere.

Quid cum Adolescentibus, qui ad Ordines promoveri cupiunt.

§. 11. Si autem ad eos, qui in sæculo degunt, mentis aciem convertimus, palàm fit, illos ut plurimum sacri conjugii fœdera inire. Verùm cum Matrimonio jungendi non sint, si Parochus, ut debet, prius interrogando deprehenderit, Marem, seu Fœminam, quæ ad salutem necessaria sunt, ignorare ; Vix tantæ ac tam luctuosæ ignorantiæ locum relinquet Episcopus, qui Pastores animarum admoneat officii sui, & huic si desint, negligentiæ repetat pœnas.

Quid cum iis, qui Matrimonio jùgendi sunt.

§. 12. Omnes denique omnium ætatum, atque ordinum homines solent identidem sordes animæ Pœnitentiæ Sacramento detergere. Curabit itaque Episcopus, ut Sacerdos excipiens Confessiones, fixum illud, immotumque animo semper habeat, invalidam esse Absolutionem Sacramentalem, quam quis ignoranti res necessarias necessitate *medii* impertitur, nec posse homines Deo per hujusmodi Sacramentum reconciliari, nisi prius excussâ hujus ignorantiæ caligine, ad agnitionem Fidei educantur. Sedulò etiam animadvertet Confessarius, in aliud tempus rejiciendam esse Absolutionem illius, qui necessaria necessitate *præcepti* suo vitio nescit ; & eo quandoque casu Pœnitentem absolvi posse, quo se vincibilis hujus ignorantiæ reum agnoscat, & accuset ; ac intimè dolens, tum à Deo veniam precetur, tum Confessario seriò promittat, operam se impensè daturum, quâ, Divinæ Grâtiæ præsidio, discat etiam necessaria necessitate *præcepti*.

Ignorantibus quæ scire oportet necessitate *medii*, deneganda est absolutio.

Quid agendum cum ignorantibus quæ scienda sunt necessitate *præcepti*.

§. 13. Hanc profectò Christiani Populi instituendi rationem si Pastores sibi proposuerint, si eorum consilia, labores, & studia ad propositam methodum duxerint referenda ; sperare fas est, Fide, & Opere Gregem ita in dies profecturum, ut coædificetur in habitaculum Dei in Spiritu Sancto. At vero cum maximi momenti ea res sit, nullaque alia ad Dei gloriam, & ad animarum salutem utilius instituta, mirari nemo debet, quod plurima passim objiciantur impedimenta.

Occurrendũ impedimentis.

§. 14. Sitæ quandoque sunt in agro parvæ, humilesque Ecclesiæ, aliæ Parochiali proximæ, aliæ verò longo intervallo disjunctæ, ad quas diebus festis Patresfamilias unà cum liberis accedunt, Sacerdotem Sacris operantem audituri ; ex quo fit, ut suæ Parochiæ nunquam ferè interfint, nec ullum de Mysteriis Fidei, de Præceptis, de Sacramentis verbum accipiant. Episcopus huic malo occurret, suamque objiciet auctoritatem. Et primò quidem, quoad parvas Ecclesias Parochiali proximas, expressa lege caveatur, ne quis antea Sacrificium faciat, quàm Parochus Missam celebraverit, sermonem habuerit, cæterasque sui muneris partes absolverit. Hoc enim pacto Ecclesia Parochialis confluentium Parochianorum numero celebrabitur. Quo vero ad parvas Ecclesias à Parochiali longè sepositas, cum difficile admodum sit, Parochianos ob locorum distantiam, longum iter, atque asperum, hyemali præsertim tempore, cum pluviæ inundant, Parochialem adire, ibique Divinis Officiis interesse, relictâ Ecclesiâ proximiore : decernat Episcopus, gravibus etiam statutis pœnis, quod Sacerdotes ibi operantes Christianæ Doctrinæ summam Populo tradant, Divinamque Legem annuncient. Monendus tamen est Parochus, ne alienæ operæ nimium tribuat, sed videat ipse quo loco res sint, cum pueri Sacramentum Eucharistiæ, & confirmationis, alii vero Matrimonii, sibi administrari exposcant.

In aliquibus Ecclesiis ruralibus non permittenda Missarum celebratio, nisi post Missam Parochialem.

§. 15. Præterea sua etiam Urbes habent impedimenta. Sæpe enim contingit, in aliis Ecclesiis, ac præsertim Regularium, solemni ritu, magnâque Populi frequentiâ, Festum aliquem diem celebrari : ideoque si in Ecclesia Parochiali, summo manè, aut statim à prandio

In aliis, injungendum Presbyteris non Curatis, ut Populum instruant.

In Civitatibus, præscribenda ratio celebrandi Festivitates in Ecclesiis non Parochialibus.

Catechismus habeatur; aut nemo, aut pauci admodum sunt, qui eidem Catechismo intersint, quique præscriptas horas non causentur. Sin verò captentur horæ Civitatis commodo magis appositæ, usu compertum est, Populum ad Ecclesiam confluere, in qua Festus dies agitur; & celebritate pompæ illectum, Doctrinam Christianam non sine gravi animæ detrimento deserere. In hoc articulo quia certa, & communis regula præscribi non potest, id totum relictum esse volumus Prudentiæ vigilis Ecclesiæ Antistitis, qui attentâ loci, temporis, personarum qualitate, expensisque rerum omnium momentis, ita studeat solemnis diei celebritatem cum Doctrina Christiana componere, ne alteri altera sit impedimento. Quod si Regulares, & Exempti contradixerint, & sanctum hoc Doctrinæ opus, licet ab Episcopis prius admoniti, suis functionibus perturbare præsumpserint; Nostram locorum Ordinariis auctoritatem, quâ potimur in exemptos, pollicemur; nec alia Pontificiæ vigilantiæ deerunt remedia, ne Parochiales Ecclesiæ debitis fraudentur obsequiis.

Visitatores per Civitates, & Diœceses deputandi.

§. 16. Plurimum quoque ad Christiani Populi institutionem conferre poterit, si Visitatores eligantur, quorum alii Civitatem, alii Diœcesim lustrantes, omnia sedulò inquirant, ut certior factus Episcopus, pro meritis cujusque Pastoris, aut præmia decernat, aut pœnas.

Commendatur liber *Card. Bellarmini* de Doctrina Christiana.

§. 17. Clementis Papæ VIII., aliorumque Prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, hortamur in Domino, & enixe commendamus, in Doctrina Christiana tradenda adhibere libellum de Clementis ejusdem mandato à Cardinali Bellarmino conscriptum, mox in deputata Congregatione diligenter examinatum, & approbatum; ac denique ab eodem Clemente in lucem eo saluberrimo consilio edi jussum, ut unus deinceps, idemque modus in docendo, & discendo Christianam Doctrinam, ab omnibus teneretur. Nihil hac uniformitate optabilius; nihil ad præcavendos, qui in multiplicem Catechismorum varietatem irrepere possent errores, conducibilius, atque opportunius. Sicubi verò contingat, ob peculiares regionum necessitates, alium quempiam adhiberi fortè libellum; sedulò invigilandum erit, nequid ille contineat, nequid in eum unquam inducatur, à Catholica veritate absonum. Curandum insuper, ut in eo fidei dogmata clarè, & dilucidè sint explicata, additis, si quæ desunt, necessariis, ac sublatis quæ redundant. Brevis enim, & univoca docendi methodus multum prodesse solet ad faciliorem interrogationem, cum quis periculum facit progressus puerorum.

Et generaliter uniformitas in methodo, & ratione docendi.

Actus Fidei, Spei, & Charitatis Populo tradendi.

§. 18. Complectatur Liber hujusmodi etiam Fidei, Spei, & Charitatis Actus, quos rectè scienterque compositos esse, minime dubitandum. Sed si aliter se res habeat, castigati emendato prælo donentur. Actus prædicti paucis potius, quàm multis verbis efferri gaudent; dum illis tamen tota vis, & natura virtutis explicetur. Et quia Christianam Religionem profitenti maximè necessaria est consuetudo, & exercitatio sæpius eliciendi dictos Actus; idcircò ne illorum usus circumscribatur angustis finibus, & exiguo numero à quibusdam singulis annis præfinito; Episcopus suæ non minus, quàm alienæ salutis studiosus, providè statuat, ut in Parochiis, tum Urbis, tum Diœcesis, Rectores Animarum, post Missam Festo die celebratam, statim ante Aram provoluti, clarâ, & intelligibili voce dictos virtutum actus eliciant, & præire satagant Populo, verba ab ipsis prolata devotè reddituro. Hoc enim pacto Fideles sensim illos memoriæ mandabunt, & assuescent nedum Festis, sed aliis etiam diebus, in hac pia exercitatione versari.

Et publice in Ecclesiis frequentandi.

Adhortatio Pontificis ad Episcopos, cum mentione Instructionum Pastoralium ab ipso editarum.

§. 19. Saluberrimas has erudiendi Gregis rationes, quas Vobis, Venerabiles Fratres, per hæc Apostolica scripta notas esse volumus, quisque vestrum facilè intelliget, consonas esse *Monitis Nostris Pastoralibus* prælo jam demandatis, cum Sponsam Nostram Bononiensem Ecclesiam Paterna Charitate cominus amplecteremur: illasque præterea ex Pontificiis Constitutionibus haustas esse, & spectabilium Antistitum Testimonio, & exemplo comprobatas. Quia vero maximam inde utilitatem proficisci experimento cognovimus; quo majori possumus studio Vos hortamur, & admonemus, ac per Viscera Misericordiæ Dei nostri enixè obtestamur, ut pro injuncto Vobis Pastoralis Ministerii debito, præmissorum executioni strenuo, constantique animo incumbatis: sedulò recogitantes, quidquid laboris, studii, ac vigilantiæ in hunc scopum collatum fuerit, Deum omnium Bonorum Datorem uberi mercede retributurum: Et Apostolicam Benedictionem ex animo Vobis impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, die VII. Februarii MDCCXLII. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Dat. die 7. Febr. 1742.

Maronitarum Patriarchæ attribuitur annuum caritativum subsidium; abrogata consuetudine colligendi præstationes pecuniarias in distributione Sacrorum Oleorum. *Episcopis* Maronitis certæ Sedes assignantur. XLIII.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Disciplina Ecclesiæ, quoad residentiâ Episcoporum, & gratuitam Sacrorum administrationem.

APOSTOLICA Prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum Jesu Christi Pastorum Principis, cujus Supremas vices planè immerentes gerimus, in terris Vicariorum sollicitudo, ac providentia ac providentia ad æternam Christifidelium salutem procurandam semper intenta, in eo maximopere commendatur, quod inter cætera ab iisdem ad animabus ejusdem Jesu Christi sanguine redemptis opportune, ac frugifere consulendum, sapientissime instituta atque sanctissime custodita, omni etiam cura, ac labore confirmare, & sub canonicis censuris, ac pœnis exigere studuerint, nimirum, ut & Ecclesiarum Pastores, quibus ovium salus commissa est, non Mercenariorum more, sed attendentes sibi, atque universo gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, præsidentes, inque suis residentes Ecclesiis vigilarent; & ab Ecclesiastico Ordine omnis vel minima avaritiæ suspicio, aut simoniacæ labis species, in iis præsertim, quæ ad Sacramentorum administrationem spectant, penitus amoveretur. Non alia sane ratione Antistitum inauguratio spirituale dicitur fœdus conjugii, quod est inter Episcopum, & Ecclesiam, cui præficitur, in electione initiatum, in confirmatione ratum, in consecratione consummatum, ita ut transcursiones etiam de una ad aliam Ecclesiam, nulla intercedente legitima gravissimaque causa, veluti spiritualis adulterii species existimatæ fuerint à Sanctis Patribus & Sacrorum Canonum sanctionibus, per maximas pœnas coërcitæ. Eodem prorsus modo, ut non solum sine Simoniæ labe, verum etiam sine avaritiæ suspicione Sacramenta administrarentur, inhibitum fuit, ne pro statu, vel alicujus consuetudinis obtentu, in iis, quæ Sacramenta respiciunt, etiam à sponte dantibus, non secus ac voluntariæ antiquitus fiebant oblationes, quidquam directe, vel indirecte accipiatur, aut exigatur.

Laudantur Canones Synodi Nationalis Maronitarum circa utrumque caput.

§. 1. Eapropter Apostolicis laudibus prosequimur Venerabiles Fratres Josephum Petrum Antiochenum, & Antistites Maronitas, cæterosque, qui in Synodo Provinciali, sive

totius

totius Nationis Maronitarum, Apostolica fel. rec. Clementis PP. XII. Prædecessoris nostri, qui ad hujusmodi effectum ad Montem Libanum dilectum Filium Magistrum Josephum Simonium Assemanum in utraque Signatura nostra Referendarium, Prælatum nostrum Domesticum, & Intimum Cubicularium ablegaverat, primum indictâ, & celebratâ, deinde nostra quoque auctoritate, per alias nostras in simili forma Brevis Literas die prima mensis Septembris anno MDCCLXLI. proximè elapso datas, quarum tenorem præsentibus pro expresso, & inserto haberi volumus, & in quibus uberius continetur, approbatâ confirmatâque, interfuerunt. Enimvero, cum Antiocheni pro tempore Patriarchæ Maronitarum, ob jus quoddam, quod nullis canonicis documentis suffultum, sed sive antiquissima consuetudine, sive propria auctoritate, sive quomodolibet invectum erat, non solum Antistites, qui jam suis Ecclesiis addicti, ab iisdem propter Turcarum tyrannidem absentes, ipsarum Ecclesiarum populis præesse minime possent, aliis, sed prioribus, quibus incardinati erant, haud dimissis, Ecclesiis in Chesroani, & Montis Libani Diœcesibus existentibus, veluti suos ad nutum amovibiles præficere Vicarios; verum etiam oblationes pecuniarias, vel alterius rei præstationes, pro necessaria victus dignitatisque Patriarchalis, aliis deficientibus congruentibus reditibus, substentatione, ut asserebatur, tempore, & occasione distributionis Sacrorum Oleorum fieri consuetas exigere solerent; hujusmodi asserto juri tamquam non legitimo, quin immo Sacris Canonibus invisо, per duos Canones in eadem Synodo conditos derogatum fuit.

Eorum examen institutur in Congr. partic. de Prop. Fide.

§. 2. Verum inter alia dubia, quæ proposita, & examinata fuerunt in particulari Congregatione aliquot Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum pro approbatione dictæ Synodi à Nobis deputata, & coram Nobis habita, etiam hæc duo fuere discussa, nempe primum: *An Canon prohibens Patriarchæ quamcumque exactionem in distributione Olei Sancti Parochis, sustineatur, & mereatur confirmationem?* Secundum: *An Canon quoad residentiam Episcoporum Maronitarum in propriis Titulis Ecclesiarum Episcopalium, sit approbandus; & quid quoad Appendicem Synodi Cap.* XLI., *in quo divisio Sedium Episcopalium, cum limitibus Diœcesum Maronitarum, pro distributione Diœcesum in tot Episcopis, itaut non possint amoveri a Patriarcha?*

Articulus Appendicis Synodi de numero, & limitibus Diœcesum Maronitarum.

§. 3. Tenor autem memoratæ Appendicis est, qui sequitur. *Appendix* XLI. *post Synodum Montis Libani. Metropolitanorum, & Episcoporum Maronitarum Sedes, & Limites. Patriarcha Antiochiæ, ac totius Nationis Maronitarum Sedem habet in Monte Libano in Cœnobio, quod Canubinense dicitur: Sub eo erant Archiepiscopi, & Episcopi sequentes.* I. *Tyri.* II. *Damasci.* III. *Cypri.* IV. *Alepi.* V. *Beryti.* VI. *Tripolis.* VII. *Botri.* VIII. *Aco, seu Ptolemaidis.* IX. *Laodiceæ.* X. *Apameæ.* XI. *Arcæ.* XII. *Eden.* XIII. *Sareptæ.* XIV. *Paneadis.* XV. *Listræ, seu Bybli.* XVI. *Neapolis. Sed in Synodo Montis Libani die* XXX. *Septembris* MDCCXXXVI. *decreverunt Patres, ut Maronitarum Diœceses impositorum ad octo tantum redigerentur; salva Reverendissimo Domino Patriarchæ Episcopos nonnullos titulares ordinandi potestate; videlicet I. Alepi, seu Beroeæ, & adjacentium Locorum. II. Tripolis: Hujus Pontificis jurisdictio extenditur à Tripoli, & Jania ad Arcam Balaneam, Aradum Orthosiadem, Gabalum, Laodiceam, usque ad fines Alepi. III. Bybli, & Botri: hujus jurisdictio extenditur in Diœceses Bybli, & Botri, Acuræ, Dairalamari, & Regionis Bisarajæ. IV. Heliopolis, seu Baalbech: hujus jurisdictio extenditur in Diœceses Heliopolis, & Phathuchæ in Bybliensis Regionis confinio, & dimidiæ partis ditionis Gazirensis, cujus caput Gusta, & Gazir. V. Damasci: hujus jurisdictio extenditur in Diœcesim Damascenam, necnon ampliatur ad alteram dimidiam partem ditionis Gazirensis, cujus caput est Agelton, complectitur præterea Bascontam Zuc-Charabam, & Zabbugam. VI. Cypri; hujus jurisdictio complectitur universa Insulæ illius Castella, ac præterea in Chesroena Regione habet Bacasajam, Beth-scebabam, earumque Villas, necnon Villas Chesroeniæ usque ad Pontem Beryti. VII. Beryti; hujus jurisdictio extenditur à Beryto usque ad Mathanam, & Giordam, & Algarbam, & Sciacharam Mathanæ, & usque ad Pontem Fluvii Cadi, seu Tamyris. VIII. Tyri, & Sidonis; hujus jurisdictio complectitur Sidonem, Tyrum, earumque Villas, necnon Suph-Bacaam, Vallem Tainæ, & adjacentes Terras à Fluvio Tamyri, usque ad Sanctam Civitatem Hierusalem. Nos subscripti hanc Diœcesum distributionem approbamus. Datum in Sancta nostra Synodo in Monasterio Deiparæ de Loaisa die 30. Septemb. 1736. Joseph Petrus Patriarcha Antiochiæ. Gabriel Sareptæ. Simeon Damasci. Abdalla Beryti. Elias Arcæ. Basilius Tripolis. Philippus Lystræ. Stephanus Botri. Gabriel Aco. Johannes Laodiceæ. Ignatius Tyri. Gabriel Alepi. Michael Paneadis. Tobias Cypri.*

Congregationis judicium.

§. 4. Ad primum autem responsum fuit. *Approbandum, & ad Sanctissimum, qui dignetur alio modo providere Domino Patriarchæ.* Ad secundum etiam, responsum fuit. *Pro approbatione Canonis demandantis Residentiam Episcoporum, & ad Sanctissimum quoad contenta in Appendice Cap.*XLI., *in quo proponuntur Metropolitanorum, & Episcoporum Maronitarum Sedes, & Limites.*

Pontifex, expensis iterum capitibus in suspenso relictis.

§. 5. Nos igitur, qui nihil optamus impensius, quam ut Ecclesiastica disciplina per universum Catholicum Orbem, ubi quidem integra viget, magis magisque confirmetur, ubi verò collapsa est, opportune instauretur; ut in rebus tanti momenti ea, qua opus est, consilii, maturitatis, & examinis ratione procederemus, Venerabili Fratri Nostro Vincentio S. R. E. præfatæ Cardinali Petra nuncupato ejusdem Congregationis Propagandæ Fidei Præfecto commisimus, ut postquam cum dictæ Synodi Revisoribus, aliisque rerum Maronitarum peritis super præmissis accuratissimè egisset, ad Nos referret. Quoniam autem ipse Venerabilis Frater Noster Vincentius Cardinalis, auditis Revisoribus aliisque, ut præmittitur, rerum Maronitarum peritia instructis, erutisque ex Archivo dictæ Congregationis Propagandæ Fidei documentis, iisque invicem expensis, ad Nos retulit, oblationes pecuniarias, vel alterius rei præstationes, fieri quidem tempore, & occasione distributionis Sacrorum Oleorum, revera esse, ut ab initio cæptum fuit, pecuniarias oblationes, vel alterius rei præstationes Patriarchis pro tempore existentibus, alimentorum, & dignitatis tuendæ, munerisque Patriarchalis commodùm obeundi causa, debitas atque præscriptas; necnon residentiam Episcoporum Maronitarum in propriis titulis Ecclesiarum, & divisionem Sedium Episcopalium, cum limitibus Diœcesum, earumque reductionem, prout in Appendice præinserta continetur, omnino necessariam, utilem, ac salutarem esse: Hinc est, quod Nos, qui inclytam Nationem Maronitarum quamvis Hæreticis, Schismaticis, Mahumetanis, & Idololatris, undique circumseptam, tamen veluti rosam inter spinas, & scopulum inter undas, semper in Catholica Romana Fide constantem, ac propterea à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris tantopere existimatam, ad eorumdem Prædecessorum nostrorum exempla plurimi facimus, & Apostolica caritate complectimur; motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine,

Canones, & Appendicem confirmat.

tenoré præsentium, primùm utrumque Canonem, & in eis contenta quæcumque, ac præinsertam Appendicem approbamus, & confirmamus, illisque Apostolicæ firmitatis robur perpetuo adjicimus, atque in perpetuum deinceps observari præcipimus, & mandamus.

Patriarcham, ejusque Decessores, ab avaritiæ, aut Simoniæ nota purgatos declarat.

§. 6. Deinde modernum Patriarcham, ejusque Prædecessores, nec non tam eos, qui dedissent, quam qui accepissent dictas oblationes pecuniarias, vel alterius rei præstationes, easque sive datas, vel dandas, sive acceptas, vel accipiendas pro Sacrorum Oleorum distributione esse existimassent, ab omni Simoniacæ labis pravitate, & turpi avaritiæ quæstu immunes fuisse, & esse, neque imposterum à quoquam ausu temerario, veluti Simoniacos, & avaros, insimulari posse, & debere declaramus.

Eidem, ejusque Successoribus, annuum Caritativum Subsidium, pro alimentis, attribuit.

§. 7. Præterea, ne moderno, & pro tempore existenti Patriarchæ, ut præmittitur, desint alimenta, & subsidia, statuimus, &, quatenus opus sit, præcipimus, & mandamus omnibus, & singulis Ecclesiarum, Monasteriorumque Parochis, & Superioribus Nationis Maronitarum, ut singuli Parochi, & Superiores hujusmodi, juxta designationem instructionemque ab ipsa Congregatione Propagandæ Fidei confectam, atque unà iisdem nostris Literis adjungendam, & in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub pœnis ad Apostolicæ Sedis, & pro tempore existentis Patriarchæ arbitrium imponendis omnino servandam, singulis annis die Dominica infra Octavam solemnitatis Beatæ Virginis Mariæ Immaculatæ in Cœlum Assumptæ, à currenti anno MDCCXLII. incipientes, in perpetuum Patriarchæ pro tempore existenti antedictas pecuniarias oblationes sub nomine Caritativi Subsidii contribuant, & solvant; necnon statum Animarum, quarum curam gerunt, ad sæpedictæ Synodi præscriptum, & normam, eidem Patriarchæ deferant, à quo & literas instructivas, sive pastorales, de more, sicut antea in Sacrorum Oleorum distributione fiebat, accipiant, ipse vero pro tempore existens Patriarcha alio opportuno tempore Sacra Olea gratis omnino transmittat, sive distribuat, & nihil penitus, vel pecuniæ, vel alterius cujuscumque rei, etiam à sponte dantibus recipiat, aut exigat.

Sacra verò Olea absque ullius oblationis exactione distribui jubet.

Dioecesum numerum septenarium, præter Patriarchalem, præfinit.

§. 8. Insuper motu, scientia, potestate, ac tenore paribus statuimus, & declaramus numerum Sedium, ac Dioecesum Episcopalium, & Episcoporum Maronitarum, ad septem dumtaxat, excepta Patriarchali Sede & Archidioecesi, quacum octo existunt, redigendum reducendumque esse, prout in præinserta Appendice cum suis respective distinctis Dioecesibus, Oppidis, Terris, Ecclesiis, ac Monasteriis, juxta præscriptos fines, ac terminos, redactus reductusque est, & Nos, quatenus opus sit, de novo redigimus, & reducimus, & redactum reductumque esse & haberi, decernimus, & definimus.

In quibus Episcopos perpetuo incardinari decernit.

§. 9. Item volumus, & mandamus, ut, postquam reductio hujusmodi, ut infra, locum habuerit, in hisce octo Dioecesibus distinctis, & ab invicem divisis, ac separatis, tam Patriarcha in sua, (quam ad sui arbitrium semel eligendam, sed semel electam, & Archidioecesim nuncupatam, Patriarcham eligentem ejusque Successores nunquam permutare posse decernimus, & definimus), quam singuli septem Episcopi in suis respective Dioecesibus constituti, & incardinati perpetuo sint, & habeantur; ita, ut nunquam ad Patriarchæ pro tempore existentis nutum amoveri possint, nisi vel per canonicam, ob gravissima crimina, juris ordine servato, privationem, vel per legitimam de una ad aliam Dioecesim juxta Sacrorum Canonum regulas, & Juris communis dispositiones, translationem.

§. 10. Præter hæc modernus, & pro tempore existens Patriarcha jus habeat Antistites juxta morem, & non alias, in qualibet Sede, & Dioecesi pastoris solatio destituta constituendi, & incardinandi; singulis triennii singulas Dioeceses per se ipsum visitandi; Decimas consuetas (Decima tamen Decimarum singulis Antistibus in suis respective Dioecesibus relicta) in iisdem Dioecesibus colligendi; & Emolumenta Dispensationum, quæ ad Patriarcham spectant, exigendi; necnon Legata, vel dictæ Dioecesi, quæ Sedi Patriarchali unita fuerit, vel ipsi pro tempore Patriarchæ relicta acquirendi; & pro hujusmodi effectu unum aut plures Collectores, & Ministros in dictis Dioecesibus deputandi; Sacra Olea consecrandi, & in singulas septem Dioeceses privative distribuendi, &, ut ante statutum est, & non aliter, mittendi. Cæterum aliis, si quæ sunt Patriarchæ pro tempore existenti reservata, & debita tam præscripto jure, quam invecta consuetudine, juribus, de quibus nulla in hisce præsentibus fit mentio, nullum ideo præjudicium per ipsas præsentes inferri, & illatum esse volumus, & intendimus.

Patriarchæ jura, & facultates enunciat.

Sine præjudicio aliorum hic non expressorum.

§. 11. Denique ut reductio Sedium Episcopalium e tredecim ad septem, præter Patriarchalem, dumtaxat, prout in præinserta Appendice contenta atque præscripta, debitæ executioni juxta commendatissimum caritatis, & providentiæ Ordinem demandetur; volumus atque præcipimus, ut moderni Antistites Maronitæ, qui veluti Patriarchæ Vicarii missi, dum reductio hujusmodi statuta fuit, tredecim in Chesroano in humanis agebant, etsi, interea temporis duobus eorumdem viam universæ carnis ingressis, undecim in præsentia numerentur, eodem pacto, quemadmodum antea servabatur, veluti ipsius Patriarchæ Vicarii ad nutum amovibiles eousque sint, & habeantur, donec septenarius eorumdem superstitum numerus remanserit: Quo facto, reductio septem Sedium hujusmodi tunc, & non antea, locum habeat, & constituta intelligatur; atque idem pro tempore existens Patriarcha, electa prius Patriarchali Sede, singulos singulis Sedibus Antistites ad sui libitum, sed secundum prudentiæ, & caritatis leges præficiat, & assignet, ita tamen, ut assignatio hujusmodi perpetuo facta, & unusquisque Antistes perpetuo constitutus, & incardinatus sit, & intelligatur, Sedi, & Dioecesi, quæ semel unicuique assignata fuerit.

Executio reductionis Dioecesum provide differtur.

§. 12. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis quomodolibet jus, vel interesse habentes, seu habere prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis, seu aliàs specifica, & individua mentione, & expressione digni existant, iisdem præsentibus non consenserint, nec vocati, seu auditi fuerint, tametsi suorum indultorum, vel privilegiorum vigore consentire, seu vocari, & audiri semel, vel pluries quoquomodo debuissent, aut ex alia quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno & formali, ac substantiali defectu notari, impugnari, infringi, in controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari nullatenus posse, sed semper, & perpetuo validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, & ab omnibus, ad quos spectat,

Præsentium Literarum perpetuo vigori consulitur.

& pro tempore quandocumque, & quomodocumque spectabit; inviolabiliter observari: sicque, & non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, quavis auctoritate, præeminentia, aut potestate fungentes, & functuros, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & dictæ S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Sublata secus judicandi facultate.

Contraria non obstare decernitur.

§. 13. Non obstantibus præmissis omnibus, ac nostra, & Cancellariæ nostræ Apostolicæ, quatenus opus sit, regula de jure quæsito non tollendo, necnon Apostolicis, atque in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus, præsertim pro universa Natione Maronitarum Constitutionibus, & Ordinationibus, aliisque etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, sive universæ Nationi, sive Patriarchæ, Antistitibus, & populis Maronitis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, in genere, vel in specie, aut aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Earundem Literarum exemplis, & versionibus auctoritas tribuitur.

§. 14. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, tàm latinè, quàm Syriacè, aut Arabicè, tum manuscriptis, tum typis impressis, & manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 14. Febr. 1742.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIV. Febr. MDCCXLII. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

D. Card. Passioneus.

XLIV.

Abolitio Tribunalium, & Judicum Particularium ab Innocentio XII. facta confirmatur, & innovatur quoad Judicaturas deinceps erectas; Nonnullarum Congregationum, & Tribunalium facultates, & jurisdictiones præfiniuntur.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Pontificis studium pro expeditiori justitiæ administratione.

QUANTUM ad procurandam Reipublicæ temporalem felicitatem conducat, si cuique petenti jus suum promptè, & expeditè reddatur, initio Pontificatus nostri animo revolventes, sollicito mentis oculo circumspeximus, si qui abusus, aut pravæ consuetudines paulatim, ut contingere solet, irrepsissent, quæ judiciorum ordinem benè, ac sapienter à Prædecessoribus Nostris in hac alma Urbe constitutum perturbarent, justitiæque cursum impedirent, ut opportuna Paternæ Nostræ providentiæ remedia afferremus.

Congregationis particularis deputatio, ejusque consilium.

§. 1. Cum itaque Congregatio nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romaniæ Ecclesiæ Cardinalium, ac nonnullorum dilectorum Filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum, & Juris Peritorum, ad submovendos hujusmodi abusus, qui in Romana Curia propter nimium frequentes Judicum Particularium, aliorumque privativam ex privilegio jurisdictionem in certis causis exercentium deputationes exorti fuerant, à Nobis Apostolica auctoritate specialiter deputata, censuerit ad huic malo, & incommodo occurrendum, ut novæ nostræ perpetuò valituræ literæ per Nos, ut infra, promulgentur, per quas nedum specificè confirmetur auctoritate Nostra, cum insertione totius tenoris, provida Constitutio fel. rec. Innocentii Papæ XII. Prædecessoris Nostri, quæ incipit: *Romanus Pontifex*; sed ulteriùs omnes judicaturæ particulares quæcumque, & cujuslibet generis, post præfatam Constitutionem restitutæ, vel denuò hactenùs erectæ & constitutæ, vigore literarum Nostrarum, & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum, tam sub Plumbo, quàm sub Annulo Piscatoris, aut Motus Proprii, seu Chirographi desuper expeditarum, de medio tollantur, explicitèque abrogentur: Nos, qui ex Pastoralis officii Nostri munere, Tribunalia quæcumque Judicum Ordinariorum, veluti justitiæ fontes in agro Dominico Nobis ex Alto commisso constitutos, ab omni impedimento, & perturbatione eximere cupimus, providum Congregationis prædictæ consilium, nostrisque consonum desideriis, libenter amplectentes, Motu proprio, ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine Nostra, prædicti Innocentii Prædecessoris Constitutionem præfatam, cujus tenor talis est, videlicèt:

Innoc. XII. Constitutio pro suppressione Tribunalium particularium. Procemium.

§. 2. *INNOCENTIUS Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex curæ agri Dominici more diligentis Patris-familias indesinenter invigilans, ut, juxta verbum Propheticum, noxia evellat, & destruat, utilia verò plantet, & ædificet, ea etiam, quæ aliàs rationabilibus tunc suadentibus causis à Sede Apostolica concessa fuerunt, ex aliis validioribus, seu supervenientibus rationibus, quibus præsertim faciliori, ordinario, & juridico justitiæ cursui in Romana Curia cæterarum Magistra, uberius consulitur, ad viam juris reducere, moderari, immutare, & revocare non desinit, & in his sollicitudinis suæ studium interponit, quando, & prout in Domino conspicit salubriter expedire.*

Numerus, & facultates Tribunalium particulariũ ordinem justitiæ retardant.

§. 3. *Hinc est, quod Nos sedula meditatione pensantes, privilegia privativarum, seu cumulativarum jurisdictionum, etiam cum facultate proprios, seu benevisos Notarios habendi, seu deputandi, quampluribus præfatæ Curiæ particulariter institutis Judicibus, seu Tribunalibus à Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris aliquorum sæculorum spatio concessa, ita paulatim quidem, sed in immensum excrevisse, ut Judicum, & Tribunalium Ordinariorum jurisdictio magnopere decreverit, & super hujusmodi jurisdictionum conflictu, & Judicum competentia, frequentes contentiones, expeditam Causarum terminationem cum Litigantium damno, & Causidicorum incommodo differentes, irrepserint; ac propterea inter alia, quæ circa eamdem Curiam emendanda, reformanda, & rectius ordinanda suscepimus, quantùm Nobis ex alto conceditur, hujusmodi absurdis occurrere, ac præfatæ Curiæ, ejusque Judicum, & Tribunalium majori decori, & ordini, sicut justitiæ ratio, & publica utilitas postulant, hac nostra speciali constitutione prospicere volentes: Motu proprio, ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, necnon de nonnullorum dilectorum filiorum ejusdem Curiæ Prælatorum, & Virorum pietate, & doctrina, prudentia, & rerum usu præstantium, ad hunc*

effectum de mandato Nostro pluries congregatorum, consilio, omnia, & singula hujusmodi particularia Tribunalia, & speciales Judices vigore præfatorum privilegiorum in eadem Curia hactenus constituta, seu constitutos, tenore præsentium penitùs, & omninò supprimimus, abolemus, & abrogamus. Ac propterea ad viam juris reducimus omnia, & singula indulta, facultates, & privilegia habendi, seu deputandi tam in prima, quàm in ulterioribus instantiis, omnes prædictos particulares Judices quocumque nomine nuncupatos, ac etiam assessores, Congregationibus, etiam S. R. E. Cardinalium, Ecclesiis, & Basilicis, etiam Patriarchalibus, Monasteriis, Abbatiis, Collegiis, etiam Nationalibus, etiam sub cura, & administratione Presbyterorum, seu Clericorum Regularium Societatis Jesu existentibus, Archihospitalibus, & Hospitalibus, etiam Sancti Spiritus in Saxia, & Neophitorum, Archiconfraternitatibus, Confraternitatibus, etiam Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis, Montibus, etiam Pietatis, Monasteriis, etiam Mulierum Pœnitentium, Ordinibus, Congregationibus, & Institutis, etiam Societatis Jesu, Curiis, & Judicibus, etiam Burgi, & Arcis S. Angeli, Militiis, etiam S. Joannis Hierosolymitani, quibuscumque Universitatibus, & Consulatibus, etiam Artium, Conservatoriis, Domibus Piis, etiam Almæ Domui Lauretanæ, Capellis, etiam ad Præsepe Jesu Christi, & Imaginis Beatæ Mariæ Virginis in Basilica Sanctæ Mariæ Majoris, Altaribus, cæterisque aliis Locis Piis quocumque pariter nomine nuncupatis, seu Cardinalibus eorum Protectoribus, Archipresbyteris, Abbatibus, Vicariis, aliisque administratoribus quibuscumque, ac Præfectis, etiam Palatii nostri Apostolici, in quibusvis Causis Civilibus, Criminalibus, aut mixtis, activis, & passivis dictarum Ecclesiarum, Locorum Piorum, aliorumque ut supra, necnon eorum Officialium, Dignitatum, Canonicorum, Beneficiatorum, Affictuariorum, Emphyteutarum, Colonorum, aliorumque quomodolibet inservientium iisdem Locis Piis, illorumque bonis, & Tenutis, etiam cum quibusvis facultatibus, & auctoritatibus eligendi Notarios sibi benevisos, ac procedendi summariè de plano, sola facti veritate inspecta, sine strepitu, & figura Judicii, manu Regia, ac quacumque appellatione, reclamatione, recursu, revisione, supplicatione, seu restitutione in integrum remotis, seù cum aliis similibus, aut majoribus facultatibus, etiam per Nos, & quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, & cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, vel ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Rerumpublicarum, & Principum quorumlibet preces, & instantiam, seu eorum contemplatione, & intuitu, ac etiam in limine fundationis, seu ex quacumque causa, non tamen verè onerosa, videlicèt congruæ, & effectivæ solutionis Cameræ nostræ legitimè factæ, & non aliàs, vel pro bono publico Spirituali, aut temporali, etiam ex causa studii, & Catholicæ fidei, ac aliàs quomodolibet in contrarium præsentium concessa, confirmata, & approbata, ac pluries, & quantiscumque vicibus innovata, quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita, & certa forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, causas, & occasiones, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, servatis, & specificatis respectivè habentes, perindè, ac si præfata indulta, facultates, & privilegia concessa, confirmata, & innovata non fuissent, ad effectum præsentium specialiter, expressè, plenissimè, & amplissimè derogamus, & derogatum esse volumus, & mandamus.

Ideo revocantur Indulta habendi, aut deputandi Judices particulares.

§. 4. Iisdem pariter modo, & forma, omnia & quæcumque indulta, facultates, & privilegia dilecto Filio nostro, ac pro tempore existenti in Urbe, ejusque districtu Vicario in Spiritualibus Generali, sub quibusvis formis, decretis, clausulis, aliisque supradictis, per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, & præsertim per fel. record. Clementem Papam X. etiam Prædecessorem Nostrum quibusdam suis pridie Idus Augusti anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septuagesimo primo expeditis literis concessa, ad statum, in quo erant ante literas piæ mem. Pauli Papæ V. pariter Prædecessoris Nostri Kalendis Martii anno ejusdem Incarnationis millesimo sexcentesimo undecimo super reformatione Tribunalium Urbis editas, & respectivè juxta easdem literas, in judicialibus, reducimus.

Jurisdictio Card. Vicarii Urbis reducitur ad pristinum statum.

§. 5. Liceat tamen Judicibus, ut supra, suppressis, & abrogatis, qui vigore privilegiorum, ut præfertur, processerunt, causas coram iisdem hactenus jam instructas, seu aliàs legitimè contestatas, prædictis non obstantibus, per totum mensem Decembris proximè venturi, prout juris fuerit, expedire; ita ut eo tempore elapso, hujusmodi causæ ad Judices Ordinarios, & competentes Romanæ Curiæ, in statu, & terminis, ipso facto devolvantur.

Causæ jam contestatæ expediri permittuntur intra certum tempus.

§. 6. Quod si hujusmodi causis interim expeditis, appellari, reclamari, supplicari, recurri, aut restitutionem in integrum peti contigerit, appellationes hujusmodi, reclamationes, supplicationes, recursus, & restitutionis in integrum petitiones, non amplius ad Tribunalia antiquorum privilegiatorum, sive ad Protectores, Archipresbyteros, aliosque, ut supra, sed ad Signaturam Justitiæ, & respectivè ad suos Superiores, & Ordinarios, prout in cæteris causis per Judices Ordinarios expeditis servatur, devolvantur, & devolutæ sint, & esse censeantur.

Recursus tamen, & appellationes, ad Judices Ordinarios, sive ad Signaturam Papæ fieri jubentur.

Cum facultatibus eligendi Notarios, aliisque, etiam quomodocumque concessis.

§. 7. Similiter etiam in casu appellationum, reclamationum, supplicationum, recursuum, ac restitutionis in integrum petitionum à sententiis, & decretis Judicum per eosdem privilegiatos extra Curiam præfatam deputatorum, seu deputandorum, in posterum interponendarum, eædem appellationes, reclamationes, supplicationes, recursus, ac restitutionis in integrum petitiones non amplius ad supranominatos cujuscumque dignitatis, etiam Cardinalitiæ sint, qui etiam ratione Episcopatuum, Guberniorum, Abbatiarum, Commendarum, aut ex alio quovis titulo, vel privilegio, hujusmodi jurisdictionem tum in committendo, tum in decernendo, vel in judicando, usque ad præsens in Urbe per se, vel per alios exercuerunt, sed ad Judices Ordinarios, & competentes ejusdem Romanæ Curiæ devolvantur indifferenter, & pari modo, sicuti in cæteris causis per alios Judices de Partibus expeditis servatur, nulla habita ratione privilegiorum, & antiquarum facultatum.

Idem quoad recursus, & appellationes extra Curiam interponendas.

Non tamen concessis ex causa verè onerosa.

§. 8. Habentes autem facultatem eligendi in partibus Judicem secundarum instantiarum, teneantur illum ibidem per unicam, & universalem deputationem ad omnes hujusmodi causas constituere, & si vel super recusatione, vel super modo procedendi coram dicto Judice deputato, emerget controversia, ad Signaturam Justitiæ, prout in cæteris causis, & negotiis fieri solet, recurratur. In tertiis verò, seu ulterioribus instantiis, eo modo, quo in causis appellationum à Judicibus de Partibus ad Romanam Curiam legitimè devolutarum procedi solet, observetur.

Quomodo procedendum in secunda, tertia, & ulterioribus instantiis.

§. 9. Quoad Consulatus artium, & Universitates, etiam Medicorum, & Mercatorum, sublatis omnibus Assessoribus, & abrogata in Judiciali-

Jurisdictiones Consulatuum, & Universitatum extin-

guntur; & tranferuntur ad Judices Ordinarios.

libus quacumque Conſulum, & Univerſitatum juriſdictione, ita ut eorumdem, & earumdem, juriſdictio ex nunc, etiam quoad cauſas inſtructas, & legitimè conteſtatas, penitùs, & omninò ceſſare debeat, & ceſſaſſe intelligatur, ſuccedant, & procedant competentes Judices Ordinarii, juxta eorum ordinarias facultates; nulla, ut ſupra, habita ratione privilegiorum, & antiquarum facultatum; inter quos ſit locus prævention; adhibitis, quatenus Judicibus ipſis opus videatur, iiſdem Conſulibus ſolummodo tanquam peritis in rebus, & negotiis eorum artem concernentibus. Excipimus tamen, & ſub præſenti noſtra Conſtitutione comprehenſos eſſe nolumus tum Conſules Agriculturæ, illorumque Aſſeſſorem, tum Notarios Curiæ Burgi, Mercatorum, & Aromatariorum pro eorum officiis titulo oneroſo acquiſitis, ſeu adminiſtratis, donec aliter provideatur.

Excepto Conſulatu Agriculturæ, & Notariis Curiæ Burgi, Mercatorum, & Aromatariorum.

§. 10. Ad hæc Baſilicæ, Collegia, Hoſpitalia, cæteraque memorata Loca Pia, quæ ex conceſſione Apoſtolica, vel inveterata conſuetudine, electionem, & uſum proprii Notarii in primis, & ulterioribus inſtantiis habebant, in poſterum in cauſis, in quibus agatur de vero, ac proprio intereſſe dictarum Eccleſiarum, & Locorum Piorum, non teneantur ad aliquam ſolutionem extractus, ſeu regeſtri; ſed Notarii quorumvis Tribunalium debeant in dictis Cauſis, & in qualibet inſtantia, conficere inſtrumentum Actorum, prout jacent, nihilque ab eis ultra quartam partem ejus mercedis, quæ ſolvenda eſſet pro extractu, ſeu regeſtro, pro dicto Inſtrumento actorum, ſub quovis prætextu, etiam exceſſivitatis ſcripturæ, petere, vel exigere valeant.

De Notariis reſpectu Locorum Piorum.

§. 11. Poſtremò declaramus, per præſentes noſtras literas nullatenus ademptam eſſe Cardinalibus, Archipresbyteris, Titularibus, ſeu Protectoribus, eorumque Vicariis, aliiſque Deputatis, facultatem, ſeu juriſdictionem in iis, quæ ſervitium Eccleſiæ, ſeu Loci Pii, circa tamen diſciplinam Eccleſiaſticam, & morum correctionem dumtaxat, concernunt; minuſque ſub iiſdem præſentibus Tribunalia Cameræ Apoſtolicæ, Legatum Avenionenſem, Judicem Fabricæ Sancti Petri, neque ipſas Congregationes in ſolito liberculo, ſeu Elencho Congregationum, ac Tribunalium Urbis deſcriptas, comprehendi.

Præſervatur juriſdictio Cardd. Archipresbyt. Titularium &c. quoad ſervitium Eccleſiarum.

§. 12. Decernentes eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod omnes, vel ſinguli ſupradicti, ac alii quicumque in præmiſſis quomodolibet jus, vel intereſſe habentes, ſeu habere prætendentes, cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis, ſeu aliàs ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione digni exiſtant, iiſdem præmiſſis non conſenſerint, nec ad ea vocati, ſeu auditi fuerint, tametſi ſuorum indultorum, vel privilegiorum vigore, conſentire, ſeu vocari ſemel, vel pluries quoquomodo debuiſſent, aut ex alia quantumvis juridica, & privilegiata cauſa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauſo, ullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel intereſſe habentium conſenſus, alioque quolibet, etiam quantumvis magno, ac formali, & ſubſtantiali defectu notari, impugnari, infringi, in controverſiam revocari, ad terminos juris reduci, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari nullatenus poſſe; ſed ſemper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere debere, & ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter obſervari. Sic, & non aliter per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos quavis auctoritate, præeminentia, aut poteſtate fungentes, & functuros, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere; irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Item facultates Judicum, & Tribunalium intus enunciatorum.

Clauſulæ pro omnimoda Litterarum executione.

Adempta ſecus judicandi facultate.

§. 13. Non obſtantibus omnibus, & ſingulis præmiſſis, & quatenus opus ſit, noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ regula de jure quæſito non tollendo, & pariter, quatenus opus ſit, rec. mem. Pii Papæ IV. ſimiliter Prædeceſſoris noſtri de gratiis qualecumque intereſſe Cameræ Apoſtolicæ concernentibus in dicta Camera intra certum inibi præſcriptum tempus præſentandis, & regiſtrandis; ita ut præſentes in ea præſentari, & regiſtrari nullo unquam tempore, vel modo neceſſe ſit; necnon aliis Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Urbis noſtræ, dictarumque Eccleſiarum omniumque, & ſingulorum ſupradictorum, quibuſvis, etiam juramento, vel alia quavis firmitate ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, clauſulis, decretis, aliiſque ſupradictis in contrarium præmiſſorum roboratis, ſeu confirmatis, & innovatis Statutis, ac uſibus, ſtylis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, quibus pariter modo, forma, & tenore præmiſſis, ad effectum præſentium, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ampliſſimè, ut præfertur, derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Derogationes.

§. 14. Nulli ergo omninò hominum liceat paginam hanc noſtrarum ſuppreſſionis, abolitionis, abrogationis, reductionum, derogationum, voluntatis, mandati, declarationis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo ſecundo, 15. Kalendas Octobris, Pontificatus Noſtri Anno Secundo: Apoſtolica Auctoritate prædicta confirmamus, & approbamus, illamque, perinde, ac ſi à Nobis ſub præſentium data emanaſſet, in omnibus, & per omnia innovamus, exceptis tamen, quæ præſentibus hiſce noſtris in aliquo adverſari comperiuntur.

Sanctio.

Dat. die 17. Sept. 1692.

Pontifex inſertam Conſtitutionem confirmat, & innovat.

§. 15. Inſuper omnes, & ſingulas Judicaturas particulares quaſcumque, & cujuſlibet generis, poſt præinſertam Conſtitutionem reſtitutas, vel de integro hactenus erectas, & conſtitutas vigore literarum Noſtrarum, & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum, tam ſub plumbo, quàm ſub Annulo Piſcatoris, aut Motus proprii, ſeu Chirographi deſuper expeditarum, etiam ex cauſa privatæ, ſeu publicæ utilitatis, & ex quacumque etiam oneroſa cauſa, aut pro bono Religionis, etiam cum quibuſvis derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & efficaciſſimis clauſulis, irritantibuſque decretis, quibuſcumque Univerſitatibus, Locis Piis quocunque nomine nuncupatis, ſeu Cardinalibus eorum Protectoribus, aliiſque Eccleſiaſticis, quàm Sæcularibus Perſonis, quantumvis ſpeciali, & ſpecialiſſima mentione dignis, eorumque domibus, ac familiis quomodolibet conceſſas, comprehenſis etiam Archihoſpitali Sancti Spiritus in Saxia, & Hoſpitio Apoſtolico S. Michaëlis ad Ripam nuncupato, eiſdem præſentibus eas pro expreſſis habentes, in totum, ac ſi nunquam conceſſæ fuiſſent, abolemus, penituſque abrogamus.

Præterea abolet Judicaturas particulares quavis auctoritate deinceps erectas.

§. 16. Ne autem pro infraſcriptarum Congregationum reſpectivè parte occaſio aliqua controverſiarum quomolibet in poſterum oriatur, præfatæ Congregationis Particularis à Nobis, ut præfertur, deputatæ conſilio inhærentes, quoad Congregationem Boni Regiminis à rec. mem. Clemente Papa VIII. jamdiù inſtitutam, deindè à fel. rec. Paulo V., & Innocentio XI. Romanis Pontificibus ſimiliter Prædeceſſoribus Noſtris, facultatibus auctam, ſervandum eſſe

Facultates Congregat. Boni Regim. ad primævum ſtatum reducit.

volu-

volumus, & mandamus decretum prædicti Innocentii XII. Prædecessoris Nostri sub die 9. Augusti 1693. promulgatum, abrogatis, quatenus opus sit, in iis, quæ concernunt Causas merè judiciales, & contentiosas, amplioribus facultatibus, si quæ eidem Congregationi Boni Regiminis contra formam prædicti Decreti Innocentii XII. Prædecessoris præfati per Constitutionem piæ mem. Clementis Papæ XII. similiter Prædecessoris Nostri, quæ incipit: *Divina Providentia;* sub datum apud Sanctam Mariam Majorem pridie Idus Februarii Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXXXIII. concessæ videri possent, firmis de cæteris remanentibus aliis in eadem Constitutione, signanter in §. *Insuper*, circa Ministrorum œconomiæ Communitatum Præpositorum electionem, & deputationem.

Salva electione Ministrorum œconomicorum.

§. 17. Et quoad Lauretanam, nullam ei competere jurisdictionem in causis Lauretanis quibuscunque, per appellationem, seu recursum à Judicatis de Partibus; appellationesque, & recursus hujusmodi à prædictis Judicatis, pertinere dumtaxat ad Judices Ordinarios Romanæ Curiæ Nostræ, prout præinserta Innocentii XII. Constitutio disponit:

Causæ Lauretanæ per appellationem ad Judices Ordinarios devolvantur.

§. 18. Ac quoad Firmamam, nullam ei competere judicialem cognitionem in causis civilibus in gradu appellationis, seù recursus à Judicatis Judicum Civitatis, & Status Firmani.

Item Firmanæ in civilibus.

§. 19. Quò verò ad alias Congregationes generales in liberculo, aut Elencho descriptas, seu quoad causas in illis cognoscendas, omninò servanda esse dispositа per rec. mem. Sixti V. similiter Prædecessoris Nostri Constitutionem, quæ incipit: *Immensa;* cum declarationibus contentis in decreto à Congregatione Particulari jussu prædicti Innocentii XII. Prædecessoris Nostri sub die 9. mensis Augusti anno Domini MDCXCIII. promulgato, prout aliàs similiter demandatum extitit à Congregatione reformationis Tribunalium Urbis Nostræ, approbante prædicto Clemente XII. Prædecessore præfato sub die 4. mensis Aprilis anni MDCCXXXI. & non aliam eis respectivè jurisdictionem competere, motu, auctoritateque prædictis Nostris, declaramus, decernimus, statuimus, ac sancimus.

Congregationum generalium facultates ad veterum Decretorum normam;

§. 20. Ac insuper sub præsentium dispositione Visitatores Apostolicos, quantumvis S. R. E. Cardinales, deputatos cum certis facultatibus pro Sacra Visitatione Ecclesiarum, Locorumque Piorum, eorum facultates prædictas ad tramites juris, & literarum Apostolicarum ab Innocentio Prædecessore prædicto in forma Brevis sub annulo Piscatoris sub die 16. Januarii anni Domini MDCXCIII. desuper expeditarum reducendo, comprehensos esse.

Visitatorum autem, ad viam juris, & Literarum Innoc. XII., rediguntur.

§. 21. Præfecti verò, seu Castellani Arcis Nostræ S. Angeli jurisdictionem, quam dumtaxat quoad Balistarios, & ejusdem Arcis auxiliatores, in eorum ministeria concernentibus, præservatam esse volumus, in cæteris omnibus causis, & negociis indifferentibus, seu prædicta officia militaria neutiquam concernentibus, & ad tramites decretorum aliàs ab eodem Innocentio Prædecessore 28. Septemb. MDCXCII., ac tertia Maji MDCXCIII. editorum, comprehendi pariformiter earumdem tenore præsentium declaramus.

De jurisdictione Præfecti Arcis S. Angeli.

§. 22. Ac demum indulta, & facultates, necnon privilegia quæcumque, & præsertim super cumulativa in causis laicalibus, Tribunali Venerabilis Fratris Nostri prædictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Nostri, & Romani Pontificis pro tempore existentis in Urbe Nostra, ejusque districtu Cardinalis Vicarii competentia, & præsertim per literas fel. record. Clementis X. quæ, *Supremæ Majestatis*, sub pridie Idus Augusti MDCLXXI., ac per alias Benedicti XIII., quæ, *In Supremo*, sub 16. Kal. Septembris MDCCXXIV. necnon per alias literas Clementis XII. Prædecessorum Nostrorum, quæ, *Romanus Pontifex*, respectivè incipiunt, noviſſimè de anno MDCCXXXV. promulgatas, ad statum, in quo erant ante reformationem rec. mem. Pauli Papæ V. similiter Prædecessoris Nostri, & ad ejusdem reformationis tramites Apostolica auctoritate redigimus, necnon utriusque Clementis, & Benedicti Prædecessorum prædictorum literas tenore præsentium abrogamus, & de medio in hac parte tollimus, & abolemus.

Privilegia Card. Vicarii Urbis reducuntur ad tramites Reformationis Pauli V.

§. 23. Volumus autem, quod propter præmissa, hujusmodi Judicibus suppressis, & abrogatis jurisdictio quoad causas actu coram eis pendentes, seu hactenus jam instructas, dummodò ipsi per totum mensem Augusti præsentis anni MDCCXLII. ad earum expeditionem omninò deveniant, non censeatur eo ipso adempta, sed præfato tempore elapso, causæ prædictæ ad suos competentes Judices in statu, & terminis devolvantur, & eo ipso devolutæ censeantur, & quoad jura coram suppressis Judicibus producta, eorum stetur indicationi.

Permittitur Judicibus abrogatis expedire Causas pendentes intra semestre.

§. 24. Ac omnia, & singula præmissa, necnon præsentes nullo unquam tempore, pro eo, quod quicumque in præmissis jus, seu interesse habentes, seu habere prætendentes, ad id vocati, & auditi non fuerint, seu ex quavis alia causa, vel quocumque prætextu, quæsito colore, vel ingenio, notari, impugnari, invalidari, retractari, & ad terminos juris reduci, seu in jus, vel controversiam revocari, nec sub quibusvis similium, vel dissimilium revocationibus, limitationibus, & aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis excepta, validaque, & efficacia fore, & esse, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; sicque, & non aliàs per quoscumque Judices, etiam Causarum Palatii Apostolici Nostri Auditores, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, dictæque Sedis Nuncios, sublata eis aliter judicandi, & definiendi forma, & facultate, judicari, & definiri debere; & quidquid secus super præmissis contra earumdem præsentium tenorem quomodolibet attentari contigerit, irritum ex nunc decernimus, & declaramus.

Clausulæ, & Decreta pro Constitutionis observantia.

§. 25. Non obstantibus nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula, de jure quæsito non tollendo, necnon Nostris, & prædictorum Prædecessorum Nostrorum, & eorum cujuslibet Constitutionibus, Ordinationibus, & Decretis prædictis, atque omnium, & singularum Congregationum prædictarum, & earum cujuslibet respectivè erectionibus, necnon & cujuslibet illarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, necnon privilegiis, indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, etiam motu pari, & consistorialiter, etiam in earum, & earum cujuslibet respectivè erectione prædicta, seu aliàs quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis: Quibus omnibus, quæ præsentibus quomodolibet obesse possent, etiamsi de illis specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi etiam veriores præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum præsentium, & validitatis omnium, & singulorum præmissorum, hac vice dumtaxat harum serie specialiter, & expresè derogamus, & derogatum esse volumus, omnibusque contrariis quibuscumque.

Derogationes amplissimæ.

Facultates Cardinalis Decani, necnon Præfecti Palatii Apostolici præservantur.

§. 26. Per præsentes autem non intendimus, facultatibus Venerabilis Fratris Nostri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Collegii Decani nunc & pro tempore existentis, ratione Ostien., & Veliternen. Ecclesiarum, quibus nunc & pro tempore præesse dignoscitur, tum etiam facultatibus dilecti filii nunc & pro tempore etiam existentibus Palatii Nostri Præfecti, ratione Præfecturæ Palatii prædicti, ad formam literarum Benedicti XIII. Prædecessoris Nostri sub Annulo Piscatoris in forma Brevis sub datum diei XXIV. mensis Septembris anni Domini MDCCXXVIII. desuper expeditarum, eis, & eorum cuilibet competentibus, in aliquo præjudicare.

Sanctio Constitutionis.

§. 27. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Nostri decreti, constitutionis, declarationis, revocationis, annullationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 15. Febr. 1742.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem quintodecimo Kalendas Martii anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo secundo, Pontificatus Nostri Anno Secundo.

P. Card. Pro-Datarius.
D. Cardinalis Passionеus.
VISA DE CURIA.
N. Antonellus.
J. B. Eugenius.
Registrata in Secretaria Brevium.
Publicat. die 27. ejusdem mensis, & anni.

XLV.

Dispensationum Matrimonialium causas veraciter exponendas, & ab Executoribus omnino verificandas esse statuitur.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Dispensationes nonnisi justis ex causis concedi debent.

AD Apostolicæ servitutis Nostræ ministerium pertinet sedula invigilare cura, ut dispensationes super gradibus affinitatis, seu consanguinitatis, intra quos Matrimonia contrahi prohibentur, vel super aliis à Sacris Canonibus statutis impedimentis, nisi ex debitis causis non concedantur, & omnia inde amoveantur, unde nota aliqua ab improbis aspergi possit nomini, ac decori Romanæ Ecclesiæ, cui, licet immeritò, Divina benignitate præsidemus.

Earum expediendarum ratio.

§. 1. Sanè quidem ad Dispensationes obtinendas, ab iis, qui eas postulant, in supplici libello causæ pro illis consequendis exprimi solent; quæ si ejusmodi fuerint, ut juxta canonicas Sanctiones, & prudens Ecclesiasticæ Provisionis arbitrium, locus ad dispensandum esse videatur, dispensatio concedi solet, ejusque executio Ordinario, ut plurimùm committi; cui onus incumbit diligenter inquirere, an causæ expositæ veritate nitantur, ut, veris illis existentibus, gratia executioni demandetur, secus verò, si causæ nullatenus veritati consentaneæ sint. Si autem contingat, ob causas minime veras existentes, ut dispensatio executioni non tradatur; qui eam impetrarunt, apud negotiorum Gestores, seù Literarum Apostolicarum Expeditores conqueruntur; à quibus nonnunquam responderi solet, executionem perperam, & injuriâ denegatam fuisse, quia expressio causarum, earumque verificatio, in dispensationibus non est aliquid substantiale, sed formalitas quædam, & Forensis stili consuetudo: quod non minùs veritati adversatur, quàm executionis ordinem, ac modum benè, ac prudenter constitutum subvertit; cum expressio causarum, earumque verificatio, ad substantiam, & validitatem dispensationis pertineat, illisque deficientibus, gratia nulla, ac irrita sit, nullamque executionem mereatur.

Opinio quorundam circa causarum exprimendarum veritatem, reprobatur.

§. 2. Id autem, ut plurimùm evenit in dispensationibus, in quibus apponi solet clausula: *Et Oratoribus vitæ periculum immineret*: quæ cum sæpe in dispensationibus in primo, & secundo, vel in secundo gradu, & in nonnullis aliis canonicis impedimentis, sine ulla ratione, causa, & veritate, expressa reperiatur; Ordinarii Locorum, qui cautius, & accuratius se gerunt, nisi vitæ periculum immineat, dispensationem exequi recusant; alii verò, fortasse falso rumore inducti, quod hujusmodi clausula sit mera formalitas, indulgentiùs quàm necesse est procedentes, periculo vitæ neque argumentis probabilibus verificato, eoque Oratoribus saltem verisimiliter imminere comperto, gratiam Dispensationis exequuntur.

Ubi preces obreptitiæ, gratia nulla est.

Periculum vitæ specialiter verificandum.

§. 3. S. M. Prædecessor Noster Pius PP. V. in sua Constitutione per viam Motus proprii expedita, & publicata sub die v. Decembris anno MDLXVI., cujus initium est: *Sicut accepimus*: decrevit, omnes, & singulos Procuratores, tam Officii Sacræ Pœnitentiariæ, seu Contradictarum, quàm alios quoscumque Sollicitatores, & Scriptores, qui veritatem facti, à narratione, quam ab ipsis Partibus habuerunt, quoad substantialia, & qualitates necessariò exprimendas, diversam faciunt, seu quoquomodo intervertunt, aut immutant, aut depravant, & per subreptionem, & obreptionem gratias à Romanis Pontificibus extorquent, pœnam falsi incurrere, & ea puniri omninò debere.

Decretum Sancti Pii V. contra Officiales falsa exprimentes.

Admonitio ad omnes negotiorum gestores &c.

§. 4. Hujusmodi autem constitutio quanquam videatur pertinere dumtaxat ad Procuratores, Sollicitatores, & Scriptores Officii Sacræ Pœnitentiariæ, ubi per id temporis matrimoniales Dispensationes etiam in foro externo concedi solebant, nihilominùs pro Pastorali Nostra, & Paternt cura ex Alto Nobis commissa, hortamur, monemus, ac præcipimus omnibus, & singulis negotiorum Gestoribus, Procuratoribus, & Expeditoribus Literarum Apostolicarum, etiam Datariæ Nostræ, ut cùm supplices preces pro aliqua Matrimoniali Dispensatione porrecturi sunt, id primùm ante omnia agant, ut plenam atque exactam facti notitiam assequi curent, suscitantes ab ipsis Oratoribus, an hæ, & illæ causæ adsint, ex quibus sciunt dispensationem concedi solere in hoc, vel illo gradu; deinde in supplici libello facti speciem nitidè, ac sincerè exponant; caveantque diligenter, ne illam aliquatenus in rebus substantialibus alterent, immutent, invertant, corrumpant, sed strictè adhæreant iis, quæ ab Oratoribus sibi exposita fuerunt; & multo magis abstineant, ne quid falsi, aut ficti proprio ingenio inventum, vel excogitatum, ad gratiam dispensationis facilius obtinendam, in precibus obtrudant; demum, præ oculis habentes, se operam suam in Ecclesiasticis negotiis in hac Alma Urbe exhibere, ubi Cathedra veritatis est, ipsam solam ament, & sectentur veritatem, non lucrum, aut gratiam, & favorem supplicantium; diligenterque videant, ne mendacii, aut erroris meritò argui, cum animæ suæ detrimento, possint, falsò, & perperam asserentes, causas, earumque verificationes, ex provida Nostrorum Prædecessorum dispositione, in hujusmodi gratiis, ad Ecclesiasticæ disciplinæ vigorem, & Canonicarum legum, & Apostolicarum Constitutionum voluntatem servandam, apponi, & respectivè demandari solitas, vanas, & superfluas esse, &, tanquam inanes

Curiæ formalitates, parvi aut nihili esse faciendas.

Ad quos extenditur pœna falsi, si in exponendis dispensationum Causis deliquerint.

§. 5. Præterea hujusmodi graves abusus, quibus honor & decus hujus Almæ Urbis dehonestatur, & Sedis Apostolicæ splendori ac dignitati officitur, penitùs abolere cupientes: motu proprio, ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine præfatam Constitutionem s. m. Pii V. Prædecessoris Nostri extendimus, dilatamus, ac producimus ad omnes prædictos negotiorum Gestores, Procuratores, & Expeditores literarum Apostolicarum, cujuscumque status, gradus, ordinis, & conditionis, & quocumque indulto, privilegio, & dignitate munitos; &, quatenus opus sit, eam de novo ferimus, statuimus, & innovamus; volentes, ac decernentes, ut in omnibus superius expressis casibus, pœna falsi contra Delinquentes locum habeat; sine tamen præjudicio obligationis refundendi expensas Oratoribus, qui, ob illorum culpam, ejusmodi dispensationes, quæ executioni demandari nequeunt, obtinuerunt.

Executoribus injungitur verificatio causarum in Litt. express.

§. 6. Denique omnes, & singulos Venerabiles Fratres, Archiepiscopos, Episcopos, & Locorum Ordinarios, cæterosque Executores Literarum Apostolicarum, quibus hujusmodi Dispensationum exequutio committi solet, enixè rogamus, & obsecramus, ut sedulò, ac diligenter attendant, priusquam Dispensationis gratiam exequantur, an causæ in Apostolicis literis expressæ, & quarum verificatio eorum curæ, & vigilantiæ à Sede Apostolica commissa est, veræ ne, an secus existant, an potius Sedi Apostolicæ falsum expositum, & veritas reticita fuerit; qua super re eorum conscientiam oneramus.

Litteræ Dispensationum in quibusdam distinctiùs concipi jubentur.

§. 7. Et quoniam in iisdem Apostolicis literis super Dispensationibus in gradibus prohibitis, aliisque præfatis impedimentis, nonnulla observata sunt, quæ negotium Executoribus quandoque exhibere, & scrupulos eorum animis ingerere solent, Apostolicæ Nostræ sollicitudinis erit, ea dilucidius, & apertius in iisdem dispensationum literis Apostolicis exponere, ac declarare, ut omni dubitatione sublata, & causis coram Executore hujusmodi probationum genere probatis, quo de illarum veritate moraliter certus reddatur, Apostolicæ literæ Matrimonialium Dispensationum sine ulla hæsitatione ad debitam executionem deduci possint.

Delinquentium punitio Datariis demandatur.

§. 8. Mandamus quoque, & injungimus dilecto Filio nostro Pompejo Tituli S. Eusebii S. R. E. Presbytero Cardinali Aldrovando nuncupato Prodatario Nostro, ejusque Successoribus Datariæ Apostolicæ Prodatariis, seu Datariis pro tempore existentibus, ut in præmissis reos, & culpabiles repertos, pœna falsi, ut præfertur, puniant, cum potestate citandi, etiam per edictum, constito summariè de non tuto accessu, aliaque dicendi, & faciendi in præmissis necessaria, seu quomodolibet opportuna. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis; statutis, & consuetudinibus, & quibusvis indultis, & privilegiis, quibuscumque personis etiam speciali mentione dignis, datis, & concessis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Non obstantibus quibuscumque.

Sanctio.

§. 9. Nulli ergo omninò hominum liceat, hanc paginam Nostri decreti, constitutionis, monitionis, mandati, ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Dat. die 25. Febr. 1742.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, quinto Kal. Martias, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo secundo, Pontificatus Nostri Anno II.

P. Card. Pro-Datarius.
D. Card. Passionеus.

Visa de Curia.
N. Antonellus.
Loco ✠ Plumbi.
J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.
Publicat. die 10. *Martii* 1742.

Pro Elevatione Corporis Ven. Servi Dei Camilli de Lellis. XLVI.

Dilecto Filio, Magistro Ludovico Valenti in utraque Signatura nostra Referendario, ac Fidei Promotori.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Beatificatio Servi Dei jam decreta.

DE Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositæ consilio, & assensu, ut Servus Dei Camillus de Lellis Fundator Clericorum Regularium Congregationis Ministrantium Infirmis imposterum Beati nomine nuncupetur, ejusque Corpus, & Reliquiæ venerationi Fidelium (non tamen in Processionibus circumferendæ) exponantur, & alias, prout in aliis nostris in simili forma Brevis Literis desuper expediendis uberius continebitur, quamprimum Auctoritate Apostolica indulgere intendentes; ac cupientes, ut ejusdem Servi Dei Corpus ex tumulo in Ecclesia sub invocatione Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Urbe ejusdem Congregationis Ministrantium Infirmis sito, in quo conditum reperitur, elevatum, in decentiorem nobilioremque locum transferatur, & collocetur, ad quem accedentes Christifideles venerentur; necnon ut ea omnia, quæ in hujusmodi elevationibus servari solent, exacte serventur: Tibi, qui Promotoris Fidei munus, quod Nos, dum in minoribus essemus, præstitimus, tanta cum sapientia, integritate, pietate, zelo, ac sedulitate obire pergis, per præsentes committimus, & mandamus, ut Te ipsum ad locum, in quo positum est ejusdem Dei Servi Corpus, conferas, & clausis Januis, & quibuscumque aliis (præter publicum Notarium acta omnia per Te conficienda rogaturum; necnon Dilectos Filios modernos Præpositum Generalem, ac Assistentes, & Postulatorem Causæ dicti Servi Dei in eadem Congregatione Sacrorum Rituum, atque eos Ministros, seu Fossores, quos ad hujusmodi Ministerium & opus necessarios esse duxeris tantùm, nec omnino alios) sub excommunicationis latæ sententiæ pœna ipso facto absque alia declaratione incurrenda, a qua nemo nisi a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente absolutionis beneficium, præterquam in mortis articulo constitutus, obtinere queat, & ipso facto ab omnibus cujuscumque status, dignitatis, conditionis, auctoritatis, præeminentiæ, etiam S. R. E. prædictæ Cardinalibus statim incurrenda, aliisque ad nostrum arbitrium imponendis pœnis, & censuris, penitus exclusis, tumulum, in quo Corpus dicti Servi Dei jacet, per antedictos Ministros effodi, arcamque, seu loculum, in quo conditur, reserari facias; necnon omnia, & singula accuratissime inspicias, quæ ad authenticitatem ejusdem Corporis firmandam apposita fuisse memoriæ traditum est, ac præsertim signa, aliaque hujusmodi recognoscas, cæteraque scruteris, quæ, pro tua hac in re singulari peritia, duxeris notanda. Præterea Tibi committimus, & mandamus, ut singulis antedictis, quos solos tecum dumtaxat, ut præmittitur, interesse statuimus, sub suspensionis, interdicti,

Ideo ipsius Corpus in nobiliorem locum elevari jubetur.

Præscribitur recognitionis forma.

Reliquiarum detractio prohibetur.

&

& excommunicationis latæ ſententiæ, aliiſque pœnis, & cenſuris Nobis, ut præfertur, reſervatis, denunties, & inhibeas, ne quilibet eorum, Nobis inſciis, & inconſultis, quidpiam, vel minimam Corporis partem dicti Servi Dei auferre, detrahere, ac ſecum aſportare audeant. Poſtquam verò hæc omnia præſtiteris, idem Corpus in aliqua arca, ſeu loculo recondas, tuo in cera hiſpanica ſigno munias, & in aliquo decentiori loco diligentiſſime, ac tutiſſime cuſtodiendum cures, donec opportuno tempore debitis cum honore, & cautelis in eo loco, in quo in futurum ſervandum colendumque erit, collocetur. Eapropter Tibi omnes, & ſingulas ſuper negotio hujuſmodi eâ, qua decet & opus eſt, fide, ac diligentia perficiendo, neceſſarias & opportunas facultates auctoritate Apoſtolica tenore præſentium tribuimus, & impertimur. Non obſtantibus Conſtitutionibus, Ordinationibus Apoſtolicis, cæriſque contrariis quibuſcumque.

Loculi obſignatio.

Conceduntur facultates &c.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die v. Martii MDCCXLII. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

Dat. die 5. Mart. 1742.

D. Cardinalis Paſſioneus.

XLVII.

De non impedienda executione Citationum, Mandatorum, aliarumque Proviſionum Romanæ Curiæ, ſeu Sedis Apoſtolicæ.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Procœmium.

PASTORALIS regiminis ſollicitudo ex alto Nobis immerentibus commiſſa exigit, ut non ſolùm curemus novas leges, ſi quando rerum conditio, aut neceſſitas poſtulat, condere; ſed etiam, quæ à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris providè, ac ſalubriter conſtituta ſunt, ſi vel hominum culpa, vel ipſa rerum humanarum fluxa, ac volubili natura in deſuetudinem abierunt, in uſum revocare, eaque Apoſtolicæ confirmationis robore communire.

Decretũ ſub Innoc. XI. editum, pro omnimoda executione Citationum, Mandatorum &c. à Tribunalibus Romanæ Curiæ expeditarum &c.

§. 1. Aliàs ſiquidem à Congregatione Particulari ſuper reformatione Tribunalium Urbis à piæ memoriæ Innocentio XI. Prædeceſſore Noſtro deputata, per ejuſdem Prædeceſſoris Literas, quæ incipiunt: *Decet Romanum*: datas IV. Kalen. Julii Anno Domini MDCLXXXIX. in forma ſpecifica deinde confirmatum emanavit Decretum tenoris ſequentis, videlicet; *Quoniam verò fertur, quod Miniſtri, & Officiales Civitatum, Oppidorum, & Locorum, in quibus DD. Clerici, & Commiſſarius Cameræ, aliique Prælati, ratione Epiſcopatuum, vel Abbatiarum, & Commendarum, & Præfectus Sac. Palatii Apoſtolici, exercent Juriſdictionem temporalem, ac etiam Miniſtri, & Officiales Baronum, & Domicellorum, & aliorum quorumcumque de facto, quamvis indebitè, quandoque præſtare audent impedimentum, ne in dictis locis, eorumque Territoriis exequantur per Curſores, & Mandatarios, alioſque Miniſtros, & Executores Tribunalium Urbis, & alios, quibus demandatum fuerit, Citationes, & mandata, aliæque proviſiones Judicum, & Tribunalium Romanæ Curiæ, & præſertim Auditoris Cameræ, abſque eorum licentia, & beneplacito in ſcriptis, ut vulgò dicitur*, exequatur; *Idcircò declaratum, & decretum fuit, quod tam Citationes verbales, & perſonales, vel domi, ſivè in manibus Domeſticorum, aut per edicta, quàm etiam mandata quæcumque, pariter tam in Perſonis, quàm in bonis, in quibuſcumque Cauſis civilibus, & criminalibus, liberè poſſint fieri, & exequi abſque alia licentia, beneplacito, vel exequatur, aut requiſitione Officialium, & Miniſtrorum loci; neque dictos Officiales, & Miniſtros, etiam ipſoſmet Cardinales, & Prælatos, & Clericos, & Commiſſarium Cameræ, ac Barones, & Domicellos, & alios quoſcumque, poſſe in hoc aliquod directum, vel indirectum impedimentum præſtare, ſub pœnis contentis in Conſtitutionibus Apoſtolicis contra uſurpantes juriſdictionem Sedis Apoſtolicæ, vel illam, ejuſque liberum exercitium impedientes, aut Curiæ reſiſtentiam facientes; & inadvertenter, ac indebitè requiſiti de aliqua licentia, vel beneplacito, nullatenus poſſint, nec debeant, ſub eiſdem pœnis, apponere Exequatur, vel aliàs in ſcriptis apponere manus in ipſis expeditionibus Tribunalium Romanæ Curiæ.*

Quod à pluribus obſervatum non fuit.

§. 2. Hujuſmodi autem tam providum, ac ſalubre Decretum non modo in nonnullis Eccleſiaſticæ noſtræ Ditionis Locis nunquam obſervatum fuiſſe, neque in præſenti obſervari comperimus; Sed inſuper, præter eos, qui in eodem Decreto nominati ſunt, alios quoque ex multorum fide dignorum relatione, & experientia ipſa, dum in minoribus eſſemus, Noſmetipſi, non ſine animi noſtri dolore & indignatione, cognovimus reperiri, qui debitam citationum, mandatorum, aliarumque proviſionum Judicum, & Tribunalium Romanæ Curiæ executionem minimè permittere, ſibi laudi, atque honori ducunt, niſi prius ipſis exhibita fuerint, & eorum licentia, ſeu beneplacitum oretenus, vel in ſcriptis, quod vulgo dicitur, *Exequatur*, fuerit impetratum; quinimmò nonnunquam eò audaciæ, ac temeritatis proceſſerunt, ut etiam impedimentum præſtare auſi ſint, interdicentes ſuis Officialibus, ac Miniſtris, ne iiſdem obſequerentur, neganteſque eam exhibere commoditatem, opem, atque auxilium, quod pro illis exequendis præbere tenebantur.

Prætextus obtendi ſoliti.

§. 3. Et quoniam tanti auſus deformitatem, quo Apoſtolicæ Sedis dignitas contemnitur, & auctoritas conculcatur, per ſe ipſi agnoſcunt; modò obtegere curant eo prætextu, quod locus eorum regimini, & poteſtati ſubjectus ejuſmodi potiatur privilegio, ut ex eo Cauſæ extrahi nequeant, ſed in eodem debeant debito fine terminari; modò autem quod ipſi volunt Partes inter ſe litigantes ad concordiam adducere, ne ſubſtantias ſuas in rerum minimarum litibus ſuſtinendis conſumant.

Pontifex præinſertum Decretum innovat.

§. 4. Ut autem hujuſmodi malo, quod peſſimi exempli, & pravi effectus eſſe dignoſcitur, priuſquam magis invaleſcat, opportuno Paſtoralis Providentiæ noſtræ remedio occurramus, motu proprio, ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tenore præſentium, præfatum Innocentii XI. Prædeceſſoris noſtri Decretum approbamus, confirmamus, & de novo, quatenus opus ſit, ferimus, ſtatuimus, ac innovamus, atque illud ab omnibus cujuſcumque ordinis, gradus, ſtatus, ac dignitatis in perpetuum ſervari, & cuſtodiri volumus, & mandamus.

Et ab omnibus, & quibuſcumque ſervari jubet.

§. 5. Præterea decernimus, ac definimus, eodem Decreto omnes, & quoſcumque Gubernatores, Rectores, Præſides quorumvis Locorum, Terrarum, ac Civitatum Status, nedum immediatè, ſed etiam mediatè in temporalibus Sedi Apoſtolicæ ſubjectos, atque inſuper omnes Præfectos, ſeu Præſides Provinciarum ejuſdem Status, quibuſlibet ſuffultos privilegiis, ſeu facultatibus, etiam Legatorum à Latere; atque inſuper Pro-Legatum Avenionenſem, atque etiam S. R. E. Cardinales, etiam à Latere noſtro Legatos, eorumque Miniſtros, atque Officiales comprehendi, & comprehenſos cenſeri debere.

Pœnæ in cõtraveniẽtes.

§. 6. Et quoniam in impedienda executione hujuſmodi citationum, mandatorum, aliarumque proviſionum Romanæ Curiæ, vel Sedis Apoſtolicæ, ut plurimùm primas partes tenent, aut certè in cauſa & culpa ſunt, vel litigantes,

vel ii, quorum interest, executiones prædictas impediri; vel alii in causis, vel rebus, de quibus agitur, nullum interesse habentes, vel Notarii, sive Tabelliones publici, qui acta ad executiones hujusmodi explendas necessaria conficere, & muneris sui partes obire recusant: Nos ad intolerabilem hanc pravitatem prorsus abolendam ex omni parte opportunè providere volentes, cupientesque, ut qui Apostolici culminis reverentiâ, ut par est, non commoventur, pœnarum metu in officio contineantur; motu, & auctoritate simili, hac nostra perpetua Constitutione statuimus, ac definimus, ut omnes & singulæ Personæ tam Sæculares, quàm Ecclesiasticæ, & Regulares cujuscumque dignitatis, status, gradus, & præeminentiæ, seu ordinis, interesse quodcumque in Causis, vel rebus, de quibus agitur, habentes, quæ Citationes, & Causarum Commissiones, decretas, vel decernendas, aut quævis alia mandata Romanæ Curiæ, seu rescripta Apostolica justitiam, vel gratiam continentia, quo minùs juxta illorum tenorem executioni demandentur, per se, vel per alium quovis quæsito colore impedire, aut impediri facere præsumpserint, aut pro illis impediendis ad Sæculares, vel Ecclesiasticos, seu Regulares in quavis dignitate, vel ordine constitutos, seu eorum Officiales publicè, vel occultè, per se, vel per alium, quovis quæsito colore recursum habuerint, causam perdant, & omne jus tam in petitorio, quàm possessorio, in re, vel ad rem, de qua agitur, eis competens eo ipso amittant.

In ipsos litigantes, aut interesse habentes.

§. 7. Aliæ verò Personæ sive Sæculares, sive Ecclesiasticæ, aut Regulares, quæ in Causis, vel rebus hujusmodi nullum interesse habent, executionem Citationum hujusmodi, Causarum Commissionum, & aliorum quorumcumque mandatorum, seu rescriptorum, & provisionum Apostolicarum, ut præmittitur, impedientes, aut impedientibus hujusmodi auxilium, consilium, vel favorem publicè, vel occultè, directè, vel indirectè præstantes, cujuscumque ordinis, gradus, conditionis, vel præeminentiæ existant, si Sæculares fuerint, sententiam excommunicationis, si verò Ecclesiasticæ, aut Regulares, pœnam suspensionnis, tam ab exercitio Ordinum, quàm cujuscumque Officii, aut dignitatis ipso facto incurrant, à quibus (excepto quoad excommunicationem mortis articulo) non ab alio, quàm à Romano Pontifice pro tempore existente, absolutionis beneficium possint obtinere:

In Judices, Magistratus, aliosque impedientes.

§. 8. Notarii autem, sive Tabelliones publici, qui de executionibus citationum, causarumque commissionum, & mandatorum, ac provisionum hujusmodi faciendis, aut quo minus fiant, de inhibitionibus requisiti fuerint, & instrumenta publica desuper ad instantiam interesse habentium, seu interesse prætendentium, soluto tamen congruo salario, conficere recusaverint, exercitium Officii Tabellionatus amittant, fiantque perpetuò infames, & ad Instrumenta, sive Scripturas publicas in posterum conficiendas inhabiles reddantur, donec ab hujusmodi reatu absolutionem, & infamiæ abstersionem obtinuerint.

In Notarios.

§. 9. Non obstantibus ordinationibus, & Constitutionibus Apostolicis, Decretis, & Statutis, etiam Apostolica auctoritate confirmatis, quibusvis privilegiis, indultis, & concessionibus, quacumque possessione, & consuetudine etiam immemorabili, & titulo colorato ex ea resultante, scientia, patientia, & tolerantia quorumcumque Superiorum, etiam Sedis Apostolicæ, roborato, cæterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, & excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem: quod quidem indultum decernimus eis, quacumque auctoritate muniti sint, in hoc aliqualiter suffragari non posse, quo minus hujusmodi sententiis, & pœnis subjaceant.

Derogatur Legibus, Cō suetudinibus & Indultis in contrariū facien.

§. 10. Per præsentes autem non intendimus in aliquo derogare privilegiis, gratiis, indultis, à Nobis, aut à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris concessis nonnullis locis, Civitatibus, Provinciis, aut Regnis, ut causæ extra eorum territoria extrahi nequeant; dummodo citationes, causarumque commissiones, & alia quæcumque mandata, & provisiones Apostolicæ, debitam in iisdem obtineant executionem.

Salvis Privilegiis de non avocando.

§. 11. Volumus autem Constitutionem, & Decretum hujusmodi, postquam Valvis Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affixa, & publicata fuerint, omnes & singulos tam in Romana Curia, quàm extra eam existentes perinde afficere, & arctare, ac si unicuique eorum personaliter, & nominatim intimata fuissent; quodque illorum exemplis etiam impressis, manu tamen Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in judicio, quàm extra ubique locorum adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibita, vel ostensa.

Publicationis vigor, & exemplorum auctoritas.

§. 12. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, statuti, decreti, mandati, voluntatis, ac derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Sanctio.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo secundo, tertio Kal. Aprilis, Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Dat. die 30. Mart. 1742.

P. Pro-Datarius.

D. Card. Passionеus.

VISA DE CURIA.

N. Antonellus.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicat. die 13. Aprilis ejusdem Anni.

De Appellationibus, & Inhibitionibus concedendis, vel denegandis. XLVIII.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Pōtificis studium pro recto Judiciorum Ecclesiasticorum Ordine.

AD militantis Ecclesiæ regimen nullo meritorum Nostrorum suffragio, sed imperscrutabilis consilii altitudine evocati, inter graves curas, quas assiduè pro Nostro munere sustinemus, postrema illa non est, in quam totis viribus Nobis incumbendum esse ducimus, ut graves nimium, diuturnæ, nulloque unquam tempore intermissæ Episcoporum, aliorumque ordinariam Jurisdictionem habentium querelæ adversus Majora Tribunalia, atque illa etiam Nostræ Romanæ Curiæ, propositæ, tandem compescantur.

§. 1. Inti-

Ordinariorum querelæ adversus Judices Superiores.

§. 1. Intimo siquidem animi Nostri mœrore, cum in minoribus adhuc essemus, jamdiù intelleximus, plerosque Locorum Ordinarios conqueri, sensim abusum irrepsisse, quod ad malitiosam petentium suggestionem, à Patriarchis, Metropolitanis, Sanctæ Sedis à latere Legatis, & diversis dictæ Romanæ Curiæ Judicibus, *Inhibitiones* sine delectu Causæ, & rei, de qua agitur, examine, passim concedantur; Et quamvis in more positum sit, dictas Inhibitiones indebitè expeditas pro causæ meritis revocari, & aboleri; remedium tamen inflicto vulneri non satis esse dicunt, cum interea oporteat Episcopos, aliosque inferiores Judices, in ipso causarum, & judiciorum cursu, ociosos immorari, jus suum judicialiter asserere, & vindicare, & ad continendos in officio Populos gravia sæpe incommoda, & dispendia subire.

Superiorum excusationes.

§. 2. E contrario Nobis quoque, dum etiam in minoribus essemus, Superiorum Judicum responsiones audire contigit, asserentium, memoratas querelas inanes esse; nec ulli innixas fundamento, utpote ex hac unica re causam, & originem habentes, quod inferioribus grave est obedientiæ, ac subjectionis jugum erga majora Tribunalia, ipsisque nimis displicet, sibi subditis appellationis beneficio succurri.

Pontifex dissidia componere intendit, ad normam Canonum, & Constit. Apostolicarum.

§. 3. Porrò cum facilè hæc dissidia componi, & succrescentia litium semina avelli possint, si, quæ à Sacra Tridentina Synodo, ab Apostolicis Constitutionibus, & Congregationum Decretis providè sancita sunt, debitæ executioni mandentur: Nos idcircò ad conservandam Ecclesiæ disciplinam, restituendamque Tribunalibus formam eisdem canonicis legibus consentaneam, pro credito Nobis Apostolicæ servitutis Officio, opportunè duximus consulendum.

Enumerat Prædecessorum Sanctiones hac de re editas.

§. 4. Inhærentes itaque Decretis ejusdem Sacri Concilii, necnon Congregationis Episcoporum, & Regularium, jussu, & approbatione rec. mem. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris Nostri aliàs editis die 16. Octobris MDC.; Itemque aliis Congregationis particularis, jussu pariter, & approbatione fel. rec. Urbani Papæ VIII. similiter Prædecessoris Nostri, promulgatis die 5. Septembris MDCXXVI., eorumque declarationibus nuper superadditis à piæ mem. Benedicto XIII. etiam Prædecessore Nostro in Appendice Concilii Romani, aliisque Apostolicis Constitutionibus, hac de re aliàs editis, & innovatis, & præsertim Constitutioni piæ mem. Gregorii XV., quæ incipit: *Inscrutabili*, sub Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ MDCXXII. nonis Februarii.

Appellationes, cum Inhibitione concedi prohibet.

§. 5. Districtè præcipimus, & mandamus, nè deinceps ab exequutione Decretorum dicti Sac. Concilii Tridentini, in omnibus illis causis, & negociis, in quibus exequutio hujusmodi Episcopis, & Locorum Ordinariis, etiam uti Sedis Apostolicæ Delegatis, ab eodem Sacro Concilio, vel dictis Apostolicis Constitutionibus, *appellatione, vel inhibitione quacumque postposita*, commissa est, appellatio aliqua in Tribunalibus prædictis recipiatur, vel Inhibitiones, Citationes generales, vel speciales, cum Commissione inserta, Monitoria, & alia hujusmodi, per quæ dictorum Decretorum exequutio retardetur, aut Processus ad ulteriora in eadem exequutione suspendatur, aut impediatur, quoquo modo concedantur.

In causis, quarum executio à Conc. Trident. demandata est Ordinariis, appellatione remota.

§. 6. Itaque à quibuscumque Mandatis, prohibitionibus, provisionibus, & statutis tàm in Visitatione, quàm extra, pro Divino Cultu conservando, & augendo, & præsertim circa ea, quæ observanda, & evitanda sunt in celebratione Missæ, aut alio quovis modo respiciunt exequutionem Decreti Sac. Concilii *Sess. 21. de Reform. cap. 8., & sess. 22. in Decret. de observ., & evit. in celebrat. Miss.*

A Decretis circa Rites Ecclesiasticos.

§. 7. Item à Decretis cogentibus Clericos tàm Sæculares, quàm Regulares, etiam Monachos, & exemptos, ad publicas Processiones, servata tamen forma Constitutionis san. mem. Pii V., quæ incipit: *Et si Mendicantium*: Prout etiam à Decretis, & provisionibus super præcedentia inter Personas Ecclesiasticas, tàm Sæculares, quàm Regulares in eisdem Processionibus, vel associatione Defunctorum, delatione Umbellæ, & hujusmodi: Necnon super observatione Censurarum, etiam Episcopalium, & Festorum Diœcesis, juxta dispositionem ejusdem Sacri Concilii *sess. 25. de Regular. cap. 12. & cap. 13.*

A Decretis circa curam Animarum, & Sacramentorum administrationem.

§. 8. Item in omnibus iis, quæ ad curam Animarum, & Sacramentorum administrationem quoquo modo pertinent, & præsertim adversus Monitiones, Censuras, aut alias provisiones, per quas Parochi, aut alii Curam Animarum exercentes, diebus saltem Dominicis, & Festis solemnibus Plebes sibi commissas salutaribus verbis pascere compellantur, docendo ea, quæ ad salutem necessaria sunt, juxta Decretum Sacri Concilii *sess. 5. de Reform. cap. 2.*

A deputatione Vicariorum, cum assignatione Congruæ, in Parochialibus unitis &c.

§. 9. Item adversus deputationem Vicariorum etiam perpetuorum, cum assignatione Congruæ, per quos Cura Animarum exerceatur, quoties plura Beneficia Curata ex Dispensatione Apostolica ab aliquo obtineantur; vel quoties eadem Beneficia Curata Cathedralibus, Collegiatis, seù aliis Ecclesiis, vel Monasteriis, Beneficiis, seù Collegiis, aut piis Locis quibuscumque perpetuò unita, & annexa reperiuntur; juxtà præscriptum dicti Sacri Concilii *sess. 7. de Reform. cap. 5. & cap. 7.*, & juxtà Constitutionem san. mem. Pii V. quæ incipit: *Ad exequendum.*

A Visitatione Parochialium sic unitarum, etiam exemptarum, & a decretis quoad Cultum Divinum, & Curam Animarum.

§. 10. Item adversus Visitationem Beneficiorum Curatorum, ut supra, perpetuò unitorum, necnon quarumcumque Ecclesiarum quomodolibet exemptarum, prout etiam adversus Decreta, & provisiones ab Ordinario capiendas, ut quæ in eis reparatione indigent, reparentur, & Cura Animarum, si qua illis imminet, aliisque debitis obsequiis minimè defraudentur, juxtà dispositionem Sacri Concilii eadem *sess. 7. de Reform. cap. 8., & sess. 21. cap. 7.*

A provisionibus capien. pro meliori Eccles. Paroch. servitio, & regimine.

§. 11. Item à Decretis, seù Mandatis, per quæ Episcopi, etiam uti Apostolicæ Sedis Delegati, in Ecclesiis Parochialibus, aut Baptismalibus, in quibus Populus ità numerosus est, ut unus Rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, & Cultui Divino peragendo, cogant Rectores, vel alios, ad quos pertinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & Cultum Divinum celebrandum: Aut etiam invitis Rectoribus, procedant ad constitutionem novarum Parochiarum, cum assignatione competentis portionis, ubi ob locorum distantiam, sivè difficultatem, Parochiani, sine magno incommodo, ad percipienda Sacramenta, & Divina Officia audienda accedere non possunt; vel denique propter paupertatem, & in cæteris casibus à jure permissis, deveniant ad uniones perpetuas aliorum Beneficiorum simplicium, non tamen Regularium, juxtà dispositionem Sacri Concilii *sess. 21. de Reform. cap. 4. & cap. 5. & sess. 24. similiter de Reform. cap. 13.*

A correctione Parochorum, & a Coadjutorum, aut Vicariorum deputatione.

§. 12. Item à deputatione Coadjutorum, aut Vicariorum pro tempore, vel aliis provisionibus ab Episcopo capiendis, etiam tanquam Apostolicæ Sedis Delegato, quando illiterati, & imperiti Parochialium Ecclesiarum Rectores sacri minus apti sunt officiis; cum assignatione partis fructuum pro sufficienti illorum victu: Necnon à suspensione, atque etiam à privatione illorum, qui turpiter, & scandalosè vivunt, & postquam prænoniti sunt, in sua nequitia incorrigibiles perseverant,

A translationibus Beneficiorum, & decretis pro Ecclesiarum instauratione.

juxtà præscriptum ejusdem Concilii *d. sess. 21. de Reform. cap. 6.*

§. 13. Item à translatione Beneficiorum simplicium, etiam Jurispatronatus, ex Ecclesiis, quæ vetustate, vel aliàs collapsæ sint, & ob eorum inopiam nequeant instaurari, vocatis iis, quorum interest, in Matrices, aut alias Ecclesias, cum omnibus emolumentis, & oneribus: Proùt etiam à Decretis cogentibus Patronos, Rectores, Beneficiatos, aut Parochianos, sive Populum, ad refectionem, & instaurationem Ecclesiarum Parochialium, servata forma Sacri Concilii *d. sess. 21. cap. 7.*

A provisionibus adversus Curatos non residentes.

§. 14. Item à censuris, sequestratione, & subtractione fructuum, aut aliis quibuscumque provisionibus, pro cogendis ad residentiam Parochis, cæterisque omnibus, quibus Cura Animarum incumbit, juxtà Decretum ejusdem Sacri Concilii *sess. 23. de Reform. cap. 1.*

A denegatione, suspen. aut limit. facultatis audiendi Confessiones.

§. 15. Item à denegatione, revocatione, suspensione, vel restrictione, & limitatione facultatis audiendi Confessiones, respectu eorum, qui Parochiale Beneficium non obtinent, etiam si fuerint Regulares, pro excipiendis Confessionibus Sæcularium, juxtà ordinationem Sacri Concilii *sess. 23. cap. 15.*, & Prædecessorum Nostrorum Constitutiones, ac præcipuè illam fel. rec. Clementis X., quæ incipit: *Superna.*

A distinctionibus, & institutionibus Parochiarum.

§. 16. Item in illis Civitatibus, aut Locis, ubi vel Parochiales Ecclesiæ certos non habent fines, nec earum Rectores proprium Populum, quem regant, sed promiscuè petentibus Sacramenta administrant, vel etiam nullæ sunt Parochiales, à divisione, seù distinctione Parochiarum, earumque ordinatione, sivè institutione in titulum perpetuum, juxtà Decretum Sacri Concilii *sess. 24. de Reform. cap. 13.*

A deputatione Oeconomi, indictione Concursus, & provisione Parochiarum.

§. 17. Item à deputatione Vicarii, vel Oeconomi, cum assignatione Congruæ, pro tempore, quo vacat Ecclesia Parochialis: Proùt etiam ab indictione Concursus, relatione examinatorum, necnon prælectione, & provisione Episcopi in eodem Concursu, juxtà definitionem Sacri Concilii eâdem *sess. 24. de Reform. cap. 18.*

A Decretis circa prædicationem Verbi Dei, vel publicas lectiones.

§. 18. Item à Mandatis, seù Decretis inhibentibus prædicationem, vel publicas lectiones, aut coërcentibus, vel punientibus quoscumque, etiam exemptos, tàm Sæculares, quàm Regulares, qui in alienis Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, & in Ecclesiis suis, aut suorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, prædicare præsumpserint; juxtà Decretum Sacri Concilii *sess. 5. de Reform. cap. 2., & sess. 24. similiter de Reform. cap. 4.* & Constitutionem piæ mem. Gregorii XV., quæ incipit: *Inscrutabili §. fin.* Una cum declarationibus contentis in Constit. Clementis Papæ X., quæ incipit: *Superna.*

A Visitatione, & correctione omnium pertinentium ad curam Animarum, & Sacramentorum administrationem.

§. 19. Et generaliter in omnibus iis, quæ pertinent ad Curam Animarum, & rectam Sacramentorum administrationem, adversus visitationem, correctionem, coërcitionem, & quascumque alias provisiones Episcopi Diœcesani, etiam quoad exemptos, sivè Sæculares, sivè Regulares, juxtà laudatam Constitutionem Gregorii XV., quæ incipit: *Inscrutabili.*

A Decretis, & provisionibus quoad Monialium Clausuram, earumque Regimen spirituale, & & temporale.

§. 20. Item adversus quascumque Provisiones, & Decreta pro conservanda, aut restituenda clausura Sancti-Monialium, aut pro correctione, seù punitione eorum, qui circa Personas intra Monasteria degentes, aut circa Clausuram, vel circa Bonorum administrationem deliquerint. Proùt etiam ab examine pro approbatione, vel reprobatione Confessariorum sivè Regularium, sivè Sæcularium, quomodocumque exemptorum, & tàm ordinariorum, quàm extraordinariorum, pro excipiendis Confessionibus Monialium, etiam Regularibus subjectarum: Itidemque à Decretis, vel aliis quibuscumque provisionibus cogentibus Administratores, sivè Sæculares; sivè Regulares quomodolibet exemptos, ad reddendam singulis annis rationem Bonorum ad Monasteria Sancti-Monialium hujusmodi pertinentium: Ac denium à quibuscumque Decretis super amotione Cappellanorum, Sacristarum, & aliorum quorumcumque Officialium, & Ministrorum, tàm Sæcularium, quàm Regularium, ipsis Monialibus, vel eorum Ecclesiis inservientium, juxtà dispositionem Sacri Concilii *sess. 25. de Regular. & Monial. cap. 5. cap. 9. & cap. 10.* servata tamen, quoad Regulares, & exemptos, forma prædictæ Constitutionis rec. mem. Gregorii XV., quæ incipit: *Inscrutabili.*

A Visitatione Diœcesis; etiam quoad Monasteria, in quibus Regularis observantia non vigeat; & decretorum executione.

§. 21. Item adversus pastoralem Visitationem Diœcesis, & præsertim Monasteriorum Commendatorum, Abbatiarum, Prioratuum, & Præpositurarum, in quibus non viget Regularis Observantia, necnon Beneficiorum, tàm Curatorum, quàm non Curatorum Sæcularium, & Regularium qualitercumque commendatorum, etiam exemptorum: Proùt etiam ab exequutione eorum, quæ in ipsa Visitatione mandata, decreta, aut judicata fuerint. Necnon similiter à quibuscumque Decretis, & Provisionibus, etiam extra Visitationem, pro conservatione, vel reparatione Ecclesiasticæ Disciplinæ, quoad vitam, mores, & honestatem quorumcumque Clericorum, luxum, comessationes, choreas, lusus, crimina, & sæcularia negocia fugienda, atque evitanda; juxtà plura Decreta dicti Sacri Concilii, & præsertim *sess. 6. de Reform. cap. 4. sess. 13. cap. 1. sess. 14. cap. 4. sess. 21. cap. 8. sess. 22. cap. 1. & cap. 8. & sess. 24. cap. 10.* ad formam tamen Decretorum Sac. Congregat. Episcoporum de mandato san. mem. Clementis VIII. editorum Ann. MDC.

A Decretis circa vitam, & honestatem Clericorum &c.

§. 22. Item à Decretis cogentibus Præsentatos, electos, vel nominatos à quibulvis Ecclesiasticis Personis, etiam Nostris & Sedis Apostolicæ Nunciis, ad quævis Ecclesiastica Beneficia, ad se subjiciendum examini Ordinarii, antequam instituantur, confirmentur, vel admittantur, quemadmodum cavetur *sess. 7. de Reformat. cap. 13.*

Ab Examine instituendorum, & confirmandorum in Benef. Eccl.

§. 23. Item à denegatione Sacrorum Ordinum, vel adscensus ad alios Majores; proùt eriam adversus suspensionem ab Ordinibus jam susceptis, ob crimen occultum, sivè ex informata conscientia, juxtà dispositionem Sacri Concilii *sess. 14. de Reform. cap. 1. & cap. 3. & sess. 21. cap. 1. & sess. 23. cap. 16.*

A denegatione promotionis ad Ordines, & a suspensione ob occultum crimen.

§. 24. Item à præfixione termini, intra quem Regularis Episcopo non subditus, qui intrà Claustra Monasterii degat, & extra ea ità notoriè deliquerit, ut Populo scandalo sit, à suo Superiore puniri debeat, ac de punitione ipse Episcopus certior fieri, juxtà Decretum Sacri Concilii *sess. 25. de Regular. cap. 14.* & Constit. fel. recor. Clementis Papæ VIII. quæ incipit: *Suscepti muneris*: Necnon adversus punitionem, & correctionem eorumdem Regularium, qui circa Personas intra sepia degentes, aut circa Clausuram ipsam deliquerint; juxtà prædictam Constitutionem Gregorii XV., quæ incipit: *Inscrutabili.*

A præfixione termini pro punitione in cafibus &c.

§. 25. Item à Censuris, aut aliis provisionibus contra Concubinarios, & præsertim Clericos etiam retinentes domi, aut extra, Mulieres suspectas; juxtà præscriptum Sacri Concilii *sess. 24. de Refor. Matrim. cap. 8. & sess. 25. de Refor. cap. 14.*

A provisionibus, & pœnis contra Concubinarios.

§. 26. Item adversus privationem Privilegii Fori, & alias provisiones contra Clericos non

A privatione Privilegii Fori &c.

incedentes in habitu, & tonsura, & in aliis casibus à Sacro Concilio præscriptis *sess. 14. de Reform. cap. 6. & sess. 23. similiter cap. 6.*

Ab approbatione, vel rejectione Tituli, quoad promovendos ad Ordines.

§. 27. Prout etiam ab examine, approbatione, vel reprobatione Patrimonii Sacri, Pensionis Ecclesiasticæ, aut Beneficii, quoad Clericos promovendos ad Sacros Ordines; juxta dispositionem ejusdem Concilii *sess. 21. de Reform. cap. 2.*

A convocatione Capituli.

§. 28. Item adversus convocationem Capituli, quam faciat Episcopus ad aliquid deliberandum, & juxta vota ipsorum Capitularium concludendum, quoties de re ad suum, vel suorum commodum spectante non agatur; juxta Decretum Sacri Concilii *sess 25. de Refor. cap. 6.*

Ab institutione, & divisione Distributionum quotidianarum.

§. 29. Item à Mandatis, seù Decretis super conversione tertiæ partis fructuum, & quorumcumque proventuum, & obventionum, tàm Dignitatum, quàm Canonicatuum, Personatuum, portionum, & officiorum, in distributiones quotidianas, earumque divisione inter Dignitates obtinentes, & cæteros Divinis interessentes, in Ecclesiis tàm Cathedralibus, quàm Collegiatis, in quibus nullæ sunt distributiones hujusmodi quotidianæ, vel ità tenues, ut verisimiliter negligantur; juxtà Constitutionem ejusdem Concilii *sess. 21. de Reformat. cap. 3. & sess. 22. similiter de Reformat. cap. 3.*

Ab executione piarum dispositionum.

§. 30. Item adversus exercitium facultatum Episcopis competentium super executione omnium piarum dispositionum, tàm in ultima voluntate, quàm inter vivos, in casibus à Jure concessis, juxtà dispositionem Sacri Concilii *sess. 22. de Reform. cap. 8.*

A Visitatione Locorum Piorum, Collegiorum, Confraternitatum &c.

§. 31. Item à Visitatione Hospitalium, Collegiorum quorumcumque, & Confraternitatum Laicorum, Eleemosynarum, Montium Pietatis, sivè Charitatis, & omnium Piorum Locorum quomodocumque nuncupatorum, etiamsi eorum Cura ad Laicos pertineat, aut exemptionis Privilegio sint munita: Ac denique à cognitione, & exequutione eorum omnium, quæ ad Dei Cultum, aut Animarum salutem, seù Pauperes sustentandos, instituta sunt; juxtà dictum Decretum Sacri Concilii *sess. 22. de Reform. cap. 8.*

A Decretis super reddenda ratione administrationis bonorum Fabricæ, aut cujusvis Loci Pii.

§. 32. Item à Decretis, seù Mandatis cogentibus Administratores tàm Ecclesiasticos, quàm Laicos, etiam exemptos, Fabricæ cujusvis Ecclesiæ, etiam Cathedralis, Hospitalis, Confraternitatis, Eleemosynæ, Montis Pietatis, & quorumcumque Piorum Locorum, ad reddendam singulis annis ipsi Ordinario rationem suæ administrationis, nisi aliud in institutione, & ordinatione talis Ecclesiæ, seù Fabricæ expressè cautum fuerit; juxta Decreta Sacri Concilii *sess. 7. de Reform. cap. 15. & sess. 22. cap. 9. & sess. 25. cap. 8.*

Ab examine, remotione, vel suspensione Notariorum scribentium in Caus. Eccles.

§. 33. Item à Decretis compellentibus Notarios, etiam Apostolica, Imperiali, aut Regia auctoritate creatos, & scribentes in Causis Ecclesiasticis, vel Spiritualibus, ad se subjiciendum examini: Eorumque remotione, vel suspensione in casu delicti, vel imperitiæ; juxtà præscriptum Sacri Concilii *dicta sess. 22. cap. 10.*

Ab erectione Seminarii, præfixione Taxæ, unione Beneficiorum, aliisque ad Seminarii regimen pertinen.

§. 34. Item ab erectione Seminarii, & taxatione quarumcumque Dignitatum, Personatuum, Officiorum, Præbendarum, Portionum, Abbatiarum, & Prioratuum cujuscumque Ordinis, etiam Regularis, Hospitalium, quæ dantur in titulum, vel administrationem, & Beneficiorum quorumcumque, etiam Regularium, etiam Jurispatronatus, etiam exemptorum, etiam nullius Diœcesis, vel aliis Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, & aliis quibusvis Locis piis, etiam exemptis, annexorum, ac quorumcumque aliorum Ecclesiasticorum reddituum, seù proventuum ad Fabricas Ecclesiarum, Confraternitates, & Monasteria omnia, non tamen Mendicantium, pertinentium, necnon Decimarum quacumque ratione ad Laicos, atque etiam Milites cujuscumque Militiæ, aut Ordinis, Hierosolymitano excepto, spectantium, pro ejusdem Seminarii manutentione: Prout etiam ab unione, & applicatione aliquot Beneficiorum simplicium; necnon à Decretis cogentibus eos, qui Scholasterias obtinent, vel quibus lectionis, vel Doctrinæ munus est annexum, ad docendum per se ipsos, vel idoneos Substitutos; & generaliter à Mandatis, & provisionibus, quæ quoquo modo respiciunt Curam, directionem, & administrationem Seminarii, plenamque exequutionem Decreti editi à Sacro Concilio super Collegio Puerorum in singulis Cathedralibus instituendo, *sess. 13. de Reform. cap. 18.*

A decretis super reddenda ratione administrationis gestæ Sede Vacante.

§. 35. Item à Mandatis, seù Decretis cogentibus Oeconomos, Vicarios Capitulares, ad reddendam rationem Administrationis per eos gestæ Sede Episcopali vacante, juxtà præscriptum Sacri Concilii *sess. 24. de Reform. cap. 16.*

A Censuris, earumque absolutionibus.

§. 36. Item, à comminatione excommunicationis à Jure latæ, & à Sententia excommunicationis latæ ab homine, suspensionis, & interdicti, nisi appellatio fuerit interposita ex capite nullitatis; Et è converso à Sententia absolutionis ab eisdem Censuris Ecclesiasticis.

Ab executione eorum omnium, quorum executio Ordinariis est demandata.

§. 37. Et generaliter ab exequutione aliorum quorumcumque Decretorum dicti Sacri Concilii Tridentini, Episcopis, atque Ordinariis locorum demandata ab ipso Concilio, & in Constitutione fel. rec. Pii Papæ IV. quæ incipit: *Benedictus Deus.*

In omnibus præmissis appellatio suspensiva concedi prohibetur.

§. 38. Volumus, præcipimus, & mandamus, quod ab Archiepiscopis, Patriarchis, seù Primatibus aliisque Judicibus Ecclesiasticis, etiam Nostris & Sedis Apostolicæ Nunciis, vel de latere Legatis, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, atque etiam Cameræ nostræ generali Auditore, Signaturæ Justitiæ Præfecto, cæterisque Judicibus Romanæ Curiæ, eorumque Vicariis, & Officialibus, Citationes generales, vel speciales cum Commissione inserta, Monitoria, & alia hujusmodi cum Inhibitione, per quam exequutio Decretorum, Mandatorum, & Provisionum hujusmodi retardetur, suspendatur, aut impediatur, minimè concedantur, & quatenùs nunc, aut imposterum concessa fuerint, nullatenùs inhibeant, atque ab Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis impunè sperni possint; quacumque Consuetudine etiam immemorabili, vel quovis Privilegio, aut stylo concedendi Inhibitiones in Causis prædictis, tametsi temporarias, penitus exclusis. Nos enim Citationes, & Monitoria, aliter quàm ut præfertur, concessa, vel imposterum concedenda, nulla, atque irrita declaramus, & pro nullis, atque irritis haberi volumus, & mandamus: Decernentes, quod adversus Decreta, Mandata, & Provisiones ejusmodi, quas, vel quæ ab Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis fieri, vel capi contigerit in Causis, & negociis prædictis, vel simplex dumtaxat, & extrajudicialis Recursus per viam supplicis libelli, ad Nos, & Successores nostros Romanos Pontifices, vel respectivè, & juxtà Causarum naturam, & qualitatem, Appellatio ad quos de Jure, in solo devolutivo, & sine retardatione, vel præjudicio legitimæ exequutionis, recipi, & admitti possit.

Concessam verò non inhibere statuitur; cum Decreto irritanti.

Permittitur solùm recursus, & appellatio in devolutivo.

Excipiuntur casus particulares à Judice superiore expendendi.

§. 39. Quoniam verò in hisce ipsis negotiis, & Causis, in quibus Inhibitiones Canonicam exequutionem impedientes, aut suspendentes, concedi non debent, dari possunt casus, qui per ipsum Sacrum Concilium Tridentinum, vel juxtà ejus Mentem, per Apostolicas Constitutiones, & Sacrarum Congregationum declarationes, aut communem Doctorum Sententiam, à præfata generali regula de non concedendis Inhibitionibus,

eisque posthabendis, excipiuntur, quique ut plurimum non aliter, quàm prudenti Judicis arbitrio secundùm particulares Facti circumstantias æstimari possunt: Hinc Nos, ne sub ejusmodi prætextu, Inhibitiones, ut supra prohibitæ, vulgò, & sinè ullo delectu etiam in Casibus non exceptis concedantur: Statuimus, & mandamus, quod in dictis Causis, & negotiis superius expressis, Metropolitani, Patriarchæ, Primates, aliique Judices prædicti, & præsertim Cameræ nostræ generalis Auditor, ejusque Locumtenentes, & Signaturæ Justitiæ Præfectus, ejusque Auditor, ad quos in contingenti casu pro obtinenda Inhibitione recursum haberi contigerit, etiamsi asseratur, casum illum à Sacro Concilio, vel Apostolicis Constitutionibus quacumque de Causa exceptum esse: Nihilominus literas Citatorias, vel Monitoria cum Inhibitione hujusmodi non concedant, nisi priùs ex facti circumstantiis, in supplici libello à Parte recurrente clarè ac dilucidè exponendis, & cum aliquo documento semiplenè saltem verificandis, eisdem summariè apparuerit, casum illum esse de exceptis, & propterea Episcopo, vel Ordinario Loci inhibendum esse, nè ad ulteriora procedat; Tunc enim, & non aliàs, & postquam ipsi Judices, quorum conscientiam hac in parte oneramus, super dicto supplici libello manu sua rescripserint, quod Inhibitio concedi potest, libellusque cum rescripto ejusmodi in Actis productus fuerit, diligenter ibidem custodiendus, & asservandus, liceat eorum Notariis, sivè Actuariis literas Citatorias cum dicta Inhibitione expedire, & Parti recurrenti tradere, ita tamen, ut in earum calce expresè adjiciatur sequens clausula: *Nos enim, attentis Juribus, & supplici libello Nobis præsentatis, atque in Actis exhibitis, sic, ut præfertur, inhibendum esse, speciali Rescripto mandavimus*: Aliàs literæ ejusmodi sine tali clausula nullam vim inhibendi habeant in casibus prædictis.

In quibus poterit admittere appellationem in suspensivo, sub certa forma hic præscripta.

Decernuntur pœnæ in Notarios aliter se gerentes.

§. 40. Et nihilominùs si Notarii, sine dicto speciali Rescripto super supplici libello, aut sine productione illius in Actis, aut sine prædicta clausula, Citationes ullas, aut Monitoria cum inhibitione, sub quocumque prætextu, seù colore, expedire, ac tradere præsumpserint, etiamsi illæ, aut illa à Judice subscripta fuerint, pœnam infamiæ, & perpetuæ inhabilitatis ad Officium Notarii in Causis Ecclesiasticis exercendum, & quoad illos Cameræ Nostræ generalis Auditoris, aut aliorum Romanæ Curiæ Judicum superiùs expressorum, etiam quinquaginta ducatorum auri de Camera, pro una medietate Cameræ Nostræ Apostolicæ, & pro alia ipsi Parti recurrenti, & in causa interesse habenti, sin minus alicui ex Locis Piis, arbitrio Nostro, Nostrorumque Successorum destinando, applicandam, ipso facto incurrant.

Clerici Sæculares, & Regulares exempti, in causis mercedum, & miserabilium personarum, Judicem vero non habentes, in omnibus subjiciuntur.

§. 41. Ad hæc, similiter inhærentes dispositioni ejusdem Sacri Concilii *sess. 7. de Reform. cap. 14. & sess. 14. cap. 5.*, nec non etiam decreto Piæ mem. Benedicti XIII. hac in re promulgato inter ejus additiones ad decreta Urbani Papæ VIII. in appendice ad Concilium Romanum, volumus, & mandamus, quod Clerici Sæculares, aut Regulares extra Monasterium degentes, quomodolibet exempti, in Civilibus Causis Mercedum, & miserabilium Personarum, etiamsi certum Judicem à Sede Apostolica deputatum in partibus habeant: In aliis verò, si ipsum Judicem non habuerint, coram Locorum Ordinariis, tanquam ab ipsa Sede delegatis, conveniri in prima instantia, & Jure medio ad solvendum debitum cogi possint.

Causæ omnes in prima instantia, exceptis Privilegiatis, ab Ordinariis

§. 42. Quo verò ad Personas non exemptas, inhærendo similiter dispositioni ejusdem Sacri Concilii *sess. 13. de Reform. cap. 1., & sess. 22. cap. 7., & sess. 24. cap. 20.* necnon supradictis Decretis generalibus Congregationis Episcoporum editis anno MDC. cum novissimis additionibus, seù declarationibus Piæ mem. Benedicti XIII. in Appendice Concilii Romani; Volumus, statuimus, & mandamus, quod Causæ omnes, tàm Civiles, quàm Criminales, ad Forum Ecclesiasticum pertinentes, exceptis Privilegiatis, quæ ex eodem Concilio, vel aliàs juxta Canonicas Sanctiones apud Nos, & Sedem Apostolicam tractari possunt, aut debent, coram Ordinariis Locorum dumtaxàt, in prima Instantia cognoscantur, neque à Metropolitanis, Patriarchis, aut Primatibus, aliisque Judicibus Ecclesiasticis, etiam Nostris & Sedis Apostolicæ Nuntiis, vel de latere Legatis, aut Cameræ Nostræ generali Auditore, & cæteris quibuslibet Curiæ nostræ Judicibus ad se avocari, vel aliis committi possint; nisi per viam legitimæ appellationis, & in casibus ut supra non prohibitis, ad ipsorum Tribunalia deferantur.

Judex ad quem non procedat, nisi constito de appellatione legitimè interposita, & in casibus à jure permissis.

§. 43. Appellationes autem non recipiantur, neque inhibitiones vigore illarum concedantur, nisi prius constiterit, quod nedùm per legitimam Personam, & intra legitima tempora verè appellatum fuerit; Sed etiam, quod appellatum fuerit à Sententia definitiva, vel habente vim definitivæ, aut à gravamine, quod per definitivam Sententiam reparari non possit: Idque per publica Documenta, quæ realiter in Actis exhibeantur; Tunc enim, & non antea, Judici, ad quem appellatum fuerit, in Causa se intromittere, citationes, & inhibitiones concedere liceat; dummodo tamen concedantur cum inscriptione tenoris Sententiæ, aut Decreti definitivi, seù vim definitivæ habentis, vel damnum per definitivam irreparabile inferentis; Alias citationes, inhibitiones, Processus, & inde sequuta quæcumque, sint ipso Jure nulla, atque impunè sperni possint.

Quid faciendum, denegato Instrumento Decreti, vel sententiæ, à qua appellatum fuerit.

§. 44. Quod si appellans asserat, Sententiæ, aut Decreti Exemplum authenticum, culpâ Judicis *à quo*, vel Notarii, sivè Actuarii, habere non posse, tunc saltem copiam simplicem Sententiæ, seù Decreti, in Actis producere teneatur, ejusque tenori in literis Inhibitorialibus inserto adjicienda erit, prout adjici volumus, & mandamus, in earum corpore expressa conditio: *Quatenus tamen tenor insertus verè, & in substantialibus cum Originali concordet, eodemque Originali præsentes literæ sint in tempore posteriores, alioquin nullæ, & irritæ censeantur*: Et si secus factum fuerit, inhibitiones aliter concessæ nullatenus afficiant, & Notarii, sivè Actuarii, qui illas expediverint, incidant in pœnas superius expressas.

Gravamen quoque legitimè probandum.

§. 45. Cum verò à gravamine, quod per definitivam reparari nequit, appellatum fuerit, si quidem res sit de carceratione jam sequuta cum Mandato verbali, non aliter expediri poterunt Inhibitiones vigore Appellationis, quàm constito priùs de ipsa carceratione per depositionem saltem duorum Testium. Interim tamen Appellans in eodem, quo reperitur, carcere permanebit, donec aliter ser. ser. judicatum fuerit. Ubi verò agatur de censuris jam prolatis, vel de comminatione Carcerationis, Torturæ, aut Censurarum, observetur omninò dispositio dictorum Decretorum Congregationis Episcoporum sub rec. mem. Clemente VIII., juxta additiones, & declarationes piæ me. Benedicti XIII.

Citationes ad comparendum, vel pro adeunda Signatura Justitiæ, non suspendant processum ad ulteriora.

§. 46. Ulterius in prædictis Causis in prima Instantia pendentibus, vel aliis superius expressis, in quibus non admittitur appellatio in suspensivo, Citationes, quæ expediri solent coram Cardinali Signaturæ Justitiæ Præfecto, vel ad effectum comparendi, vel pro adeundo eamdem Signaturam, tametsi ab ejus Auditore subscriptas, vim inhibendi nullatenùs sortiri posse volumus, easque ad prædictos alios dumtaxat effectus, comparendi scilicet, vel adeundi

Signa-

Signaturam, expeditas censeri, non autem ad retardandam exequutionem, vel suspendendum processum ad ulteriora.

In causis privilegiatis, Monitoria coram A. C. de more expediantur.

§. 47. Denique quoad Causas privilegiatas, quæ, ut præfertur, in prima etiam Instantia apud Nos, & Sedem Apostolicam tractari possunt, nihil ex antiquo mutandum esse volumus, sed Monitoria in illis coram Cameræ nostræ generali Auditore, vel ejus Locumtenentibus, prout hactenus laudabiliter observatum est, expedienda esse, juxta præscriptum Apostolicarum Constitutionum, & præsertim fel. rec. Pauli V. Prædecessoris Nostri in Constitutione, quæ incipit: *Universi*; necnon prædictarum additionum, & declarationum Benedicti XIII., exceptis tamen Monitoriis intimandis ultra Montes, in quibus ad evitanda scandala, & litigantium incommoda, volumus omninò renovari, & observari stylum, qui olim in eo Tribunali vigebat, id est, quod ad ejusmodi Monitoriorum expeditionem non aliter procedatur, quàm oblato prius ipsi Auditori, vel alteri ex ejus Locumtenentibus, coram quo Monitorium expediendum erit, supplici Libello universam Facti speciem clarè, & dilucidè continente, & prævio etiam ejusdem Judicis rescripto, quod Monitorium expediri possit, penès Causæ Notarium, vel Actuarium, diligenter custodiendo. Et si aliter, quàm præfertur, & absque dicto supplici libello, ac speciali Judicis rescripto, dicta Monitoria ultra Montes intimanda expedita fuerint, Notarius, sive Actuarius, & Substitutus, qui illa expediverit, ipso facto incidat in pœnas superius expressas.

Sed in causis ultrà Montes adsit speciale Judicis rescriptum.

Admonitio ad Judices pro præmissorum executione.

§. 48. Omnia, & singula hactenus à Nobis disposita ad rectam Judiciorum methodum restituendam, eò impensiùs ab omnibus exactè custodiri, & observari mandamus, quò clarius constat, hac nostra Constitutione non novas ferri, sed antiquas instaurari leges, providè, sapienterque institutas, & temporum injuria, ac hominum fraude obsoletas, & novo Pontificiæ auctoritatis præsidio communiri ordinem procedendi in Causis, jamdiù præscriptum Superioribus, & Inferioribus Tribunalibus à Sacra Tridentina Synodo, Congregationum Decretis, & Prædecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum Constitutionibus, aliisque Ordinationibus Apostolicis. Ideoque si ipsi Judices, omni semoto, ut par est, humanæ cupiditatis affectu, præ oculis solum habuerint, quæ tam maturo, tamque saluberrimo sunt constituta & ordinata consilio, facilè eorum quilibet agnoscet, quæ sui, & quæ alieni Ministerii partes esse debeant in admittendis, ac respectivè rejiciendis Causarum Appellationibus, & Inhibitionibus: Atque ita fiet, ut non solum unicuique in suo ordine debita Jurisdictionis, & auctoritatis prærogativa servetur; Sed etiam ut, extinctis prorsus, ac radicitus avulsis omnium contentionum, & discordiarum seminibus, mutuo charitatis vinculo Tribunalia socientur, & inter illa rectè agendi disciplina Christiano Populo utilis, & necessaria restituatur.

Actorum visitatio, & examen indicitur.

§. 49. Demum ut, exemplo Nostro, omnes præmissorum executioni cautè, & pro viribus incumbant, & ut præsertim Notariis, Tabellionibus, & eorum Actuariis, & Substitutis omnis contraveniendi ansa præcidatur, volumus, & expresè mandamus, Processus, & Acta Causarum in Nostra Romana Curia coram quovis Judice pendentium, ac Inhibitiones, Appellationes, Monitoria, aliasque Citatoriales, & Inhibitoriales literas, quas ab iisdem Notariis, eorumque Substitutis, scientibus, vel insciis Judicibus, vel alias quomodolibet in posterum expediri contigerit, sedulò recognosci, & examinari per fide dignas Personas à Nobis opportunè deputandas; quæ si deprehenderint, eas-

dem Inhibitiones contra hujus Constitutionis formam, & ad subterfugienda Ordinariorum, & Episcoporum judicia, quæsito gravaminis colore, fuisse perperam concessas, & expeditas, in eosdem Notarios, & Substitutos Canonicis pœnis, aliisque à Nobis supra expressis, severè pro modo culpæ animadvertant.

Clausulæ, & Decreta omnes arctantia.

§. 50. Decernentes has præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quod spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. præfatæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & ejusdem Sedis Nuntios, alioswe quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogationes opportunæ.

§. 51. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, ac usibus, & stylis, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, præfatis, aliisque quibuslibet Judicibus, Curiis, Tribunalibus, & Personis, etiam quantumvis sublimibus, & specialissima mentione dignis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, & quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita observata, exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Publicationis præceptum, ejusque effectus.

§. 52. Ut autem eædem præsentes literæ ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus illas, seu earum exempla ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi, & publicari, sicque publicatas, & affixas omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, ac afficere, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent: ipsarum autem literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu tamen alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eamdem prorsus fidem tam in judicio, quàm extra illud ubique locorum haberi, quæ

Exemplis auctoritas tribuitur.

haberetur

haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio Constitutionis.

§. 53. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Nostri decreti, constitutionis, declarationis, annullationis, admonitionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 30. Mart. 1742.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo secundo, tertio Kalendas Aprilis, Pontificatus Nostri Anno II.

P. Card. Pro-Datarius.

D. Card. Passionеus.

VISA DE CURIA.

N. Antonellus.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicat. die 18. Aprilis ejusdem Anni.

XLIX.

Revocatio Peculiaris Statuti Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum, quo ipsis vetitum erat, ne Confessariis extra proprium Ordinem unquam confiteri possent.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dispensationes ab hujusmodi statutis aliàs petitæ, & concessæ fuerunt.

QUOD communi auctoritatis juri innixum in Religiosis Familiis, etiam per peculiares Generalium Comitiorum sanctiones in aliquibus Ordinibus præceptum statutumque est, ut nimirum Alumni cujuslibet Instituti peccata sua non nisi ejusdem dumtaxat Religionis Confessariis, quibus, utpotè omnium rerum in ipsa Religione servandarum cavendarumve notitia instructis, facilius est pro culpis salutare adhibere remedium, confiteri teneantur: illud, etsi aliquo pacto tamquam necessarium, & laudabile, ac propterea ab Apostolica hac Sancta Sede fortasse alias confirmatum, etiamnum servatur; ea tamen secum afferre incommoda, propter quæ non sine aut conscientiæ angore, aut populorum offensione, adimpleri posse, alias nonnulli Fratrum præsertim Ordinum Prædicatorum, Minorum Sancti Francisci, aliorumque Superiores serio cogitantes, super hujusmodi Statutis Ordinum suorum dispensationem ab eadem Apostolica Sede, sibi impertiendam curarunt.

Tenor Statuti.

§. 1. Quoniam autem, sicut accepimus, in Ordine Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum, idem quoque Statutum à Diffinitorio generali jamdudum editum, & in pluribus Capitulis generalibus dicti Ordinis comprobatum ea, qua decet, observantia viget, atque exigitur; ut nemo Frater expresse professus Ordinis præfati, sive Presbyter, sive Laicus fuerit, sive iter agens, sive alicubi quocumque pacto de suorum Superiorum tamen licentia commorans, etiamsi ad prædicandum Verbum Dei, tam Adventus, quam Quadragesimæ temporibus, & ad Sacras Missiones quoque perrexerit, nemini, nisi sui Ordinis Fratris Confessario, per suum Superiorem ad Confessiones audiendas approbato, peccata sua confiteri, ab eoque Sacramentalem Absolutionem obtinere licite, & valide possit.

Rationes dispensandi.

§. 2. Hinc est, quod Nos, qui licet ejusdem Ordinis Alumnos, propter severioris disciplinæ cultum, summam animi demissionem, arctissimam paupertatem, & insignem in pietate, doctrinis, disciplinisque laudem, plurimi facere pergimus, & paternæ benignitatis testimoniis complectimur; tamen scientes, de mundano pulvere religiosa etiam corda sordescere, nec ad susceptum religiosæ vitæ institutum proficere, quin imò plurimum obesse, ut iidem Alumni, ac præcipue prædicationi Verbi Dei sacrisque Missionibus addicti, a suis Conventibus, quacumque de legitima causa, & longè, & diu absentes, ob Confessarii defectum, vel a faciendo Sacro, aut Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento percipiendo, non sine populorum, quibuscum interea temporis conversantur, scandalo abstineant, vel ad Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrandum, aut Angelorum panem sumendum, ne scandalum oboriatur, cum conscientiæ angore accedant; hisce malis opportunum Apostolicæ providentiæ nostræ remedium afferre cupientes; motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine; ac prævia cujuscumque Statuti, seu Decreti, ut præmittitur, a generali Deffinitorio editi, & per generalia dicti Ordinis Capitula approbati, etiam ab Apostolica Sede præfata confirmati, revocatione; tenore præsentium statuimus, decernimus, & mandamus; ut quilibet ex Fratribus dicti Ordinis, sive in Sacro Presbyteratus Ordine constitutus, cujuscumque status, gradus, dignitatis, & conditionis, sive Laicus, seu Conversus fuerit, qui de Superiorum suorum licentia, quacumque de legitima causa, titulo, & occasione, sive prædicandi Verbum Dei quocumque tempore, sive sacras Missiones peragendi, sive iter agendi, & alicubi commorandi, ubi nullus Conventus, seu Hospitium, nullusque Frater dicti Ordinis Confessarius reperitur, liberè, & licitè possit, ac valeat quemlibet Presbyterum Secularem ab Ordinario Loci, vel Regularem à suo Superiore Regulari ad Sacramentales Confessiones excipiendas approbatum adire, eique peccata sua confiteri, atque ab ipso obtinere sacramentalem absolutionem, etiam quoad casus, per Constitutiones, & Statuta Regularia dicti Ordinis reservatos, incursasque proinde censuras, recepta salutari pœnitentia, præstitaque obligatione se statim, quoad ipsi permissum fuerit, coram suo Regulari Superiore præsentandi, ac de novo super casibus, & censuris hujusmodi absolutionem impetrandi.

Conceditur Indultum cõfitendi extraneis Confessariis deficiente Confessario approbato suiꝰ Ordinis.

Etiam quoad absolutionē a casibus reservatis, sub conditione &c.

§. 3. Decernentes easdem præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari: sicque in præmissis, per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuntios, ac quovis alios quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum, quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Clausulæ, & derogationes.

Exemplorum fides.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in Judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 30. Martii 1742.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die XXX. mensis Martii MDCCXLII. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

D. Cardinalis Passionеus.

L.

Beatificatio Beati Camilli de Lellis Fundatoris Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

IN virtutibus, rebusque à Servo Dei Camillo de Lellis Congregat. Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis Fundatore ad Divini honoris Cultum promovendum, augendumque, & ad opportuna procurandæ animarum Christifidelium saluti commoda, ac remedia comparanda præclarè gestis, in quibus magnificata est dextra Excelsi, & amplissimè triumphavit virtus Spiritus Sancti, divina ipsius misericordiarum Patris, qui mirabilis est in Servis suis, opera revelare, & confiteri, non solum honorificum, sed in hac potissimum asperâ temporum conditione salutare etiam, ac necessarium esse ducimus, ut & universi Christifideles benignitatem Dei nostri, & divitias bonitatis ejus prædicantes, nova atque uberrima habeant ad imitationem exempla, & ipse Servus Dei meritis honoribus mactatus in terris, certa è Cœlis patrocinio suo in diebus nostris impetret perpetuæ inter Christianos Principes pacis, communis Populorum tranquillitatis, & æternæ salutis auspicia, atque præsidia.

Summarium virtutum, & meritorum Beati Viri.

§. 1. Erraverat ille quidem à semita, quam tenuerant Servi Dei, quâ iter ad Cœlestem Patriam intenditur, & ipsum fore persecuturum capta quædam in nativitate auguria addicebant; sed peculiari miserentis Dei providentia in viam rectam, in solemni die Purificationi Beatæ Virginis Mariæ Immaculatæ sacrâ, revocatum, adeò replevit spiritus timoris Domini, spiritus consilii, & fortitudinis, ut ejusdem amoris igne accensus, amarè fleverit; atque arduum Christianæ pœnitentiæ, & perfectionis stadium ingressus, curriculum omnium virtutum, relicto aliis, atque sui præsertim Instituti Alumnis ad præeuntem impigrè sectandum incitamento, confecerit; Unde à bonorum omnium largitore Deo immortalis beatudinis bravium accepisse, nullus ambigendi sit locus. Quamobrem nihil ad supremum, gravissimumque Apostolicæ servitutis, in Catholicæ Ecclesiæ procuratione, imbecillitati nostræ per ineffabilem Divinæ bonitaris abundantiam demandatum ministerium rite sanctèque obeundum intelligimus esse aptius, aut magis idoneum, quam ut, quantum Nobis ex Alto conceditur, ejusdem Servi Dei Camilli de Republica Christiana, atque hac Alma Urbe nostra, in qua maxime luculentissima suarum virtutum præsetulit specimina, & mortali vitæ finem imposuit, benemerentissimi, cultum, & venerationem, ad Omnipotentis Dei gloriam, Catholicæ Ecclesiæ decus, & Christiani populi utilitatem, promoveamus.

Ordo in ejus causa servatus.

§. 2. Cum itaque, maturè, diligenterque discussis, atque perpensis per Congregationem Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum, Processibus de Apostolicæ Sedis licentia confectis, super vitæ sanctitate, & virtutibus, tàm Theologicis, quàm Moralibus in gradu heroico, quibus eumdem Servum Dei Camillum de Lellis multipliciter claruisse, necnon miraculis, quæ ad ejus intercessionem, & ad manifestandam hominibus ipsius sanctitatem, à Deo patrata fuisse asserebatur, eadem Congregatio coram Nobis constituta, auditis etiam Consultorum suffragiis, uno spiritu, unâque voce censuerit, posse, quandocumque Nobis videretur, prædictum Servum Dei Beatum declarari, cum consuetis indultis: Hinc est, quod Nos piis, atque enixis antedictæ Congregationis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, jamdudum sæpius porrectis supplicationibus, quibus olim suas, & cl. mem. Hispaniarum Reges Catholici, tum Philippus III., tum Philippus IV. ad fel. rec. Paulum Papam V., Gregorium PP. XV., & Alexandrum PP. VII. Prædecessores nostros, & utriusque sexus Principes, ac Duces, necnon Nobiles Viri Electi Civitatis Neapolitanæ, aliique ex Ordine Ecclesiastico preces, & vota conjunxerant, Nobis nuper iterum porrectis, benigne inclinati, de supradictæ Congregationis consilio, & assensu, auctoritate Apostolica, tenore præsentium indulgemus, ut idem Servus Dei Camillus de Lellis, in posterum Beati nomine nuncupetur, ejusque Corpus, & Reliquiæ venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferendæ) exponantur; Imagines quoque radiis, seù splendoribus exornentur; ac de eo quotannis die XV. mensis Julii recitetur Officium, & Missa de Communi Confessoris non Pontificis, cum Oratione à Nobis approbata juxta Rubricas Breviarii, & Missalis Romani. Porrò recitationem Officii, & Missæ celebrationem hujusmodi, fieri concedimus dumtaxat in universa Congregatione eorumdem Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, & in Civitate, ac Diœcesi Theatina, ubi natus, ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus, tàm Secularibus, quàm Regularibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, & quantum ad Missas attinet, etiam ab omnibus Sacerdotibus ad Ecclesias, in quibus Festum peragetur, confluentibus. Præterea primo dumtaxat anno, à datis hisce literis, & quoad Indias, à die, quo eædem literæ illùc pervenerint, inchoando, in Ecclesiis Congregationis, Civitatis, & Diœcesis antedictæ, solemnia Beatificationis ipsius Servi Dei, cum Officio, & Missa, sub ritu duplici majori, die ab Ordinariis respectivè constitutâ, postquam in Basilica nostra Sancti Petri in Vaticano celebrata fuerint eadem solemnia Dominicâ Secundâ post Pascha Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi currentis anni MDCCXLII. pariter celebrandi facimus potestatem.

Preces Sanctæ Sedi porrectæ pro ipsius Beatificatione.

Eidem Beati nomen, & honores decernuntur.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Decretis de non cultu editis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seù exemplis, etiam impressis, manu Secretarii dictæ Congregationis Cardinalium subscriptis, & sigillo Præfecti ejusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus, & ubique, tàm in judicio, quàm extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 7. Apr. 1742.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VII. Aprilis MDCCXLII. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

D. Cardinalis Passionеus.

LI. Litteræ Canonizationis Beatæ Elisabethæ Lusitanorum Reginæ.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

RATIONI congruit, & convenit æquitati, ut ea, quæ Romani Pontificis provida deliberatione, ac Venerabilium Fratrum suorum S. R. E. Cardinalium, necnon Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum tunc in Romana Curia commorantium unanimi consilio, decreta, definita, & statuta fuerunt, licet, ipsius superveniente obitu, Literæ Apostolicæ desuper confectæ non fuerint, suum debitum consequantur effectum.

Exordium. §. 1. Gaudeat in Domino, & in donis gratiæ suæ glorietur felix Lusitaniæ Regnum; sed laudent alii Cœli illius temperiem, amœnas Tagi ripas, divitias ex toto Orbe navibus eò illatas, & congestas, nobilitatem Urbium, hominum ingenium, & solertiam, & in remotissimis Terrarum Orbis regionibus detegendis, subjiciendisque felicitatem. Una est, quæ præcipuam ex Sacerdotali ore laudem meretur, & quæ in Sancta Dei Ecclesia meritò extolli, & prædicari debet, suorum scilicet Regum pietas, & religio. Hæc enim Lusitanum Regnum fundavit, hæc ampliavit, hæc ad summam gloriæ, & laudis magnitudinem evexit, hæc in ea amplitudine, qua nunc floret, servat, & custodit. Nam Princeps ille, & genere, & virtute clarus Henricus, qui Lusitaniæ Regni decus, ac gloriam, barbararum gentium incursu, ac veluti inundatione afflictam erexit, atque instauravit, cum in Hispania adversus Mauros Alphonso Sexto strenuam navasset operam, & Therasiam ejus filiam in Uxorem, & Lusitaniæ partem in dotem, & præmium virtutis accepisset, eam statim, ereptis è Maurorum potestate aliis oppidis, plurimùm auxit. Posteaquam verò è Hierosolymitana expeditione, quam pietatis, & Religionis studio susceperat, reversus est, nunquam bello contra Mauros abstinuit. Nam quinque supra viginti de Mauris reportatis victoriis, multisque de manubiis, ac spoliis hostium, Templis, ac Cœnobiis erectis, ad Asturicam, quam obsidebat, in armis, prout Fidei propugnatorem decebat, ultimum diem obiit. Nec ejus filius Alphonsus tanto Patre inferior fuit: Testes sunt Leiria Urbs munitissima Mauris erepta, Scalabis inexpugnabile Oppidum in potestatem redactum, Olyssippo expugnata, innumerabiles Maurorum, & Barbarorum copiæ pauco militum numero pluries disjectæ, unus, & triginta Barbarorum Reges armis devicti. Siquidem nunquam à persequendis bello Crucis hostibus terra marique cessavit, donec eliminata è Lusitaniæ finibus Mahumetana superstitione, Catholica Religio à pluribus annis exul, veluti triumphans in propriam sedem reduceretur: Cujus non minus virtus in bello, quàm pietas in pace resplenduit. Nam egregio pietatis documento, cum ex acie domum redibat, in Monasterium Sanctæ Crucis se recipere, ibique cum Religiosis Viris Chorum adire, orare, psallere, sacrisque mysteriis adesse solitum fuisse traditur. Difficilis quidem res esset, si quis Lusitanorum Principum, qui Henrico, & Alphonso successerunt, fortiter, ac piè gesta persequi, & præstita ab eis in Catholicam Religionem officia recensere vellet. Innumera enim non solùm in vicinis, sed in remotissimis partibus, adversus Mauros, Turcas, Saracenos, Idololatras, bella pro Religione susceptа, relatæ victoriæ, parta pietatis trophæa. Ingentes classes adversus Christianorum hostes maximo sumptu paratas, & omni re instructas in ultimas, & prorsus ignotas Orbis regiones missas, quis ignorat? Et antiqua Lusitanorum Regum virtutis exempla adversus Christiani nominis inimicos renovata nostrâ memoriâ vidimus, & contra ferales Turcarum debacchantium impetus, præsens in Lusitanorum Regum pietate Roma, & Italia sensit auxilium. Sed Christianum nomen non solùm armis, opibus, & sanguine suo Lusitani Reges tutati sunt; verùm etiam longè latèque studio, cura, ac sollicitudine propagarunt: ut hanc unam egregiam laudem propriam sibi facere velle visi sint, Evangelium Christi Domini disseminare, Catholicæ Fidei lucem diffundere, superstitiosos cultus abolere, Crucis vexillum in longè dissitas, & nunquam ab aliis aditas regiones inferre. Nam eorum operâ ora Punica arcibus occupata, Mari Athlantico emenso, Insulisque per illud sparsis, totâque ulteriore Lybia quâ mari lustrata, quà terra penetrata, Arsinario Promontorio, Guinea, Zanguebaria, & Promontoriis intra, & sub Æquatore constitutis, & ultra ad Cancri tropicum utrâque Æthiopiâ, Insulisque vastis, Persici, & Arabici freti sinubus pervasis, quà Asia ab Africa disjungitur, barbaris atque efferis Nationibus venerandum Christi nomen, ac salutaris Evangelii doctrina annunciata est. Insuper Indiâ, quàm latè intra Indum, & Gangem protenditur, transmissâ, in Auream Chersonesum, & Sumatram, plurimasque immensi illius Archipelagi insulas, ad Molucas usque, ultimamque Japoniam, & in Sinicum Imperium, & Tartarico Regno proximas regiones; insuper ad Occidentales Indos cursu deducto, in Pernambucum, Marananiam, cæterasque vastissimæ Brasiliæ Terras, sacris Ministris, & Verbi Dei Concionatoribus Regio sumptu, & Apostolicæ Sedis auctoritate missis, populis habitantibus in Regione umbræ mortis Lusitanorum Regum, aliorumque Catholicorum Principum pietate Lux Evangelicæ Fidei affulsit. Profectò admiratione suspici potiùs, quàm pro meritis laudari in Domino potest munificentia, & Religio Lusitanorum Regum, in largè ac splendidè protegendis, sublevandisque populis ad Catholicam Veritatem recens adductis, in alendis, ac sustentandis Sacrarum Missionum Ministris, in ædificandis inter barbaras gentes immortali Deo Templis, in extruendis Religiosorum Virorum Cœnobiis, in erigendis, pro erudienda in Catholica Religione, & Ecclesiastica Disciplina juventute, Sacris Ædibus, & Seminariis, aliisque peragendis, quæ ad expellendas Mahumethanæ impietatis, vel Idololatriæ errorum tenebras, & ad diffundendum Christianæ veritatis lumen conducebant. Itaque tantis pietatis operibus, & tam præclarè à Lusitanis Regibus in bello, & pace pro Religione gestis, hanc inter cætera amplam mercedem retulit benignissimus Deus, ut in Regia Domo, ac Familia existerent fœminæ morum integritate, & vitæ sanctitate illustres, quæ Deo dilectæ, & mundo mirabiles, in Servorum Dei numerum à Catholica Ecclesia adscribi mererentur; ut si Lusitaniæ Regnum in terris suorum Regum virtute, & pietate maximè confideret, majus in Cœlis in suorum Principum sanctitate, & meritis incolumitatis suæ præsidium haberet. Ex hoc numero fuerunt Therasia, Sancia, Mafalda, Johanna: Sed præ omnibus, & Sanctarum operationum laude, & cœlestium miraculorum magnitudine emicat Beata Elisabeth Regina, quam fel. rec. Urbanus Papa Octavus Prædecessor Noster pro sua pastorali sollicitudine tanquam sanctam, & electam Dei in universali Ecclesia colendam, & venerandam Apostolica auctoritate decrevit. Et Nos, quos in Apostolatus ministerio, licet

imme-

immerentes, Divini consilii altitudo succedere voluit, ejus vitam, & res mirabiliter sanctèque gestas Christiano Populo considerandas proponimus; ut Principes Fœminæ, inter Regales delicias, & mundanos aulæ fastus, præ oculis habeant, quàm imitentur; omnes verò, ad quam calamitosis hisce temporibus, & in tanta rerum omnium perturbatione, supplices confugiant: ut quæ in terris contrarias dissidentium Principum voluntates miro gratiæ Dei dono in concordiam reducebat, modò in Cœlis Beata, precibus apud Deum pro Nobis intercedere velit, quò tanti gravissimorum bellorum motus, armorumque turbines, potentissimæ Divinæ voluntatis jussu compescantur, & diremptis dissidiis, reconciliatisque inter se discordantium Principum animis, Sancta Dei Ecclesia Regi pacifico, & omnium bonorum Datori gratiarum hymnos, & debitas laudes persolvens in tranquillitate quiescat, ac pace & concordia filiorum suorum lætetur.

In lucem edita Elisabeth Avo ejus Jacobo Regi educanda traditur, & futuræ Sanctitatis indicia præfert.

§. 2. Nata est Elisabeth anno à Virginis partu millesimo ducentesimo septuagesimo primo: Pater ei fuit Rex Aragoniæ Petrus, Jacobo Rege natus, & Violantia Regis Hungariæ filia: Mater Constantia, filia Manfredi Siciliæ Regis, & Friderici Secundi Imperatoris neptis. Præluxit in ea fax illa virtutum, quæ cum ætate ipsa adolescens, & in diem magis magisque relucens in hoc sæculo, tanquam in tenebricoso loco, lumine ac splendore suo viam salutis aliis præmonstraret. Recèns enim a partu ad Regem Jacobum Avum allatâ, atque ab eodem ad sextum ætatis annum Christianis moribus imbutâ, de ipsa prædicare, ac penè prædicere ille solebat, neptem illam atque alumnam suam, fœminarum omnium optimam, clarissimamque futuram, quæ ex Arogoniorum Regum stirpe natæ unquam fuissent. Ex humanis erepto Jacobo, sexennis puella reducta in Patris domum, ibi, quam ab Avo didicerat, profecuta est integerrimæ vitæ rationem. Pueriles ludos, ornatum corporis, voluptatum delicias, tenera adhuc, & infantili ætate, sed cœlo matura, fugiebat: Divinis precibus, ciborum abstinentiæ, Caritatis operibus impensè vacabat; ut Pater ipse fuerit solitus affirmare, suarum rerum, ac Regni felicitatem Elisabethæ virtutibus, ac meritis apud Deum acceptam esse referendam.

Lusitaniæ Regi Dionysio nubit, ac susceptam Prolem optimis moribus, ac documentis imbuit.

§. 3. Educata pudicè, ac sobriè, ubi plenis annis nubilis facta est, longè clarescens honestis moribus suis, quibus eam Deus etiam mortalibus oculis pulchram faciebat, & reverenter amabilem, atque mirabilem, a pluribus Christianorum Principum Filiis, per crebras legationes, & literas in matrimonium expetitur. Sors obtigit Lusitaniæ Regi Dionysio, Alphonsi III. filio; cui Regiis, & Christianis ritibus nuptui tradita, non tanquam viro, sed tanquam Domino subdita fuit, studens eum demereri conjugalibus obsequiis, & Deo lucrifacere. Et quoniam bonum conjugii est, & Dei donum, proles ex legitimis nuptiis suscepta; hanc quoque Deus largitus est famulæ suæ, ut pudicitia, sanctisque moribus, & fœcunditate etiam Viro suo probaretur. Nam ætatis anno decimo septimo Constantiam filiam peperit, vicesimo verò Regni hæredem Alphonsum. Sed quos in hanc mortalem lucem ediderat, iterum parturiens Deo, bonis eruditebat monitis, sanctisque moribus informabat, & exemplo suo, quod longè efficacius verbis est, ad pietatem, omnemque virtutem instituebat.

Sanctis operibus, ac cœlestium rerum contemplationi vacat.

§. 4. Etenim illa non minorem excolendis in se virtutibus, quàm in liberis educandis, aliisque necessariis rebus procurandis dabat operam; In sacris precibus assidua, frequens ad rem Divinam erat, ubicunque versaretur, Sacellum habebat religiosè constructum, ac magnificè ornatum, Sacerdotibus, aliisque Sacris Ministris instructum, quò a tumultuantibus sæculi curis secedens, in Sancta Dei contemplatione quiescret; ibi enim ejus erat requies, ibi ferè semper habitabat, soli Deo intenta, & cœlestibus inhians divitiis, terrenas opes, & vana corporis ornamenta, quibus animæ pulchritudo non augetur, sed corrumpitur, contemnebat: decenti, & modesto induta cultu, composito vultu, & demissis oculis incedens, externo præferebat in habitu virtutem, quæ intus latebat in corde. Ubique enim Deum sibi præsentem habebat, & quò magis in eum amore ferebatur, eò vehementius vitia, & peccata odio prosequebatur, ut si quando Divinam lædi Majestatem animadverteret, injuriam sibi fieri, & se ipsam læsam existimaret.

Jejuniis, aliisque pœnis corpus macerat.

§. 5. Hujus etiam vis Sancti amoris dulces ei reddebat acerbissimas pœnas, quibus subjicere corpus, & in servitutem redigere curabat, ne ad Creatorem Suum tendentem animum cœnosis terrenarum cogitationum motibus impediret, & rebellantium passionum turbis ad terrena a Cœlestibus avocaret. Quadruplex illa jejunium ab adolescentia solemne habuit: quadragenarium, & commune Christianorum omnium; alterum, quo præparari solent homines Religiosi ad Christi adventum; tertium, quod Angelorum appellant, a die festo Beatæ Virginis Assumptæ, ad Archangeli Michaëlis diem; ac postremum a feriis S. Joannis Baptistæ ad diem Assumptæ Virgini Sacrum. His igitur jejuniis, & insuper nocturnis vigiliis, diurnisque laboribus, aliisque pœnis, in Regum deliciis enutritum corpus macerabat; a vino, in quo est luxuria, adeo assueverat abstinere, ut mediam ferè anni partem solo pane transigeret, & aqua.

Gravi morbo correpta aquam potui sibi dari imperat, quæ Dei omnipotentia bis in vinum convertitur.

§. 6. Cum aliquando jaceret gravi stomachi morbo laborans in Oppido Alenquerio, præscripserunt ei Medici, ut vino uteretur; illa verò, cum id curationi valetudinis necessarium esse minimè duceret, & sanctum suum propositum in abstinendo à vino levi ex causa mutare timeret, renuit id facere, jussitque aquam sibi afferri. Sed æterni Dei benignitas, qui voluntatem timentium se facit, dignata est voluntati famulæ suæ obsequi, ne hominum consilio, indictam sibi abstinentiæ legem transgredi cogeretur, voluitque simul, eam uti remedio, quod per os Apostoli sui discipulo ejus Timotheo ægrotanti suggesserat, scribente ad eum Paulo, *utere modico vino propter stomachum.* Itaque renovato mirabili illo prodigio, quod primùm, cum inter homines Christus Dominus versaretur, in nuptiis Canæ factum est, aqua bis ad eam allata, bis Omnipotens voluntatis suæ nutu, quo res omnes è nihilo eduxit, in vinum commutata est.

Pauperum, & Miserorum necessitatibus subvenit: Monasteria ædificat, eaque redditibus donat, atque alia pietatis officia præstat.

§. 7. Ex amore Dei summa illa Caritas erga proximum oriebatur, qua consolabatur afflictos, succurrebat egenis, pauperibus inserviebat, curabat ægrotos, omnes in Christo complectebatur, sublevabat pecunia, reficiebat alloquio. Nullus inopum occurrebat, in quem illa stipem benignissimè non conferret, atque ex infinita multitudine debilium, languentium, pauperum, infirmorum, qua se videbat assiduè circumfusam, vacuum abire, aut solatio destitutum neminem patiebatur: Quos intelligebat præ pudore stipem cogere non audere, quamvis id suaderet necessitas; non solùm prompta eis subveniebat pecunia, sed etiam quotidianis sumptibus sustentabat: Non exiguum frumenti numerum dabat Religiosis familiis, quæ in quibuslibet Lusitaniæ partibus versabantur: Cœnobiis Monachorum, quàcumque iter faceret, certam pecuniæ summam quotannis assignabat in vestem. Almosterienſe Monasterium propè Scalabim à Berengaria nobili fœmina inchoatum ipsa perfecit: Aliam domum, ubi partus à Parentibus

expositi educarentur, quam Martinus Episcopus Guardiensis morte occupatus absolvere non potuit, non modò absolvit, sed redditibus etiam, & excipiendorum numero puerorum amplificavit: Xenodochium è regione suæ domus propè Conimbricam erexit, ubi triginta pauperes certis attributis sumptibus alebat, ac vestiebat, atque identidem præsentia, allocutione, ministrandi quoque officio solabatur; denique communis omnium Parens, & Patrona censebatur, & temporalibus necessitatibus miserorum subveniens, animas, quorum corporibus succurrebat, humanitate, ac benignitate sua ad Deum trahere satagebat.

Quotannis feria sexta majoris hebdomadæ leprosis abluit pedes, quorum unum ab Atriensi servo graviter percussum reddit incolumem.

§. 8. Consueverat Beata Elisabeth feria sexta majoris hebdomadæ elephantiacis aliquot, seu leprosis, pedes abluere, & stipem elargiri. Id aliquando cum perfecisset in oppido quodam Scalabi appellato, ex iis unus, quibus id præstiterat officium, reliquis tardior, ob morbi vim vehementiorem, substitit parumper in Regia; quod ubi Atriensis quidam Servus animadvertit, ferox, & asper, ac rei gestæ ignarus, acerrimis eum conviciis est insectatus: cumque ille reclamaret, fustem arripiens, hominis, qui se præ morbo commovere vix poterat, caput summâ vi percussit, & graviter vulneravit. Concidit infelix in terram ea plaga accepta, & calamitatem suam cœpit ejulans lamentari. Accurrit, & vocibus, & miserabili spectaculo Urraca Vaschia, renunciatque Reginæ, cui ob studium pietatis erat familiarissima, quid factum fuerit; illa hominis miseri atque innocentis calamitate commota, in suum cubiculum eum imperat deportari, deinde album ovi exceptum stupa vulneri suis ipsa manibus imponit, additâque pecuniâ in reliquos sumptus, eum dimittit. Postridiè quàm hæc gesta fuerant, scisitatum mittit, quomodo se æger habeat: optimè responsum fuit; & cicatricem, post factam à Regina medicinam, statim fuisse obductam. Ita Regii famuli injuriam Beatæ Reginæ Sanctitas, & clementia compensavit.

Feria quinta hebdomadæ præfatæ, duodecim mulierum elephantiasi laborantium pedes lavat, ex quibus unam cancro infirmam oculo simul, ac Crucis signo mirabiliter sanat.

§. 9. Ejusdem majoris hebdomadæ feria quinta, lavare duodecim mulierum elephantiasi, seu lepra laborantium pedes, iisque etiam pecuniam, & vestes donare, & ad mensam splendidè acceptis ministrare consueverat. Earum una pedem alterum cancro affectum tam malè habebat, ut parum abesset, quin duo digiti decederent; altero igitur abluto pede, alterum in pelvim immittere, Regina postulante, renuebat. Conscia enim latentis mali, & turpis deformitatis, pedem illum aut Reginæ manibus attingi, aut oculis videri indignissimum judicabat. Sed Urraca Vaschia, quæ Elisabethæ aderat, ejus jussu recusantis pedem in aquam mittit. Id ubi factum est, odor illicò afflatus est tam gravis, ac pestilens, ut omnes Regiæ Ministræ, cum eum præ fastidio ferre non possent, se proripuerint foras: sola imperterrita mansit Regina, quæ Christiana magnanimitate, & caritate memorabili, ulcus non modò non horruit, sed suis manibus tractare, ac medicinam aliquam adhibere aggressa est. Accedit ergo plena misericordiæ, plena humanitatis, procumbit ante miseram fœminam, fovet calidâ pedem, & ulcus leniter, ac molliter expurgat; postremò ejus, *qui vulneratus est propter iniquitates nostras, & reputatus est quasi leprosus, & percussus à Deo*, amoris impetu acta, ipsum cancrum, cujus vel odor erat intolerabilis, osculatur, & salutare Signum Crucis imponit. Mirum dictu, sed tanta virtute dignissimum! nulla interposita mora, & signo Crucis, & osculo, & simul Beatæ Reginæ merito, insanabile ulcus Dei omnipotentia factum est sanum.

Humilitatis amans, occu-

§. 10. Cum aliquando proficisceretur Conimbricâ in Urbem Portum, per vicum quemdam iter habuit, nomine Arifanam; hic illi obviam processit rusticana quædam fœmina, filiolam secum ducens ab ortu cœcam; oravit Reginam supplex, ut oculos puellæ manibus tantùm attingeret; illa obsecratione simul, ac miseratione permota, morem gessit matris voluntati; post paucos dies exultans, & gestiens venit ad Elisabetham cum filiola, quæ statim atque tacta fuerat, usum oculorum acceperat; agunt immortales Reginæ gratias, ipsa verò à Magistro humilitatis edocta, qui pertransiens benefaciendo, & sanando omnes, se tamen beneficiorum auctorem prodi nolebat, vetuit illis rem palam facere, utque faciliùs impetraret, veste utramque donavit. Nobilis quædam & religiosa mulier, Margarita Freila, quæ in Æde Sacrarum Virginum, cui nomen est Chelis, prope Ulyssipponem morabatur, Reginam in Urbe commorantem adivit, à qua statim ac pallido vultu, & macie confecta visa est, causam rogatur; tuberculum, respondit, super stomachum natum; signum illa Crucis ægræ parti imponit, quo facto, resedit omnis tumor, dolorque decessit. Margarita tam gravi morbo liberata præ gaudio continere se nequivit, quin illicò omnibus manifestaret Elisabetham tam insperatæ curationis auctricem. Quod cum ad aures ejus pervenisset, non parùm inde molestiæ accepit, dolens laudem sibi, aut gloriam ullam tribui, quam soli Deo debitam intelligebat. Itaque accersitâ ad se muliere, graviter cum ea conquesta est, silentiumque in posterùm imperavit. Et quoniam profusâ in egenos caritate maximè erat liberalis, in sinu sæpè ferebat, quæ iis benignissimè dispensaret. Accidit, ut eam hæc in sinu clam gerentem Vir ipsius Rex Dionysius observaret, qui fortè ei factus obviam, interrogavit, quid in sinu portaret; rosas, inquit; ac Dionysii jussu explicato sinu, opes illæ distribuendæ pauperibus in recentes rosas versæ conspiciuntur. Ita omnipotens Deus, qui aridam Aaron virgam germinare fecit, & turgentibus gemmis erumpere flores, ad dictum Beatæ Elisabethæ, opes pauperibus destinatas in fragrantes rosas media hyeme commutavit, ut quantum sibi gratum, ac suave esset Famulæ suæ misericordiæ in pauperes sacrificium, tam mirabili prodigio ostenderet.

Margaritam Freilam ab insanabili tubere in Stomacho liberat.

Opes pauperibus dispensandas in recentes rosas commutat.

§. 11. Necessitatem tribulationum non uno in loco nos monet Spiritus Sanctus in Sacris Scripturis, dicens: *Sicut Socii passionum estis, sic eritis & consolationis*: & rursus: *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, ut & conglorificemur.* Itaque benignissimus Deus, qui per ineffabiles providentiæ suæ vias, amarissimis offensionibus etiam illa adspergens, quæ licito quidem, sed fortasè nimio amore à Servis suis tenentur, totis cordis affectibus, & intimis animi conatibus, ad se, misericorditer sæviens, eos ire compellit, B. Elisabetham maximis perturbationum fluctibus, & adversitatum tempestatibus jactari sivit. Et quidem Constantiam Filiam præreptam sibi inverso quodammodo naturæ ordine, graviter doluit; tùm etiam aliorum Carissimorum jacturam non mediocri animi sui dolore fortiter sustinuit. At Constantia Filia, permittente Deo, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, exacto unius anni spatio, quo pro ipsius anima Sacrum quotidiè fieri per integrum castumque Sacerdotem curaverat, Matrem consolata est, cum per quietem è purgantis ignis pœnis in æternam felicitatem transeuntem se illi præsentem exhibuit.

Variis exercetur tribulationibus; Parentum, & Constantiæ Filiæ jacturam æquo animo sustinet, quam in Cœlum proficiscentem videt.

§. 12. Sed inter alia multa adversa, & aspera, quæ ipsi acciderunt, maximo quidem mœrore afflixit Regis mariti abalienatus animus, & ad illicitos amores abreptus. Nam Dionysius, qui aliquot annos cum illa conjunctè, integrèque

Aversum à se Dionysii Regis animum, ac spreti Conjugalis thalami injuriam humiliter tolerat.

vixerat

vixerat, quibusdam quasi voluptatis injustæ præstigiis fascinatus, voluntatem ab ea cœpit avertere, omnemque amorem ad quasdam transtulit mulieres, ex quibus liberos etiam suscepit. Toleravit illa patienter spreti cubilis injurias, & fracti maritalis fœderis crimen; atque humili cordis oculo indignas mulieres sibi prælatas respexit; neque cum aliquo de Mariti infidelitate conquesta est, neque ullam hac de re cum eo habuit simultatem; sed expectans in silentio misericordias Domini, qui solus facere potest mundum de immundo conceptum semine, loquebatur ei sanctis operibus suis, pietate sua, mansuetudine sua, tolerantia sua, humilitate sua. Tantæ igitur virtutis luce è lethali peccati somno excitus Dionysius aperuit mentis oculos, agnovitque turpitudinem suam, eamque detestatus, reliquum vitæ tempus castè, sanctèque traduxit.

Exortas inter Dionysium Regem, & Alphonsi Fratrem, ac inter eumdem Dionysium, & Ferdinandum Castellæ Regem discordias dirimit.

§. 13. At verò piissimæ Reginæ animum non minori mœrore, ac tristitia perculerunt exorta inter summa, & carissima sibi capita dissidia. Sed hoc quoque Servæ suæ grande donum concesserat ille, cui juxta Prophetam nomen est, *Admirabilis*, *Consiliarius*, *Deus*, *Fortis*, *Pater futuri Sæculi*, *Princeps Pacis*, ut inter discordes animas tam se fortem gereret, ut labores, ærumnas, & extrema vitæ pericula pro earum salute contemneret; tam mitem, ut irarum morsibus exasperata pectora alloquio suo leniret; tam prudentem, & pacificam, ut irreconciliabili odio dissidentes ad pacem, & concordiam reduceret. Ac primò quidem gravem inter Dionysium Regem, & ejus Fratrem Alphonsum ortam discordiam, vel potiùs apertum bellum, copiis utrinque coactis, scissaque universa Lusitania in contrarias partes, compressit, ac diremit amantissima pacis Regina, fusis ad Deum precibus, Sacrorum Antistitum, & Principum Virorum opera adhibita, suis postremò ad utrumque adhortationibus, atque obsecrationibus sæpius interpositis. Deinde verò non inferiori laboravit cura, atque industria, ut revocarentur mota jam arma ab Rege Dionysio in Ferdinandum Puerum Castellæ Regem, ejusque tutores: Tum gravissimæ aliorum Principum affinium dissensiones per eam pacatæ sunt, quæ pernicioſa mala universæ Hispaniæ allaturæ videbantur.

Alphonsum ejus Filium, qui defecerat à Patre, ex imminenti vitæ discrimine vindicat.

§. 14. Sed nulla illustrior, ac magis necessaria conciliata pax ab Elisabetha, quàm cùm Dionysius Parens, & Filius Alphonsus plusquàm civilia inter se bella suscepissent. Indignatus enim Dionysius ob Filii contumaciam, qui facinorosorum turmis stipatus, Patris auctoritatem, & imperium contemnebat, Regnoque dejicere minabatur, statuerat ex improvisò eum opprimere. Appositis igitur ad omnes vias Custodibus, ne quis periculi nuncius ad Alphonsum iret, armatos raptim milites, & expeditos, secum proficisci jussit, ut acerbas de filio pœnas sumeret. At Elisabetha rei certior facta, per Nuncios diversis itineribus emissos, quanto in discrimine versetur, Filio significat, monetque, ut iram Patris declinet. Ipsa interim precibus, & lacrymis apud Deum exposcebat, ut tantum à Viro, à Filio, & à Regno malum averteret. Ejus itaque diligentia, atque pietate factum est, ut Filius digressus è loco, ubi opprimendus erat, saluti suæ provideret, cujus contumacem in Patrem animum pia Mater, ad quam de tanto beneficio gratia acturus se contulerat, monitis, ac precibus infringere aggressa est. Verùm is nihilo melior factus, sceleratum parare cœpit in Patrem bellum, qui facinoris indignitate commotus, aliorumque consiliis stimulatus, omnem viam ad vindicandam impietatem Filii quærebat. Exulcerabant hæc animum Elisabethæ, quæ demissè, atque assiduè à Deo precabatur mitiorem Viro mentem, Filio saniorem. Accusata verò apud Dionysium nimiæ caritatis in Filium, & muliebris indulgentiæ, ademptis Castellis, bonisque ferè omnibus ereptis, ne quâ Filium ope juvaret, in liberam custodiam tradita est, jussaque ne statuto loco egrederetur. Æquo animo indignam passa est calumniam piissima Regina, neque conquesta est de acerbo Viri imperio; sed statim paruit, & aliorum reclamantium querelas compescuit. Interea Alphonsus expugnandis atque in suam potestatem redigendis Urbibus, Dionysius iis, quæ à sua potestate defecissent, diruendis, atque evertendis, uterque in Lusitania miserè devastanda, opes omnes, operamque ponebant. Quo tempore Beata Regina, religiosissimis quibusque fœminis undique ad se convocatis, cum iis tota erat in jejuniis, precibus, lacrymis, aliisque piis operibus ad exorandum Deum, *qui ventis, & mari imperat, & obediunt ei*, ut horridam tempestatem, quæ ingentem ruinam secum ferebat, superna ope sedaret. Ubi verò accepit, bellum vehementius in diem inflammari, neque extingui posse nisi vel Viri, vel Filii sanguine, Civium strage, Civitatum excidio, continere se nequivit, quin Caritatis pennis è custodia convolaret ad Castra, Virum obsecraret, Filium obtestaretur, cum utroque per se, & per Principes Viros ageret, ut Patris in gratiam Filius restitueretur. Concessum est Dei munere, quod Elisabethæ pietas merebatur; Sed non diuturna fuit illa concordia. Etenim cum Alphonsus, contra voluntatem Patris, ad Oppidum Scalabin accedere instructo agmine conaretur, obviam illi cum exercitu processit Dionysius. Itaque armatas acies contra Filium jam Pater direxerat, datum utrinque fuerat belli signum, concurrebant ex utraque parte cognatis armis milites, ventum erat ad manus; cùm Elisabeth sui oblita, de animarum salute tantummodo sollicita, sine famularum comitatu, sine cultu, raptim accurrit, interponit se inter Virum, & Filium, non à telis ultro citroque jactis deterrita, non à suæ vitæ periculo retardata, Filium adhortationibus morigerum Patri, Virum obsecrationibus placatum Filio reddit, utrique vitam, utrique salutem, operante Domino, & loquente ad eorum corda, dum Famulæ suæ ad aures verba insonabant, restituit.

Jussu Regis in libera custodia, ne quam illi opem ferat, detinetur.

Sed, utriusque comparato exercitu, convolat ad castra, ac ad primas acies progressa, votis, & lacrymis mutuam pacem obtinet.

§. 15. Jam verò Dionysius ætate gravis, & imbecilla valetudine affectus, in lethalem morbum incidit; tum verò vel maximè enituit conjugalis Elisabethæ caritas, assiduitas, diligentia. Præstitit enim se non uxorem, sed ancillam, adeò in rebus omnibus demisse, diligenterque ministrabat, non minus operi intenta, quàm orationi, cui quod ab infirmi Mariti cura superarat temporis, die ac nocte vacabat, magis de illius animæ, quàm de corporis salute sollicita. Dionysius autem annum agens sexagesimum quartum, omnibus ritè peractis, quæ vel Christianum hominem, vel prudentem Regem decebant, ex hac mortali vita excessit, cum annos sex, & quadraginta regnasset.

Dionysio morti proximo assiduè ad extremũ usque spiritum inservit, ac ultima caritatis, & obsequii munia persolvit.

§. 16. Mariti morte sui juris facta Elisabeth totam se Deo tradidit, & secuta est exemplum fortissimæ mulieris Judith, quæ post obitum Viri, *in superioribus Domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur, & habens super lumbos suos cilicium, jejunabat omnibus diebus vitæ suæ*: Ita Beata Elisabeth, statim ac Vir decessit, in cubiculum se recepit, cum una è carioribus ancillis, ibique ab ea suscepit eximio animi sensu pauperem vestem Religiosarum Virginum propriam, tum rudi funiculo præcincta, candido linteo caput velavit; domesticas autem opes, vel in sacros usus convertit, vel egentibus dispensavit: Ædes insuper aliquas, secus Sacrarum Virginum domum, quàm propè Conimbricam Beatæ Claræ nomine ædifi-

Post Viri obitum, pauperem vestẽ induit, ac totam se Deo tradit.

candam summo studio curaverat, sibi poni voluit, ubi ex illarum Virginum cœtu quinque apud se integritate conspicuas habebat assiduè, cum quibus Religiosam extra Claustra degebat vitam. Siquidem de multa nocte vigilans, cum Virginibus piorum studiorum sociis, matutinis precibus recitandis vacabat; diluculò Sacrum fieri jubebat in suo cubiculo; inde in publico Sacello cum omni familia intererat alteri Sacrificio, quod cum lugubri cantu fiebat pro demortuo Rege, ac Marito; tertium denique Sacrum ejus diei proprium coram se supplice volebat celebrari. Divini Officii reliquas horas postea peragebat, tum ad juvandos alios, vel re, vel verbis incumbebat, inde ad seſe colligendam, vel contemplationi, vel sacri cujuspiam libri lectioni se dabat; ad seram postremò noctem Divinas res mente pertractabat, cum incredibili sensu voluptatis, & dulcium copia lacrymarum, ut integros dies non terræ, sed Cœlo vivere videretur.

Misericordiam, liberalitatem, cæteraſque virtutes mirificè excolit.

§. 17. Præterea cæteras omnes virtutes, quas in Viduis exigit Beatus Apostolus Paulus scribens ad Timotheum, in se diligenter, atque eximiè expressit, pietatis scilicet officium, hospitalitatis studium, humilitatis obsequium, misericordiæ ministerium, liberalitatis subsidium, omnisque boni operis executionem. Nam in ædiculis propè memoratam Virginum domum extructis, quindecim egentes viros, ac totidem fœminas ali perpetuò certis sumptibus jussit, Sacerdotemque proximum cum Sacello, & Cœmeterio constituit, qui Sacrum iis præsentibus quotidie faceret, & solemnibus statutarum horarum precationibus præesset. Misericordia autem, & liberalitas maximè in Beata Vidua excelluit, cum ingens annonæ caritas ac fames Conimbricam Urbem vexaret; tanta enim fuit largitate in omne hominum genus sublevandum, adeoque liberalem se cunctis præbuit, ut ab opum administratoribus admonita fuerit, ne ob alienorum opitulationem, ac sustentationem nimis assiduam, sibi postmodum, suisque deesse cogeretur; Sed illa Deo freta, non minus ac Sareptana Vidua, quæ, ut Prophetæ Domini subveniret, omne vitæ suæ subsidium ultrò ei deferens, nihil sibi reliquit, angustos aliorum animos reprehendit.

Sexagesimo quarto ætatis anno ad B. Jacobi Apostoli Templum invisendum, pedibus, & mendicans pergit.

§. 18. Quæ verò ad pietatem erga Deum, curam erga suos, humilitatem, mansuetudinem, abstinentiam pertinent, longum, ac difficile esset omnia referre. Absoluto Beatæ Claræ Cœnobio, in quo perficiendo plurimum pecuniæ, atque operæ impenderat, quo die primùm in nova cœnatione Moniales discubuerunt, ministravit eis cum sua Nuru, raro Christianæ demissionis, & Caritatis exemplo. Quartum & sexagesimum ætatis annum agens, Jacobi Apostoli Templum iterum adire decrevit; tantum suscepit itineris Fœmina id ætatis, & Regina, paucis comitata, mutato vestitu ignobilis, imò, quod prorsus mirabile est, sua sarcina gravis, per Vicos, & domos mendicans, pedibus ivit, & reversa est; intuens certè in præclarum illud impigræ devotionis exemplar, Beatam videlicet Mariam Virginem, quæ per omnes annos in die solemni Paschæ cum Joseph Hierusalem petebat. Pervenit ad illius aures, Alphonsum Nepotem suum Castellæ Regem alterius ab uxore fœminæ consuetudine teneri: ad eum nulla interposita mora proficiscitur, tantumque præsentia sua, ac verbis effecit, ut ab eo fidem acciperet, honestius in posterum vivendi. Inter ipsum Alphonsum Nepotem, & Alphonsum Filium gravi enato dissidio, ad sedandas exortas discordias, pacifici, & Cœlestis Regis discipula, in Oppidum Eborense Stremotium appellatum, ubi tunc Filius versabatur cum Conjuge, se contulit; sed partim ætatis imbecillitate, partim itineris defatigatione in morbum incidit, qui supremus illi fuit. Cum autem jam se morti proximam intelligeret, Divinis mysteriis, ac supremis Ecclesiæ Sacramentis ad ultimum illud certamen seſe sanctissimè muniit, ut piæ vitæ religiosa mors optimè responderet. Postquàm autem cum Alphonso necessariis de rebus Regni colloquuta aliquantulum est, à Filio, quem relinquebat, ad Cœlestem conversa Parentem, quam adibat, & quæ paulò ante se videndam ei præbuerat, sacris illis Ecclesiæ vocibus Beatam Virginem compellavit: *Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, Tu me ab hoste protege, & hora mortis suscipe*: deinde fidem ex Apostolorum symbolo professa, Dominicam orationem, aliasque recitavit voce paulatim, ac sensu deficiente, donec die quarta Julii anno à Christo nato millesimo trecentesimo tricesimo sexto, ab ipsius Beatæ Elisabethæ ortu sexagesimo quinto, sanctissimam animam Auctori suo reddidit.

Alphonsum Castellæ Regem à prava fœminæ consuetudine revocat.

In suprema ægritudine, Ecclesiæ Sacramentis ritè munita, ac Deiparæ Virginis presentia recreata, sanctissimè obit.

Pluribus post mortem patratis miraculis, fama ejus Sanctitatis percrebrescit.

§. 19. Divulgato autem obitus nuncio, maximus cujusvis generis hominum concursus ad ejus funus factus est. Nam fama illa sanctitatis, quæ de ipsa, dum adhuc viveret, universum Lusitaniæ Regnum impleverat, posteàquam ex hac mortali vita discessit, maximè percrebuit. Itaque ejusdem Defunctæ patrocinium bono suo imploravere complures, singularibus à Deo beneficiis per ejus intercessionem obtentis. Nam Clementissimus Deus, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus misericordia est, Beatam Elisabetham non solùm in humanis agentem Divinis illustravit miraculis, sed etiam ad æternæ felicitatis Regna translatam admirabilibus rerum eventibus nobilitavit in terris. Ex quibus Nos ea solùm, quæ in causæ Canonizationis examine ritè discussa, & perpensa, tanquam ejus Sanctitatis cœlestia indicia, & argumenta, cunctorum suffragiis approbata fuerunt, hoc loco referemus. Ac primò quidem ejus corpus à corruptione liberum, integrumque à Deo servatum est. Quoniam delatum ex Oppido Stremotio, ubi ultimum diem obiverat, Conimbricam, per longissimum iter septem dierum æstivo tempore non modo fœtoris nihil afflavit, sed potiùs tam suaves circumfusæ multitudini inspiravit odores, ut in eo loculo, pro putrescente cadavere, omnia aromatum genera concluſa viderentur. Sed quod longè mirabilius est, cum anno Domini millesimo sexcentesimo duodecimo Beatæ Reginæ sepulcrum apertum, & sacrum ejusdem corpus recognitum fuit, inventum est integrum, atque incorruptum, cum carne, capillis, auribus, oculis minimè tabefactis, & quæ tacta non frangebantur, aut liquescebant. Manabat autem ex toto corpore suavis admodum, ac jucundus odor, & Divinum incorruptibilitatis beneficium cum vestibus ipsis circumjectis, & pluribus linteis superimpositis quodammodo communicaverat, quæ solida, & integra post adeò diuturnum tempus permanebant.

Corpus corruptione expers servatur.

Dominicus Machadus Faber lignarius ex alto delapsus, ejus ope imploratus, permanet illæsus.

§. 20. Pars quædam ædium in Monasterio Sanctæ Claræ recens fabricata erat, eique imponebantur ligna tecti, dabatque operam in ligna clavis configenda Dominicus Machadus Faber lignarius, cum inopinatò aliquot ex iis lignis refixa dilabuntur in terram, secumque Fabrum illum præcipitem trahunt. Tum ille Beatæ Elisabethæ opem implorat. Exemplò ipse una cum lignis occulta quadam vi sursum relatus, & in eumdem locum, è quo ceciderat, restitutus fuit, & ligna etiam suis reddita sedibus, & coaptata.

Annæ Azpilcuetæ crurium usus, quem amiserat, restituitur.

§. 21. Anna Azpilcueta Virgo Sacra in Cœnobio Beatæ Mariæ propè Conimbricam, in Vico, cui nomen Cellis, diù capta cruribus, & resolutis nervis ita tenebatur, ut per se incedere nullo modo posset, nulloque à Medicis remedio sanari. Proximus erat solemnis Beatæ Elisabethæ dies; nocte verò, quæ antecedebat, Annæ

Magistra

Magistra, expositis pluribus beneficiis illius imploratione susceptis, hortatur eam, ut ab ipsa præsens auxilium petat. Morem gessit illa diligenter, & in arctissimum somnum soluta est. Ecce autem per quietem audire sibi videtur imperantem, ut surgat, valetudine jam Elisabethæ ope restituta. Excitata Virgo exilit è lecto, vestes induit, in odeum, vulgò chorum, venit, ubi cæteræ matutinas preces canebant. Mirantur omnes, & præ animi gaudio, & pietate lacrymantes, agunt gratias omnium bonorum Auctori, qui mirabilis est in Sanctis suis.

Nutrici fœminæ, quæ siccis uberibus duos infantes enutrire nequibat, largiter lac redditur.

§. 22. In Oppido Sarnacensi Maria Antonia Michaelis Aloysii uxor jam quinquagenaria, & quæ jampridem ex quodam morbo in sinistro ubere lacte carebat, Nepotem ex paupere filia parvulum susceperat enutriendum, & cujusdam Equitis Filium lactabat. Nepotem cibis dulcibus, lacte sibi deficiente, enutrire tentavit, eos tamen ille respuit. Inops igitur consilii, venit una cum eo Conimbricam ad Beatæ Claræ Cœnobium, & Monialium hortatu sumit vinum cum croco, quod Beata Elisabeth ad hujusmodi mali remedium præscripserat; supplex deinde ad ejus sepulcrum accedit, oratque summis precibus, ut lac sibi à Deo impetret. Exaudita est precatio, lac statim sensit uberius affusum, ut abundè potuerit in posterum donatum Cœlitus alimentum utrique Infanti sufficere.

Agnes de Almeida anginæ morbo cruciata liberatur, restituto etiam ejus uberibus lacte.

§. 23. Agnes de Almeida Johannis de Guerres Medici uxor, septimâ post filii partum hebdomadâ in anginæ morbum incidit, quo vehementer cruciata, & cibum sumere, & verba proferre impediebatur. Lac etiam defecerat ad natum puerum nutriendum. Vir, omni artis suæ opera frustra adhibita, desperans de salute conjugis, Berensem in agrum se contulit ad accersendam filio nutricem. Ibi dum nocte curis anxius commoratur, subit animum Sanctitas Beatæ Elisabethæ, illi suam enixè, religiosèque commendat uxorem; summo mane reversus domum uxorem reperit sanam. Quærit ex illa, qua hora se morbo liberam senserit, comperitque ab omni ægritudine liberatam eodem temporis momento, quo ipse procul domo Beatam Reginam oraverat. Subinde Templum adit, ubi Reginæ corpus asservabatur, interest Sacro, iterumque suppliciter ab eadem exposcit uxori lac, quo natus infans nutriri possit; domum regressus, hoc etiam se beneficio cumulatum agnovit.

Constantia Anja, labiis, gingivisque ab ulcere corrosis, ore Sacris Elisabethæ exuviis applicito, sanatur.

§. 24. Constantiæ Anjæ Civi Eborensi, in Cœnobio Beatæ Claræ, pestiferum quoddam ulcus labia gingivasque cum maximo cruciatu corrodebat, sensimque serpebat latiùs; præ doloris impetu vociferabatur assiduè, cæterarumque Virginum tranquillitatem, religiosamque quietem interturbabat, nullâque Medicorum arte ea pestis depelli poterat. Allato Beatæ Reginæ corpore ab Oppido Stremotio Conimbricam in Beatæ Claræ Cœnobium, statim Constantia magnâ cum pietate, ac fide accessit ad pheretrum, ubi corpus adhuc insepultum jacebat; & ita loculum osculata est, ut oris partem lue infectam applicaret. Recedit deinde cum cæteris; ubi verò sacrum Beatæ Elisabethæ corpus ad sepulchrum deferri cœpit, se cruciatu liberatam sentiens, advocat Socias, iis os inspiciendum præbet, & nulla amplius pestis illius indicia apparebant. Quo mirabilis rei eventu omnes attonitæ, admirantur Dei potentiam, & Beatæ Reginæ sanctitatem laudibus efferunt, quam tam insigni miraculo Deus omnibus testatam, acque exploratam esse volebat.

Leo X. Beatæ Elisabethæ venerationem indulget.

§. 25. Cum igitur fama sanctitatis Beatæ Reginæ, ob frequentiam miraculorum, quæ ipsius apud Deum meritis edebantur, magis, ac magis increbresceret, atque in ejus venerationem Christianorum hominum animi vehementiùs incitarentur, fel. rec. Leo Papa X. Prædecessor noster anno millesimo quingentesimo decimo sexto, instante cl. mem. Emanuele Lusitaniæ Rege, per Literas Apostolicas in forma Brevis concessit, ut in Ecclesiis, & Monasteriis Civitatis, & Diœcesis Conimbricensis de præfata Dei Famula semel in anno commemorationem, vel officium recitari, & in eorumdem locorum Ecclesiis, & domibus, juxta piorum Fidelium devotionem ejusdem imaginem depingi, ac illam inter alias Sanctorum imagines teneri, & ut Beatam coli, & reputari liceret, possentque Christifideles ad illam preces effundere, & ab ea petere, ut pro ipsis apud Altissimum intercederet; & subindè fel. pariter rec. Paulus Papa IV. similiter Prædecessor noster, instante clar. mem. Sebastiano Lusitaniæ Rege, qui ad Regni tranquillitatem, ac salutem, Beatæ Elisabethæ meritis à Deo dicebatur impetratus, concessionem, & indultum hujusmodi ad totum Portugalliæ Regnum extendit, & ampliavit: postea piæ memoriæ Gregorius Papa XIII. similiter Prædecessor noster, Officium, & Missam pro Cathedrali, & Diœcesi Conimbricensi, & nonnullas Indulgentias Confratribus cujusdam Confraternitatis sub ejusdem Beatæ Elisabethæ invocatione erectæ, & omnibus Christifidelibus Ecclesiam dictæ Confraternitatis die festo ejusdem Beatæ Elisabethæ visitantibus, de Apostolica auctoritate elargitus est.

Paulus IV. ipsius cultum extendit.

Item Gregorius XIII.

Causa Canonizationis sub Paulo V. introducta.

§. 26. Anno verò millesimo sexcentesimo undecimo, universo Lusitaniæ Regno pro dictæ Beatæ Canonizatione instanter agente, rec. mem. Paulus Papa V. pariter Prædecessor noster cognitionem causæ demandavit tribus Causarum Palatii Apostolici Auditoribus, Francisco nempè Peniæ Decano, Francisco Sacrato, & Alphonso Manzanedo, qui Processus Apostolica auctoritate conficiendos decreverunt, atque ad id munus peragendum Conimbricensem, & Leirien-sem Episcopos, & Doctorem à Regis Consiliis Franciscum Vazium eadem auctoritate deputarunt; utque Episcopi, & Doctor Franciscus præfati diligenter demandato negocio perfuncti fuere, omnia acta eisdem Auditoribus transmiserunt. Cumque interim, dum processus hujusmodi conficiebantur, præfatus Paulus Prædecessor, & recolendæ etiam memoriæ Gregorius Papa XV. similiter Prædecessor noster humanitatis debitum persolvissent, & præfatus Urbanus Prædecessor ad Sacrum Apostolatus apicem Divina Providentia assumptus fuisset, ac pro parte præfati Lusitaniæ Regni instanter requisitus esset, ut negotium hujusmodi promovere, & ad ulteriora procedere dignaretur; accederentque aliorum idem suppliciter expostcentium preces; præfatus Urbanus Prædecessor, ut ea maturitate, quæ rem tantam decebat, negotium transigeretur, habitam à præfatis Auditoribus de statu causæ relationem, ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales Sacris Ritibus Præpositos remisit, qui eam diligentissimè inspicerent, ac de tota causa accuratè cognoscerent. Quod cum illi ita perfecissent, ac pro Beatæ Reginæ Canonizatione omnes unanimiter censuissent, bonæ memoriæ Franciscus Maria Episcopus Ostiensis S. R. E. Cardinalis à Monte nuncupatus totius Processus summam, & suam, Collegarumque sententiam coram dicto Urbano Prædecessore in Consistorio suo secreto exposuit; quibus auditis, reliqui Cardinales, qui aderant, ad ulteriora fore procedendum communi suffragio pronunciarunt. Igitur cum in publico Consistorio quondam Johannes Baptista Mellini tunc Aulæ Consistorialis Advocatus pro ejus Canonizatione peroravisset, ac nomine prædicti Lusitaniæ Regni, ut ad eam procedere dignaretur, humiliter supplicasset, dictus Urbanus Prædecessor de re tanta Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, &

Acta sub Urbano VIII.

Episcopos in Romana Curia præsentes consulendos esse respondit: atque interim Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos præfatos intimo cordis sui affectu vehementer in Domino hortatus est, ut orationibus instantes, in jejuniis, & eleemosynis animas suas coram Deo secum humiliantes, exposcerent à Deo Patre luminum, ut ex alto super ipsum lucem, & veritatem suam emitteret, quæ ipsum ad voluntatem, & beneplacitum ejus cognoscendum, & perficiendum deduceret. Sequenti itaque semipublico Consistorio, vocatis ad illud non modò Cardinalibus, sed Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis in Curia existentibus, præsentibus etiam Sedis Apostolicæ Notariis, ac Palatii Apostolici Causarum Auditoribus, cum plura ab eo de eximia Sanctitate Beatæ Reginæ, ac miraculorum frequentia, & celebritate, populorumque erga eam devotione commemorata fuissent, expositis etiam instantiis præfatis, quæ coram ipso fiebant, omnes concorditer, ac uno ore benedicentes Deum amicos suos honorificantem, Beatam Reginam Elisabetham canonizandam esse, atque inter Sanctas Viduas adscribendam censuerunt: Quorum omnium audito consensu, intimo cordis affectu exultavit in Domino, & jubilavit in salutari ejus, gratias agens Deo, & Filio ejus Domino Nostro Jesu Christo, quod Ecclesiam misericorditer respexisset, ac tantâ gloriâ illustrare decrevisset. Canonizationis inde publicavit diem, eosdem Fratres, & Filios suos monuit, in orationibus, & eleemosynis perseverandum esse, ut in tanto opere exequendo splendor Dei esset super ipsum, mentemque suam ad perficiendam ejus voluntatem dirigeret. Demum peractis omnibus, quæ ex Sacris Constitutionibus, ac Romanæ Ecclesiæ consuetudine peragenda erant, anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vicesimo sexto, octavo Kalendas Julii, Pontificatus sui anno tertio, in Sacrosancta Principis Apostolorum Basilica cum eisdem Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, Romanæque Curiæ Prælatis, Officialibus, & Familiaribus suis, necnon Clero Sæculari, & Regulari, ac maxima Populi frequentia, convenit; ubi repetitis pro Canonizationis decreto petitionibus nomine totius Lusitaniæ Regni à Michaële Suarez Pereyra per Joannem Baptistam Mellini Consistorialis Aulæ suæ Advocatum præfatum, decantatis sacris Precibus, & Litaniis, ac Spiritus Sancti gratia humiliter implorata, ad honorem Sanctissimæ, & Individuæ Trinitatis, & Fidei Catholicæ exaltationem, auctoritate Omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac sua, de eorumdem S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Romana Curia præsentium consilio, ac unanimi consensu, glorioſæ memoriæ Reginam Elisabetham, de cujus vitæ Sanctitate, fidei sinceritate, & miraculorum excellentia plenè constabat, Sanctam esse definivit, ac in Sanctarum Viduarum Catalogo adscribendam esse decrevit, & adscripsit, illamque ab universis Christifidelibus tanquam verè Sanctam honorari, ac venerari mandavit; statuens ab universali Ecclesia in ejus honorem Ecclesias, & Altaria, in quibus Sacrificia Deo offeruntur, ædificari, & consecrari, & singulis annis die quarta Julii, quâ ad Cœlestem gloriam translata fuit, ejus Officium, ut de Sancta Vidua, ad præscriptum Romani Breviarii celebrari posse. Eâdemque auctoritate omnibus Christifidelibus verè pœnitentibus, & confessis, qui singulis annis ad Sepulchrum, in quo corpus ejus requiescit, visitandum accessissent, festo die præfato unum annum, & unam quadragenam, in ejus verò octava quadraginta dies de injunctis eis, seù aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavit. Postremò gratiis Deo actis, quod Ecclesiam suam insigni hoc, novoque luminari illustrare dignatus esset, cantata in Sanctæ Elisabethæ honorem infrascripta à se composita oratione temporum illorum calamitatibus, ac Sanctæ Reginæ virtutibus accommodata, videlicet: *Clementissime Deus, qui Beatam Elisabetham Reginam, inter cæteras egregias dotes, bellici furoris sedandi prærogativa decorasti, da Nobis ejus intercessione, post mortalis vitæ, quam suppliciter petimus, pacem, ad æterna gaudia pervenire. Per Dominum nostrum &c.* Ad Altare Principis Apostolorum Missam celebravit cum ejusdem Sanctæ Reginæ Viduæ commemoratione, omnibusque Christifidelibus tunc præsentibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam concessit.

Solemnis Canonizatio die 24. Junii 1626.

Oratio in ejus Officio, & Missa recitanda.

§. 27. Ne autem de definitione, decreto, adscriptione, mandato, statuto, relaxatione, aliisque præmissis, pro eo quod super illis per eumdem Urbanum, ejusque Successores piæ memoriæ Innocentium Decimum, Alexandrum Septimum, utrumque Clementem, Nonum, & Decimum, Innocentium Undecimum, Alexandrum Octavum, Innocentium Duodecimum, Clementem Undecimum, Innocentium Decimumtertium, Benedictum Decimumtertium, atque Clementem Duodecimum Pontifices Prædecessores Nostros, Literæ de more conscriptæ, & promulgatæ non fuerunt, unquam possit in posterum quomodolibet hæsitari; Nos, qui iisdem Romanis Pontificibus, disponente Domino, in Cathedra Beati Petri licet immeriti successimus, volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, quod definitio, decretum, adscriptio, mandatum, statutum, relaxatio, aliaque præmissa à dicta die octavo Kalendas Julii anni millesimi sexcentesimi vicesimi sexti suum debitum sortiantur effectum, acsi super illis ipsius Urbani Prædecessoris Literæ sub datum ejusdem diei confectæ fuissent, prout superius enarratur; quodque præsentes Literæ ad probandum plenè definitionem, decretum, adscriptionem, mandatum, statutum, relaxationem, & alia præmissa ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Cæterum, quia difficile foret, præsentes nostras Literas ad singula loca, ubi opus esset, deferri; volumus, ut earum exemplis etiam impressis, manu publici Notarii subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Pontifex præsentes Litteras in forma concedit.

Quarum transumptis fidem haberi jubet.

§. 28. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam Nostrorum decreti, & voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Sanctio.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem quarto Kalendas Maji, anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo secundo, Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Dat. die 28. April. 1742.

✠ Ego Benedictus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Subscriptiones S. R. E. Cardinalium.

† *Ego T. Episcopus Ostien., & Veliternen. Card. Rufus Decanus, & S. R. E. Vice-Cancellarius.*

† *Ego A. Episcopus Sabinensis Card. S. Clementis S. R. E. Camerarius.*

† *Ego L. Episcopus Portuensis Cardinalis Picus.*

† *Ego Petrus Episcopus Tusculanus Card. Corradinus.*

† *Ego*

† *Ego V. Epiſcopus Prænestinus Card. Petra Major Pœnitentiarius.*

† *Ego Ludovicus Tit. S. Praxedis Presbyter Card. Belluga.*

† *Ego Fr. Vincentius Ludovicus Tit. S. Sixti Presbyter Card. Gotti Ordinis Prædicatorum.*

† *Ego Joseph Tit. S. Mariæ Transtyberim Presbyter Card. Accorambonus.*

† *Ego V. Tit. S. Matthei in Merulana Presbyter Card. Bichius.*

† *Ego J. Tit. S. Crucis in Hierusalem Presbyter Card. Firrao.*

† *Ego A. Tit. S. Stephani in Monte Cœlio Presbyter Card. Gentili.*

† *Ego T. Tit. S. Cæciliæ Presbyter Card. de Aquaviva.*

† *Ego D Tit. Basilicæ Sanctorum Duodecim Apostolorum Presbyter Card. Rivera.*

† *Ego P. Tit. S. Eusebii Presbyter Card. Aldrovandus.*

† *Ego F. P. M. Tit. S. Joannis ante Portam Latinam Presbyter Card. Pieri Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis.*

† *Ego D. Tit. S. Bernardi ad Thermas Presbyter Card. Passioneus.*

† *Ego S. Tit. S. Priscæ Presbyter Card. Valenti.*

† *Ego P. Tit. SS. Nerei, & Achillei Presbyter Card. de Tencin.*

† *Ego Alexander S. Agathæ Diaconus Card. Albanus.*

† *Ego N. S. Mariæ ad Martyres Diaconus Card. Judice.*

† *Ego Nerius S. Eustachii Diaconus Card. Corsinus.*

† *Ego A. S. Georgii in Velabro Diaconus Card. Mosca.*

† *Ego J. B. S. Cæsarei Diaconus Card. Spinula.*

† *Ego C. S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Card. Rezzonicus.*

† *Ego P. S. Angeli in Foro Piscium Diaconus Card. Columna.*

† *Ego C. S. Mariæ in Porticu Diaconus Card. Sacripantes.*

P. Card. Pro-Datarius.
D. Cardinalis Passioneus.
Visa de Curia,
N. Antonelkus.
J. B. Eugenius.
Registrata in Secretaria Brevium.
Publicat. die 28. Aprilis ejusdem Anni.

Indultum celebrandi Missas super Triremibus Pontificiis. LII.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Summarium rationum, & precum.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Magister Marius Bolognetti, Noster & Apostolicæ Sedis Notarius Protonotarius nuncupatus de numero participantium, Cameræ Nostræ Apostolicæ Thesaurarius Generalis, ac Classis, & Triremium Nostrarum Commissarius Generalis, quod ipse considerans, tam Officiales, & Milites, quam Nautas, & Turmam, qui super Classe Triremium Nostrarum reperiuntur, tempore Expeditionum, in littore Maris, aliisque partibus, tam Catholicis, tum communi Christiani Nominis hosti subjectis interdum longo tempore, & multoties in sollennioribus anni festis diebus, prout etiam quando in Oris maritimis Catholicorum Principum, & in illorum portubus existunt, tum propter anni tempestates sibi adversas, quæ minime permittunt Tentorium in Terra figere, & obtendere, sub quo Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrari possit, tum propter distantiam terræ firmæ, Sacrosanctum Missæ Sacrificium hujusmodi audire non posse; ut incommodis, & inconvenientibus hujusmodi, ne pietas, & devotio personarum supradictarum minuatur, occurri possit, idem Missæ Sacrificium in Triremibus præfatis celebrari facere posse plurimum desiderat. Nobis propterea dictus Magister Marius Thesaurarius Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Pontifex indulget, ut Missæ celebrari valeant super Triremibus.

§. 1. Nos igitur piis ejusdem Magistri Marii Thesaurarii Generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere, eumque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, eidem Magistro Mario, ac pro tempore existenti Cameræ Nostræ Apostolicæ Thesaurario Generali, petitam facultatem celebrari faciendi Sacrosanctum Missæ Sacrificium hujusmodi qualibet die in Triremibus nostris præfatis, tum tempore, quo Triremes hujusmodi anchoratæ sunt, in quibusvis oris, littoribus, & portubus habitatis, & non habitatis, & dummodo celebratio Missæ hujusmodi tempore navigationis facienda, dum Mare tranquillum, & Cœlum

Cum præscriptis conditionibus.

serenum reperiatur, & cum assistentia alterius Presbyteri, seu Diaconi, fiat, ita ut periculum effusionis sanguinis in dicta celebratione minimè adsit, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Data die 28. Apr. 1742.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Aprilis MDCCXLII. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

D. Card. Passionеus.

LIII.

Pro Institutione Apostolicæ Missionis in Regno Batgao in magno Thibet.

Illustri, ac Potentissimo Regi Batgao.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Illustris, & Potentissime Rex, salutem, & Lumen Divinæ gratiæ.

Desiderium Regis habendi Missionarios.

Adilecto Filio Vito Recinetensi Ordinis S. Francisci Capuccinorum faustus nuntius ad Nos pervenit, optare Celsitudinem Tuam, ut aliquot ex ea Religiosa Familia isthuc ire, & in Regno tuo commorari jubeamus, qui Populos imperio tuo subjectos Christianam fidem edoceant, dirigantque in viam salutis æternæ, quæ una à sapiente viro quærenda est, & haberi in desiderio debet. Hinc enimvero cognovimus, Celsitudinem Tuam prudentissimi ingenii vi pollere, consiliique sagacitate. Cum enim Civium tuorum felicitas expetenda Tibi sit, maximèque curandum, ut eos tuæ penitus voluntati obnoxios habeas, promptâque obedientiâ morigeros, aliam nullam in toto Orbe Terrarum Religionem invenies, quæ Regibus eorumque Magistratibus majori severitate parere jubeat, quæque implacabile magis bellum indicat vitiis omnibus, unde humana Societas, velut pestifero veneno imbuta, quam maximè labefactatur. Huc siquidem spectant tradita Nobis à Supremo Cœli Terræque Domino Nostræ Sanctissimæ Religionis auctore, agendæ vitæ præcepta, servata utique diligenter.

Quod à Pontifice commendatur, exposita Christianæ Disciplinæ præstantia.

Missionis institutio conceditur.

Itaque pro Nostra in universum genus hominum caritate, pro tuaque in Missionarios Nostros benevolentia, libenter mandavimus, ut aliquot ex eodem Capuccinorum cœtu statim ad Vos iter arripiant, ferantque in vestras Orientis partes Divinæ scientiæ lumen, ac sternant Tuæ Genti facilem munitamque viam ad Cœlestem Patriam, & ad gaudium sempiternum. Utinam verò ipse, qui Regio assensu permittis Missionariis Nostris, una commotis caritate, in id suo labore, sua pecunia, tantoque per Maris Terræque immensa spatia vitæ suæ discrimine, sedulam navare operam, exemplo præire velis subditæ Tibi Gentis docilitatem. Nihil profectò Nobis jucundius, Tibi salubrius evenire posset. In hujusmodi spem Nos adducit data tuis literis fides, eosdem Missionarios Regiæ auctoritatis præsidio fultum iri, & liberum fore, per tuum Regnum Christianam doctrinam palam prædicare, eamque amplecti nullo impedimento. Qua de re amplissimas Celsitudini Tuæ agimus gratias, Deumque idcirco bonorum omnium Auctorem assiduo studio solicite obsecrabimus, ut Tibi suo Numine propitius adsit, Teque omni cumulet prosperitate.

Et Regis Patrocinio commendatur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die prima Maji anni MDCCXLII., Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Dat. die 1. Maji 1742.

J. Vincentius Lucchesinius.

LIV.

Pro Missionis Apostolicæ Fundatione in Regno Bittiâ in magno Thibet.

Illustri, ac Potentissimo Regi Bittiâ.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Illustris, & Potentissime Rex, salutem & Lumen Divinæ gratiæ.

Missionis institutio a Rege per Litteras expetita.

Literæ Celsitudinis Tuæ, quas Dilectus Filius Vitus Recinetensis e Sacro Franciscanorum Capuccinorum Ordine repræsentandas Nobis curavit, mirifice exhilararunt animum nostrum, eumque Tibi summopere obstrinxerunt. Dum enim postulas erudiri in Christiana Doctrina populos imperio tuo subjectos, atque idcirco apud Vos sub Regia protectione diversari Missionarios Capuccinos, ingenti Nos lætitia affecisti, quippe quibus, pro commissa humilitati nostræ Suprema Ecclesiæ potestate, quàm maxime cordi est, universum hominum genus æternam consequi felicitatem; nec aliter fieri possit, quàm si Evangelica veritate imbuatur. Qua de re maximas Celsitudini Tuæ gratias agimus, precamurque Deum Optimum Maximum, ut apertus abs Te ad Cives tuos ejusdem percipiendæ veritatis aditus amplissimam Tibi tuoque Regno felicitatem afferat, eamque in primis, ut veritas ipsa pateat oculis sagacissimi animi tui. Nam intelliges, id unum sternere Tibi posse viam ad æternam salutem, & nihil ad retinendos in imperio suaviter populos, & ad vitiorum illecebras expellendas magis conducere, ac Sacrosanctam Religionem Nostram, cujus inter præcipua præcepta illud est, ut Regibus, & Magistratibus eximio studio obediri debeat, & prorsus pura mente, atque inviolatis naturæ legibus vivendum sit, unde pax publica, quies, & honestum otium exsurgit.

Christianæ Legis præstantia.

Quod ut per tuam Ditionem feliciter eveniat, jussimus isthic, ut rogas, degere aliquos Capuccinos Missionarios, ac Te auctore, tuoque Regio præsidio, in opus istud gravissimum omnes curas cogitationesque intendere. Nec dubitamus quin Celsitudo Tua ope, ac patrocinio foveat ipsorum labores, qui nullo rerum humanarum præmio, sed una ardentissima erga Vos caritate, immensa propemodum terræ marisque spatia emensi isthuc Evangelii Lucem diffundere susceperunt. Hæc autem ut & Celsitudini Tuæ fulgeat, & omni cumuleris prosperitate, vehementer cupimus atque ominamur.

Conceditur Missionis fundatio, eaque Regi commendatur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die prima Maji 1742. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Dat. die 1. Maji 1742.

J. Vincentius Lucchesinius.

LV.

Declaratur quæ fuerit mens Pontificis in Constitutionibus super Jejunio editis.

Venerabili Fratri, Andreæ Archiepiscopo Valentiæ.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Recursus Archiepiscopi ad Summum Pontificem.

Cognovimus in Fraternitatis Tuæ literis inveteratum Hispanæ pietatis morem, cui semper solemne, & proprium fuit, explicandum proponere Apostolicæ Sedi, quicquid obscuritatis ejus decreta habere videantur. Laudavimus autem Pastoralem solicitudinem, qua sedare voluisti obortam inter

aliquos

aliquos tuæ Diœcesis disputationem de sensu literarum Nostrarum, quibus quo pacto Ecclesiastici jejunii lex observanda, aut solvenda sit, constituimus. Respondemus igitur postulato tuo, Nos in iisdem literis definiendum non suscepisse, an qui Ecclesiastica auctoritate ab jejunio excusantur, non solum vetitis cibis uti, sed jussæ pariter vespertinæ abstinentiæ fines egredi queant. Præcipimus autem Episcopis, eorumque Delegatis, ut nemini vescendi carnibus aliisque Cibis vetitis veniam tribuant, nisi, sub gravi, imperata simul unicæ comestionis norma. Ita universale istud præceptum pro tua spectatissima vigilantia Gregi tuo indicendum jubeto. Interea Fraternitati Tuæ, haud ignari, qua ipse excellas religione, virtute, atque in Nos Romanamque Sedem eximia observantia, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Qui quæstionem in abstracto definire non intendit.

Sed præscribere legem concedendæ dispensationis.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XII. Maji MDCCXLII. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Dat. die 12. Maji 1742.

J. Vincentius Lucchesinius.

LVI.

Spicarum Collectio, post absolutam Messem, Pauperibus permittenda.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis Ditionis Ecclesiasticæ.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Pauperum querelæ ad Pontificem præsentem delatæ.

ACERBI planè doloris argumentum paterno cordi nostro præbuerunt clamores Pauperum, quos mense Junio superioris anni molestè accepimus, cum ad Arcem nostram Gandulphi secedentes, quæsitâ ad valetudinem saluberrimi aëris amœnitate, ad proxima eidem Arci loca diverteremus. Multorum siquidem vocibus, ac lacrymis proposita Nobis est querela contra Agrorum Dominos, qui oculos suos in terram declinantes, pio, & antiquo immutato more Pauperes, Messe jam absolutâ, Spicas colligere non patiuntur: sed illas, vel Agrorum Conductoribus aucto censu colligendas, vel gregibus animalium vorandas relinquunt, in proprium traducentes compendium piè sanctèque instituta misericordiæ præsidia. Hujusmodi querelas nostris quotidie obstrepentes auribus confirmarunt supplices Egenorum libelli, eum in finem Nobis exhibiti, ut antiqua colligendarum Spicarum libertas, non sine injuriâ sublata, auctoritate nostra in commune solatium restitueretur.

Eædem aliorum relationibus confirmantur.

§. 1. Verùm etsi hujusmodi licentia, ultra dominii jura fortasse provecta, plurimum Nos commoveret, nulloque pacto ferendam esse intelligeremus, apertis Sacrarum Literarum testimoniis; Nihilominus magni momenti negocium in aliud tempus duximus rejiciendum, ut in eo absolvendo Sacræ Scripturæ Interpretes, qui tunc Nobis deerant, facem præferrent, totâque lege, ut ajunt, perspectâ consultius aliquid deliberare possemus. Id verò longè fuit opportunum, tum quia tantum Nobis ocii, ac quietis in summa temporum difficultate postea datum est, quantum ad rem sedulò investigandam necesse fuit: Tum quia interea perspeximus, hujusmodi abusum irrepsisse in alia Ecclesiasticæ Ditionis loca magno detrimento Pauperum, qui causam suam prece, & lacrymis apud Nos tuentur.

Sacræ Scripturæ loci pro pauperibus.

§. 2. Tacti igitur intimo charitatis sensu, eò alacriores calamo manus nunc admovemus, quò clariùs, & luculentiùs constat Agrorum Dominos ad exercendam hanc in Pauperes liberalitatem Dei ipsius oraculo edoceri. Probè enim nostis, Venerabiles Fratres, scriptum *Levitici cap. 19.: Cum messueris segetes Terræ tuæ, non tondebis usque ad solum superficiem Terræ, nec remanentes Spicas colliges: Neque in Vinea tua racemos, & grana decidentia congregabis, sed Pauperibus, & Peregrinis carpenda dimittes; Ego Dominus Deus vester*: Et rursus *Deuteronomii cap. 24. Quando messueris segetem in Agro tuo, & oblitus manipulum reliqueris, non reverteris, ut tollas illum, sed Advenam, & Pupillum, & Viduam auferre patieris, ut benedicat Tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum. Si fruges collegeris olivarum, quidquid remanserit in arboribus, non reverteris ut colligas, sed relinques Advenæ, Pupillo, ac Viduæ. Si vindemiaveris Vineam tuam, non colliges remanentes racemos, sed cedent in usus Advenæ, Pupilli, ac Viduæ.*

Exemplū ex Libro Ruth.

§. 3. Illud etiam accedit, quod in libro *Ruth cap. 2.* legimus, eam Socrui suæ Noëmi dixisse: *Vadam in Agrum, & colligam Spicas, quæ fugerint manus metentium, ubicumque clementis in me Patrisfamilias reperero gratiam*; Et paulò post in Agrum Booz ingressam, Spicas collegisse, ut sacræ testantur Literæ: *Abiit itaque, & colligebat Spicas, post terga metentium*: Cum verò percunctanti Booz, quænam illa esset Mulier, Moabitidem esse responderetur; nec deessent qui testarentur, illam a primo mane ad eam usque horam spicas collegisse: *Audi* (inquit) *Filia, ne vadas in alterum Agrum ad colligendum, nec recede ab hoc loco; sed jungere Puellis meis, & ubi messuerint, sequere: Mandavi enim Pueris meis, ut nemo molestus sit tibi*: Præterea tantum pii Viri animus à contumeliis abfuit, ut eam non colligere tantùm relictas, sed & integras spicas metere passus sit, jubens ea de causa Messoribus: *Etiamsi vobiscum metere voluerit, ne prohibeatis eam*: Quare cum sese domum Ruth recepisset, tantamque frumenti copiam Socrui suæ ostendisset acceptam; illa memori ac grato animo, collectas fruges Datori censuit referendas, inquiens: *Sit benedictus qui misertus est tui.*

Interpretum, & Doctorum opiniones variæ.

§. 4. Longâ Nobis oratione uti necesse esset, si Sacrorum Interpretum, si Juris quoque Consultorum sententias eâ de re afferre vellemus; ipsis diù, multumque perquirentibus, an veteri lege cessante, permittendarum Spicarum præceptum obsoleverit: An charitatis officiosæ monitum, vel potius justitiæ exigentis imperium fuerit. Si enim ex præcepto Divinæ Legis proflueret hæc pietas in Pauperes exercenda: quæsito veluti ex præcepto jure Mulier in Agro Booz decidentes Spicas sibi vindicasset, nec ad eas obtinendas cautè inita fuissent prudentiæ, & artis ingeniosa consilia.

Pontifex hortatur agrorum Dominos ad misericordiam in pauperes.

§. 5. His consultò omissis, in id potissimum collimant nostræ Apostolicæ sollicitudinis partes, ut Agrorum Domini tanto commoti exemplo, nostrisque vocibus incensi, Pauperes exiguâ hac ope fraudari non patiantur. Meminerint, non humano labore, sed singulari Dei beneficio, qui dat escam in tempore, uberes terræ fructus comparari, & copioso veluti fœnore augeri quidquid in Pauperes piè erogatur. Quod quidem, cum sæpè in Sacris Paginis cautum sit, tum maximè pollicetur Deus in Deuteronomio Spicas Pauperibus ultrò largientibus, in iis verbis: *Ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum.*

Et horum causam commendat Episcopis.

§. 6. Injuncto tamen Apostolico muneri deesse videremur, nisi nostra etiam studia, & officia ad Vos converteremus, Venerabiles Fratres, quibus solemne semper fuit, causam Pauperum, quæ Causa Dei est, omni ope, & conatu tueri. Ideoque majori quo possumus paternæ

charitatis

charitatis sensu hortamur, & obtestamur, ut in vestram veluti clientelam suscipientes Pauperes, dignum pietate vestra zelum exhibeatis. Vestris primùm vocibus, & exhortationibus, ac mandatis etiam in singulis Diœcesum vestrarum Parochiis inter Missarum solemnia evulgandis, commendetur Egenorum causa, agnoscatque Populus, quàm turpe, ac Christiano nomini indecorum sit, messe jam absolutâ, Pauperes ab Agri finibus amoveri. Potissimùm verò intelligant Agrorum Domini, colligendarum Spicarum morem immaturo consilio sublatum fuisse in iis locis, in quibus diuturnò usu jam invaluerat, ibique restitui omninò oportere: Ubi verò pia hæc consuetudo recepta adhuc non sit, pro viribus inducatur, in solatium Egenorum, qui gravi saltem, si non extremâ laborant inopiâ, quique in difficilium temporum angustiis magis, magisque conficiuntur.

Item reliquis animarum Pastoribus.

§. 7. Demum Curatores Animarum in Populi aures, animosque ingerant, certâ non satis ratione constare, an quod veteri lege cautum est, novâ abrogatum sit: & an Pauperes quæsito ex præcepto jure, vel impetrato à misericordia beneficio, colligendarum Spicarum libertate fruantur. Plura de hoc argumento subjicere non sinit evidens æquitas Causæ: Sed afflictis Pauperum rebus solatium à perspecto zelo, & pietate vestra polliciti, Apostolicam Vobis benedictionem ex animo impertimur.

Dat. die 22. Maji 1742.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die XXII. Maji MDCCXLII. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

LVII.

De Dogmatibus, & ritibus ab Italo-Græcis tenendis, atque servandis.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Procœmium.

ETsi Pastoralis Romani Pontificis vigilantia ad omnes Christifideles longissimis etiam Locorum intervallis distantes, ac vitæ, rituum, & linguarum genere inter se maximè differentes paterna charitate sese extendat, omnemque curam, ac studium adhibeat, ut ubique Terrarum Catholicæ Fidei integritas, Ecclesiasticæ Disciplinæ nitor, probitasque morum, sarta tecta serventur; majoribus tamen Pontificiæ sollicitudinis studiis in eos intendit, qui in Ditione Ecclesiastica, & in reliquis Italiæ partibus, ejusque Insulis adjacentibus sive orti, sive aliundè advecti Incolæ commorantur. Cum itaque factum sit, ut grassantibus jamdudum per totum Orientem, tum barbarorum Infidelium immanitate, tum etiam Schismaticorum perfidiâ, plurimi ex Græcia, Epiro, Albania, aliisque Asiæ regionibus, ad Italiam, eique adjacentes Insulas, tanquam ad fidei, & tranquillitatis portum confugientes, ibidem Sedes, ac domicilium collocaverint; & tam ipsi, quàm eorum Filii, Græcorum mores, instituta, ritus, & consuetudines à Græcis Progenitoribus sibi traditas studiosè, enixèque servare pergant; ita tamen, ut debitam Romanæ Ecclesiæ obedientiam, ac devotionem omninò profiteantur; hinc est, quod Nos, qui ineffabili Dei clementia, meritis licet imparibus, ejus vicem gerimus in terris, apud quem non est Græcus, & Judæus, Barbarus, & Scytha, (omnes enim unum sunt in Christo Jesu), Græcos, & Albanenses Græci Ritus, tam in Ditione nostra Ecclesiastica, & utrâque Sicilia, quàm in reliquis Italiæ partibus, & Insulis adjacentibus, in Diœcesi Latinorum Episcoporum commorantes, specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes; omnia & singula, quæ laudabiliter provida Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum ordinatione Græcis, & Albanensibus prædictis, tum quoad rituum Græcorum, sive consuetudinum observantiam, tum quoad privilegia, immunitates, exemptiones, favores, indulta, & gratias, concessa, statuta, ordinata, indulta, & facta dignoscuntur, ut pleniorem roboris firmitatem obtineant, eòque firmius, & stabilius illibata, inconcussaque perdurent, quò sæpiùs sunt in genere, & specie Sedis Apostolicæ præsidio communita, per præsentes nostras Literas innovamus, confirmamus, & approbamus, illisque nostræ approbationis, confirmationis, & innovationis robur adjicimus; ut iisdem privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, indultis, gratiis, & favoribus, perinde ac Clerici Latini tam Sæculares, quàm Regulares, eorumque Ecclesiæ, Monasteria, & Bona in iisdem Locis, ubi Italo-Græci commorantur, utuntur, potiuntur, & gaudent, uti, potiri, & gaudere liberè possint, ac valeant; ut privilegiis, & gratiis hujusmodi sibi concessis in Domino plenè gaudentes, in tranquillitate pacis conquiescant, & per semitam mandatorum Dei gradientes, ferventiori erga Apostolicam Sedem devotione perseverent.

Causa hujus Constitutionis, & confirmatio Privilegiorum, quæ Italo-Græcis tam Sæcularibus, quam Regularibus à Sãcta Sede cõcessa fuere.

Confirmatio, & innovatio Constitutionum Apostolicarũ quoad Italo-Græcos.

Quoniam verò pro diversis rerum, ac temporum circumstantiis plures, ac diversæ editæ fuerunt ab iisdem Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, & à nonnullis Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationibus circa eosdem Græcos, & Albanenses, eorumque ritus, consuetudines, instituta, debitamque latinis Præsulibus, in quorum Diœcesi degunt, subjectionem Apostolicæ Constitutiones, ordinationes, responsa, edicta, & decreta; eamque ob causam tam de ritibus ipsorum Græcorum, & Albanensium, quàm de eorumdem Sacerdotum potestate, & Latinorum etiam Præsulum, atque Parochorum jurisdictione, & auctoritate sæpè obortæ sunt, & oborири solent quæstiones & controversiæ: Nos pro nostra Pastoralis officii sollicitudine, quantùm in Nobis est, hisce malis opportunum remedium adhibere, causasque omnes litium, jurgiorum, dissidiorum, contentionum, quæstionum, & controversiarum amputare, certamque super rebus hujusmodi tum præfatis Græcis, & Albanensibus Græci ritus, tum Latinis Episcopis, & Parochis regulam, normam, & instructionem, cui potissimùm sese in posterum conformare, & in singulis occurrentibus dubiis, & casibus inhærere debeant, tradere cupientes; omnia & quæcumque per eosdem Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac præsertim Innocentium IV., Leonem X., Clementem VII., Paulum III., Julium etiam III., Pium IV., & V., Gregorium XII., Clementem VIII., & forsan alios Romanos Pontifices circa memoratos Græcos, & Albanenses, eorumque ritus, & consuetudines ordinata, & constituta fuisse comperimus, ut quò sæpius fideles ipsi illa perspicient innovari, eò ferventius, ac promptius ad illorum observantiam excitentur; in aliis omnibus, præterquam in iis, quæ præsentibus nostris adversantur, confirmanda & innovanda, nostroque auctoritatis munimine roboranda esse censemus, & confirmamus, atque innovamus; aliaque insuper Motu proprio, & ex certa scientia, maturâque deliberatione nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura sanctione, & Constitutione, disponimus, constituimus, ordinamus, decernimus, & declaramus, prout in Domino conspicimus expedire.

De

§. I.

De Fide Catholica.

AC primò quidem cum Catholica Fides sit ejusmodi, ut nisi eam quisque integram inviolatamque servaverit, salvus esse non possit, quæcumque credit, ac docet Sacrosancta Romana Ecclesia, ea omnia, & singula iidem Græci, & Albanenses Græci Ritus integrè, firmiter, indubitanterque credere, atque affirmare tenentur; prout in Sacra Oecumenica Synodo Florentina super unione Occidentalis, & Orientalis Ecclesiæ, definitum & declaratum fuit; & in professione Orthodoxæ Fidei à Græcis jussu Gregorii Papæ XIII. Prædecessoris nostri emittenda continetur, videlicet.

De Processione Spiritus Sancti ex Patre, Filioque.

I. Quod Spiritus Sanctus à Patre, & Filio æternaliter est, & essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul, & Filio, & ex utroque æternaliter tanquam ab uno principio, & unica spiratione, procedit: Et quod ea Verborum illorum: *Filioque:* explicatio, veritatis declarandæ gratia & imminente tunc necessitate, licitè ac rationabiliter Symbolo fuit apposita.

Etsi autem Græci teneantur credere, etiam à Filio Spiritum Sanctum procedere, non tamen tenentur in Symbolo pronunciare; contraria tamen consuetudo ab Albanensibus Græci ritus laudabiliter recepta est, quam ab iisdem Albanensibus, aliisque quibuscumque, in Ecclesiis, ubi ea viget, servari volumus; quin etiam à Græcis Presbyteris aliarum quarumcumque Regionum commorantibus in Italia, ejusque Insulis adjacentibus, si ab Ordinariis Locorum, vel ob suspicionem hæresis, vel ob scandalum, vel ob aliam justam causam requisiti fuerint, particulam illam: *Filioque:* in Symbolo pronunciari præcipimus, ac mandamus.

De azymo, & fermentato.

II. Item profiteri tenentur, tam in azymo, quàm in fermentato pane triticeo, Corpus Christi veraciter confici: & Sacerdotes in alterutro ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem.

De Purgatorio.

III. Item, si verè pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis, & omissis satisfecerint, eorum animas pœnis Purgatorii post mortem purgari: & ut à pœnis hujusmodi releventur, prodesse eis Fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet Sacrificia, orationes, & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ à Fidelibus pro aliis Fidelibus fieri consueverunt, secundum Ecclesiæ instituta:

De visione beatifica Sanctorum.

IV. Illorumque animas, qui post baptisma susceptum, nullam omninò peccati maculam incurrerunt, tum illas etiam, quæ post contractam peccati maculam, vel in suis Corporibus, vel eisdem exutæ corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatæ, in Cœlum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum Trinum, & Unum, sicuti est, pro diversa tamen meritorum ratione, aliam aliâ perfectius.

De animabus in peccato actuali, mortali, vel originali decedentium.

V. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.

De Romani Pontificis Primatu.

VI. Item Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniversum Orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum Successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem, & Doctorem existere, & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam à Domino Nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in actis Oecumenicorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur.

De recipiendis, & rejiciendis cæteris quæcumque recipit, & rejicit Sancta Romana Ecclesia.

VII. Cætera item omnia, quæ à Sacris Canonibus, & Oecumenicis Conciliis, ac præcipuè à Sacrosancta Tridentina Synodo, & à Gregorio XIII. Prædecessore nostro in professione prædicta Orthodoxæ Fidei à Græcis emittenda, tradita, definita, & declarata fuerunt, indubitanter recipere, ac profiteri debent, simulque contraria omnia, & Schismata, atque hæreses quascumque, à Sancta Catholica, & Apostolica Ecclesia Romana omnium Ecclesiarum Matre, & Magistra damnatas, rejectas, anathematizatas, pariter damnare, rejicere, anathematizare, & abjurare omnino tenentur.

§. II.

De Sacramento Baptismi, Pueris baptizatis, ritusque in Baptismate susceptis mutatione.

Sacramenti Confirmationis Collatio, quæ in Euchologio Græcorum post Baptismum præscribitur, a Græcis Presbyteris est prætermittenda.

I. PResbyteri Græci baptizatos Chrismate in fronte non consignent; & ideo ab ipsis in ordine baptismi apud eorum Euchologium prætermittantur, quæ sequuntur post illa verba: καὶ μετὰ τὴν εὐχὴν &c.: usque ibi: ἔπειτα ποιεῖ ὁ ἱερεὺς σχῆμα κύκλου: hoc est: *& post orationem &c.*: ubi habetur forma hujus consignationis, usque ad illa: *Postea facit Sacerdos figuram circuli &c.*

Non sunt inquietandi Presbyteri Græci quoad formam Sacramenti Baptismi.

II. Cùm Presbyteris Græcis in Euchologio hæc Baptismi forma præscribatur: *Baptizatur Servus Dei N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti:* quæ latinæ formæ: *Ego te baptizo in nomine &c.*: æquivalet: trinâque aquæ immersione, seù aspersione in eo conferendo utantur, non sunt his super rebus à Latinis Locorum Ordinariis inquietandi.

In Unctionibus, quæ circa Baptisma fiunt, ritum suum in Euchologio descriptum sequi permittuntur.

III. Etsi Græcis in Regno Cypri commorantibus Innocentius IV. Prædecessor noster olim injunxerit, ut in unctionibus, quæ circa Baptisma fiunt, morem Ecclesiæ Romanæ teneant, & observent; Si tamen Presbyteri Albanenses ritum ungendi pectus, & dorsi medium, aures, pedes, atque manus, in Euchologio descriptum servare voluerint, ubi non est contraria consuetudo, non sunt impediendi.

Toleratur ritus ungendi per totum Baptizandorum corpora, si tolli sine scandalo non possit.

IV. Ritus autem, seu consuetudo, quam habere dicuntur Græci Orientales, ungendi per totum baptizandorum corpora, si alicubi tolli, vel removeri sine scandalo non potest, cum sive fiat, sive non, quantum ad Baptismi efficaciam, vel effectum, non multùm referat, in iisdem toleretur.

Nec refert, utrum in frigida, vel calida aqua baptizent.

V. Nec refert etiam utrum frigidâ, vel calidâ aquâ baptizent, cum in utrâque Baptismum habere parem vim, atque effectum, affirmare, & tenere dicantur.

Græci Parochi ritè Baptismũ conferunt aqua per ipsos Græco more benedicta.

VI. Si in eadem Ecclesia Infantes utriusque Ritus baptizentur, Græcus Parochus Subditis suis aquâ per ipsum Græco more benedictâ ritè Baptismum confert; ac propterea molestandus non est, si non utatur aquâ baptismali, quæ a Parochis Latinis juxta morem Romanæ Ecclesiæ adhibetur: Curent tamen Ordinarii, ut adsit aqua baptismalis latinè consecrata, quam omninò (præter casum urgentis necessitatis) Sacerdos Latinus adhibeat, quoties ei occurrerit latinos pueros ad Baptismum excipere.

Prohibentur Græci, ne Infantibus in Baptismo, nec Pueris in Missa Sacramentum Eucharistiæ ministrent.

VII. Cum administratio Sacramenti Eucharistiæ, quod sub una, vel sub utraque specie Infantibus in Baptismo, & Pueris in Missa solent Græci exhibere, nihil contra Orthodoxam fidem, bonosque mores contineat (dummodo iidem Græci credant, firmiterque teneant, communionem hujusmodi non esse necessariam ad salutem, & Baptismum sine communione validè, ac licitè posse ministrari); quia tamen ad decentiam, & reverentiam Sacramenti magis expedit, si illud eisdem denegetur: propterea ne Græci, vel Albanenses Græci Ritus Eucharistiæ Sacramentum sub una, vel sub utraque specie

Infan-

Infantibus rationis usu carentibus in Baptismo, nec Pueris in Missa ministrent, interdicimus, ac prohibemus.

Proles Parente utroque Græco progenita Græco ritu baptizetur.

VIII. Infantes nati ex Patre, & Matre Græcis, ritu Græco, nisi aliter Parentes, accedente Ordinarii consensu, voluerint, baptizari debent.

Latinè baptizetur Infans ex Patre Latino, & Matre Græca natus.

IX. Nati verò ex Patre Latino, & Matre Græca, latinis sunt cœremoniis baptizandi; Proles enim sequi omninò debet Patris Ritum, si sit Latinus.

Ex Patre autem Græco Latina Matre natus latinè Baptismum suscipere potest, si Latina Uxor prævaluerit.

X. Si verò Pater sit Græcus, & Mater Latina, liberum erit eidem Patri, ut Proles, vel ritu Græco baptizetur, vel etiam ritu Latino, si Uxor Latina prævaluerit, idest, si in gratiam Uxoris Latinæ, consenserit Græcus Pater, ut latino ritu baptizetur.

Infantes ad ejus Parochi jurisdictionem spectant, & ab eo sunt sepeliendi, si ante usum rationis decesserint, cujus ritu sunt baptizati, sive Latino, sive Græco: Et quid post usum rationis.

XI. Infantes ad ejus Parochi jurisdictionem pertinent, cujus ritu sunt baptizati, cum per Baptismum fiat suscepti ritus Græci, vel Latini professio; itaut ad Latinum ritum spectent qui latinis cœremoniis baptizati fuerint; qui verò ritu Græco Sacramentum Baptismi susceperint, in Græcorum numero sunt habendi; adeoque si ante usum rationis decesserint, a proprio, cujus ritu baptizati sunt, Parocho, & in propria Parochia sunt jure communi sepeliendi, nisi iis Baptismus collatus fuerit, vel ob gravem necessitatem, cum nimirum morti proximi fuerint, nec haberi potuerit proprii Parochi, vel ritus copia, vel ex dispensatione Apostolica, cum videlicet facultas data fuerit, ut latinè quidem baptizentur, sed in suo ritu Græco permaneant; In his enim casibus non censentur a proprio ad alium ritum transiisse. Post usum autem rationis idem dicendum; nisi quis in alieni ritus Ecclesia sepeliri cupiat; si quis enim Græco ritu baptizatus, in Latina Ecclesia, vel latinè Baptismate initiatus, in Ecclesia Græca sepulturam eligat, juris regulæ sunt servandæ: nimirum cadaver extra propriam Parochiam a proprio Parocho esse associandum, quartâ funerali ei minimè imminutâ, & ubi tumulandum est cadaver, ibi a Parocho illius Ecclesiæ, sive Latinæ, sive Græcæ sunt exequiæ celebrandæ.

Cùm Infantibus, sive adultis, ritu Græco in Ecclesia Græca sunt exequiæ celebrandæ, nullum Jus est Latino Parocho interessendi, aut partem stolæ percipiendi, & è contra.

XII. Quando verò Infantibus prædictis, seu etiam adultis, exequiæ ritu Græco, & in Ecclesia Græca, ut præfertur, jure communi sunt celebrandæ, tunc nullum jus habet Latinus Parochus interessendi cum Græco Parocho, nec partem aliquam Stolæ percipiendi; similiter nullum jus competit Parocho Græco, quando exequiæ in Ecclesia Latina, & per Latinum Parochum sunt peragendæ; sed servanda sunt utrobique Statuta de juribus Parochorum circa sepulturam eorum, qui ad propriam Parochiam spectant.

In quo quis ritu est baptizatus, in eo educari, & vivere debet: Ritus Latinus semel assumptus deseri nequit.

XIII. Quem ritum semel in baptismo sunt professi, sive Latinum, sive Græcum, in eo institui, & educari debent, nec ad alium possunt transire, si Latinum semel susceperint; ritus enim Latinus propter suam præstantiam, eo quod sit ritus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ omnium Ecclesiarum Matris, & Magistræ, sic supra Græcum ritum prævalet, maximè in Italicis regionibus, ubi latinis Episcopis Græci subjecti sunt, ut non modò ab ipso ad Græcum transitus nullatenus permittatur; verùm etiam a Græcis semel assumptus, absque Apostolica dispensatione deseri nequeat.

Quando de ritu Græco ad Latinum transire liceat.

XIV. Quod si Infans Græcum ritum in Baptismate susceperit, tunc requirendus est primùm Patris Græci consensus, deinde Episcopi Latini licentia, ut possit Mater Latina Filium suum Græcè baptizatum ad latinas cœremonias traducere. Adultis autem, si quidem sunt Ecclesiastici, in quocumque Ordine minori, vel etiam majori constituti, Sæculares, vel Regulares, a ritu Græco ad latinum sine expressa Sedis Apostolicæ licentia transire non liceat: si Laici, ut ad ritum latinum transire possint, Episcopus Diœcesanus pro sua prudentia permittere valeat; Non tamen Communitati Græcorum, sive Albanensium hujusmodi, sine Sedis Apostolicæ licentia, sed solùm privatis personis, attenta uniuscujusque necessitate.

§. III.

De Sacramento Confirmationis.

Episcopi Latini Infantes à Græcis Presbyteris baptizatos, & absolutè Chrismate confignatos confirment.

I. Episcopi Latini Infantes, seu alios in suis Diœcesibus baptizatos a Presbyteris Græcis absolutè Chrismate in fronte consignatos confirment; cum neque per Prædecessores nostros, neque per Nos Græcis Presbyteris in Italia, & Insulis adjacentibus, ut infantibus baptizatis Sacramentum confirmationis conferant, facultas concessa sit, aut concedatur; quin imo usque ab anno 1595. a fel. rec. Clemente VIII. Prædecessore nostro fuit Presbyteris Italo-Græcis expresè interdictum, ne baptizatos Chrismate consignent.

Sub conditione autem, si verosimiliter dubitari potest, quod ab Episcopis Græcis fuerint baptizati.

II. Secus sub conditione, & cum cautela eos confirmare debent, de quibus verosimiliter dubitari potest, utrum ab Episcopis Græcis ordinem Baptismi juxta eorum Euchologium servantibus, fuerint baptizati.

Idem dicendum si Episcopus Latinus ordinet aliquem Græcum ab Episcopo Græco baptizatum, de quo non constet fuisse Chrismate consignatum.

III. Idem dicendum, si Episcopus Latinus ex dispensatione Apostolica Græcum aliquem ordinaverit, qui a Præsbytero Græco in Italia, vel adjacentibus Insulis fuerit baptizatus, nec constet, illum ab aliquo Episcopo, sive Latino, sive Græco, chrismate in fronte fuisse consignatum; debet nimirùm illum antea absolutè confirmare; sub conditione autem, si verosimiliter dubium esse possit, an ab Episcopo Græco fuerit baptizatus.

Confirmati a simplici Sacerdote cogendi non sunt recipere ab Episcopo Confirmationis Sacramentum.

IV. Quamvis confirmati a simplici Sacerdote, cogendi non sunt ejusmodi Confirmationis Sacramentum ab Episcopo suscipere, si ex tali coactione scandala oriri possent; cum Sacramentum Confirmationis ejusmodi necessitatem non habeat, ut sine eo salvus quis esse non possit; monendi tamen sunt ab Ordinariis Locorum, eos gravis peccati reatu teneri, si cum possunt ad confirmationem accedere, illam renuunt, ac negligunt.

Ubi Græcus Catholicus Episcopus haberur, Sacramentum Confirmationis Episcopi Latini non administrent.

V. Ubi Græcus Catholicus Episcopus haberi potest, prout habetur constitutus in Collegio Corsino Italo-Græcorum in Calabria, curent omninò latini Ordinarii, ut ab illo potius Græcis cœremoniis juxta Græcum Euchologium, quàm a se latino ritu, Sacramentum Confirmationis Subditis suis Græco ritu viventibus Chrismate a Latinis Episcopis accepto ministretur, ne scilicet Ecclesiarum ritus, quoad fieri potest, misceantur.

§. IV.

De Oleo Sancto Chrismatis, Catechumenorum, & infirmorum.

Non sunt cogendi Presbyteri Græci, præter Chrisma, alia Olea sancta ab Episcopo Latino accipere.

I. Non sunt cogendi Presbyteri Græci Olea Sancta, præter Chrisma, ab Episcopis Latinis Diœcesanis accipere, cum hujusmodi Olea ab eis in ipsa Oleorum, & Sacramentorum exhibitione, ex veteri ritu, conficiantur, seu benedicantur; nisi tamen contraria consuetudo introducta sit, quam servari volumus, ac mandamus. Chrisma autem, quod nonnisi ab Episcopo, etiam juxta eorum ritum, benedici potest, cogantur accipere.

Prohibeantur Chrisma accipere ab Episcopis Schismaticis.

II. Non audeant tamen ab Episcopis Græcis externis Schismaticis, seu S. R. E. communionem non habentibus, illud accipere, vel eo uti.

Item à quocumque alio Episcopo etiam Catholico, præter Ordinarium Latinum.

III. Item abstineant Chrisma accipere à quocumque alio Episcopo Latino, seu Græco Catholico, præter suum Ordinarium Latinum, cujus jurisdictioni subjiciuntur.

§. V.

De Sacramentis Pœnitentiæ, & extremæ Unctionis.

Unctio non est sufficiens satisfactio pœnitentiæ.

I. NUlli per Sacerdotes, vel Confessarios, pro satisfactione pœnitentiæ, unctio aliqua solummodò injungatur.

Extrema Unctio infirmis exhibenda.

II. Infirmis verò, juxtà verbum Jacobi Apostoli, unctio exhibeatur extrema.

Per unum, vel plures Presbyteros administrari potest.

III. Nec refert, utrum eadem Extrema Unctio per unum, vel plures Presbyteros fiat, ubi hujusmodi viget consuetudo; dummodo credant, & asserant, illud Sacramentum, servata debita materia, & forma, ab uno Presbytero validè, & licitè confici.

Qui ungit, idè formam proferat Sacramenti.

IV. Idem Sacerdos materiam adhibere, formamque pronunciare respectivè debet; ac propterea, qui ungit, idem dicat formam respondentem, nec alius ungat, & alius formam pronunciet.

Forma absolutionis in Concilio Florentino præscripta utantur.

V. In casu necessitatis Presbyteri Græci Catholici possunt latinos absolvere; utantur tamen forma absolutionis in Concilio Generali Florentino præscripta, postea verò, si voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma hujusmodi absolutionis dicere tantùm consueverunt.

Extra necessitatis casum, prudentiæ, & arbitrio Ordinariorũ relinquitur, ut Presbyteri Albanenses Latinorum etiam confessiones excipere valeant.

VI. Extra verò casum necessitatis, si quos ex Presbyteris Albanensibus peritos, & ad confessiones omnium audiendas idoneos Ordinarius Latinus judicaverit, ut non solum Græcos, sed etiam Latinos ad se accedentes possint absolvere, id eorumdem Ordinariorum prudentiæ, & arbitrio relinquitur.

Sacerdotes Conjugati possunt, & curam suscipere Parochiarum, & Parochianorum confessiones audire.

VII. Sacerdotes quoque Conjugati, aliique, quibus Parochiarum cura, vel Ecclesiarum Parochialium regimen per Episcopos suos committitur, licitè, & liberè possint Parochianorum suorum confessiones audire, ipsisque pœnitentiam injungere pro peccatis; quia cui licet, vel conceditur, quod est majus, competit quoque, nec negari convenit, quod est minus.

Ecclesiarum Parochialiũ regimini præficiendi sunt, qui in Seminariis Italo-Græcorum, seu Albanẽsium trium ad minus annorum spatio versati sunt.

VIII. Ecclesiarum Parochialium regimini præficiant Ordinarii Latini, si habere possunt, eos, qui in Seminariis Italo-Græcorum erectis, altero quidem Panormi, altero autem in Calabria in Oppido Sancti Benedicti Ullano, vel in Collegio Græcorum in Urbe, trium ad minus annorum spatio versati sunt, Studiisque literarum incubuere; dummodo cætera ad curam animarum exercẽndam requisita non desint, atque Episcopis ejusdem Seminarii Præsidis, seu respectivè Rectoris literas exhibeant, quæ de recta eorum vitæ ratione, deque in Græcis, Latinisque scientiis progressu testimonium ferant.

Possunt Ordinarii Latini alios Presbyteros idoneos Parochis Græcis, velut Coadjutores, & Cooperatores, adjungere.

IX. Liberum tamen sit ipsis Episcopis, Viros alios idoneos Coadjutores, & Cooperatores Parochis Græcis, si opus fuerit, adjungere in audiendis confessionibus, & pœnitentiis injungendis, ac cæteris, quæ ad salutem pertinent animarum; ipsisque in his per eorum Diœceses absque Sacerdotum ipsorum præjudicio, & gravamine, committere vices suas, cum propter occupationes multiplices, & occasiones varias, possit contingere, ut nequeant per easdem Diœceses officium suum exequi per se ipsos.

Monachis Græcis, nisi ex justa causa, non est cura animarum committenda.

X. Nunquam Monachis Græcis, seu Calògeris, Animarum cura committatur, nisi ex necessitate, vel aliâ justâ causâ.

Presbyteri Sæculares advenæ, abjuratis erroribus, & Schismate, in Parochos Græcorum institui possunt.

XI. Presbyteri Sæculares Græci ex Albania, vel aliis Orientis partibus advenientes, abjuratis Schismate, & erroribus, atque in fide Catholica benè instructi, in Parochialibus, seu Curatis Ecclesiis Græcorum institui possunt.

Vir, & Uxor non debent simul confiteri.

XII. Tollendus abusus, ubi est, ut vir, atque uxor simul, & eodem tempore eidem Presbytero confiteantur.

Aquæ benedictæ usus.

XIII. Aqua ex ritu Græco in die Epiphaniæ, vel primo die mensis benedicta, conservetur in Ecclesia, ut illa Fideles adspergantur.

§. VI.

De Sacramento Eucharistiæ, & Missæ Sacrificio.

Sacerdotes ad Sacramentum Pœnitentiæ frequenter accedant; cum præsertim Divinum Sacrificium sunt peracturi.

I. SAcerdotes ad pœnitentiæ Sacramentum frequenter accedant, ut cum Divinum Mysterium peracturi sunt, nulli coram Deo crimini sint obnoxii; sed cor habeant omni pravitate vacuum, mundum, quoad fieri potest, ac purum: Indignum enim, ac auribus planè horrendum est, ut qui animum habet aliquo scelere fœdatum, Sanctum Sanctorum impuris manibus contrectet, & placare Deum attentet, qui in peccatis existens, ipsius Dei furorem, & iracundiam provocat.

Permittitur etiam, ut aquam ferventem in calicem infundant.

II. Item permittitur eisdem, facta jam consecratione, antequam Sacerdos communicet, juxta ritum in Liturgia præscriptum, aquam ferventem, seu tepidam in Sacrum Calicem infundere.

Interdicitur abusus tundendi, vel exsiccandi species Sacramenti Eucharistiæ.

III. Tollatur abusus tundendi, vel etiam miscendi Sacro Oleo, ac iterum coquendi, vel aliàs exsiccandi species Sacramenti Sacræ Eucharistiæ Feriâ quintâ Cœnæ Domini, ut deinde illud asservent.

Eucharistia pro infirmis renovanda singulis octo, aut quindecim diebus.

IV. Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, quod pro Infirmis asservatur, singulis octo diebus, aut saltem quindecim renovetur.

Non asservanda toto anno.

V. Non asservetur idem Sacramentum toto anno: Si tamen asservatum fuerit, in fine anni sumatur.

Servandus Græcorum ritus in celebratione Missarum sub certis conditionibus.

VI. In celebratione Solemnium, & aliarum Missarum, & de hora celebrandi eas, dummodo in confectione, vel consecratione formam verborum à Domino expressam, & traditam observent, & celebrando non transgrediantur horam nonam, suam sequi consuetudinem permittantur: ita tamen, ut jejunii lex de unica comestione in die religiosè servetur; & si alicubi viget consuetudo producendi jejunium cum Missa usque ad vesperam, minimè aboleatur, sed in suo robore, ac firmitate permaneat.

Ne Monachi iter agentes Eucharistiam secum ferant.

VII. Si inter Græcos, qui in Italia, & Insulis adjacentibus degunt, viget abusus, quem in Orientalibus regionibus vigere perhibent, ut Monachi Eucharistiæ particulam suspensam ad collum, vel aliter secum deferant, necnon in privatis Domibus, ubi eos commorari contingat, retineant, ut eo auxilio freti, liberi à quibuscumque periculis evadant; vel cum in longiora itinera se committunt, eâ refici valeant; eum omninò aboleri volumus, & expresè mandamus: præfatisque Monachis, ne id in posterum facere audeant, severissimè prohibemus. Obsequium enim, ac reverentia, quâ singuli Fideles Augustissimum hoc Sacramentum prosequi debent, non patitur, ut privatim ac latentur, cujuscumque arbitrio & voluntate, domi illud retineatur, aut in itineribus, ac peregrinationibus asportetur.

Permittuntur Græci Presbyteri suum servare ritum, nonnisi semel in die super uno, eodemque Altari Missam celebrandi, & prohibentur Sacerdotes Latini in Parochialibus ipsorum Græcorum Ecclesiis Missas, & Divina Officia celebrare.

VIII. Cum in Parochialibus Ecclesiis ipsorum Græcorum, ex antiquissimo, & hactenus servato ritu, nonnisi semel in die per unum Sacerdotem celebrare liceat, permittitur quidem Presbyteris Græcis suum, si velint, morem hac in parte servare: Interdicitur autem Latinis Sacerdotibus, ne Missas, & alia Divina Officia in dictis Græcorum Ecclesiis, & super eorum Altaribus Majoribus, extra casum alicujus necessitatis, & aliorum Altarium, Ecclesiarumque defectus, & nisi ex Parochi Græci consensu, quem nullatenus hujusmodi in casibus negare possit, celebrent.

Conceditur Presbyteris Græcis, & Albanensibus, ut in Ecclesiis suis præter Altare majus,

IX. Quia tamen ipsi Græci, & Albanenses Presbyteri Nobis humillimè supplicarunt, ut sibi liceat pro Sacerdotum numero plures in die in suis Ecclesiis Missas celebrare: Nos ipsorum precibus annuere volentes, per præsentes nostras concedimus, ac indulgemus, ut in suis

alia quoque Altaria erigant, in quibus ipsi Græci, vel Latini Missis celebrare possint.

Prohibentur Græci celebrare ritu Latino, & Latini ritu Græco.

Parochialibus, vel aliis Ecclesiis, præter Altare Majus, alia etiam minora Altaria, seu Cappellas, Sacris Indumentis Græcorum, seu Latinorum more, ornata, seu ornatas, erigant, in quibus Latini, vel Græci Presbyteri respectivè suo quisque ritu celebrare valeant.

X. Cum in Sacro Generali Florentino Concilio præscriptum sit, ut unusquisque Sacerdos Eucharistiam juxta Ecclesiæ suæ ritum, sive Latinæ, sive Græcæ, in azymo, seu fermentato conficere debeat, vetitumque à Summis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, ne Latinus Sacerdos Græco ritu, aut Græcus Latino utatur; districtius inhibemus, etiam sub pœnis perpetuæ suspensionis à Divinis, ne Presbyteri Græci Latino more, & Latini Græco ritu, sub quovis licentiarum, & facultatum Missas, & alia Divina Officia, Græci Latino more, & Latini Græco ritu celebrandi, ab Apostolica Sede, vel ejus Legatis, ac etiam Majori Pœnitentiario pro tempore existente obtentarum prætextu, Missas, & alia Divina Officia celebrare, vel celebrari facere præsumant.

Prohibet, ne Latinus Parochus Pyxidem in Ciborio cum Particulis sub specie fermentati pro communione Græcorum, aut Parochus Græcus sub specie azymi pro communione Latinorum retineant.

XI. Eadem quoque ratione, tam ubi sunt duæ Parochiæ, Latina altera, & altera Græca, quàm in una eademque Parochiali Latinorum, vel etiam Græcorum Ecclesia, in qua, ut præmittitur, præter Altare majus, quod pro solis Græcis Sacerdotibus erectum est, minora quoque Altaria pro Latinorum Sacerdotum usu extructa conspiciuntur, statuimus, & decernimus, ut neque Latinus Parochus Pyxidem in Ciborio cum Particulis sub specie fermentati pro communione Græcorum, neque Parochus Græcus sub specie azymi pro communione Latinorum, in quocumque Ecclesiæ suæ Altari retineat; sed unusquisque Sacerdos nonnisi in suo sive Græco, sive Latino ritu Eucharistiam Fidelibus porrigere debeat.

Præcipit Laicis Latinis, ne unquam sub specie fermentati communicent.

XII. Ne Laici autem Latini communionem à Græcis Presbyteris sub specie fermentati recipiant, prohibemus omninò, & interdicimus.

Permittit Græcis Laicis, ut ubi propriam Parochiam non habent, possint communicare in Ecclesia Latina sub specie azymi.

XIII. Græcis tamen Laicis permittimus, ut ubi Parochiam Græcam non habent, possint, si velint, in Ecclesia Latina Eucharistiam sub specie azymi à Latinis Sacerdotibus sumere.

Contrariam consuetudinem curent Ordinarii Locorum suavissimis modis tollere.

XIV. Quod si in Locis, in quibus Græci, & Latini simul moram trahunt, & sunt utriusque ritus Ecclesiæ, Latini quidem in Fermentato, & Græci in azymo Sacram Eucharistiam quandoque sumere soleant; si quidem hæc consuetudo sine Populi offensione, animorumque commotione removeri non potest, Ordinarii curam suam suavissimis modis impendant, ut Latini semper in azymo, Græci autem, ubi propriam Parochiam habent, in fermentato communicent.

Communio sub utraque specie permittitur in illis dumtaxat Locis, in quibus hactenus fuit introducta.

XV. Ut autem iidem Laici Græci Eucharistica sub utraque specie communione refici valeant, permittimus, in illis dumtaxat Locis, in quibus ejusmodi ritus introductus est, & ad præsentem usque diem servatur, ac viget: ita tamen, ut sub altera tantùm specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi firmiter credant, ac propterea, quoad fructum attinet, nullâ gratiâ ad salutem necessaria eos fraudari, qui unam speciem solam accipiunt: ubi verò præfatus ritus consuetudine hactenus receptus non est, Episcopis, quorum jurisdictioni Græci subjiciuntur, curæ sit, ne in posterum admittatur.

Indulget Presbyteris Græcis, seu Albanensibus, ut præter Dominicas, & Sabbata, in reliquis Feriis Quadragesimæ, excepto ultimo triduo ante Pascha, possint Missas integras celebrare; Sic tamen, ut ab Hebdomadario, seu Parocho Missa Præsanctificatorum non omittatur.

XVI. Volentes autem specialem ipsis Græcis, & Albanensibus Presbyteris gratiam facere, tenore præsentium, ut tempore jejunii quadragesimalis, quo, exceptis Dominicis, Sabbatis, & nonnullis solemnioribus festivitatibus, ex antiquo more, nonnisi Missa Præsanctificatorum celebratur, Græci, & Albanenses prædicti, servato tamen, nec prætermisso in Parochialibus Ecclesiis Præsanctificatorum ritu, in aliis Altaribus, seu Ecclesiis, sive Capellis, pro sua, ac Fidelium Populorum devotione, Missas integras quibuslibet hebdomadæ diebus, ac præsertim cum dies Festi de præcepto Latinæ Ecclesiæ occurrunt, quos observare tenentur, excepto postremo majoris hebdomadæ triduo, celebrare possint, & valeant, concedimus, & indulgemus.

Possunt, si velint, Græci Altaria portatilia à Latinis accipere.

XVII. Si Græci velint accipere Altaria portatilia ab Episcopis Latinis consecrata, benè erit; sin minus, tolerentur eorum antimensia, sive Throni, super Altaria lapidea ponendi, cum celebrant.

Græci Thronis pro corporalibus uti possunt.

XVIII. Corporalia ut Latini habeant, nisi Thronis etiam pro corporalibus utantur.

Presbyteris Latinis non licet super Antimensio Græcorum Sacrum facere, si careant proprio Altare lapideo portatili.

XIX. Latinis Presbyteris Latino ritu in Græcorum Catholicorum Ecclesiis celebrantibus, si careant proprio Altari portatili lapideo, super Antimensiis, seu Thronis Græcorum Sacrum facere non licet.

De Vestibus, & aliis Sacris.

XX. Unusquisque Sacerdos in aureo, vel argenteo solùm, aut saltem stamneo Calice sacrificet, habens Thronos, seu Corporale de lino, candidum, & nitidum, & Altare mundis vestimentis opertum, vel decenti paratu ornatum.

De Mulierum servitio ad Altare.

XXI. Mulieres autem servire ad Altare non audeant, sed ab illius ministerio repellantur omninò.

§. VII.

De Sacramento Ordinis.

Ut Græci à Græcis Episcopis ordinentur.

I. Romani Pontifices Prædecessores nostri necessitatibus Italo-Græcorum occurrere volentes, ut commodè possent à proprii ritus Præsulibus ad Ordines promoveri, simulque caventes, ne si ab Ordinariis Latinis ad Græcos Antistites in Græciam, vel Epirum, aut alias Orientis partes cum dimissoriis remitterentur, ad Schismaticos Episcopos pro ordinatione confugerent, constituerunt: Clemens quidem VIII. anno 1595. Romæ habendum esse Episcopum Græcum Catholicum, qui Græcos Episcopis Latinis Italiæ, & adjacentium Insularum subjectos Sacris Ordinibus initiaret: Clemens verò XII. anno 1735., ut Italo-Græcorum in utraque Sicilia commorantium commodis consuleret, alterum ejusdem Græci ritus Episcopum in Seminario Corsino à se in Calabria erecto, propter Græcorum hujusmodi Ordinationes, manere jussit, quorum laudatissimum Institutum Nos quoque per præsentes nostras perpetuò valituras Literas confirmamus, & innovamus.

Ecclesiasticum Beneficium, vel Patrimonium, ad Sacros Ordines promovendis necessarium.

II. Ne quis Clericus Sæcularis ritus Græci, quamvis aliàs sit idoneus moribus, scientia, & ætate, ad Sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitimè constet, eum Ecclesiasticum Beneficium, vel Patrimonium, quod sibi ad vitam honestè sufficiat, pacificè possidere: ac propterea deficiente titulo Beneficii, per legitima documenta Ordinarium suum certiorem reddere debet de sufficienti Patrimonio, ut valeat Sacris Ordinibus initiari: loco autem dicti Patrimonii, nec Clericus Uxoris suæ dotem assignare præsumat, nec Ordinarius eam recipere audeat.

Nemo ex Græcis, seu Albanensibus, ad Ordines promoveatur, qui trium saltem annorum spatio in Seminario Græcorum non fuerit commoratus.

III. Quemadmodum etiam nemo ex Græcis, seu Albanensibus in Calabria, & Sicilia commorantibus ad sacra ministeria assumatur, qui trium saltem annorum spatio, Græcis, Latinisque literis non dederit operam in altero ex Seminariis Italo-Græcorum, vel in Collegio Græcorum in Urbe.

De examine Ordinandorum.

IV. Promovendi ad Sacerdotium, & Presbyteri, qui præficiendi fuerint Ecclesiarum Regimini, examinentur antea diligenter, si præcipuè de Horis Canonicis, & Missarum Officiis secundum distinctionem temporum exequendis sint sufficienter instructi, ut ad hæc nonnisi digni admittantur.

V. Sacer-

De Horis Canonicis.

V. Sacerdotes, & quicumque sunt in Sacris Ordinibus constituti, Horas Canonicas more suo dicant: & priusquam Missam celebrent, Officium matutinale recitare curent.

Episcopi Græci in Ordinibus conferendis Euchologio Græco utantur.

VI. Episcopi Græci in Ordinibus conferendis ritum proprium Græcum in Euchologio descriptum servent, in quo, etsi nonnulli de Minoribus Ordinibus prætermissi videantur, eos tamen vel nunquam habuisse, vel eorum exercitium aliis Ordinibus esse adnexum iidem Græci affirmant.

Quidam Ordines ritu Latino supplendi sunt ab eo, qui ritu Græco aliquos Ordines suscepit.

VII. Inde tamen dubitationes quandoque oriri solent, quinam nimirum Ordines supplendi sint ab eo, qui primùm ritu Græco aliquibus Ordinibus fuit initiatus, deinde ritu Latino ad reliquos est promovendus. Quas controversias ut de medio penitùs tollamus, certamque tradamus regulam in posterum servandam, ita decernimus; si quis ritu Græco Clericus, & Lector tantùm fuit initiatus, atque ex benignitate Sedis Apostolicæ obtinuit, ut Majores Ordines latinis cœremoniis sibi conferantur, is antequam Subdiaconus ordinetur, tres minores Ordines omissos debet ritu Latino suscipere. Si verò, præter Lectoris Ordinem, ad Subdiaconatum etiam Græco ritu ascendit, & ex dispensatione itidem Apostolica facultas sibi facta sit, cæteros Ordines ritu Latino suscipiendi, antequàm inter Diaconos cooptetur, ex minoribus Ordinibus Exorcistatum tantummodo supplere cogitur; cum per Subdiaconatum Græco ritu collatum, Acolythatum, & Ostiariatum recepisse censeatur. Idem dicendum de eo, qui una cum reliquis inferioribus Ordinibus, Diaconatum, aut etiam Presbyteratum Græcè suscepit, & Latino postea ritu ad Sacrum Presbyteratus respectivè Ordinem, aut Episcopatum promovendus sit, ex Apostolica concessione: nimirum Exorcistatus Ordinem in ipso, antequam Presbyter ordinetur, aut Episcopus consecretur, esse supplendum.

Non ordinentur, nisi cum dimissoriis Latini Ordinarii.

VIII. Græci sine Literis dimissoriis Episcopi Latini Diœcesani nullatenus ad primam Tonsuram, vel aliquem Ordinem recipiendum admittantur.

De suspensione, & irregularitate.

IX. Promoti ad primam Tonsuram, vel ad alium quemcumque Ordinem sine Dimissoriis Latini Ordinarii, suspensi sint; & si suspensi in Sacris Ordinibus ministraverint, efficiuntur irregulares, sicut & Latini.

Solus Papa in Irregularitatibus dispensat.

X. Super hujusmodi autem, & similibus irregularitatibus dispensandi facultatem à Sancta Sede Apostolica obtineri oportet.

Episcopi Schismatici nec Ordines, nec alia Sacramenta conferant.

XI. Non sunt admittendi Episcopi Schismatici sive pro Ordinibus, sive pro aliis Sacramentis conferendis, sed impediendi, quoad Sancta Sedes Apostolica desuper consulatur, & responsum habeatur.

De Episcopis Græcis Catholicis.

XII. Quos verò communionem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ habere constiterit, eis Pontificalia exercendi facultatem Ordinarii Latini in suis Diœcesibus liberè concedere possunt.

De Ordinatis à Schismaticis.

XIII. Ordinati ab Episcopis Schismaticis aliàs ritè ordinatis, servatâ debitâ formâ, recipiunt quidem ordinem, sed non executionem.

De eorumdem absolutione.

XIV. Proinde ipsi Ordinati ab Episcopis Schismaticis, correcti, vel emendati reconciliandi sunt, & absolvendi, cum pœnitentiis salutaribus, dummodo errores, si quos amplexi fuerint, sin minus Schisma Ordinatoris abjurent in judicio, vel publicè, vel secretò pro qualitate facti.

Et dispensatione super Irregularitate.

XV. In ordinibus autem per eos aliàs ritè susceptis ministrare non permittantur, nisi cum ipsis super irregularitate, hujusmodi occasione contracta, auctoritate Sanctæ Sedis Apostolicæ fuerit dispensatum.

Interstitiorum lex cum Græcis, seu Albanensibus relaxatur.

XVI. Cum ex Ecclesiæ disciplina a Græcis olim recepta, promoti ad aliquem Ordinem Sacrum, si per aliquod temporis intervallum in eo non fuerint versati, ad altiorem gradum ascendere non possint, quò nimirum Ordinandorum fides, morumque probitas eo temporis spatio cognosci valeat; qua lege Græci, seu Albanenses in Italia, & Insulis adjacentibus commorantes dubio procul tenentur: Nihilominus cum prædicti Græci, seu Albanenses Ordinarios suos, quibus subjiciuntur, habeant latinos, a quibus tanquam alieni ritus sacris ordinibus initiari prohibentur; ac proinde cum Romam, vel in Calabriam, ubi sunt Episcopi a Sancta Sede Apostolica ad Ordinationes ritu Græco exercendas deputati, repetitis vicibus, non sine quamplurimis incommodis, & expensis, ad Sacros Ordines juxta temporum intervalla suscipiendos sese conferre deberent, Nos eosdem Græcos, seu Albanenses gratiis, & favoribus prosequi, eorumque incommodis consulere volentes, de Apostolicæ plenitudine potestatis, præfatis Episcopis Græcis Romæ & in Calabria pro tempore degentibus, licentiam, & facultatem impertimur, ut Græcos, seu Albanenses hujusmodi ex longinquis regionibus accedentes, qui Minoribus, sive Majoribus Ordinibus initiari cupiunt, ad omnes Ordines promovere in posterum valeant tribus diebus festivis, non autem continuis, sed aliquo temporis intervallo Antistitis ordinantis arbitrio separatis, non servata Interstitiorum lege, nec requisita ad hoc ab iis, qui initiantur, suorum respectivè Ordinariorum Latinorum licentia, sive dispensatione.

Tribus diebus festivis, non tamen continuis, si ex longinquis regionibus se conferant ad Ordines suscipiendos ordinari possunt.

XVII. At cum illis Græcis, seu Albanensibus, qui domicilium habent, seu aliàs commorantur in ea Provincia, in qua Episcopus ritus Græci solet sacras ordinationes exercere, ad quem propterea sine gravi incommodo per temporum intervalla accedere possunt, ab interstitiorum lege minimè dispensamus, præterquam cum Alumnis, & Convictoribus ritus Græci Collegii Græci Urbis, & Italo-Albanensium, in Calabria, & Sicilia, si eorumdem Collegiorum necessitas, vel utilitas, arbitrio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Administratoris, & Protectoris præfati Collegii Græcorum Urbis, & Episcopi præsidentis, seu Rectoris utriusque Collegii Italo-Albanensium prædicti respectivè pro tempore existentium exegerit, ut præfati Alumni, & Convictores absque temporis intervallo tribus diebus festivis, non tamen continuis, ut præfertur, ad Ordines promoveantur; quo casu eos sic initiari posse, plenam facultatem facimus, atque concedimus.

Non tamen dispensatur cum illis, qui domicilium habent, seu commorantur in ea Provincia, in qua Episcopus ritus Græci solet Sacras Ordinationes exercere.

Alumni, & Convictores Colleg. Græcorũ Urbis, & Italo-Græcorum in Calabria, & Sicilia, tribus diebus festivis ordinari possunt, si Collegiorum utilitas, vel necessitas exegerit.

XVIII. Illis autem, qui non servatâ Interstitiorum lege, sunt hactenus bona fide ordinati, ex Apostolica benignitate etiam concedimus, ut in susceptis, Ordinibus ministrare, & ad majores etiam servatis servandis ascendere, absque alia dispensatione valeant.

Cum iis, qui, non servata interstitiorũ lege, sunt hactenus bona fide ordinati, dispensatur, ut in susceptis Ordinibus ministrare valeant, & ad majores etiã ascendere.

XIX. Quod tamen de ætate Ordinandorum a Sacrosancto Tridentino Concilio præscriptum est, omninò servari volumus. Nullus proinde ex prædictis Græcis, seu Albanensibus ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum suæ ætatis annum absque Apostolica dispensatione promoveatur. Præfatorum autem Græcorum Præsulum conscientiam oneramus, ut dignos dumtaxat, & quos literis, & iis, quæ ad Ordines exercendos pertinent, bene instructos esse noverint, ad sacra ministeria assumant.

Quoad ætatẽ Ordinandorum servandũ est, quod a Sacrosan. Trident. Synodo est præscriptum.

XX. Ut in Ordinibus conferendis quælibet rituum confusio, & commixtio penitus tollatur, & unius ritus Antistes alterius ritus Clericos initiare in posterum minimè valeat; sub perpetuæ suspensionis a Divinis, pœnis prohibemus, ne Latinus quicumque Episcopus etiam subjectos suæ jurisdictioni Græcos, neque Græcus quilibet Antistes Latinos quovis prætextu, sine speciali Sedis Apostolicæ licentia, ad primam Tonsuram,

Latinus Antistes Græcos etiam sibi subjectos Ordinibus initiare prohibetur, sic etiam Græcus Episcopus Latinos ordinare non debet.

Tonſuram, vel ullum Ordinem ſive Minorem, ſive Majorem promovere præſumat; alioquin tam Ordinans, quàm Ordinatus, perpetuam, ut præfertur, ſuſpenſionem ſe ſubituros intelligant.

Prohibet Latinos ex Latinis progenitos, ac Latino ritu educatos, juxta ritum Græcum ſub ſpe retinendi Uxores, ad Sac. Ordines promoveri, etiam in locis, ubi Græcus ritus ſervatur.

XXI. Maximè autem neque permittendum, neque ullo modo tolerandum, ut Latini ex Latinis progeniti, ac latino ritu educati, qui continentiam profiteri nolunt, juxta ritum Græcum, ſub ſpe retinendi Uxores, ad Sacros Ordines a quocumque Antiſtite quavis auctoritate fulgente promoveantur, tam in locis, in quibus non ſunt Populi Græco ritu viventes, ſed Latini, quàm in Locis, in quibus ſunt Populi, qui a Græcis antiquitus fuerint oriundi, ſeu a Græcis originem ducant, vel aliàs retroactis temporibus ritum Græcum ſervaverint, ſeu apud illos, vel in eorum aliquibus Eccleſiis ritus hujuſmodi ab antiquo hactenus fuerit obſervatus.

Diſpenſatur cum Italo-Græcis, qui ad hanc diem a Latino Epiſcopo ſunt ordinati, cum animo tamen in ritu Græco permanendi, ut poſſint in eodem ritu permanere, & ad majores etiam Ordines a Græco Epiſcopo cum Dimiſſoriis tamen Latini Ordinarii, græcè promoveri; cum clauſula, ne id in poſterum inconſulta S. Sede attentetur.

XXII. Cum iis tamen Italo-Græcis, qui ad hanc diem, vel propter antiquam conſuetudinem, vel propter quædam ſibi, ut ajunt, a Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris conceſſa privilegia, quibus permittebatur Epiſcopis Latinis, ut Græcos ſibi ſubjectos, vel ipſi ordinarent, ſeu ab aliis tam Græcis, quàm Latinis Epiſcopis ordinari facerent, ab Epiſcopis Latinis bona fide, & abſque diſpenſatione Apoſtolica, ad Clericalem Tonſuram, vel Minores, ſeu Majores Ordines ſunt promoti, cum animo tamen proprium Græcum ritum retinendi, & abſque actuali Latini ritus in ſuſceptis Ordinibus exercitio; per præſentes noſtras hac vice tantùm diſpenſamus, ut eis liceat in ſuo Græco ritu permanere, in eoque ad ulteriores Ordines (dummodo per ſuum Ordinarium approbati fuerint) a Græco Epiſcopo promoveri: per eaſdem noſtras expreſsè prohibentes, ne quid hujuſmodi de cætero, vel a Græcis ipſis, vel a Latinis Epiſcopis, inconſulta Sancta Sede, attententur.

Italo Græci ſi ab Epiſcopo Latino, cum diſpenſatione Apoſtolica, ad aliquos Ordines ob defectum Græcorum Præſulum promoventur, poſſunt ſine alia diſpenſatione cum Dimiſſoriis Ordinarii ad majores Ordines græcè a Græco Antiſtite provehi.

XXIII. Inſuper ut omnibus, circa præfatas Italo-Græcorum hujuſmodi per latinos Præſules ordinationes, controverſiis, ac dubiis opportuna ratione obviemus, hac noſtra Conſtitutione decernimus, & declaramus, quod ſi Epiſcopus Latinus, ſive Ordinarius, Italo-Græcis primam Tonſuram, vel Ordines Minores ritu Latino conferat, cum diſpenſatione Apoſtolica, itaut ordinati ab illo in ſuo Græco ritu miniſtrare debeant, (quod ex defectu Græcorum Præſulum per Sedem Apoſtolicam concedi ſolet); licitè poſſit idem Latinus Ordinarius literas dimiſſoriales Italo-Græcis hujuſmodi a ſe, vel ab alio Latino Præſule, ut præmittitur, ordinatis concedere, ut ad Sacros Ordines Græco ritu, abſque alia diſpenſatione Apoſtolica, promoveantur.

Secùs, ſi abſque diſpenſatione Apoſtolica a Latino Epiſcopo fuerint ordinati, debent in Latino ritu permanere, nec poſſunt amplius ſine diſpenſatione Apoſtolica ad Græcum redire, aut in eo miniſtrare.

XXIV. Si verò abſque Apoſtolica diſpenſatione Italo-Græci hujuſmodi a Latino Epiſcopo ad aliquos Ordines ritu Latino promoverentur, (id, quod illicitè tam ab Ordinante, quàm ab Ordinatis fieret, utpotè huic noſtræ Conſtitutioni contrarium) Græci Clerici hujuſmodi ſic latino ritui alligantur, ut ab eo ad Græcum redire amplius non liceat, ſine Apoſtolica diſpenſatione; neque Latino Epiſcopo, ſeu Ordinario amplius fas ſit Græcum Clericum, a ſe, ut præmittitur, Latino ritu in minoribus Ordinibus conſtitutum, cum literis dimiſſorialibus ad Græcum Antiſtitem remittere, ut ab eo ad Sac. Ordines græcè promoveatur, ſine diſpenſatione Apoſtolica; ſed debeat illum potius, ſi quidem idoneum judicaverit, poſt obtentam abſolutionem a ſuſpenſione, vel ipſe ritu Latino ordinare, vel ab alio Latino Præſule ordinari facere. A ritu enim latino ad Græcum, ut prædiximus, nec tranſire, nec redire fas eſt, abſque diſpenſatione Apoſtolica.

Maximè ſi poſt ſuſcep-

XXV. Hinc eædem literæ dimiſſoriales potiori jure denegandæ ſunt Italo-Græcis, qui quanquam baptizati ritu Græco, non modò primam Tonſuram, & Minores Ordines latino ritu ſuſceperunt; ſed etiam latinè vixerunt, & poſtea ad Majores Ordines ritu Græco provehi cupiunt: nam Latinus ritus ſemel aſſumptus, ut præfati ſumus, abſque ſpeciali Sedis Apoſtolicæ auctoritate, deſeri nequit: ut igitur Italo-Græci hujuſmodi ad ritum Græcum redeant, indigent Apoſtolica diſpenſatione; ut verò ad Majores Ordines ritu latino aſcendant, diſpenſatione non indigent.

tos a Latino Epiſcopo Ordines, latinè vixerint: Nam Latinus ritus ſemel aſſumptus, abſque licentia Sedis Apoſtolicæ deſeri nequit.

XXVI. Etſi expetendum quàm maximè eſſet, ut Græci, qui ſunt in Sacris Ordinibus conſtituti, caſtitatem, non ſecus ac Latini ſervarent: Nihilominus, ut eorum Clerici, Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri Uxores in eorum miniſterio retineant, dummodo ante Sacros Ordines, Virgines, non Viduas, neque corruptas, duxerint, Romana non prohibet Eccleſia. Eos autem, qui Viduam, vel corruptam duxerunt, vel ad ſecunda vota, prima Uxore mortuâ, convolarunt, ad Subdiaconatum, Diaconatum, & Presbyteratum promoveri omninò prohibemus.

Matrimonium Presbyterorum cum unica, & virgine non reprobatur.

XXVII. Præterea ſi quis Subdiaconus, Diaconus, vel Presbyter, poſt Sacram Ordinationem, Uxore mortuâ, aliam duxerit, vel ſi Uxorem non habebat, ducere præſumpſerit, nedum excommunicationis latæ ſententiæ pœna, aliiſque noſtro, & Succeſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum arbitrio inſligendis, ſeveriſſimè punietur; verùm etiam ſtatim ab Ordine erit deponendus, & ab illegitima Uxore ſeparandus. Matrimonium enim poſt recenſitos Ordines contractum, nullum irritumque declaramus.

Poſt Subdiaconatum, Diaconatum, & Presbyteratum, contractum, irritum declaratur.

XXVIII. Presbyter Græcus conjugatus, antequam ad Sacrum Sacrificium, ſeu Sanctam Miſſam celebrandam accedat, vel per hebdomadam, vel per triduum ab Uxore curet abſtinere.

De Presbytero Græco conjugato.

§. VIII.

De Sacramento Matrimonii.

I. CURENT Ordinarii Locorum, ut Decretum Sacri Generalis Concilii Tridentini de reformatione Matrimonii vertatur in linguam Græcam vulgarem, & in locis, & Parochiis Græcorum, & Albanenſium, quoties expedire viderint, evulgetur, & publicetur.

Decretum Concilii Tridentini de Matrimonio ſervandum.

II. Matrimonia inter Conjuges Græcos dirimi, ſeu divortia, quoad vinculum, fieri nullo modo permittant, aut patiantur: Et ſi qua de facto præceſſerunt, nulla & irrita declarent.

Matrimonia dirimi nequeunt.

III. Quia verò, ſecundum Apoſtolum, Mulier mortuo Viro ab ipſius eſt lege ſoluta, & nubendi cui vult in Domino liberam habet facultatem, ſecundas, & tertias, & ulteriores etiam nuptias Græci non condemnent, ſed illas tanquam legitimas, & validas approbent inter Perſonas, quæ aliàs licitè de jure ad invicem Matrimonio jungi poſſunt.

De ſecundis, & ulterioribus nuptiis.

IV. Secundò tamen nubentes Presbyteri nullatenus benedicant: nec ipſos Bigamos ad Sacros Ordines, ſine ſpeciali diſpenſatione Apoſtolica, promoveri liceat.

De Bigamis.

V. Et quoniam apud Græcos conſueverunt contrahi matrimonia inter perſonas contingentes ſe, juxta eorum computationem, octavo gradu, qui ſecundum computationem, & diſtinctionem graduum, quam Latini faciunt, apud hos quartus habetur: ne id præſumatur deinceps, firmiter prohibemus; ac diſtrictè præcipimus, ut, cum in ulterioribus gradibus licitè matrimonia contrahantur, in prædicto quarto Conſanguinitatis, vel Affinitatis gradu copulari ulterius non præſumant; Statutum, quoad hoc, Generalis Concilii obſervantes.

De gradibus Conſanguinitatis, & Affinitatis.

VI. Item in cognationis ſpiritualis, quæ in Baptiſmo, & Confirmatione contrahitur, gradibus, ſervetur id quod in Tridentina Synodo definitum eſt. In Baptiſmo videlicet inter ſuſci-

De Cognatione ſpirituali.

pientem

pientem, & Baptizatum, & illius Patrem, & Matrem, necnon inter Baptizantem, & Baptizatum, Baptizatique Patrem, & Matrem tantùm, cognationem contrahi; eamque rursus, quæ ex Confirmatione oritur, Confirmantem, & Confirmatum, illiusque Patrem, & Matrem, ac Tenentem non egredi: omnibus inter alias Personas spiritualis hujus Cognationis impedimentis Matrimonii sublatis.

De Ritu Conjugum.

VII. Maritus Latinus Uxoris Græcæ ritum non sequatur.

VIII. Latina Uxor non sequatur ritum Mariti Græci.

IX. Græcus Maritus potest, si velit, ritum Uxoris Latinæ sequi: Item Græca Uxor potest, si velit, sequi ritum Mariti Latini; post cujus obitum, ad ritum Græcum redire nequeat.

X. Quod si nolint, unicuique Conjugum in suo ritu, Catholico tamen, manere permittatur.

XI. Matrimonium inter Maritum Latinum, & Græcam mulierem, latinè coram Parocho Latino contrahatur: Inter maritum verò Græcum, & Mulierem Latinam, potest contrahi vel Græcè coram Parocho Græco, duobus, vel tribus testibus præsentibus, vel latinè coram Latino, ubicumque Maritus Græcus voluerit.

XII. Ejus autem loci, ac ritus Parochus debet assistere, ubi, & quo ritu matrimonium contrahitur.

§. IX.

Ritus Græcus qua ratione in Italia, & Insulis adjacentibus servandus: De Græcorum, seu Albanensium subjectione Episcoporum Latinorum jurisdictioni.

Ut Græci in Missis, & Divinis Officiis ritus suos observare valeant, nec super his a quoquam molestentur.

I. QUoniam Orientalis Ecclesiæ ritus, utpotè non minima ex parte a Sanctis Patribus profecti, vel a Majoribus traditi, sic animis Græcorum, aliorumque insederunt, ut Prædecessores nostri Romani Pontifices satius, consultiusque duxerint, ritus hujusmodi, qua in parte nec fidei Catholicæ adversantur, nec periculum generant animarum, aut Ecclesiasticæ derogant honestati, approbare, seu permittere, quam illos ad Romanarum cœremoniarum normam reducere; idcircò Græcis ipsis, & Albanensibus ritus Græci inter Latinos degentibus, tam Prælatis, Parochis, & Presbyteris Sæcularibus, quàm Regularibus, & Laicis, ut suis ritibus, atque observantiis, sive consuetudinibus uti, ac illos, & illas observare, Missasque, & alia Divina officia secundum eorum antiquam consuetudinem celebrare liberè, ac licitè possint, concedimus, & indulgemus: Nec super his a quoquam Latino Ordinario illos, vel illorum quemlibet molestari, vel inquietari permittimus: Inhibentes omnibus & singulis Prælatis, aliisque, ne quis ritus, & cœremonias Græcorum in Concilio Florentino, vel aliàs approbatas blasphemare, aut reprobare, seu improbare ausit.

In quibus debeant Italo-Græci ritum Latinum sequi.

II. Sic verò dictis Græcis, & Albanensibus in suis ritibus permanere concessum esse, atque indultum declaramus, ut quæ a Fidelibus in Diœcesi, ubi ipsi habitant, universim, & sine ullo Personarum, ac rituum discrimine, juxta Sacros Canones servanda sunt, ad eadem etiam ipsi, non obstante rituum diversitate, obligati censeantur.

Kalendarium Gregorianum, quoad Festa, servare tenentur.

III. Cujusmodi sunt in primis Kalendarii Gregoriani observatio, juxta quod iidem Græci, & Albanenses tenentur universalis Ecclesiæ jejunia, & festa celebrare, ut puta, jejunium quadragesimale, Pascha, Ascensionem Domini, Pentecosten, Natalem Domini, Circumcisionem, Epiphaniam, & cætera hujusmodi, quæ in Latina, & Græca Ecclesia æque celebrantur.

Item Romani Pontificis, & Ordinarii

IV. Deinde Summi Romani Pontificis, & Ordinarii Loci in Missis, ac Divinis Officiis commemoratio; non Patriarcharum, neque Antistitum Orientalium, quibus nulla est in Italia, & adjacentibus Insulis jurisdictio: ubi tamen Græco Catholico Antistiti, ex licentia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarii Loci, Pontificalia exercere permittitur, ejus quoque nomen juxta Græcorum morem post Summum Romanum Pontificem, & Ordinarium Loci commemorare liceat.

Loci nomen in Missis, & Divinis Officiis commemorare; non autem Antistitum Orientalium.

V. Tum subjectio omnibus, & singulis Romanorum Pontificum Constitutionibus, contra Sollicitantes præsertim in Confessione editis, quæ in singulas Nationes universim vires suas extendunt, ac Latinos æquè, ac Græcos sua amplitudine comprehendunt.

Subjiciuntur Constitutionibus contra Sollicitantes in Confessione editis.

VI. Demum dies Festos de præcepto Latinæ, ubi degunt, Ecclesiæ servare tenentur.

Item dies festos de præcepto Latinæ Ecclesiæ observare.

VII. Ad observationem autem jejuniorum, & vigiliarum ejusdem Latinæ Ecclesiæ, si tota Loci illius Græcorum communitas, vel potior Laicorum pars cum Parochis, & Presbyteris conjuncta induci posset, optimum esset; idque absque alia Sedis Apostolicæ dispensatione, arbitrio Ordinariorum relinquimus Latinorum: Non tamen ad id cogi debent, si velint ritum suum in jejuniis sequi; cum ipsi qualibet hebdomada feria quarta, & feria sexta, ut asseritur, soleant jejunare; neque privatis personis fas sit, ubi Parochiam Græcam habent, ibi, contra proprium ritum, Latinorum more jejunia, & vigilias servare; sed omnes vel græcè cum Græcis, vel latinè cum Latinis jejunent. Ubi verò propriam Parochiam non habent, ibi liberè, & licitè possunt in omnibus latino ritui sese conformare, sive Laici sint, sive Presbyteri, excepto Græco ritu, qui in Missis, ac Divinis Officiis a Presbyteris est servandus.

Possunt, si velint, Latinæ Ecclesiæ jejunia, & vigilias servare, non tamen ad id cogi debent.

VIII. Hinc ubi Parochiam Græcam habent, tolerandus est apud Græcos esus carnium die Sabbati, si sine scandalo fieri potest; in locis autem ipsorum, & inter eos tantùm.

Tolerandus esus carnium die Sabbati apud Italo-Græcos.

IX. Prohibentur tamen Græci suis Famulis Latinis cibos vetitos apponere, sive die Sabbati, quando præfatis Græcis carnes comedere licet, sive alio quocumque tempore, quo Latini debent ab illis abstinere; Latini enim Famuli Græcorum, latinum servare tenentur.

Latini Famuli Græcorum, Latinum ritum debent servare.

X. Item tolerandum est, ut ad jejunium eodem die Sabbati in Quadragesima, excepto uno Sabbato Sancto, ex antiqua traditione, non teneantur, sed dumtaxat ad abstinentiam.

Non sunt cogendi ad jejunandum die Sabbati, præter Sabbatum Sanctum.

XI. In jejuniis quoque biduanis, vel triduanis, vel aliàs a Diœcesanis, vel in Jubilæis a Summo Pontifice Romano indictis, dies Sabbati in eis comprehensus, vel præscriptus, in alium diem pro Græcorum plebe ab ipsis Diœcesanis Apostolica Auctoritate permittitur commutari.

Jejunium a Latinis die Sabbati indictum ad aliam diem pro Italo-Græcis ab Ordinariis Latinis transferri conceditur.

XII. Verùm quia pro parte dilectorum Filiorum Græci ritus in Corsica habitantium Nobis nuper humillimè preces porrectæ fuerunt, ut Auctoritate Apostolica declararemus, ipsos non teneri ad abstinentiam a piscibus sanguinem habentibus, oleo, & vino, tam in Quadragesima, quàm in quartis, & sextis Feriis, & in aliis anni jejuniis, vel, si ad abstinentiam hujusmodi tam ex præcepto, quàm ex consuetudine Ecclesiæ Græcorum, ut Nobis exponitur, tenerentur, cum iis eadem auctoritate dispensare dignaremur, ut piscibus, oleo, & vino in dictis quartis, & sextis Feriis, & in Quadragesima, aliisque per annum occurrentibus jejuniis, vesci ipsis liceret. Nos paternæ Pontificiæ charitatis, quæ novit imbecillitates infirmorum sustinere, non immemores, tam dictis Græcis in Corsica habitantibus, quàm omnibus & singulis Albanensibus, & Græcis, qui in Italia, & Insulis adjacentibus commorantur, tenore præsentium, ut ad instar Latinorum, in quorum Diœcesibus degunt, in memoratis Quadra-

Italo-Græcis in tota Italia, & Insulis adjacentibus permittitur, ut in Quadragesima, & aliis ipsorum jejuniis, piscibus, oleo, & vino uti possint.

gesima, quartis, & sextis Feriis, & reliquis anni jejuniis, vino, oleo, & piscibus cujuscumque generis possint uti, concedimus, & indulgemus. Atque Literas Clementis Papæ XII. Prædecessoris nostri in forma Brevis datas ad Abbatem, & Monachos Monasterii Ordinis Sancti Basilii Magni Ritus Græci Orientalis Terræ Dimidii Jussi Panormitanæ Diœcesis, pro Monachis Græcis, & Epirotis eorumdem Ordinis, & Ritus fundati, quibus concessit, ut piscibus sanguinem habentibus liberè, & licitè nonnullis anni quadragesimis vesci possint, non obstantibus ritus Græci ordinationibus, hac nostra Constitutione confirmamus, & roboramus.

Ne Italo-Græci a Latino Diœcesano Episcopo latinè ordinati Plebibus Italo-Græcis præficiantur.

XIII. Cum autem Sedi Apostolicæ semper curæ fuerit Græcum ritum custodire, illiusque abolitionem nunquam intenderit, aut in animo habuerit: Hinc Nos, Prædecessorum nostrorum exemplo, quantum cum Deo largiente possumus, conservationi rituum Græcorum intenti, neque expedire ducimus, neque facultatem facimus, ut Latini Ordinarii juxta ritum Latinum ad Sacerdotium promoveant aliquem Italo-Græcum Diœcesanum, qui Græcorum more baptizatus fuerit, atque etiam vixerit, ut scilicet Græcorum plebi Latino ritu ipse ministrans præsit: præsertim quia id Græcis plebibus nullam utilitatem affert, quibus magis acceptus Parochus esse solet, si eumdem cum ipsis Ritum Græcum colat, quàm si Latinum sequatur.

Sed Græci, vel Albanenses, Catholici tamen, sive advenæ, sive indigenæ, Græco ritu viventes præficiantur.

XIV. Sed in Terris, seu Locis, & Casalibus Græcorum, & Albanensium, seu in quibus fuerint Græci, vel Albanenses, sive sint indigenæ, sive ex Græciæ Provinciis, & Insulis, vel ex Epiri, & Albaniæ partibus, aut aliàs undequaque advenerint, Græco ritu in præsentiarum usque viventes; ad illorum Ecclesias, seu curam animarum exercendam, non Latini, neque Latinis orti Parentibus, aut latino more viventes, ad eumdem Ritum Græcum initientur, sed Græci, vel Albanenses ritus Græci respectivè, Catholici tamen, & alioquin idonei, & sufficientes, atque alias qualitates a Sacris Canonibus habentes, sive sint indigenæ, sive, in defectu indigenarum, etiam advenæ, ordinentur, & eorumdem Græcorum, seu Albanensium animarum curæ præficiantur.

Presbyteri Latini, nisi vocati, non se immisceant Græcorum functionibus.

XV. Cæterum ad tollendam omnem rituum commixtionem, & confusionem, Presbyteri, & Clerici Latini in Ecclesiis Græcorum neque Missas celebrare, neque funeribus, nuptiis, ac Baptismis, & aliis Græcorum actibus publicis, & privatis interesse, aut se immiscere, nisi ad hæc specialiter per ipsos Græcos vocati fuerint, audeant, vel præsumant.

Presbyteri, & Clerici Græci Missas, & Divina Officia in Ecclesiis Latinorum cum solemnitatibus, & cantu celebrare prohibentur absque Episcopi licentia.

XVI. Nec Presbyteri, & Clerici Græci in Ecclesiis Latinorum, inconsulto Episcopo, cui illæ subjiciuntur, vel ejus in Spiritualibus Vicario Generali, Missas, & alia Divina Officia cum solemnitatibus, & cantu celebrent. Ut autem præfatus Episcopus, sive Vicarius Generalis, præfatam licentiam ritè concedere valeant, nulla præcisa necessitas pro causa requiritur, sed satis est, ut aliqua spiritualis utilitas inde speretur.

In præcedentiis Clericorum Latinorum, & Græcorum, non attenditur diversitas ritus, sed tempus Ordinationis, vel qualitas Ecclesiasticæ Dignitatis.

XVII. Cum inter Latinos, Græcosque Clericos, in processionibus, sessionibus, aliisque Ecclesiasticis solemnitatibus, quas ex consuetudine, aut proprio arbitrio, & voluntate promiscuo usu peragere solent, lites quandoque, & controversiæ, quibus charitas, & mutua animorum concordia violatur, ob præcedentiæ ordinem exoriantur, quia Græci Latinis, & Latini Græcis præcipuum locum dare renuunt; has in posterum dirimere, atque amputare volentes; præcipimus, ut in præcedentiis hujusmodi, nisi consuetudo aliter obtineat, non attendatur ritus Græci, & Latini diversitas, sed tempus Ordinationis prædictorum Clericorum, vel qualitas Ecclesiasticæ dignitatis, si aliqui eorum eâ insigniti reperiantur, vel cæteræ qualitates, quæ jure suo in præfatis solemnitatibus principem locum sibi vindicare solent.

Non nisi Ecclesiasticis Libris per Congregationem a S. Sede eorumdē emendationi deputatam correctis utantur.

XVIII. Quia in Ecclesiasticis Græcorum libris nonnulli errores irrepsere, quibus primævam Ecclesiæ Græcæ puritatem fraude potissimùm, ac dolo Schismaticorum corruptam esse, Orthodoxi dolent: Ideo Pastoralem Latinorum Ordinariorum, in quorum Diœcesibus iidem Græci, & Albanenses degunt, vigilantiam per præsentes nostras literas excitamus, ut omni ope, & studio curent, non aliis Græcos ipsos, seu Albanenses tam Prælatos, ac Presbyteros Sæculares, quàm Regulares, Ecclesiasticis libris in Sacramentorum administratione, & Missis, Divinisque Officiis celebrandis uti, nisi iis, qui per Congregationem a Sancta Sede Apostolica emendationi librorum hujusmodi deputatam, correcti, typisque impressi fuerint.

De Italo-Græcorum subjectione Episcopis Latinis, in quorum Diœcesi degunt.

XIX. Ita autem Græcos, seu Albanenses in suo ritu, ut præfertur, permanere, Græcasque cœremonias custodire permittimus, ut Latinorum Episcoporum, in quorum Diœcesi degunt, jurisdictioni subjecti censeantur. Itaque Græci, seu Albanenses ritus Græci, tam Ecclesiastici, & Regulares, quàm Laici, in utraque Sicilia, vel aliis Italiæ partibus, Insulisque adjacentibus commorantes, cum suos Ordinarios Græcos non habeant, non obstantibus quibuscumque exemptionibus, aliisque privilegiis dictis Græcis, eorumque Prælatis, Rectoribus, Abbatibus, & aliis tam Sancti Basilii, & alterius Ordinis Regularibus, qui privatam vitam ducunt, nec in Congregationem sunt redacti, quàm Sæcularibus, ac etiam Laicis Personis quocumque nomine nuncupatis, per fel. rec. Leonem X., Paulum III., Julium etiam III., & forsan alios Romanos Pontifices, & Sedem Apostolicam in genere, vel in specie hactenus concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis; ita Latinis Ordinariis Locorum quæ habitant, debent esse subjecti, ut ipsi Locorum Ordinarii quascumque eorumdem Græcorum, & Albanensium Ecclesias, Monasteria, Prioratus, & alia Pia Loca, tam Sæcularia, quàm cujusvis Ordinis Regularia, eorumque Prælatos, etiamsi Episcopali, Archiepiscopali, ac majori dignitate præfulgeant, necnon Abbates, Rectores, Ministros, & quasvis alias ejusdem Nationis Personas in suis Civitatibus, & Diœcesibus consistentia, quoties opus fuerit, visitare, ac in illis suam Ordinariam jurisdictionem, plenamque, & omnimodam auctoritatem, in iis, quæ Dei cultum, Sacramentorum administrationem, ac animarum salutem, hæresumque extirpationem concernunt, exercere, & exequi liberè, & licitè valeant; reliquis ipsorum Græcorum, & Albanensium, in Divinis celebrandis, aliisque ritibus a Sede Apostolica approbatis, necnon privilegiis, & gratiis Apostolicis intactis remanentibus: Nec ipsis Græcis, & Albanensibus Clericis, vel Laicis, eorumve Prælatis, Ecclesiis, Cœnobiis, aut aliis Piis Locis dictas exemptiones, seu privilegia in aliquo suffragari, sed illos omnes, & singulos Locorum, in quibus moram traxerint, Ordinariorum visitationi, correctioni, punitioni, jurisdictioni, & omnimodæ auctoritati in præmissis subesse, illisque tanquam Superioribus suis, suarumque animarum Pastoribus humiliter obedire.

Ubi duo Episcopi sunt ejusdem Loci, Episcopus Latinus Latinorum, Græcus Græcorū dumtaxat jurisdictionē, & curam habeant.

XX. Ubi verò duo essent Episcopi ejusdem Loci a Sancta Sede Apostolica deputati, unus Latinus, alter Græcus, (quemadmodum in Calabriæ partibus, & in Sicilia olim fuisse perhibentur, & nunc in quibusdam Græciæ insulis existunt); Episcopus Latinus de Personis Ecclesiasticis, & Sæcularibus Græcis, ac de jurisdictione Episcopi Græci, vel aliis quibuscumque ad

Episcopum Græcum quomodolibet spectantibus, nullatenus se intromittere præsumat; sed Episcopus Latinus Latinorum, Episcopus verò Græcus Græcorum dumtaxat curam, regimen, & jurisdictionem respectivè habeant, & exerceant. Id, quod de Episcopis Græcis pro ordinatione Italo-Græcorum, Romæ, vel in Calabria per Sedem Apostolicam, ut supra diximus, constitutis, minimè intelligendum esse declaramus: cum ii facultatibus Ordinariorum careant, nec quemquam ex iis, qui non sunt Alumni Collegii Græcorum Romæ, & Collegii Italo-Græcorum, seu Albanensium in Calabria, ad primam Tonsuram, aut ullum Ordinem sive Minorem, sive Majorem, nisi cum dimissoriis sui Ordinarii, promovere valeant.

Episcopus Latinus circa causas Græcorum Vicarii Græcum ipsius salario retinendum deputet.

XXI. In Diœcesi, ubi Latini, & Græci inhabitant, & solum Archiepiscopum, sive Episcopum Latinum Ordinarium habent, dictus Archiepiscopus, sive Episcopus, circa negotia, & causas dictorum Græcorum, Vicarium Græcum ipsis Græcis gratum, vel per ipsos Græcos eligendum (ex quo Græcus Vir melius Græcos mores novit, quàm Latinus) ipsorum stipendio, & salario retinendum deputet; & in causis appellationis ad Metropolitanum, qui forsan Græcus non esset, dictus Metropolitanus similiter in dictis causis Judicem Græcum deputare teneatur.

De Monachorum, seu Calogerorũ Institutis.

XXII. Ordinationes demum, & Instituta Regularia Sanctorum Patrum, de vita & statu Monachorum, ab Abbatibus, & Monachis Græcis, qui in Italia, & Insulis adjacentibus privatim degunt, nec Regulam Monachorum Ordinis Sancti Basilii in Congregationem reductorum sunt professi, præcipimus inviolabiliter observari; eosque omnes, & singulos Jurisdictioni Ordinariorum Latinorum subjicimus; mandantes insuper, ut quæcumque supra, circa rituum Græcorum observantiam, præscripta sunt, adamussim exequantur.

Salvis privilegiis à Sede Apostolica cõcessis Collegio Græcorum de Urbe, Seminario Corsino in Calabria, & Cong. Monachorũ S. Basilii in Italia.

XXIII. Salvis tamen, & in suo robore semper remanentibus privilegiis, quæ a Summis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, Gregorio XIII., Sixto V., Clemente VIII., Paulo V., Urbano VIII., Innocentio X., Clemente XII., & forsan aliis, tam Collegio Pontificio Græcorum de Urbe, & Seminario Corsino in Calabria, quàm Congregationi dilectorum Filiorum Monachorum Ordinis Sancti Basilii in Italia, concessa sunt, & indulta, quibus derogare non intendimus.

Quæ in hac Constitutione sunt dispositа quoad Italo-Græcos, non præjudicant Constitutionibus Apostolicis, Decretis Synodalibus, & aliis Statutis circa ritus Græcorum in Oriente sub Catholicis Episcopis cõmorantium, vel aliarum Nationũ cujusCumque ritus a S. Sede approbati, seu permissi.

XXIV. His insuper, quæ superius in quacumque parte Italo-Græcis concessimus, indulsimus, declaravimus, præcepimus, ordinavimus, & interdiximus, seu prohibuimus, Græcorum in Oriente sub propriis Catholicis Episcopis, Archiepiscopis, vel Patriarchis commorantium, & aliarum Christianarum Nationum quorumcumque Rituum a Sancta Sede approbatorum, seu permissorum, juribus qualibuscumque, si quæ illis de jure, vel ex consuetudine, vel aliàs quomodolibet legitimè competant: aut Apostolicis Constitutionibus, vel Conciliorum Generalium, aut particularium, seu Congregationum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Decretis, quæ super Ritibus Græcorum, seu aliorum Orientalium emanarunt, ullo pacto præjudicatum, vel præjudicium ullum quantumvis minimum illatum esse non intendimus; idque expresè declaramus, & pro declarato, & in qualibet hujus nostræ Constitutionis, seu dispositionis parte pro repetito haberi volumus, & mandamus.

§. X.

Clausulæ.

DECERNENTES præsentes literas, & in eis contenta quæcumque nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, seu quopiam alio defectu, notari, seu impugnari, aut aliàs quomodolibet infringi, vel retractari, seu invalidari, aut in jus, vel controversiam vocari, aut adversus eas, & ea quodcumque juris, & facti, vel justitiæ, & gratiæ remedium intentari, impetrari, vel concedi ullatenus posse, sed ab omnibus, quos concernunt, & concernent quomodolibet, quacunque dignitate, & honore fulgentibus in futurum inviolabiliter observari debere.

Decretum irritans.

Sicque & non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, ac Commissarios, quavis auctoritate fungentes, ac etiam S. R. E. Cardinales, & de latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Nihil innovetur, inconsulta Sancta Sede.

Mandantes universis, & singulis Venerabilibus Fratribus, Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, Patriarchis Latinis, in quorum Diœcesibus Italo-Græci hujusmodi degunt, ut in suis Synodis, Constitutionibus, statutis, edictis, decretis, seu aliis quibuslibet mandatis, & monitis, circa eorum ritus, observantias, & consuetudines, præter id, quod in nostris hisce literis expresè & explicitè continetur, nihil aliud, nisi consulta prius S. Sede Apostolica, moneant, edicant, decernant, constituant, præcipiant, seu mandent.

Derogationes.

Non obstantibus Prædecessorum Nostrorum Literis, aliisque præmissis, necnon Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus circa Italo-Græcos hujusmodi, eorumque Ritus, observantias, mores, ac consuetudines, Constitutionibus, & Ordinationibus, ac etiam Communitatum, Monasteriorum, & Ecclesiarum prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis eisdem Italo-Græcis, illorumque Communitatibus, vel singulis eorum Personis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam per modum Statuti perpetui, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine similibus, etiam iteratis vicibus, ac etiam cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Exemplorũ Fides.

Volumus autem, quod præsentium transumptis sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur in Judicio, & extra, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio.

Nulli ergo omninò hominum liceat, hanc paginam nostri decreti, constitutionis, declarationis, inhibitionis, prohibitionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 26. Maji 1742.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo

simo quadragesimo secundo, septimo Kalendas Junii, Pontificatus Nostri Anno Secundo.

P. Card. Pro-Datarius.

D. Card. Passioneus.

Visa de Curia.

N. Antonellus.

Loco ✠ Plumbi.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicat. die 2. Julii ejusdem Anni.

LVIII. Approbatio Publici cultus ab immemorabili tempore exhibiti Beatæ Joannæ Valesiæ olim Reginæ Franciæ, & Fundatrici Ordinis Sanctissimæ Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Summarium precum.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Marcus Antonius Gravois Frater expresè professus, ac Diffinitor Generalis Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, necnon Postulator Causæ Canonizationis Beatæ Joannæ Valesiæ, quod dudum fel. record. Urbanus Papa VIII. Prædecessor noster, postquam Processus auctoritate Ordinaria anno MDCXVII. peracti super fama Sanctitatis, Virtutum, & Miraculorum ejusdem Beatæ Joannæ Valesiæ, dum vixit, Francorum Reginæ, ac Ordinis Annuntiatarum Beatæ Mariæ Virginis Fundatricis, in Congregatione Venerabilium Fratrum tunc existentium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum discussi fuerant, per suam Commissionem manu propria signatam hujusmodi Causam eidem Congregationi Cardinalium cognoscendam, & discutiendam demandavit; cujus Commissionis vigore ab eadem Congregatione, seu à bo. mem. Carolo, dum pariter vixit, S. R. E. præfatæ Cardinali Pio nuncupato tunc dictæ Congregationis Præfecto die XIII. Januarii MDCXXXII. litteræ remissoriales pro inquisitione in genere tunc itidem existentibus Archiepiscopo Bituricensi, & Episcopis Aurelianensi, & Nivernensi directæ, concessæ, & expeditæ fuerunt. Coram autem Archiepiscopo, & Episcopis præfatis Processu hujusmodi confecto, atque Anno MDCXXXIII. memoratæ Congregationi Cardinalium præsentato, nihil amplius tunc temporis in eadem Causa actum fuit, ob Decreta memorati Urbani Prædecessoris Anno MDCXXV. edita, & MDCXXXIV. de novo proposita, super non exhibendo cultu iis, qui cum Sanctitatis, vel Martyrii fama ab hac vita migrassent, seu super casu ab iisdem excepto.

Acta sub Urbano VIII.

Irem sub Alexan. VII.

§. 1. Præterea successu temporis cum fama Sanctitatis, una cum miraculis, quæ Omnipotens Deus ob merita, & ad intercessionem dictæ Beatæ Joannæ Valesiæ operari dignabatur, quamplurimum increbuisset, atque in dies increbesceret, cla. mem. Ludovicus, dum pariter vixit, Rex Christianissimus, & Anna ab Austria Regina Mater, iteratis precibus, ac litteris datis, à fel. rec. Alexandro Papa VII. itidem Prædecessore nostro postularunt, ut ad ejusdem Servæ Dei Joannæ Valesiæ Beatificationem, & Canonizationem procedi posse benignè indulgere dignaretur. Idem Alexander Prædecessor die XX. Junii MDCLXIV. Commissionem reassumptionis Causæ præfatæ subsignavit, ac Anno MDCLXXX. dicta Congregatio Cardinalium remissoriales, & compulsoriales litteras concessit, ac ad tunc quoque existentem Archiepiscopum Bituricensem direxit, pro confectione Processus particularis super cultu à tempore immemorabili eidem Joannæ Valesiæ exhibito, & casu excepto à memoratis Urbani Prædecessoris Decretis.

Recens sententia Archiepiscopi Bituricensis super cultu immemorabili.

§. 2. Ob legitima pro tempore existentium Archiepiscoporum Bituricensium hujusmodi impedimenta, memoratis litteris executioni minimè demandatis, quinimò ob temporis cursum deperditis, proinde Anno MDCCXXXVIII. illarum Duplicatum ad Venerabilem Fratrem modernum Archiepiscopum Bituricensem fuit directum, cujus vigore idem Archiepiscopus Judex Delegatus super eisdem publico cultu ab immemorabili tempore præfatæ Joannæ Valesiæ exhibito, necnon casu, ut præfertur, excepto sententiam protulit.

Ea confirmatur Decreto Congreg. Sacror. Rituũ.

§. 3. Proposito itaque in eadem Congregatione Cardinalium Dubio: *An sententia supradicta esset confirmanda, in casu, & ad effectum de quo agebatur*; ipsa Congregatio Cardinalium edidit Decretum tenoris sequentis, videlicet: *Bituricen. Canonizationis Beatæ Joannæ Valesiæ, olim Reginæ Franciæ, & Fundatricis Ordinis Sanctissimæ Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis sub Regula S. Francisci. Proposita ex dispensatione Apostolica per Eminentissimum, & Reverendissimum Dominum Cardinalem de Tencin Ponentem, ad instantiam P. Marci Antonii Gravois Diffinitoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Postulatoris specialiter deputati, in Congregatione Ordinaria absque interventu Consultorum, Causa Canonizationis Beatæ Joannæ Valesiæ prædictæ, atque in ea discusso dubio: An sententia Reverendissimi Archiepiscopi Bituricensis Judicis à Sacra Rituum Congregatione Delegati, lata super publico cultu ab immemorabili tempore prædictæ Beatæ exhibito, sive super casu excepto à Decretis fel. recor. Urbani Papæ VIII. sit confirmanda in casu, & ad effectum, de quo agitur: Sacra eadem Congregatio, R. P. D. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore in scriptis, & in voce prius audito, rescribendum censuit: Affirmativè, si Sanctissimo Domino Nostro visum fuerit. Hac die XIV. Aprilis 1742. Factaque deindè per me Secretarium de prædictis Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua benignè annuit die XXI. ejusdem mensis, & anni.*

F. J. A. Cardinalis Guadagni Pro-Præf.

T. Patriarcha Hierosolymitanus Secr.

Loco ✠ Sigilli.

Confirmatio Apostolica.

§. 4. Quoniam autem dictus Marcus Antonius Postulator, quo Decretum hujusmodi firmiùs subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summoperè desiderat: Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum Marcum Antonium Postulatorem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præinsertum decretum super publico cultu ab immemorabili tempore prædictæ Beatæ Joannæ Valesiæ exhibito editum, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Clausulæ.

§. 5. Decernentes eadem præsentes litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & spectabit in futurum plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; Sicque in præ-

missis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Exemplorum auctoritas.

§. 6. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud ubique locorum adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 18. Junii 1742.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœcesis sub Annulo Piscatoris die XVIII. Junii MDCCXLII. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Pro D. Card. Passionco.
Cajetanus Amatus.

LIX.

De Ritibus, seu Ceremoniis Sinensibus. Confirmatur Constitutio Clementis Undecimi, incip. *Ex illa die.* Permissiones quædam publicatæ à bon. mem. Carolo Ambrosio Mediobarbo Patriarcha Alexandrino, reprobantur, & annullantur: Præscribitur nova formula Juramenti à Missionariis præstandi.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

EX quo singulari providentia factum est, ut Orientalium, & Occidentalium Indiarum Regiones Europæ innotescerent, Apostolica Sancta Sedes, quæ ab ipsis Ecclesiæ incunabulis Evangelicæ veritatis lumen ubique diffundere, & illud ab omni erroris umbra servare maximo studio curavit, in his quoque novissimis temporibus Evangelicos Operarios in antedictas Regiones sedulò misit; ut Idololatriâ ibi latè dominante funditus eradicatâ, Christianæ Fidei semen opportunè spargerent, atque horrentes illos, & incultos campos in fertiles florentesque vineas, uberrimos æternæ vitæ fructus daturas, commutarent. Ex Regionibus autem illis, quas Sancta Sedes præ cæteris ante oculos habuit, fuit profecto amplissimum Sinarum Imperium: in quo quidem negari non potest, quin Christiana fides progressus ingentes fecerit, longè etiam majores facturа, nisi coorta inter Operarios à Sancta Sede illuc missos dissidia, cursum intercidissent.

Fidei propagatio ab Apost. Sede promota in Sinarum Imperio.

Dissidia inter Missionarios circa Ceremonias Sinensium, & præcipuè circa cultum erga defunctos.

§. 1. Occasionem dissidiis ejusmodi dederunt Ceremoniæ quædam, & Ritus, quibus Sinenses, ad Confucium Philosophum, & Majores suos honoribus prosequendos, uti consueverunt: cum nonnulli ex Missionariis contenderent, eas esse Ceremonias, & Ritus merè civiles, adeoque concedendos iis, qui relicto Idolorum cultu, Christianam Religionem amplectebantur; contra vero alii eos, utpote superstitionem olentes, sine gravi Religionis injuria permitti nullo modo posse assererent. Quæ sane controversia multis annis Apostolicæ Sedis curam, & sollicitudinem ad se traxit; cum id maximè caveat, nè zizania in agro Dominico radices agant, aut, si fortè egerint, eæ, quam citò fieri potest, evellantur.

Prima decisio Congreg. de Propag. Fide, sub Innocen. X.

§. 2. Primo itaque ad Sanctæ Sedis Tribunal Causam hanc detulerunt ii, qui Ceremonias illas, & Ritus Sinicos superstitione imbutos suspicabantur. Super illis Dubia nonnulla proposita fuerunt Congregationi de Propaganda Fide, quæ anno 1645. comprobavit responsa, ac decisiones Theologorum, qui Ceremonias, & Ritus eosdem superstitione revera infectos judicarunt. Proinde Innocentius Papa X. ad præfatæ Congregationis preces, omnibus & singulis Missionariis, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, sibi, ac Sanctæ Sedi reservatæ, mandavit, ut responsa, ac decisiones prædictas omnino observarent, easque ad praxim deducerent, donec sibi, & Apostolicæ Sedi aliter visum non esset.

Altera Congreg. S. Inquisition. sub Alexan. VII.

§. 3. Verùm paulò post ab aliis ejusdem Missionis Operariis alia Dubia de iisdem Ritibus, & Ceremoniis ipsimet Congregationi de Propaganda Fide fuerunt exhibita, ex quibus Ceremoniæ ipsæ, Ritusque nullam in se superstitionem habere videbantur. Negotium itaque hujusmodi ab Alexandro Papa VII. Sacræ Inquisitionis Congregationi commissum fuit: quæ, prout variâ, diversâque ratione fuerat sibi de eisdem Ceremoniis expositum, alias quidem, tamquam merè civiles, & politicas, esse permittendas, alias verò minimè tolerari posse judicavit; idemque Alexander Pontifex anno 1656. hanc sententiam probavit, & confirmavit.

Alia resolutio ejusdem Congr. sub Clem. IX.

§. 4. Sed eccè tertiò ad Sanctam Sedem hæc eadem controversia. Cum plura Dubia Sacræ Inquisitionis Congregationi proposita fuissent, illud quoque ab ea quæsitum fuit, utrum adhuc vigeret Innocentii Papæ X. præceptum, quo sub pœna excommunicationis latæ sententiæ mandabat observantiam responsionum, ac decisionum, quæ à Congregatione de Propaganda anno 1645. ut supra dictum est, emanaverant. Præterea, an, stantibus recens expositis dubiis, earum praxis retinenda foret: cum præsertim obstare videretur Decretum Sacræ Inquisitionis, quod ab ea emanavit anno 1656. super quæsitis nonnullis, diversâ ratione, aliisque circumstantiis propositis ab Operariis Apostolicis in Sinarum Regno commorantibus. Respondit ad hæc Sacra Inquisitionis Congregatio anno 1669., præfatum Congregationis de Propaganda Fide Decretum adhuc vigere, habitâ ratione rerum, quæ fuerunt in dubiis expositæ; neque illud fuisse circumscriptum à Decreto Sacræ Inquisitionis, quod anno 1656. emanavit; immo esse omnino observandum juxta quæsita, circumstantias, & omnia ea, quæ in antedictis Dubiis continentur. Declaravit pariter, eodem modo esse observandum prædictum Sacræ Congregationis Decretum anni 1656. juxta quæsita, circumstantias, & reliqua in ipsis expressa. Hoc autem Decretum Clemens Papa IX. comprobavit.

Innoc. XII. novum examen Causæ in eadem Congreg. instaurari jubet.

§. 5. Cum autem omnia præfata Decreta pro varia rerum expositarum ratione fuerint facta, ac promulgata, tantum abfuit, ut Rituum Sinensium controversia finem obtineret, ut magis illa vires, & incrementum acquireret. Nam scissis Evangelicis Operariis in partes, adducta res fuit in acriorem animorum, ac sententiarum contentionem. Atque hinc, non sine gravi scandalo, magnoque Fidei damno, consecuta est prædicatio non uniformis, & non eadem ubique Christianorum illorum disciplina, & institutio. De his autem absurdis certior factus Innocentius Papa XII. Prædecessor noster, id muneris sui omnino esse putavit, ut perniciosis adeo dissidiis finis daretur; proinde exactam, maximèque accuratam totius hujus controversiæ discussionem Sacræ Inquisitionis Congregationi commisit. Cumque nihil Intentatum reliquisset, quo sinceram facti notitiam obtineret, firmata quoque fuerunt de illius mandato summa cum diligentia Quæsita, quæ per eamdem Sacram Congregationem resolverentur.

Clemens XI. approbat Responsiones Congregat., easque transmittit ad Patriarcham

§. 6. Quæsitorum illorum examen Innocentii Papæ XII. mors intercepit. Clemens autem XI., qui successit, Prædecessoris sui zelo plenus, coram se quæsitorum eorumdem examen fieri voluit. Quamobrem post diuturnam,

maturam,

Antioch Visitat. Apost

maturam, & accuratissimam rei discussionem, post auditas ex utraque parte rationes, quibus liberè producendis unicuique locus amplissimus datus fuit, idem Clemens Papa Undecimus anno 1704. confirmavit, & Apostolicâ auctoritate comprobavit præmemoratæ Sacræ Congregationis responsiones ad omnia, & singula quæsita proposita, quibus Ritus Sinenses, utpotè superstitione imbuti, prohibebantur; mandavitque, præfatas responsiones ad Carolum Thomam de Tournon Antiochiæ Patriarcham, Commissarium, & in Sinarum Regno Visitatorem Apostolicum transmitti; ut nimirum exactam earumdem observantiam omnibus, & singulis Missionariis, pœnis quoque Canonicis in refractarios indictis, præciperet.

Qui eas publicat, additis præceptis &c.

§. 7. Promulgavit quidem Patriarcha Antiochenus decisionem Apostolicam, addito Decreto, quo ab universis ejus observantiam exigebat. Cum autem illam tentassent eludere, variisque inanibus rationibus effugere ii, qui Sinenses Ritus tamquam politicos, ac merè civiles propugnaverant, prædictus Pontifex Clemens XI. Decreto, quod per Sacræ Inquisitionis Congregationem emanavit anno MDCCX. præcepit omnimodam, & inviolabilem earumdem responsionum abs se Apostolica auctoritate confirmatarum observantiam, & alia quæ Decreto ipso continentur, quod est tenoris sequentis:

Clemens XI. iterum omnia confirmat.

Tenor Decreti.

§. 8. *Decretum super omnimoda, ac inviolabili observatione Responsorum, aliàs in Causa Rituum, seu Ceremoniarum Sinensium à Sacra Congregatione datorum, & à Sanctissimo approbatorum, cum aliis Ordinationibus.*

Mandat observari Decretum editum à Card. de Tournon.

Feria V. die XXV. Sept. MDCCX. In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Quirinali coram Sanctissimo Domino Nostro Domino Clemente Divinâ Providentiâ Papa XI., ac Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus in tota Republica Christianâ contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Idem Sanctissimus Dominus Noster in Causa Rituum, seu Ceremoniarum Sinensium, auditis, tam in Congregationibus anno præterito non semel, quàm in aliis, mense, & anno præsentibus pluries coram Sanctitate Sua habitis, præfatorum Eminentissimorum, & Reverendissimorum Dominorum Cardinalium, qui rem maturè, ac diligentissimè discusserunt, sententiis, decrevit, & declaravit, responsa aliàs in Causa hujusmodi ab eadem Congregatione data, & à Sanctitate Sua die 20. Novembris 1704. confirmata, & approbata, necnon Mandatum, seu Decretum ab Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Domino Cardinali de Tournon, tunc Patriarcha Antiocheno, Commissario, & Visitatore Apostolico Generali in Imperio Sinarum die 25. Jan. 1707. hac de re editum, ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, inconcussè, & inviolabiliter, sub censuris, & pœnis in Mandato, seu Decreto hujusmodi expressis, observanda esse, quovis contrafaciendi quæsito colore, seu prætextu penitus sublato, ac potissimum non obstante quacumque appellatione à quibusvis Personis, sive Sæcularibus, sive Regularibus, etiam specificâ, & individuâ mentione, & expressione dignis, ac quavis Ecclesiasticâ dignitate fulgentibus, ad Sedem Apostolicam interpositâ, quam propterea Sanctitas Sua rejiciendam esse decrevit, ac re ipsa rejecit.

Rejicit appellationes ad S. Sedem interpositas.

Porro cum idem Dominus Cardinalis de Tournon in suo Mandato, seu Decreto suprædicto, Apostolicæ decisioni die 20. Novembris 1704. latæ se expressè inhærere professus fuerit, Sanctitas Sua ulterius declaravit, ipsum Mandatum, seu Decretum, unà cum censuris in eo contentis, ad normam eorumdem responsorum accipiendum esse, itaut nihil per illud responsis præfatis additum, seu detractum fuisse censendum sit, ac omnia, quæ in eis insunt, etiam in Mandato, seu Decreto prædicto inesse intelligantur.

Declarat, eo Decreto nihil additum, vel detractum Responsionibus datis anno 1704.

Cæterum Sanctitas Sua, tametsi non sine ingenti animi sui mœrore acceperit, quod humani generis hostis multiplicia in die zizania in latissimis illis Regionibus superseminare non cessat; non tamen propterea in eis Catholicæ Religionis propagandæ saluberrimum, ac sanctissimum opus ullatenus deserere volens, sed illud majori, qua potest, animi contentione, ac studio, iisque potissimum dissidiis, quibus inibi Christianæ Fidei seges veluti spinis suffocatur, prorsus submotis, ardentiùs semper, & enixius promovere cupiens; congruam super præmissis, aliisque ad ea pertinentibus instructionem confici, illamque dicto D. Cardinali de Tournon, quatenus adhuc in illis partibus commoretur, sin minus, illi, qui ejus loco deputatus fuerit, necnon Episcopis, & Vicariis Apostolicis earumdem partium transmitti mandavit, qua non minus debitæ Apostolicorum Decretorum executioni, quam Missionariorum concordiæ, Evangelicæ veritatis prædicationi, atque animarum saluti opportunè consulatur.

Pleniorem Instructionê confici jubet.

Demum, ut nimiæ illi de his rebus scribendi licentiæ, quæ non sine Fidelium scandalo inter Partes diuturnâ contentione exasperatas invaluit, modus imponatur, Sanctitas Sua districtè præcepit omnibus, & singulis cujusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, etiam de necessitate exprimendæ, Regularibus, aliisque quibuscumque Sæcularibus Personis, tam Ecclesiasticis, quàm Laicis, cujuscumque tandem status, gradus, conditionis, & dignitatis existant, ut in posterum non audeant sub quovis quæsito colore, vel prætextu, imprimere, vel quoquo modo in lucem edere Libros, Libellos, Relationes, Theses, Folia, seu scripta quæcumque, in quibus ex professo, vel incidenter de Ritibus Sinicis hujusmodi, vel de controversiis desuper, seu illorum occasione exortis quomodolibet tractetur, sine expressa, & speciali licentia à Sanctitate Sua, seu pro tempore existente Romano Pontifice in Congregatione suprædictæ Sanctæ, & Universalis Inquisitionis obtinendæ. Ut autem ejusmodi prohibitio inviolabiliter observetur, eadem Sanctitas Sua voluit, & declaravit, contravenientes quoscumque excommunicationis latæ sententiæ; Regulares vero etiam privationis vocis activæ, & passivæ pœnas ipso facto absque alia declaratione incurrere; & nihilominus aliis etiam pœnis Sanctitatis suæ, & Successorum suorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis subjacere. Libros porro, Libellos, Relationes, Theses, Folia, ac Scripta quæcumque, quæ in futurum contra præsentis prohibitionis tenorem edi contigerit, (citra ullam aliorum hactenus editorum approbationem, super quibus opportunè providebitur), pro expressè prohibitis haberi voluit, absque alia declaratione, sub pœnis, & censuris in Regulis Indicis Librorum prohibitorum contentis. Impressores verò, præter Scriptorum sic impressorum amissionem, pecuniariis, aliisque corporalibus pœnis, juxta criminis gravitatem, teneri mandavit. In contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque.

Vetat publicari scripta super Rit. Sin., absque licentia S. S.

Publicata verò prohibet, sub pœnis &c.

Joseph Bartholus Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis Notarius.

§. 9. At verò, nec Decretum hujusmodi ad difficiles animos subjiciendos valuit. Itaque Clemens idem Papa XI., quò illos tandem aliquando frænaret, Constitutionem anno 1715. evulgavit, qua solemniter iterum confirmavit antedictas Sacræ Inquisitionis responsiones, easque exactè, & ad amussim observari mandavit, præclusis omnibus iis effugiis, quibus perfectam earum observantiam contumaces homines aliquo pacto evadere potuissent; & est tenoris, qui sequitur:

Idem Clemens XI. præfatas Responsiones edita Constitutione confirmat.

§. 10. *CLEMENTIS PAPÆ XI. Præceptum super omnimoda, absoluta, integra, & inviolabili*

Tenor Constitutionis, Ex ILLA DIE.

labili observatione eorum, quæ aliàs à Sanctitate Sua in Causa Rituum, seu Cæremoniarum Sinensium decreta fuerunt: cum rejectione quarumcumque rationum, seu excusationum ad ejusmodi Decretorum executionem declinandam allatarum, ac præscriptione Formulæ Juramenti per Missionarios illarum partium præsentes, & futuros hac in re præstandi.

Exordium. Pontificis studium dirimendi controversias super Ritibus Sinen.

CLEMENS PAPA XI. Ad futuram rei memoriam. Ex illa die, qua, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, Catholicæ Ecclesiæ gubernacula, hoc est, munus suâ amplitudine gravissimum, ac temporum iniquitate molestissimum, Deo sic disponente, suscepimus, nihil Nobis manum clavo admoventibus antiquius fuit, quam acerrimas contentiones jampridem in Imperio Sinarum inter Apostolicos illarum partium Missionarios exortas, semperque in dies magis invalescentes, tam circa quasdam voces Sinicas, ad sanctum, & ineffabile Dei nomen exprimendum inibi usurpatas, quàm circa nonnullos earum gentium Ritus, veluti superstitiosos à quibusdam ex Missionariis prædictis reprobatos; ab aliis vero, utpotè eos civiles tantum asserentibus, permissos; Apostolici Judicii censurâ opportunè dirimere: ut, sublatis dissidiis, Christianæ Religionis, Catholicæque Fidei propagationem turbantibus, omnes tandem id ipsum dicerent in eodem sensu, & in eadem sententia, unoque ore glorificaretur Deus ab iis, qui sanctificati sunt in Christo Jesu.

In eum finem approbavit Responsiones, de quibus supra.

Hoc consilio responsa illa, quæ ad varias quæstiones super ejusmodi rebus excitatas, prævio diuturno examine, dudum, videlicet tempore fel. record. Innocentii Papæ XII. Prædecessoris nostri inchoato, ac deinde jussu nostro per plures annos continuato, auditisque utriusque Partis rationibus, necnon complurium Theologorum, & Qualificatorum sententiis, à Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium in tota Republica Christiana Generalium Inquisitorum adversùs hæreticam pravitatem auctoritate Apostolicâ deputatorum data fuerunt, Nos die 20. Novembris 1704. eâdem auctoritate confirmavimus, & approbavimus.

Tenor Responsionum. De Dei nomine,

Ea autem, quæ in responsis hujusmodi decreta fuerunt, sunt quæ sequuntur: „ Cum Deus Optimus Maximus congruè apud Sinas vocabulis Europæis exprimi nequeat, ad eumdem verum Deum significandum, vocabulum *Tien Chù*, hoc est, Cœli Dominus, quod à Sinensibus Missionariis, & Fidelibus longo, ac probato usu receptum esse dignoscitur, admittendum esse: nomina verò *Tien* Cœlum, & *Xang Ti* Supremus Imperator, penitùs rejicienda.

Ejusque inscriptione.

„ Idcirco Tabellas cum inscriptione Sinica *King Tien*, Cœlum colito, in Ecclesiis Christianorum appendi, seu jam appensas in posterum inibi retineri permittendum non esse.

De cultu Confucii.

„ Ad hæc nullatenus, nullaque de causa permittendum esse Christifidelibus, quod præsint, ministrent, aut intersint solemnibus Sacrificiis, seu Oblationibus, quæ à Sinensibus in utroque æquinoctio cujuscumque anni Confucio, & Progenitoribus defunctis fieri solent, tamquam superstitione imbutis. Similiter, nec esse permittendum, quod in Ædibus Confucii, quæ Sinico nomine *Miao* appellantur, iidem Christifideles exerceant, ac peragant Ceremonias, Ritus, & Oblationes, quæ in honorem ejusdem Confucii fiunt tum singulis mensibus in Novilunio, & Plenilunio à Mandarinis, seu primariis Magistratibus, aliisque Officialibus, & Litteratis; tum ab eisdem Mandarinis, seu Gubernatoribus, ac Magistratibus, antequam dignitatem adeant, seu saltem post ejus possessionem adeptam; tum denique à Litteratis, qui postquam ad gradus sunt admissi, è vestigio ad Templum, seù Ædem Confucii se conferunt.

De cultu Majorum Defunctorum in Templis.

„ Præterea non esse permittendum Christianis, in Templis, seu Ædibus Progenitoribus dicatis Oblationes, minus solemnes eisdem facere, nec in illis ministrare, aut quomodolibet inservire, vel alios Ritus, & Ceremonias peragere.

Et in domibus, in sepulchris, & super eorum Cadaveribus.

„ Item, nec esse permittendum præfatis Christianis, Oblationes, Ritus, & Ceremonias hujusmodi coram Progenitorum Tabellis, in privatis domibus, sive in eorumdem Progenitorum Sepulchris, sive antequam defuncti sepulturæ tradantur, in eorum honorem fieri consuetas, unà cum Gentilibus, vel seorsim ab illis peragere, eisque ministrare, aut interesse; immo prædicta omnia, utpote quæ, perpensis hinc inde deductis, necnon diligenter ac maturè discussis omnibus, ita peragi comperta sunt, ut à superstitione separari nequeant, Christianæ Legis cultoribus ne quidem permittenda esse, præmissa publica, vel secreta protestatione, se, non religioso, sed civili, ac politico tantùm cultu erga defunctos illa præstare, nec ab eis quidquam petere, aut sperare.

Præsentia materialis non damnatur in quibusdam casibus &c.

„ Non tamen per hæc censendam esse damnatam præsentiam illam, seu assistentiam merè materialem, quam cum Gentilibus superstitiosa peragentibus, citra ullam sive expressam, sive tacitam gestorum approbationem, ac quovis ministerio penitus secluso, eisdem superstitiosis actibus quandoque præstari contingat a Christianis, cùm aliter odia, & inimicitiæ vitari non possunt: factâ tamen prius, si commodè fieri poterit, Fidei protestatione, ac cessante periculo subversionis.

De Tabellis Progenitorum domi retinendis.

„ Demum permittendum non esse Christifidelibus, Tabellas defunctorum Progenitorum in suis privatis domibus retinere, juxta illarum partium morem, hoc est cum inscriptione Sinica, quæ Thronus, seu Sedes Spiritus, vel Animæ N. significetur; immo nec cum alia, qua Sedes, seu Thronus, adeoque idem, ac priori, licet magis contracta, inscriptione, designari videatur. Quo verò ad Tabellas solo defuncti nomine inscriptas, tolerari posse illarum usum, dummodo in eis conficiendis omittantur omnia, quæ superstitionem redolent, & secluso scandalo, hoc est, dummodo qui Christiani non sunt, arbitrari non possint, Tabellas hujusmodi a Christianis retineri eâ mente, quâ ipsi illas retinent, necnon adjectâ insuper declaratione ad latus ipsarum Tabellarum apponendâ, quâ, & quæ sit Christianorum de defunctis fides, & qualis Filiorum, ac Nepotum in Progenitores pietas esse debeat, enuntietur.

Pietatis officia non superstitiosa neutiquam prohibentur.

„ Per præmissa nihilominus non vetari, quominus erga defunctos peragi possint alia, si quæ sint, ab iis gentibus peragi consueta, quæ verè superstitiosa non sint, nec superstitionis speciem præseferant, sed intra limites civilium, & politicorum Rituum contineantur. Porro quænam hæc sint, & quibus adhibitis cautelis tolerari valeant, tum pro tempore existentis Commissarii, & Visitatoris Generalis Apostolici, seu ejus vices exercentis in Imperio Sinarum, tum Episcoporum, & Vicariorum Apostolicorum illarum partium judicio relinquendum esse: qui tamen interea omni, quo poterunt, studio, ac diligentiâ curare debebunt, ut Gentium Cœremoniis penitus sublatis, illi sensim a Christianis, & pro Christianis hac in re usu recipiantur Ritus, quos Catholica Ecclesia pro defunctis piè præscripsit.

Eorum examen Visitatori Apostolico, Episcopis, & Vicariis Apost. relinquitur.

Post

Refertur Decretum supra insertum §. 8.

Post hæc verò, labente ferè sexennio, nempe die 25. Septembris 1710., auditis iterum dictorum Cardinalium, qui rem maturè, ac diligentissimè discusserunt, suffragiis, eadem responsa, necnon Mandatum, seu Decretum, quod illis expressè inhærendo, a piæ recordationis Carolo Thoma, dum vixit, ejusdem S. R. E. Cardinali de Tournon nuncupato, tunc Patriarcha Antiocheno, Commissario, & Visitatore Apostolico Generali in præfato Imperio Sinarum, die 25. Januarii 1707. editum fuit, ab omnibus & singulis, ad quos spectabat, inconcussè, & inviolabiliter, sub censuris, & pœnis in Mandato, seu Decreto hujusmodi expressis, observanda esse decrevimus, & declaravimus, quovis contrafaciendi quæsito colore, seu prætextu penitus sublato, ac potissimùm non obstante quacumque appellatione a quibusvis Personis ad Nos, & Sedem Apostolicam interpositâ, quam propterea prorsus rejiciendam esse similiter decrevimus, ac re ipsa rejecimus, prout in Decreto hac de re edito fusius continetur.

Hæc omnia plenè, & abundè sufficere debuissent, ut ea, quæ inimicus homo superseminaverat, zizania ex agro illo radicitus evellerentur, Fidelesque omnes nostris, & hujus Sanctæ Sedis mandatis, eâ, quâ par erat, humilitate, & obedientiâ obsequerentur: præsertim cum in calce responsorum prædictorum a Nobis, sicut præmittitur, confirmatorum, & approbatorum, Causam jam finitam esse, apertis, & perspicuis verbis pronunciatum fuerit.

Ejus observantia variis effugiis retardata.

Verùm, cum, sicuti ex eisdem partibus non sine intimo animi nostri dolore ad nostri pervenit Apostolatus auditum, tam enixè à Nobis præscripta responsorum hujusmodi executio malè a plerisque, sive vano falsoque obtentu, quod illa a Nobis suspensa fuerint, vel minus legitimè promulgata, sive conditionum, ut perperam asseritur, in eis insitarum, & ante executionem ipsam verificandarum, factorumve, super quibus ipsa emanarunt, non justificatorum ratione, sive ulteriorum a Nobis ea in re edendarum declarationum colore, sive gravium, quæ tam Missionariis, quàm Missioni ipsi ex demandata executione obvenire possent, periculorum formidine, sive demum Decreti dudum, nempe die 23. Martii 1656. super ejusmodi Ritibus, seu Cæremoniis Sinicis a præfata Congregatione Cardinalium editi, ac a recol. mem. Alexandro Papa VII. etiam Prædecessore nostro approbati prætextu, necnon sine gravi Pontificiæ nostræ authoritatis injuria, Christifidelium scandalo, ac salutis animarum detrimento, satis diu, multumque eludatur, aut saltem nimium retardetur:

Præceptum arctissimum, sub censuris, & pœnis, pro ejusdem Decreti executione.

Hinc est, quod Nos, ex commissæ Nobis divinitus Apostolicæ servitutis munere, difficultates, tergiversationes, subterfugia, & prætextus hujusmodi penitus, & omnino è medio tollere, ac rejicere, necnon Christifidelium quieti, animarumque saluti, quantum Nobis ex alto conceditur, prospicere cupientes, de eorumdem Cardinalium consilio, ac etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnibus & singulis Archiepiscopis, & Episcopis in supradicto Sinarum Imperio, aliisque ei conterminis, sive adjacentibus Regnis, ac Provinciis nunc, & pro tempore quandocumque existentibus, sub suspensionis ab exercitio Pontificalium, & Interdicti ab ingressu Ecclesiæ, eorum verò Officialibus, ac Vicariis in Spiritualibus Generalibus, aliisque illorum locorum Ordinariis, ac etiam Vicariis Apostolicis, qui Episcopi non sint, eorumve Provicariis, necnon Missionariis, tam sæcularibus, quàm cujusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, etiam Jesu, Regularibus, sub excommunicationis latæ sententiæ, a qua nemo a quoquam, præterquam a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi possit, & quoad Regulares, etiam privationis vocis activæ, & passivæ pœnis per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrendis, tenore præsentium præcipimus, ac in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, ut responsa præinserta, omniaque, & singula in eis contenta, exactè, integrè, absolutè, inviolabiliter, & inconcussè observent; ac ab eis, quorum cura ad illos spectat, similiter observari, quantum in ipsis est, curent, & faciant: neque illis, sive ullo ex superius expressis, sive alio quovis titulo, causâ, occasione, colore, vel prætextu, contravenire quoquo modo audeant, vel præsumant.

De qua omnes Missionarii juramentum præstare jubentur.

Præterea motu, scientiâ, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, harum serie statuimus, & sub eisdem excommunicationis reservatæ, ac privationis vocis activæ, & passivæ pœnis, ordinamus, ut omnes, & singuli Ecclesiastici tam sæculares, quàm prædictorum Ordinum, Congregationum, Institutorum, & Societatum, etiam Jesu, Regulares, ad Sinas, aliave præfata Regna, & Provincias, sive ab hac Sancta Sede, sive etiam ab eorum Superioribus missi, & quandocumque in posterum mittendi, cujusvis tandem tituli, aut facultatis vigore illic existant, vel in futurum extiterint; missi scilicet, statim, ac præsentes Literæ eis innotuerint; mittendi verò, antequam ibidem aliquod Missionarii munus exercere incipiant; Juramentum de fideliter, integre, ac inviolabiliter observando ejusmodi Præcepto, ac Mandato nostro, juxta formulam in præsentium Literarum calce annotandam, in manibus Commissarii, & Visitatoris Apostolici in præfato Imperio Sinarum pro tempore existentis, vel alterius ab illo deputati, sive, eo deficiente, in manibus Episcoporum, vel Vicariorum Apostolicorum dictarum partium, in quorum respectivè jurisdictione commorantur, vel commorabuntur, aut aliorum ab eis deputatorum, Regulares verò in manibus insuper Superiorum suæ Religionis, vel ab illis deputatorum in eisdem partibus existentium, præstare omnino debeant, ac teneantur: ita ut ante præstationem Juramenti hujusmodi, & subscriptionem sub eadem formula ab unoquoque, qui juramentum ipsum præstiterint, propriâ manu faciendam, nullum Missionarii munus continuare, aut exercere, immo nec tamquam deputati ab Episcopis, seu Ordinariis Locorum, aut tamquam simplices suæ Religionis Presbyteri, sive alio quovis titulo, causâ, seu privilegio, de quibus expressa, & specialissima esset facienda mentio, Christifidelium Confessiones audire, concionari, aut Sacramenta quomodolibet administrare ullo modo valeant, nullisque omnino facultatibus, sive sibi speciatim, sive suis respectivè Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus, etiam Jesu, hujusmodi generaliter a Sede præfata concessis, uti possint; sed quoad eos, præter, & ultra superius expressas pœnas, omnes & singulæ facultates prædictæ omnino cessent, nulliusque roboris sint, & esse censeantur.

Et donec illud præstiterint, eisdem suspenduntur facultates.

Juramenti præstiti exempla authentica ad S. Sedem transmittantur.

Omnia autem Juramenta hujusmodi per quoscumque Missionarios tam Sæculares, quàm Regulares, in memoratorum sive Commissarii, & Visitatoris Apostolici pro tempore existentis, sive Episcoporum, aut Vicariorum Apostolicorum manibus, sicut præmittitur, præstanda, postquam subscriptione munita fuerint, vel saltem authentica illorum exempla, per eosdem Commissarimm, & Visitatorem Apostolicum pro tempore existentem, Episcopos, & Vicarios Apostolicos, ad præfatam Congregationem Cardinalium, quanto citius fieri poterit, transmittantur.

Superiores curent præmissorum executionem.

Superiores vero Regulares cujusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, etiam Jesu, illic nunc, & pro tempore existentes, sub eisdem pœnis, teneantur non solum idem Juramentum in præfatorum, sive Commissarii, & Visitatoris Apostolici pro tempore existentis, sive Episcoporum, aut Vicariorum Apostolicorum manibus, juxta modum supra præscriptum, præstare, ejusque formulæ subscribere, sed etiam illius præstationem a suis respectivè Subditis exigere, ac authentica ea super re documenta quamprimum transmittere ad suos

respecti-

respectivè Superiores Generales, qui illa memoratæ Congregationi Cardinalium statim tradere debebunt.

Clausulæ pro omnimoda Literarum observantia.

Decernentes, easdem præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod prædicti, & alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, seu aliàs specificâ, & individuâ mentione, & expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, causæque propter quas præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac inexcogitato, & inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu, notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos Juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato, quempiam in Judicio, vel extra illud, uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, quibuscumque juris, seu facti defectibus, qui adversus illas, etiam quorumvis a Sede præfata concessorum privilegiorum prætextu, ad effectum impediendi, seu retardandi earum executionem, quovis modo, seu quavis ex causa opponi, seu objici possent, minimè refragantibus, suos plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, easque propterea, omnibus, & singulis quomodolibet allatis, seu afferendis impedimentis penitus, & omnino rejectis, ac nequaquam attentis, ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter & inconcusse observari; sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & præfata Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decreta irritantia.

Derogationes amplissimæ.

Non obstantibus præmissis, &, quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ de Jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quorumcumque Ordinum, Congregationum, Institutorum, & Societatum, etiam Jesu, ac quarumvis Ecclesiarum, & aliis quibuslibet, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, Statutis, & consuetudinibus, ac præscriptionibus quantumcumque longissimis, & immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus, etiam Jesu, ac Ecclesiis prædictis, aliisve quibuslibet personis, etiam quantumvis sublimibus, & specialissimâ mentione dignis, a Sede prædicta ex quacumque causa, etiam per viam contractus, & remunerationis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, seu ad quarumcumque personarum, etiam Imperiali, Regali, aliâve qualibet mundanâ, vel Ecclesiasticâ dignitate fulgentium instantiam, aut earum contemplatione, seu aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, ac quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Formula juramenti a Missionariis præstandi.

„ *Formula autem Juramenti, sicut præmittitur, præstandi, est, quæ sequitur, videlicet:*
„ Ego N. Missionarius ad Sinas, vel ad Regnum N., vel ad Provinciam N. a Sede Apostolica, vel a Superioribus meis, juxta facultates eis a Sede Apostolica concessas, missus, vel destinatus, Præcepto, ac Mandato Apostolico super Ritibus, & Cœremoniis Sinensibus in Constitutione Sanctissimi Domini Nostri Domini Clementis Divina Providentia Papæ XI. hac de re edita, qua præsentis Juramenti formula præscripta est, contento, ac mihi per integram ejusdem Constitutionis lecturam optimè noto, plenè ac fideliter parebo, illudque exactè, absolutè, ac inviolabiliter observabo, & absque ulla tergiversatione adimplebo. Si autem (quod Deus avertat) quoquo modo contravenerim, toties quoties id evenerit, pœnis per prædictam Constitutionem impositis me subjectum agnosco, & declaro. Ita, tactis Sacrosanctis Evangeliis, promitto, voveo, & juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

„ Ego N. manu propria.

Præceptum de Literarum intimatione, transmissione, & executione.

Cæterum volumus, & expresse mandamus, ut eædem præsentes Literæ, seu earum exempla, etiam impressa, notificentur, & intimentur omnibus, & singulis memoratorum Ordinum, Congregationum, Institutorum, & Societatum, etiam Jesu, Superioribus Generalibus, & Procuratoribus Generalibus, ad hoc ut tam suo, quàm prædictorum eis respectivè Subditorum, seu inferiorum nomine, ipsas Literas fideliter exequi, & observare spondeant, actumque sponsionis hujusmodi in scriptis reddant; earum verò exempla prædicta pluribus viis, quanto citius fieri poterit, transmittant ad eosdem suos Subditos, seu inferiores in Sinis, aliisque Regnis, & Provinciis supradictis degentes, cum arctissimis præceptis easdem Literas, & in eis contenta quæcumque plenariè, & integrè, ac verè, realiter, & cum effectu in omnibus, & per omnia similiter exequendi, & observandi.

Exemplorum auctoritas.

Quia verò difficile foret, Literas hujusmodi originales ubique ostendi, & publicari, volumus pariter, & decernimus, illarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eamdem prorsus fidem tam in Judicio, quàm extra illud, ubique locorum haberi, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 19. Mart. 1715.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 19. Martii 1715. Pontificatus Nostri Anno Decimoquinto.

F. Oliverius.

Ejus quoque Constitutionis observantia eluditur.

§. 11. Per Constitutionem Apostolicam adeo solemnem, qua Clemens Papa XI. se huic controversiæ finem dedisse testatur, justum & æquum videbatur, eos, qui Sanctæ Sedis authoritatem sese quam maximè revereri profitentur, humili, & obsequenti animo illius Judicio semet omnino subjicere, nec ulterius quicquam cavillari. Nihilominus inobedientes, & captiosi homines exactam ejusdem Constitutionis observantiam se effugere posse putarunt, eâ ratione, quod illa Præcepti titulum præfert, quasi vero non indissolubilis Legis, sed Præcepti merè Ecclesiastici vim haberet; tum etiam, quòd illam debilitatam existimarent ex Permissionibus quibusdam, quas super iisdem Sinensibus Ritibus publicavit Carolus Ambrosius Mediobarbus Patriarcha Alexandrinus, cùm Commissarium, & Visitatorem Generalem Apostolicum in iis Regionibus ageret.

Præsertim ob permissiones publicatas a Patriarcha Alexandrino.

Pontifex præinsertam Constitutionem amplissime confirmat.

§. 12. Nos igitur animadvertentes, prædictam Constitutionem Christiani Cultus puritatem respicere, quem illa ab omni superstitionis labe immunem servare contendit, nullo modo ferre possumus, quemquam existere, qui eidem repugnare temerè audeat, aut contemnere, perinde ac ipsa Supremam Apostolicæ Sedis decisionem non contineret, & id, quo de agitur, non ad Religionem spectaret, sed quid per se indifferens foret, aut quædam variabilis disciplinæ ratio: Proinde auctoritate ab Omnipotenti Deo Nobis traditâ uti volentes ad illam in suo robore omnino servandam, de authoritatis ejusdem plenitudine, non modo eam approbamus, & confirmamus, sed etiam, quantum possumus, omnem vim, & firmitatem, ad illam magis, magisque roborandam, ac stabiliendam, adjicimus, eamque in se plenam, ac omnimodam Apostolicæ Constitutionis auctoritatem habere dicimus, & declaramus.

Exponit, quid causam dederit memoratis permissionibus.

§. 13. Permissiones autem, quarum obtentu aliqui prædictæ Constitutionis robur infringere conantur, originem duxerunt à Responsionibus quibusdam, quas duo viri, qui jampridem in Sinarum Regno fuerant, ad quæsita nonnulla dederunt, quæ super ejusdem Constitutionis Apostolicæ executione, ac praxi, Missionarii quidam proposuerant. Responsiones itaque hujusmodi, unâ cum dubiis illis, nullo tamen Romani Pontificis, sive approbantis, sive aliquid de suo addentis indicio, transmissæ fuerunt ad præfatum Patriarcham Alexandrinum, ejus animi instruendi causâ, utque illis uteretur, prout circumstantiæ rerum, ac temporis postularent: integro tamen remanente Apostolicæ Sedis Jure eas comprobandi, vel etiam revocandi, si quando conformes, aut repugnantes Constitutionis præfatæ decretis ullo modo compertæ forent.

Factum Patriarchæ Alexandrini.

§. 14. Vix Sinarum Regnum Patriarcha Alexandrinus ingressus, in iis angustiis se positum intellexit, ut coactus fuerit in publicum emittere, non quidem Responsiones, quas præmemorati duo Viri ad proposita quæsita dederant, bene verò Permissiones octo, quæ ab illis fuerant deductæ, atque inde ab eodem Patriarcha in Pastorali sua Epistola insertæ, cujus tenor est, uti sequitur:

Tenor Epistolæ Pastoralis.

§. 15. *Carolus Ambrosius Mediobarbus, Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ Patriarcha Alexandrinus, necnon in Indiis Orientalibus, ac Sinarum Imperio, finitimisque Regnis, & Insulis Commissarius, & Visitator Generalis Apostolicus cum facultate Legati de Latere &c. Omnibus Episcopis, Vicariis Apostolicis, ac Missionariis, qui in prædictis partibus degunt, salutem in eo, qui est omnium vera salus.*

Exordium.

Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus, & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem, qua exhortamur & ipsi à Deo. Nil etenim Nobis magis in animo fuit, ex quo in Sinarum Imperium, Deo favente, pervenimus, quàm cum iis omnibus, qui in hac Evangelica Vinea laborant, os ad os loqui. Desideravimus enim videre vos, ut aliquid impertiremur vobis gratiæ spiritualis ad confirmandum vos, idest simul consolari in vobis per eam, quæ in invicem est, fidem vestram, atque meam. Verùm, quia non sapientiam hujus sæculi loquuti fuimus, in timore, & tremore multo fuimus apud vos, satiusque duximus, ad sedandam tempestatem adversus Evangelicos Operarios ingruentem, Nos in mare projicere, ut vos jactari sinatis. Adjuter noster nunc & erit ille Deus, qui dedit Nobis in mari viam, & in aquis torrentibus semitam. Veritatem dicimus in Christo, non mentimur, testimonium Nobis perhibente conscientiâ nostrâ in Spiritu Sancto; quoniam tristitia Nobis magna est, & continuus dolor adhæret cordi nostro, quod præsentes non potuerimus solari vos, ut fructum aliquem haberemus, & in vobis, & in cæteris gentibus.

Excitat Missionarios ad eorum munus implendum.

At verò, quod non licuit per præsentiam agere, saltem per epistolam non impedimur. Primum quidem gratias agimus Deo nostro per Jesum Christum pro omnibus vobis; qui Spiritu Sancto ferventes, & fortes, Sanctæ Sedis mandatis rationabile exhibetis ministerium vestrum, jactantes cogitatum in eum, cui à Domino dictum est: Pasce oves meas; *cui traditæ sunt claves Domus David; si aperit, non est qui claudat, si claudit, non est qui aperiat. Quotquot estis, macte animis, vigilate, state in fide, viriliter agite, & confortamini, quia merces vestra magna est in Cœlis. Ministerium vestrum implete, attendite vobis, & doctrinæ. Lucernæ estote, non minus lucentes exemplo, ac zelo prædicationis ardentes. Si qui verò adhuc essent hæsitantes, & in opere non efficaces, obsecramus vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis Schismata, sitis perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia. Non amplius invicem judicemus. Unusquisque vestrum pari humilitate, ac obedientiâ Sanctæ Sedis mandatis obsequatur, ut vestra obedientia in omnem locum divulgetur.*

Profitetur se nihil innovare circa Constitutionem Ex illa die.

Non enim opus est, ut aliquem actum faciamus, ut Sanctissimi Domini Nostri Clementis Papæ XI. mandata jam promulgata vobis innotescant, vimque habeant, ut absque ulla tergiversatione executioni mandentur. Nihil proindè innovamus: sed relinquimus res, prout sunt; hoc est, nullatenus Constitutionem super Ritibus Sinicis à Sanctissimo Domino Nostro Clemente Papa XI. die 19. Martii 1715. emanatam suspendimus, aut, quæ in ea vetantur, permittimus.

Ratio edendarum permissionum.

Ob aliqua tamen quibusdam Missionariis circa quasdam Cœremonias peragi consuetas suborta dubia, ut quilibet in Vinea Domini strenuè, ac viriliter laborare queat, nonnulla adnotamus, quæ permitti poterunt: quæ & separatim unicuique secundùm quæsita dedissemus, nisi compertum Nobis esset, unà cum incertis nuntiis jam disseminata, proborum animos, & Christifideles bonæ voluntatis non parùm perturbasse. Omni igitur, quo poteritis, studio, ac diligentia curare debetis, ut Gentium Cœremoniis penitus sublatis, illi sensim à Christianis, & pro Christianis usu recipiantur Ritus, quos Catholica Ecclesia piè præscripsit.

Permissiones.

Primò. *Permittitur Christianis Sinensibus in suis privatis domibus uti Tabellis defunctorum inscriptis solo nomine defuncti, appositâ ad latus declaratione debitâ, & omissâ quacumque superstitione in earum constructione, necnon secluso omni scandalo.* I.

Secundò. *Permittuntur omnes Cœremoniæ Nationis Sinicæ erga defunctos, quæ non sint aut superstitiosæ, aut suspectæ, sed civiles.* II.

Tertiò. *Permittitur Confucii Cultus ille, qui civilis est, & etiam ejusdem Tabellæ purgatæ &* III.

literis, & superstitiosâ inscriptione, & adjunctâ declaratione debitâ; sicuti permittitur ante ejus Tabellam correctam accendi candelas, uri odores, apponi comestibilia.

IV. Quartò. *Permittitur pro usu, & expensis funerum offerri candelas, odores, adjunctâ in schedula debitâ declaratione.*

V. Quintò. *Permittuntur reverentiæ genuflexionum & prostrationum erga Tabellam correctam, aut etiam erga feretrum, aut defunctum.*

VI. Sextò. *Permittitur præparari mensas cum dulciariis, fructibus, carne, & cibis usualibus circa, aut coram feretro, ubi sit Tabella correcta, cum debita declaratione, & omissis superstitiosis, pro quadam honestate tantùm, & pietate erga defunctos.*

VII. Septimò. *Permittitur coram Tabella correcta reverentia dicta* Ko teu, *tum in anno novo Sinico, tum in aliis anni temporibus.*

VIII. Octavò. *Permittitur coram Tabellis reformatis accendi candelas, uri odores cum debitis cautelis, sicuti etiam ante tumulum, ubi pariter collocari possunt cibi, ut supra dictum est, adhibitis cautelis, ut in superioribus.*

Operarios ad laborem enixiùs hortatur. *Apostolici ergo viri Ecclesiam adhibentes non habentem maculam, neque rugam, ponant manum suam ad aratrum, nec respiciant retro. Videte fratres vocationem vestram; non enim auditores Legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. Obsecramus itaque vos, ut dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis, solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Nè diutius agamus secundùm potestatem, paternè vos commonere voluimus per Epistolam. Amabilem illum Patrem familias, qui exiit primo mane conducere Operarios in Vineam suam, audite:* Quid hic statis totâ die otiosi? Ite & vos in Vineam meam. *Vocem Patris perpendite, & illam Judicis timete. Ipsi vos probate; virtus enim Dei erit vobis in auxilium, ac plenam ministerio Verbi Dei functi recipietis mercedem, immarcescibilem nimirum à Pastorum Principe gloriæ coronam. Ne quis vos seducat inanibus verbis obedire veritati. Scitote, quod obedientes voci ejus, qui misit vos, rationem non eritis reddituri pro animabus, sed unusquisque vestrum pro se rationem reddet Deo. Quicumque sub diversis prætextibus cessandum sibi putat à ministerio Missionarii, lædit animam suam, & de alienis æterno Judici rationem reddet. Quam dabit homo commutationem pro anima sua, & pro alienis? Deus est vitis vera, vos palmites. Qui non ferent fructus in eum, arescent tamquam palmites; & collecti, & alligati in fasciculos ad comburendum mittentur in caminum ignis inextinguibilis. Respicite Dominum nostrum Jesum Christum secus viam ambulantem, qui in fici arbore nihil invenit, nisi folia tantùm, & ait illi:* Nunquam ex te nascantur fructus in sempiternum. *Si aliqui palmites jamdiù conversi in amaritudinem, qui expectabantur ut tandem facerent uvas, spinas super spinas adjecissent, væ, væ à die iræ, à die furoris, & indignationis Domini! Attendite ad verba, quæ mandat vobis per Servum suum Dominus adhuc misericors. Revertimini ad Deum vestrum, manete in eo, qui manens in vobis purgabit vos, & desideratos cunctis gentibus fructus afferetis. Apostolico satisfecisse nos muneri judicamus; non enim subterfugimus, quominus annuntiaremus omne consilium Dei vobis, ut nullam excusationem habeatis de peccatis vestris. De cætero quotquot eritis obedientes, fratres, gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete; & Deus pacis, & dilectionis erit vobiscum.*

Prohibet versionem, & publicationem Epistolæ, sub censuris, & pœnis, addita causa, *Cum verò ad promovendam in Neophitis debitam Decretis Apostolicis obedientiam, præsentium nostrarum Literarum notitiam iisdem Neophitis minimè necessariam esse, sed satis esse eos in viam salutis dirigere, juxta Pontificiæ Constitutionis præscripta, compertum sit; ne quis eorum, ad quos præsentes Literæ directæ sunt, cujuscumque Ordinis, aut Instituti, aut Congregationis fuerit, aut Societatis etiam Jesu, præsentes Literas, aut quæ in eis continentur (exceptis Permissionibus, quæ quidem cautè, & ubi necessitas tantùm, aut utilitas postulaverit, patefaciendæ erunt) sive directè, sive indirectè per se, vel per alium voce tenus, aut scripto in Linguam Tartaram, aut Sinicam vertat, aut quocumque modo cuilibet, qui Missionarius non sit, nota faciat, sub excommunicationis latæ sententiæ, à qua nonnisi à Nobis, aut à Summo Pontifice (præterquam in articulo mortis constitutus) absolvi possit, & quoad Regulares etiam privationis vocis activæ, & passivæ, pœnis, per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrendis, tenore præsentium vetamus, & in virtute sanctæ obedientiæ prohibemus. Datum Macai in Palatio nostræ Residentiæ die 4. Novembris anno 1721.*

Dat. Macai die 4. Nov. 1721.

Quid sentiendum de facto Patriarchæ Alex., ex ipsius Pastoralis sensu.

§. 16. Cum autem Patriarcha Alexandrinus in prælaata Pastorali mentem suam satis prudenter explicuisset, nimirum Pastoralis hujus suæ Epistolæ notitiâ opus non esse ad promovendam in Neophitis erga Pontificia Decreta venerationem, & observantiam, cum satis esset, ut juxta Constitutionis Pontificiæ mandata in via salutis dirigerentur; præterea cùm omnibus, & quibuscumque interdictum voluisset, sub pœna quoque excommunicationis latæ sententiæ, ne quis illam in Sinensem, aut in Tartaricum sermonem verteret, aut cuiquam, qui Missionarius non esset, eam palam faceret; de Permissionibus autem cum statuisset, nonnisi cautè, & ubi tantùm utilitas, vel necessitas id postularet, esse evulgandas: profectò omnis, ad quem Pastoralis illa dirigebatur, ex tali procedendi modo haud obscurè inferre debebat, quantis ille animi angustiis obsessus, & quàm anceps, ac perplexus in Permissionibus hujusmodi proponendis extitisset; adeò ut œconomiâ quadam usus fuisset ad loci, & temporis circumstantias prorsus necessariâ: à qua putandum est eum recessurum fuisse, si libertas sibi data esset rem discutiendi cum Episcopis, aliisque doctis Viris, qui nihil aliud, quàm Christiani cultus puritatem, & Apostolicæ Constitutionis observantiam ante oculos haberent.

Permissionum abusus; earumque divulgatio ab Episcopo Pekinensi facta. §. 17. At Permissiones illæ contra expressam adeò Patriarchæ ipsius voluntatem, evulgatæ; &, quod mirum, Pekini Episcopus per binas suas Pastorales mandavit, sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ, universis Diœcesis suæ Missionariis, ut observarent, & observari præciperent Constitutionem: *Ex illa die*, juxtà Permissiones, quas ipse contendebat, ad ea potissimùm referri, quæ in præcitata Constitutione fuerant solemniter interdicta. Præcepit insuper, ut Christifideles quater singulis annis in diebus omnium celeberrimis distinctè instruerentur cum iis, quæ Constitutione Apostolicâ prohibentur, tum in iis, quæ à Patriarchæ Alexandrini Pastorali permittuntur.

Quæ damnatur à Clemente XII. §. 18. Enimverò Clemens Papa XII. Prædecessor noster, tam audax Episcopi Pekinensis factum æquo animo ferre haud potens, muneri suo maximè interesse judicavit binas illas Epistolas damnare, ac penitus reprobare Apostolico Brevi, quod anno 1735. promulgavit: in quo sibi, ac Sanctæ Sedi facultatem reservavit, declarandi Sinensibus Christianis mentem suam, & ejusdem Sanctæ Sedis sententiam in iis, aliisque, quæ ad materiam hujusmodi spectarent. Præfatum autem Breve est tenoris sequentis:

Tenor Brevis hac de re editi. §. 19. *CLEMENTIS PAPÆ XII. Revocatio, annullatio, & cassatio duarum Epistolarum Pastoralium bonæ memoriæ Francisci Episcopi Pekinensis nuper defuncti, die 6. Julii, & die 23. Decembris MDCCXXXIII. circa Ritus Sinenses editarum.*

Procœmium.

CLEMENS PAPA XII. Ad perpetuam rei memoriam. Apostolicæ sollicitudinis Nobis divinitus commissæ ratio Nos admonet, ut ea, quæ Christianæ Religionis, Catholicæque Fidei propagationi, ac incrementis quacumque ratione obsistere posse dignoscuntur, quantum Nobis ex alto conceditur, recidere, ac è medio tollere studeamus. Cum itaque, sicut ad Apostolatus nostri notitiam pervenit, occasione binarum Epistolarum, quas Pastorales vocant, bon. mem. Francisci, dum viveret, Episcopi Pekinen. nuper defuncti, die 6. Julii, & 23. Decembris anni 1733. circa Ritus Sinenses editarum, graves in Imperio Sinarum inter Apostolicos illarum partium Missionarios exortæ fuerint dissensiones, quæ uberes fructus, quos Sancta Mater Ecclesia ex assiduo Operariorum in illam Agri Dominici partem missorum labore præstolatur, impedire, aut morari possent; Nos, ut pristina inter eos Missionarios pax, & animorum concordia, sublatis quibusvis dissidiis, restituatur, de opportuno in præmissis remedio providere volentes, ac Epistolarum prædictarum tenores, & alia quæcumque etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & exactè specificatis habentes, de nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, qui jussu nostro Epistolas ipsas sedulò, ac diligenter examinarunt, consilio, ac etiam motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, binas memorati Francisci Episcopi Pekinensis Epistolas Pastorales præfatas, ac pœnas, & alia quæcumque in eis contenta, cum omnibus, & singulis inde secutis, & forsan quandocumque secuturis, penitus, & omnino nulla, invalida, & irrita, nulliusque prorsus roboris, & momenti esse, & perpetuo fore, tenore præsentium declaramus: & nihilominus, ad majorem cautelam, & quatenus opus, illa omnia, & singula motu, scientiâ, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, harum serie itidem perpetuo revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, & abolemus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, ac pro revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis, & abolitis, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuis semper haberi volumus: Nobis insuper, & Apostolicæ Sedi reservantes facultatem Christifidelibus in eodem Regno degentibus aperiendi nostram, & dictæ Sedis mentem, post maturam itidem habitam deliberationem, super aliis rebus, quæ hujusmodi materiam respiciunt.

Epistolarum Episcopi Pekinen. pernicious effectus.

Eædem cassantur, & irritantur.

Reservatur facultas aperiendi sensum Apostolicæ Sedis.

Decernentes ipsas præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis, ad quos quomodolibet spectat, & pro tempore quandocumque spectabit; præsertim verò Archiepiscopis, Episcopis, Vicariis, Pro-Vicariis, & Missionariis Apostolicis tam sæcularibus, quàm cujusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, etiam Jesu, Regularibus in supradicto Sinarum Regno nunc, & pro tempore existentibus, inviolabiliter, & inconcusse observari; sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis præfatæ Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari: In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Volumus autem, ut earundem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Clausulæ, & Decreta.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVI. Septembris MDCCXXXV. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

F. Card. Oliverius.

Dat. die 26. Sept 1735.

§. 20. Id verò quod idem Pontifex Clemens XII. sibi, ac Sanctæ Sedi Christianis Sinensibus declarandum reservavit, erat profectò materia Permissionum, de quibus certior jam factus fuerat, deque maximâ inde secutâ inter Missionarios dissensione; cum alii contenderent, Constitutionem: *Ex illa die*: omnem viam suam amittere, si Permissiones illæ in praxi consistant; alii verò factis palam ostenderent, Permissionum colore se ad prædictæ Constitutionis observantiam minime teneri, juxtà illa, quæ in ipsa Constitutione præscribuntur. Itaque præfatus Prædecessor noster, quò Christianæ Religionis puritatem, quæ in iis Regionibus per exactam præmemoratæ Constitutionis observantiam servanda erat, assereret, & controversiis istiusmodi finem aliquando imponeret, examini perquam diligenti totum Permissionum negotium commisit, ita ut a Theologis, tum etiam a Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Sacræ Inquisitioni præpositis, maturè seriòque discuteretur. Antequam verò supremam de illis sententiam pronuntiaret, ad pleniorem facti notitiam obtinendam, omnes, & singulos, quotquot in Urbe existerent, Sinarum Missionarios, tum etiam complures Juvenes, qui ex iis Regionibus in Europam, educationis, & Christianæ rei addiscendæ causâ, venerant, ad examen super his, servato juris ordine, vocari jussit.

Idem Clemens XII. committit examen Permissionum Congregat. S. Inquisit. auditis Missionariis, aliisque.

§. 21. Nos igitur Prædecessoris nostri vestigiis insistentes, eodemque Religionis zelo, quo ille, incensi, ut tanti momenti opus, quod ipse morte præoccupatus absolvere minimè potuit, aliquando tandem, Deo auxiliante, perficeremus, Permissiones illas, & quidem singulas, coram Nobis summo studio, ac diligentiâ examinari curavimus; neque laborem nostrum tantùm, sed Cardinalium quoque, & Sacræ Inquisitionis Consultorum doctrinam, & consilium exquisivimus; ac tandem satis apertè compertum habemus, antedictas Permissiones nunquam a Sancta Sede probatas, Apostolicæ Clementis Papæ XI. Constitutioni repugnare, atque adversari, utpote quæ partim Ceremonias, Ritusque Sinenses a prædicta Constitutione proscriptos admittant, ac veluti probatos atque utendos concedant, partim regulis in ipsa traditis ad vitandum superstitionis periculum opponantur.

Pontifex examen hujusmodi coram se ac resp. per se ipsum absolvit.

Declarat Permissiones nunquam a S. Sede approbatas fuisse, immo ejus Decisionibus adversari.

§. 22. Nolentes itaque, quemquam, ad Constitutionem ipsam summo Christianæ Religionis damno malitiosè evertendam, Permissionibus ejusmodi uti; definimus, ac declaramus, præfatas Permissiones ita esse habendas, ac si nunquam extitissent, earumque praxim tamquam superstitiosam omnino damnamus, & execramur. Itaque præsentis hujus nostræ Constitutionis perpetuò valituræ vi revocamus, rescindimus, abrogamus, atque omni vigore, & effectu vacuas esse volumus omnes illas, & singulas Permissiones; easque semper uti cassas, irritas, invalidas, & nullius prorsùs roboris, aut vigoris habendas esse dicimus, ac pronunciamus.

Easdem Permissiones reprobat, & annullat, earumque praxim damnat.

§. 23. Præterea cùm Clemens Papa XI. in Constitutione: *Ex illa die*: apposuerit hæc verba: *Per præmissa nihilominus non vetari, quominus erga defunctos peragi possint alia, si quæ sint, quæ vere superstitiosa non sint &c.*: Nos dicimus, & declaramus ea verba: *Alia si quæ sint*: intelligenda esse de usibus, & Ceremoniis diversis ab illis, quas idem Pontifex Apostolicâ

Quæcumque a Clemente XI. interdicta fuerunt, iterum expresse interdicit.

Con-

Constitutione jam interdixerat, & quas Nos pariter eâdem auctoritate configimus, atque interdicimus, ne antedictis Permissionibus, quas omninò damnatas volumus, ullus in posterum locus pateat.

Permissionum usum omnibus prohiber.

§. 24. Districtè itaque prohibemus, ne quis Archiepiscopus, aut Episcopus, aut Vicarius, aut Delegatus Apostolicus, aut Missionarius tàm Sæcularis, quàm Regularis, cujuscumque Ordinis, Congregationis, Instituti, etiam Societatis Jesu, aliorumque, de quibus expressa, & individua mentio fieri debeat, Permissionibus prædictis ullo pacto uti valeat, sive publicè, sive privatim, sive palam, sive clam; neque audeat, vel præsumat Constitutionis paulo ante citata verba aliter, ac Nos supra declaravimus, alicui explicare, aut interpretari.

Constitutionem Clementis XI. aliter explicari vetat.

§. 25. Quare ex prædictorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, motu quoque proprio, ac certa scientia, maturaque deliberatione, tum etiam de plenitudine Apostolicæ potestatis, Constitutionis præsentis tenore, & in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, & expresè mandamus omnibus, & singulis Archiepiscopis, & Episcopis in Sinarum Imperio, aliisque Regnis, & Provinciis, sive finitimis, sive adjacentibus, nunc existentibus, aut olim pro tempore futuris, sub pœnis suspensionis a Pontificalium exercitio, & ab Ecclesiæ ingressu Interdicti, eorum verò Officialibus, & Vicariis in Spiritualibus Generalibus, aliisque eorumdem Locorum Ordinariis, Vicariis quoque, aut Delegatis Apostolicis, qui Episcopi non sunt, tum etiam eorum Provicariis, & insuper Missionariis universis tàm Sæcularibus, quàm Regularibus cujuscumque Ordinis, Congregationis, Instituti, etiam Societatis Jesu, sub pœnis privationis quarumcumque, quibus gaudent, facultatum, & suspensionis ab exercitio curæ animarum, tum etiam suspensionis a Divinis ipso facto incurrendæ absque alia declaratione, demum excommunicationis latæ sententiæ, a qua non possint nisi a Nobis, & a Romano Pontifice pro tempore existente absolvi, præterquam in articulo mortis constituti, additâ quoad Regulares etiam vocis activæ, & passivæ privationis pœnâ, præcipimus, & districtè mandamus, ut omnia, & singula, quæ in hac nostra Constitutione continentur, exactè, integrè, absolutè, inviolabiliter, atque immobiliter non modò ipsi observent, sed etiam omni conatu, ac studio ea ipsa observari curent a singulis, & universis, qui quoquo modo ad eorum curam, & regimen spectant; nec colore, causâ, occasione, seu prætextu aliquo, huic nostræ Constitutioni ulla in parte contraire, aut adversari audeant, vel præsumant.

Præsentium observatiam, & executionem omnibus, & singulis injungit, atque demandat, adjectis pœnis.

Missionarios inobedientes in Europam revocari jubet.

§. 26. Præterea quoad Missionarios Regulares cujuscumque Ordinis, Congregationis, Instituti, ac Societatis quoque Jesu, siquis eorum (quod Deus avertat) exactam, integram, absolutam, inviolabilem, strictamque obedientiam denegaverit iis, quæ a Nobis præsentis hujus Constitutionis tenore statuuntur, ac præcipiuntur; eorum Superioribus tam Provincialibus, quam Generalibus, in virtute sanctæ obedientiæ expresè mandamus, ut homines hujusmodi contumaces, perditos, ac refractarios a Missionibus absque ulla mora dimoveant, eosque in Europam statim revocent, ac de illis notitiam Nobis exhibeant, ut reos pro gravitate criminis punire valeamus. Quod si prædicti Superiores Provinciales, aut Generales huic nostro præcepto minùs obtemperaverint, aut in eo desides fuerint, Nos contra ipsos quoque procedere non recusabimus, atque inter cætera mittendi aliquem ex ipsorum Ordine in earum Regionum Missiones privilegio, seu facultate, eos perpetuò privabimus.

Comminatis pœnis in Superiores Ordinum.

§. 27. Postremò, ut hæc nostra Constitutio in suo robore semper integra, ac firma maneat, volumus quoque, ut ad Formulam Juramenti a Clemente Papa XI. in sua Constitutione præscriptam nonnulla adjiciantur, quæ maximè necessaria putavimus. Idcirco omnes, qui præfatæ Constitutionis vigore, sub pœnis in ea contentis, Juramentum præstare debebunt, in posterum sequenti Formulâ utentur, videlicet: *Ego N. Missionarius ad Sinas, vel ad Regnum N., vel ad Provinciam N. a Sede Apostolica, vel a Superioribus meis, juxtà facultates eis a Sede Apostolica concessas, missus, vel destinatus, Præcepto, ac Mandato Apostolico super Ritibus, ac Ceremoniis Sinensibus in Constitutione Clementis Papæ XI. hac de re edita, qua præsentis Juramenti formula præscripta est, contento, ac mihi per integram ejusdem Constitutionis lecturam apprimè noto, plenè, ac fideliter parebo, illudque exactè, absolutè, ac inviolabiliter observabo, & absque ulla tergiversatione adimplebo, atque pro virili enitar, ut a Christianis Sinensibus, quorum spiritualem directionem quoquomodo me habere contigerit, similis obedientia eidem præstetur. Ac insuper, quantum in me est, numquam patiar, ut Ritus, & Ceremoniæ Sinenses in Literis Pastoralibus Patriarchæ Alexandrini Macai datis die 4. Novembris 1721. permissæ, ac a Sanctissimo Domino Nostro BENEDICTO PP. XIV. damnatæ, ab eisdem Christianis ad praxim deducantur. Si autem (quod Deus avertat) quoquo modo contravenerim, toties quoties id evenerit, pœnis per prædictas Constitutiones impositis me subjectum agnosco, & declaro. Ita, tactis Sacrosanctis Evangeliis, promitto, voveo, & juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.*

Ego N. manu propria.

Præscribit novam Juramenti Formulam.

Apostolica exhortatio ad Evangelicos Operarios.

§. 28. Confidimus igitur fore, ut Princeps Pastorum Jesus Christus laboribus a Nobis, qui ejus vices in terris gerimus, in hoc gravissimo negotio diu impensis benedicat, ut in amplissimis illis Regionibus Evangelica lux clarè, nitidèque effulgeat, ac præpotenti manu sua sic pia nostra consilia promoveat, ut Regionum earumdem Pastores intelligant, planèque sibi persuadeant obligationem, qua ipsi tenentur vocem nostram audire, & sequi. Confidimus quoque, Deo favente, ex eorum cordibus inanem illum metum sublatum iri, ne videlicet per exactam Pontificiorum Decretorum observantiam infidelium conversio retardetur. Nam hæc a Divina Gratia sperari potissimùm debet: quæ quidem ab eorum ministerio longè non aberit, si Christianæ Religionis veritatem impavidè prædicaverint, atque eâ puritate, qua ipsis ab Apostolica hac Sancta Sede tradita est; parati quoque ad eam propugnandam sanguinem effundere, exemplo Sanctorum Apostolorum, aliorumque Christianæ Fidei clarissimorum propugnatorum, quorum sanguis tantum abfuit, ut Evangelii cursum interciperet, aut retardaret, ut potiùs Vineam Domini florentem magis, & fidelium animarum copiosiorem effecerit. Nos quidem pro viribus nostris Deum obsecrabimus, ut invictam illis hanc animi firmitatem, & Apostolici zeli robur concedat. Verum ad eorum memoriam deducimus, ut, quando ad Sacras Missiones destinantur, se tamquam veros Jesu Christi discipulos cogitent, & ab eodem se missos fuisse, non ad gaudia temporalia, sed ad magna certamina, non ad honores, sed ad despectiones, non ad otium, sed ad labores, non ad requiem, sed ad afferendum fructum multum in patientia.

Exemplorum auctoritas.

§. 29. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem

eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus Literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio Constitutionis.

§. 30. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, innovationis, revocationis, rescissionis, abolitionis, cassationis, annullationis, damnationis, ac ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 11. Julii 1742.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, quinto Idus Julii, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo secundo, Pontificatus Nostri Anno II.

P. Pro-Datarius.
D. Card. Passionеus.

VISA DE CURIA.
N. Antonellus.
J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.
Publicat. die 9. Augusti ejusdem Anni.

LX.

Spectacula inverecunda, Festis potissimum diebus frequentari solita, prohibentur.

Venerabilibus Fratribus, Episcopis Provinciarum Maritimæ, & Campaniæ, aliorumque Locorum &c.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Pontifex dolet, veterum ludos, jam dudum damnatos, in usum revocari.

NIHIL profectò Nobis ad vigilias Dominici Gregis assiduè excubantibus accidere potuit acerbius, nihilque quod minus hac tempestate opinaremur, quàm ut deformes, & inverecundi Ethnicorum mores, a quibus Christiani hominis pudor, & modestia semper abhorruit, denuo isthic invecti essent, ac veluti postliminio restituti. Quamvis enim minimè Nos lateret, scelestos olim Lupercalium Administros, Sacra Fauno, vel Pani per ludum, atque lasciviam persolventes, nudos huc illuc per Urbem discurrisse; Sanctumque Pontificem Gelasium Prædecessorem nostrum tantâ commotum impudentiâ, ac obscenum morem execrantem, literas dedisse Andronico Senatori, Populoque Romano acri nefarii ritus assertori: Nihilo tamen minus memoriæ proditum est, quinto post Christum sæculo exeunte, Theodorico Italiæ Rege, & Anastasio Orientis Imperatore, pestem illam penitus fuisse sublatam, & extinctam. Nunc verò multorum relatu, (quod dolentes dicimus), certisque indiciis admonemur, profanum morem, perpetua involvendum caligine, e tenebris antiquitatis rursus emergere, ac in Vestris Diœcesibus fœdè revocari, cum ad Sanctorum Patronorum Festa solemniter recolenda, Pueri, ac interdum etiam Adolescentes, cursu in spem Bravii nudi contendere jubeantur, maxima utriusque sexus, ac omnium ætatum spectante frequentia. Quæ quidem spectacula eò nequitiæ magis, ac improbitatis præseferunt, quo magis non impuro alicui, ut antea, Numini, sed piæ, castæque Sanctorum memoriæ nuncupantur.

Præsertim diebus festis.

Explicat Ecclesiæ mentem quoad celebrationē Christianarum solemnitatum.

§. 1. Qua igitur corporis nuditate impudentissimè habita sunt apud veteres Lupercalia, eâdem Festi Christianorum Dies istic celebrantur; nec minus injuriæ in illis verecundia passa est, quàm in his hodie morum honestas habeat detrimenti. Dies Festi non ad id instituti sunt, ut Christianus Populus epulis, ebrietatibus, ludis, spectaculis, aliæque id genus licentiæ liberiùs vacet; Sed ut Fideles in precibus, divinisque laudibus frequentes, & assidui sint, ut Ecclesiis intersint, Sacramenta ad animæ vulnerum curationem instituta adhibeant, sedulòque se exerceant in his operibus, quæ veram pietatem continent, & ut demum Sanctos una cum Christo Regnantes, tamquam Patronos, congruis officiis, & honoribus prosequantur.

Inverecundam membrorum nuditatem abominatur.

§. 2. Dececet præterea membrorum nuditas, atque ita dedecet, ut vetuerit Ecclesiastica Disciplina Salvatoris Imagines nudo penitus corpore in Tabulis, vel Simulacris expressas; Et quamvis nudo corpore Christum Cruci suæ affixum, & illorum temporum mores, & gravium Scriptorum auctoritas suadeant; adhuc Christianorum Pietas a tali spectaculo semper abhorruit. Athletarum pugnæ (ut literis consignatum est) in Stadio apud Græcos, in Circo apud Romanos usui fuere, atque in illis Disco, Luctâ, & Cœstu strenuè certatum est; utque Veterum testantur monumenta, interdum nudi, interdum etiam fasciâ tecti homines dimicarunt. In vestris igitur Diœcesibus, Venerabiles Fratres, nonnihil priscæ licentiæ adhuc remanet: Et cum in Plateis seminudi his luctationibus vacent homines; cumque ex industria sæpius, sæpius vero ex violento motu nudi penitus circumagantur: Facilè quisque conjicere potest, quàm absonum, & indecorum sit, his ludis aditum non intercludere.

Præcipit Episcopis prohibere ejusmodi cursus, luctas &c.

§. 3. Quapropter ne injuncto Nobis Apostolicæ servitutis officio deesse videamur, districtè per hæc scripta mandamus, ut turpes, & obscenæ hujusmodi exercitationes, Puerorum, & Adolescentum nudorum cursus, luctæque, quocumque nomine, vel occasione exhibendæ, a vestris Diœcesibus eliminentur. Et quia inobedientiæ delictum, mixti, ut ajunt, Fori videri potest; curabimus diligenter, ut si qui legum vestrarum rationi fuerint refragati, in eos, etiam qui nostro nomine Civitatibus temporaliter præsunt, rigidè, & condignè animadvertant; sicque fore speramus, ut fœda hæc corruptela, utroque percussa gladio radicitus evellatur.

Idem Locorum Gubernatoribus demandat.

Inveteratam consuetudinem non obstare decernit.

§. 4. Verum quia impioribus etiam Causis Vindices non desunt, & perpugnaces Assertores, si qui forte sint, qui impudenter exprobrent, hujusmodi ludos Pontificum Antecessorum tolerantiâ, ac diuturno usu invaluisse: hi probè sciant, nullum ex temporis lapsu deploratæ Causæ comparari præsidium. Et ne longè a vestris Diœcesibus petantur exempla, in memoriam revocent, choreas etiam quasdam Mulierum, & Virorum publicè eo die haberi solitas, quo S. Xisti Pontificis, & Martyris Alatrinæ Civitatis Patroni recolebatur, jussu Episcopi providè vetitas fuisse; & Edictum Episcopi, licet acri calamo Romanæ Curiæ Advocatorum impetitum, die 2. Aprilis 1694. a Congregatione Negociis Episcoporum, & Regularium præpositâ, strenuè fuisse propugnatum. Cœterum cùm Sancto etiam Gelasio objiceretur, antiqui moris fuisse Lupercalia; Sanctissimus Pontifex consuetudinem pudori inimicam, & honestati detrahentem reprobavit, ratus Prædecessorum suorum leges saluberrimè institutas non defuisse, sed hominum fraude, & malitiâ leges ipsas fuisse contemptas.

Refert Decretum Congregationis Episc., & Reg.

Adhortatio ad Episcopos.

§. 5. Quemadmodum itaque Nos de perspecta Prædecessorum nostrorum vigilantia egregiè, ut par est, sentimus, & abusum non illorum incuriæ, sed Subditorum inobedientiæ ducimus referendum; Sic a Vobis spectabiles Ecclesiarum vestrarum Antistites a quavis negligentiæ notâ vindicentur. Quanti Dei honorem, Sanctorum cultum, & animarum salutem facitis, Venerabiles Fratres, vos hortamur, & obtestamur, ut corrupti hujusmodi mores, specie quadam lætitiæ invecti, reformentur; utque creditæ Vobis Oves ab impuro, profanoque Ritu

declinantes, ad piam, & fructuosam Festos dies celebrandi rationem traducantur. Nos interea, in optati eventûs auspicium, Apostolicam Benedictionem ex animo Vobis impertimur.

Dat. die 12. Aug. 1742.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die XII. Augusti MDCCXLII. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

LXI.

Electio Hieronymi de Bock in Episcopum Harlemensem nulla & illicita declaratur; eidemque inhibetur, ne Consecrationis munus audeat suscipere.

Dilectis Filiis, Universis Catholicis in Fœderato Belgio commorantibus.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecti Filii, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Procœmium.

QUAMQUAM inhærens altis radicibus fideli animo vestro Catholica Religio satis habeat in se virtutis ad præcavendam execrandi schismatis luem, quæ magis, magisque serpere apud vos nititur; adeo tamen soliciti sumus de incolumi vestra salute, ut noster erga vos amor verè singularis quiescere nequeat, nisi & Nos pro commisso tenuitati nostræ Apostolico Ministerio accurramus ad acuendam vestram vigilantiam, avertendumque venenatæ fraudis periculum, cui devitando nihil salubrius, ac illud, præmonitum fuisse.

Refertur electio Pseudo-Archiepiscopi Ultrajectensis, ejusque damnatio.

§. 1. Quartus jam labitur annus, cum pauci turbulento, ut nostis, ingenio, & a sincera Fide abhorrentes, adscito simulatorum Canonicorum nomine, Petrum Joannem Meindarts in Pseudo-Archiepiscopum Ultrajectensem incredibili temeritate cooptarunt. Sed hujusmodi Electionem statim san. mem. Decessor Noster Clemens XII. vi suarum Literarum in forma Brevis 6. Octobris 1739. nefandam, irritam, inanem declaravit, delevit, abjudicavit. Eumdem verò Petrum Joannem, & quotquot falso Canonicorum Ultrajectensium nomine in ipsum suffragia contulerunt, illique adhærentes favorem, opem, consilium, consensum præstiterunt, excommunicavit, anathematizavit, atque ab Ecclesiæ communione segregatos, ac prorsus Schismaticos habendos, & vitandos esse declaravit. Quin etiam sub eadem pœna excommunicationis ipso facto, & sine ulla alia declaratione incurrendæ mandavit, ac severè indixit, ne Jurisdictionem Episcopalem, quam nullam adeptus fuerat, aut pro animarum regimine auctoritatem sibi arrogaret, atque exercere auderet; ne pro suscipiendis ordinibus Dimissorias Literas daret; ne Pastores; ne Missionarios; ne Ministros, Deservitores, aut alios, quocumque nomine nuncupentur, ad animarum curam, & Sacramentorum administrationem, quovis etiam necessitatis prætextu, constitueret, ac deputaret. Hinc etiam palam edixit, & declaravit, omnes, & singulas antedictorum Officiorum deputationes pro animarum regimine quocumque nomine jam factas, aut fortasse faciendas, cum omnibus inde sequutis, prorsus irritas esse, nulliusque roboris, ac momenti. Qui verò per ipsius Literas Dimissorias fuisset Ecclesiasticis Ordinibus initiatus, denunciavit eum suspensionis vinculo obstrictum esse, atque irregularitati propterea obnoxium, si susceptos ordines exercuisset. Præterea sub pœnis canonicis, suæque indignationis, interdixit omnibus cujusque Catholicæ Ecclesiæ Archiepiscopis & Episcopis, ne antedictum Petrum Joannem frustra electum Archiepiscopum consecrare auderent; sub eisdemque pœnis ipsi Petro Joanni mandavit, ne se cuiquam Archiepiscopo & Episcopo consecrandum præberet: qua illicita, ac nefaria consecratione tot reliquas subiret pœnas, & nihilominus ab omni suscepti Episcopalis Ordinis exercitio suspensus maneret.

Et inhibitiones ipsi factæ ne jurisdictionem ullam exerceret.

Item refertur ipsius sacrilega Consecratio.

§. 2. Quis sanæ mentis homo tam terribili percussus fulmine non cohorruisset? non is tamen sese cohibuit, quem veluti ad perficiendum scelus furiæ quædam agitare videbantur; sed reperiens, qui suo temerario consilio nequiter obsecundarent, pristinum inanis electionis novo detestandæ consecrationis crimine cumulavit. Exarsimus ad immane scelus, atque hominem perditum nulliusque pudoris, Satanæ in interitum tradidimus Censuris omnibus illigatum, ni resipisceret: nefariam illius consecrationem, illicitam, illegitimam, sacrilegam, ac contra Supremæ Sedis mandata & sacrorum Canonum sanctiones factam declaravimus; Palam denunciavimus, eundem Petrum Joannem, non solùm ab iis, quæ sunt Jurisdictionis, esse suspensum, sed etiam ab iis, quæ sunt Ordinis. Mandavimus propterea, sub pœna excommunicationis ipso facto, & sine alia declaratione incurrendæ, ne ullo pacto Chrisma conficeret, Clericos ordinaret, Virgines consecraret, aut alia Episcopalis Ordinis exercere auderet; Decernentes insuper vacuos, inanes, nullisque prorsus roboris ac momenti omnes & singulos alios actus, quos attentare præsumpserit; ac proinde denunciavimus, si qui ab ipso Ecclesiasticis Ordinibus fuissent initiati, suspensionis vinculo obstrictos esse, atque irregularitati propterea obnoxios, si susceptos ordines exercuissent. Hæc omnia decrevimus ad apertissimum Schisma delendum; quorum vos participes fecimus nostris Literis in forma Brevis 24. Junii 1741.; ne subdolis artibus ad ejus suorumque asseclarum communionem subornari possetis.

Censuræ in ipsum denuò latæ.

Ejusdemque suspensio ab exercitio Ordinis.

Neve consecrationis munus susciperet.

§. 3. Tantum verò abfuit, ut homo ille Ecclesiasticæ pacis inimicus, aut a supremo Patrefamilias minitando rogandoque revocatus, aut ingenua instinctus verecundia, aut publica execratione deterritus, deflexerit a via iniquitatis; ut immo, quam semel ingressus fuit, insistat viam, pergatque audacius: cum dudum non erubuerit quemdam Hieronymum de Bock Harlemensi donare Episcopatu jamdiu exoleto, & ab se nunc restituto ea potestate, quam sibi ex ingenio fingit. Illum cum suo commentitio Ultrajectensi Capitulo ad hoc etiam temeritatis deveniisse, ac tot jam flagitiis utrumque inquinatum tam diro ac prope incredibili scelere se fordidasse, ingenti sane luctu comperimus: Non quòd perterrefacti simus schismate ad extrema præcipitante: & Sectatores per summum nefas malumque dolum ad sui præsidium illiciente. Confidimus enim fore neminem compotem mentis, ne dum Catholica veritate imbutum, qui non sit irrisurus pernicioſam hujusmodi novitatem, & surgentem, Petro Joanne Meindarts conditore, inopinatam Ecclesiam, ipsi, veluti suo Capiti, conjunctam, ab eaque divisam, quam Nos, licèt indigni, Deo auctore moderandam suscepimus. Sed hinc præcipuè vehementer angimur, quòd renovari hoc tempore videmus veterem aliquot Schismaticorum insaniam, Episcopales Cathedras, ubicunque liberet, excitantium; Quamquam ut illa suo consumpta furore, ludibrioque habita tandem deperiit; hujus etiam parem exitum fore non dubitamus. Quod ad Nos attinet, id primùm supplices oramus a Patre misericordiarum, ut obstinatam hanc perduellionem sedare velit; Deinde, ut, si qui ea involuti ob impletam iniquitatis mensuram in profundum demerguntur, nec ullam afferunt emergendi spem, in iis sistat nefandum ulcus, ne quid ultra sani Gregis inficiat.

Is tamen, deplorando ausu, Hieron. de Bock Pseudo-Episcopum Harlemen. elegit.

Quod nulliter & illegitime factũ declaratur.

§. 4. Cui quidem sistendo pestilenti ulceri, aut, si fieri possit, curando, Nos haud negligimus è Sacrorum Canonum disciplina remedium adhibere. Quapropter Prædecessorum nostrorum, Sacrarumque Legum morem atque exempla sequuti, tradita Nobis è Cœlo potestate, Electionem Hieronymi de Bock in Harlemensem Episcopum, a Pseudo-Archiepiscopo Petro Joanne, & ab ejus fictis Canonicis factam, nullam, inanem, nefariam, illegitimam, ac sacrilegam declaramus, eamque rescindimus, delemus, abrogamus. Deinde, sub pœna excommunicationis ipso facto, & sine alia declaratione incurrendæ, mandamus, districtèque indicimus eidem Hieronymo de Bock, ne ullam Episcopalem Jurisdictionem exerceat, nè pro suscipiendis Ordinibus Dimissorias Literas dare, nè Pastores, Missionarios, Ministros, Deservitores, aut alios, quocunque nomine vocentur, ad animarum curam, & Sacramentorum administrationem, quovis etiam necessitatis prætextu, constituere ac deputare audeat: ac proinde si quis per ipsius Literas Dimissorias Ecclesiasticos Ordines susceperit, se suspensum, ac propterea irregularitati obnoxium esse sciat, si susceptos ordines exercuerit. Quascunque verò antedictorum Officiorum deputationes quocumque nomine, sive jam factas sive faciendas, cum omnibus inde sequutis, prorsus irritas, nulliusque momenti declaramus.

Ipsique nulliter electo interdicitur exercitium jurisdictionis Episcopalis.

§. 5. Præterea, sub eadem pœna excommunicationis ipso facto, & sine alia declaratione incurrendæ, mandamus, tam eidem Hieronymo de Bock, ne se cuiquam Archiepiscopo, aut Episcopo consecrandum præbeat, quàm ipsi Pseudo-Archiepiscopo Petro Joanni, aliisque Archiepiscopis & Episcopis, ne eumdem inaniter electum Episcopum Harlemensem consecrare audeant. Has autem pœnas decernimus, sine præjudicio illarum, quas tam Electus Pseudo-Episcopus, quàm Elector Pseudo-Archiepiscopus noverint se incurrisse vigore nostrarum Literarum in forma Brevis xxiv. Junii MDCCXLI.

Inhibetur ipsi, ne Consecrationem suscipiat; aliisque Episcopis, ne ipsum consecrare audeant.

§. 6. Denique ad vos, dilecti Filii, gaudium & corona nostra, paterni cordis curas cogitationesque convertimus, solicitè monentes, atque adhortantes, ut in ea vocatione maneatis, in qua vocati estis, repudiata illorum vafritie, qui incautos pellicere ad se conantur. Date quotidie magis operam, ut seductores intelligant, vos ad verum Christi Domini Ovile, & ad ejus in terris Vicarium pertinere. Spectaculum facti estis Mundo, Angelis, & hominibus, qui vos indutos Catholicæ lorica veritatis, & galea salutis, adversus hostes, non minus occulta rabie, quàm aperta blandiloquentia insidiosos, strenuè pugnare undique circumspiciunt, ac vestram animi fortitudinem, invictamque constantiam eximiis laudibus extollunt; non sine credibili nostro plausu, qui tantam virtutem plurimi facimus, servatamque a vobis Catholicæ Ecclesiæ, Nobis, Romanæque Sedi fidem, singulari amore prosequimur; cujusque pignus Apostolicam Benedictionem vobis, dilecti Filii, peramanter impertimur.

Adhortatio ad Catholicos in Fœd. Belgio existentes.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 1. Septembris MDCCXLII. Pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 1. Septembris 1742.

J. Vincentius Luccheſinius.

Publicata die 28. ejuſdem Menſis & Anni.

LXII.

Indultum vacandi operibus servilibus in quibusdam diebus Festis de Præcepto aliàs observari solitis: pro nonnullis Universitatibus Diœcesis Calaguritanæ.

Venerabili Fratri, Episcopo Calaguritano.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Quædam Disciplinæ capita aliquando temperari expedit.

CUM, sicut quædam sunt, ut inquit S. Leo Magnus Prædecessor Noster, quæ nulla possunt ratione convelli, ita multa sint, quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari; illa semper conditione servata, ut in his, quæ vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec Decretis Sanctorum Patrum inveniatur adversum: Eapropter Apostolica hæc Sancta Sedes, pro Paterna erga Universos Christifideles benignitate, quoad integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in iis auctoritatem interponere, quæ cæteroquin ad majus Divini Cultus incrementum præscripta, aut per frigescentem in nonnullorum cordibus caritatem, ad otium luxuriamque convertuntur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam, non sine conscientiæ angore contemnuntur.

Causæ allatæ pro obtinenda reductione dierũ festorum de præcepto.

§. 1. Quoniam autem, sicut pro parte Carissimi in Christo Filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici Nobis nuper expositum fuit, ipsi Philippo Regi innotuit, in Provincia Ipuscoana, cujus pars in Fraternitatis Tuæ Diœcesi Calaguritana continetur, præter festos dies in Universali Ecclesia servari solitos, alios quamplurimos sive pietatis studio, sive quacumque alia de causa præceptos agitari, ita ut quamplurimis ejusdem Provinciæ, & Diœcesis Tuæ hominibus, (qui manu, & labore in sudore vultus vescentes pane suo, ob ingentem festorum dierum numerum, obtenta alendæ vitæ necessitate, vetitis laboribus aditum jam latè aperuerunt), si per omnes dies festos hujusmodi a servilibus operibus abstineant, ad vitam lucro sustinendam haudquaquam tempus sufficiat; ac propterea Nobis humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis opportune providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Apostolici Indulti tenor.

§. 2. Nos itaque, qui Christifidelibus, quantum cum Domino possumus, salutare remedium potius ad æternam salutem comparandam, & humanam vitam honestè sustentandam adhibere, quam per severiorem Ecclesiasticæ disciplinæ rigorem ad desperationem inopes adducere cupimus, dictos homines specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus etiam ejusdem Philippi Regis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Fraternitati Tuæ per præsentes committimus & mandamus, ut, veris existentibus narratis, omnibus utriusque sexus Christifidelibus ejusdem Provinciæ in Diœcesi tua existentibus, ut deinceps, exceptis omnibus diebus Dominicis, Natalis Domini Nostri Jesu Christi, & sequenti Sancti Stephani, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, & sequenti, Ascensionis Domini, Pentecostes, & sequenti itidem diebus,

Dies excepti.

Corporis

Corporis Christi, S. Johannis Baptistæ, Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, Sancti Jacobi, & Commemorationis omnium Sanctorum, præterea quinque dicatis Beatæ Virgini Mariæ Immaculatæ, scilicet Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis, & Conceptionis, necnon Sancti Patroni, aut Tutelaris cujuslibet loci pro hominibus ejusdem loci dumtaxat, in quibus integra maneat præcepti obligatio; in reliquis diebus Festis, sive per hanc Sanctam Sedem præceptis, sive per Synodales ejusdem Diœcesis Constitutiones, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa Voti per Majores suos facti, quod quoad hanc partem etiam auctoritate nostra Apostolica per Te commutari volumus, præceptis, audita Missa, laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus, sine ullo prorsus conscientiæ scrupulo vacare possint, auctoritate nostra Apostolica concedas, indulgeas, & permittas, ac statuas, præcipias, & mandes.

In reliquis conceditur, ut, audita Missa, operibus servilibus vacari possit.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Provinciæ, & Diœcesis præfatarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 1. Sept. 1742.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 3. Septembris MDCCXLII. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

D. Card. Passionei.

Eodem mense Septembri 1742.

Simile Indultum concessum fuit pro nonnullis Universitatibus Diœcesis Pampilonensis.

Item pro Universitatibus, & hominibus Diœcesis Pacensis.

Mense Septembri 1743.

Simile pro hominibus Civitatis, & Diœcesis Septensis.

Mense Septembri 1744.

Simile pro Diœcesi Hispalensi.

Pro Diœcesi Mindoniensi.

Pro Diœcesi Malacitana.

Mense Majo 1745.

Simile pro Oppido de Olivares nullius Diœcesis Provinciæ Hispalensis.

Et pro Civitate, & Diœcesi Vallisoletana.

LXIII.

Ordinationes omnium Clericorum, & Sacerdotum Ritus Græco-Rutheni a Serviano schismate ad Ecclesiæ sinum redeuntium Episcopo Auxerensi delegantur.

Venerabili Fratri, Matthæo Episcopo Auxeren.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Proœmium.

E Sublimi Sedis Apostolicæ specula circumspicientes Dominicum Gregem, a Pastorum Principe tenuitati præcipuè nostræ commendatum, ea providere curamus, quæ in unaquaque ejus parte, ad salutem, conservandamque spiritualem vitam conferre possunt.

§. 1. Quod cum propositum sit Nobis, & modo intelligamus, opportunum esse, ut, qui in Dalmatiæ Diœcesibus a Serviano Schismate ad verum Christi Ovile redierunt, aut redituri sunt, Sacerdotes, & Ecclesiasticæ Hierarchiæ reliquos habeant a Catholico Episcopo consecratos Græco ipsorum Rutheno Ritu; quocirca, ut quotquot inter suæ Gentis Catholicos Clericali Militiæ dare nomen cupiunt, a Schismatico Antistite initiarentur, hanc abrumpere absurdam nimis, & Sacris Canonibus vetitam consuetudinem constituimus; adacti metu, ne, non penitus discissa cum morbosis Pseudo-Episcopi societate, occultè venenum hauriant, in ceteras Oves dispergendum, nec bona deinceps utantur valetudine.

Causæ præsentis Indulti.

§. 2. Huic ut occurramus periculo, utque frequentissimæ illorum Parœciæ a Parochis prorsus Romanæ Catholicæ Ecclesiæ conjunctis administrentur, optimum visum est, dare alicui Latino Catholico Episcopo, qui eam linguam, & cœremonias calleat, facultatem cooptandi in Ecclesiasticos Ordines eodem Græco-Rutheno Ritu, non solùm in propria, sed etiam in alienis Diœcesibus Dalmatiæ, Veneto Imperio subjectis, habito primum consensu ab Ordinariis, quotquot, Dimissorialibus a proprio Antistite acceptis, ejus Populi Parœcias, aliaque Sacra Ministeria curare debent: Quo tempore, atque occasione ipsi Latino Episcopo Pontificalia consimili Græco-Rutheno more exercere liceat. Hanc modo facultatem tantumque munus agendum tribuimus Fraternitati Tuæ, quam scimus literarii Illyrici sermonis, ab ea Natione ad Sacras Functiones adhibiti, peritam esse; pollere simul non mediocri prudentia, ac Religione; unde sperandum sit, eos, quibus manus imposueris, benè ac sollicitè officio suo defuncturos esse. Id autem ut feliciter pergas, Apostolicam Benedictionem Tibi, Venerabilis Frater, peramanter impertimur.

Facultas ordinandi Græco Rutheno ritu omnes per Dalmatiam Clericos, & Sacerdotes serv. servandis.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœcesis, sub Annulo Piscatoris, die 4. Octobris 1742. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

J. Vincentius Lucchesinius.

Episcopo Auxerensi conceditur.

Data die 4. Oct. 1742.

Sacerdotes Missam celebrantes non teneri Sacram Eucharistiam omnibus petentibus infra ipsam actionem ministrare.

LXIV.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis Italiæ.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Status controversiæ.

Certiores effecti, pullulare in nonnullis Italiæ Diœcesibus controversiam de obligatione, qua Sacerdotes Missas celebrantes adstringantur Eucharistiam ministrare intrà easdem fidelibus iis, qui ad ipsam accipiendam paratos se exhibent, ac petunt Sacrificii, cui adstant, participes fieri; Nostro proinde animo reputavimus, gliscenti malo Apostolicæ hujus paginæ documento obviam ire, ne ulterius, haud absque fidelium eorumdem scandalo, progrediatur. Itaque, Venerabiles Fratres, sermonem Nostrum ad Vos convertimus, ut ipsi quoque Pastoralis hac in re Officii partes minimè negligatis.

§. 1. Ac primò quidem dicendum Nobis occurrit, nemini ex fidelibus in mentem venire posse, Missas privatas, in quibus Sacerdos solus sacram sumit Eucharistiam, propterea veri, perfecti, & integri Sacrificii incruenti a Christo Domino instituti rationem amittere, ideoque

Missæ, in quibus solus Sacerdos communicat, improbari nequeunt; ex Conc. Trid.

illicitas

illicitas esse existimandas. Nec enim ignorant fideles, aut saltem facilè edoceri possunt, Sacrosanctum Tridentinum Concilium, innixum doctrinæ, quam perpetua Ecclesiæ Traditio servavit, huic adversantem novam falsamque Lutheri sententiam damnasse *sess. 22. cap. 6. & can. 8.: Si quis dixerit, Missas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas: anathema sit.*

Ejusdem Concilii, & Pontificis votum pro frequenti fidelium communione ad cujuslibet Missæ celebrationem.

§. 2. Nihilominus, quandoquidem vetus Ecclesiæ praxis, & disciplina, juxtà quam fideles Missis adstantes participare passim atque in publicis conventibus solebant Sacrosanctum Sacrificium, institutioni, & exemplo Christi Domini omnimodè convenit, verba ejusdem Concilii eo ipso spiritu, quo ab eodem prolata sunt, iteramus: *Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quò ad eos sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret.* Utinam autem eo ipso Christianæ pietatis fervore, quo primorum sæculorum fideles exardebant, nostrorum quoque temporum homines inflammati, avidè ad publicam sacram Mensam advolare, sanctorumque Mysteriorum solemnitati non adesse tantùm, sed religiosè eorumdem participationem exoptare conspicerentur. Nulla certè res est, qua utiliùs Episcopi, Parochi, Confessarii studium suum omne impendere valeant, quàm in excitandis fidelibus ad eam mentis puritatem sectandam, unde digni reddantur frequenti ad sacram Mensam accessu, & non spirituali tantùm, sed Sacramentali etiam participatione illa Sacrificii, quod a Sacerdote, tamquam publico Ecclesiæ Ministro, non pro se tantùm, sed pro ipsis, & ipsorum nomine offertur.

Laudamus participandi de Sacrificio Missæ.

§. 3. Et quamvis de eodem Sacrificio participent, præter eos, quibus a Sacerdote celebrante tribuitur in ipsa Missa portio Victimæ a se oblatæ, ii etiam, quibus Sacerdos Eucharistiam reservari solitam ministrat; non tamen idcirco, aut vetuit unquam Ecclesia, aut modò vetat, satisfieri ab ipso Sacerdote pietati, & justæ eorum petitioni, qui Missæ adstantes, ad consortium admitti postulant ejusdem Sacrificii, quod & ipsi pariter offerunt eâ ratione, quæ ipsos decere potest: immo probat atque cupit, ne id omittatur, eosque Sacerdotes increparet, quorum culpâ, & negligentiâ fidelibus participatio illa denegaretur.

Ad animarum tamen Pastores pertinet, opportunitatem temporum, & locorum, pro communione fidelium, statuere.

§. 4. At quoniam in Ecclesia Christiana opus est cuncta ordinatè, & congruenter disponi; Pastores vigilantiam & curam suam conferent, ut ex una parte fidelium pietas minimè fraudetur eo accessu, eâque participatione; ex alia verò ita utrumque sortiatur, quin ulla in laudabilibus aliis institutis oriatur perturbatio, unde facilè confusio etiam, & scandalum oriretur. Quare Pastores monere debent eosdem fideles, ut participes esse cupientes sacræ Mensæ, (quod maximopere probandum diximus) studeant tempus, locum, & circumstantias nancisci, quibus & ipsi justorum votorum suorum compotes evadant, nec instituta illa pietatis impediant. Hisque Pastorum suorum monitis fideles se se dociles præbentes, cavebunt, ne sibi injuriam factam querantur, si quandoque pro tempore, loco, & personis, Episcopus minimè opportunum censuerit, a Sacerdote celebrante Eucharistiam distribui iis, qui adstant; quibus scilicet eo ipso tempore facilis, & obvia suppetit ratio ad eamdem Mensam accedendi, pluribus aliis locis cuivis instructam.

Hodierna disciplina facillimam præstat SS. Eucharistiæ participationem.

§. 5. Haud ægre Episcopi, & Parochi id fidelibus persuadebunt, quoties ipsis significent, ex Ecclesiæ disciplina, quæ modò viget, non quidem difficiliorem, sed faciliorem evasisse iisdem participationem, quam optant. Siquidem veteri more in singulis Ecclesiis passim unica Missa celebrabatur, cui fideles adstabant, indeque participabant; quin a solis propriis Pastoribus, quemadmodum reliqua Sacramenta, ita etiam Eucharistiam licitè accipere valebant: hisce verò temporibus, ex Sacerdotum celebrantium, ex locorum, Altariumque, quibus ea celebratio publicè peragitur, multiplicitate, patet cuilibet facilè probabilis sacra Mensa, & ad sacrum Convivium admissio. Sin autem iidem fideles ita moniti, importunè insisterent pro recipienda Eucharistia in iis temporis, loci, & personarum circumstantiis, quas excipiendas censuisset Episcopus, Ritualis Romani auctoritate etiam fretus; hæc illorum petitio, utpotè nec justa, nec rationabilis, contumacem, ac refractarium animum demonstraret, cupidumque perturbationis, ac proinde minimè compositum Eucharistiæ qua par est pietate percipiendæ.

Cui, qui se aptare renuit, male se dispositum esse indicat.

§. 6. Dum Pastores erga fideles ita se gerent, dumque fideles Pastorum dictis pronas ita aures accommodabunt, orietur absque ulla dubietate pax illa perfecta, atque concordia, qua capita invicem, & membra magnopere colligari decet; desinentque importunæ illæ controversiæ, quæ eò tandem tendunt, ut turbas gignant, ac scandalum, verique animarum fructus, quo nihil Pastori carius esse debet, perniciem. Verbis itaque Apostoli Pauli ad Corinthios utimur: *Obsecro Vos, Fratres, per nomen Domini Nostri Jesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes, & non sint in Vobis schismata; sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia.* Quæ quidem dum Vobis, Venerabiles Fratres, per hæc Apostolica scripta nota esse volumus, in felicitatis auspicium, & Paternæ dilectionis pignus, Apostolicam benedictionem impertimur.

Adhortatio ad animorum concordiam.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die XIII. Novembris MDCCXLII. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Dat. die 13. Nov. 1742.

Leges observandæ in concedendis lotacionibus bonorum Cameræ Apostolicæ. LXV.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Motu proprio &c.

Providentia Pontificis in tollendis controversiis.

ESSENDO ben gravi le controversie, che con pregiudizio non meno del pubblico, che del privato Interesse, accadono spesse volte nelle deliberazioni degli Appalti de' nostri Beni Camerali, a cagione delle competenze, che insorgono tra gli Oblatori; Crediamo esser parte della nostra suprema vigilanza, e di quel molto desiderio, che abbiamo sempre coltivato, di togliere, per quanto possibile sia, ogni semenza di litigio, il porgere alle medesime un convenevole provedimento, colla norma fissa, ed invariabile delle seguenti leggi, e determinazioni.

Jubet 1. Edicta pro oblationibus deferendis ante annum proponi.

I. Che negli Appalti Camerali, un' anno almeno prima, che termini ciascheduno Appalto, si debbano invitare per mezzo de' soliti Editti coloro, che vogliono attendervi, a dare ciascheduno per un tal giorno determinato l'Offerta sua chiusa, e sigillata.

2. Oblationibus statuta die apertis, locationem deliberari favore melioris, & potioris Oblatoris, salvo arbitrio prorogandi tempus.

II. Che venuto il giorno prefisso negli Editti, debbano aprirsi le Offerte in piena Congregazione Camerale, e debba deliberarsi l'Appalto, prout de Jure, al maggiore, e miglior Oblatore, salvo però sempre alla medesima Congregazione l'arbitrio di prorogare con altri nuovi Editti il termine da offerire, quando creda, che niuna delle Offerte, che saranno state date, sia giusta, e ragionevole, relativamente allo stato allora presente dell'Appalto.

3. Licere cuilibet intra 20. dies oblationem augere ad vicesimam & ultra.

III. Fatta come sopra la deliberazione dell'Appalto in favore del maggiore, e migliore Oblatore, e quella di poi approvata da Noi, e da' Sommi Pontefici pro tempore nostri Successori, debba sopraſſe-

derſi prima di venire alla ſtipolazione dell' Iſtromento per lo ſpazio di venti giorni continui, da incominciare dal giorno immediatamente ſeguente alla ſuddetta deliberazione, affinche dentro queſti venti giorni poßano, tanto quelli, che hanno già offerto, e ſone rimaſti vinti, ed eſcluſi; quanto ogni altro, che non abbia prima offerto, aggiungere ſopra la detta maggior Offerta, per la quale è ſtato deliberato l' Appalto. purche queſt' aggiunta non ſia minore della Vigeſima: E per tal'effetto vogliamo, e dichiariamo, che in avvenire tutte le deliberazioni, che ſi faranno di ſimili Appalti dalla Congregazione Camerale, ancorche ſiano ſucceſſivamente approvati da Noi, o da' noſtri Succeſſori pro tempore, o in voce, o per reſcritto, o anche per Chirografo ſpeciale, s'intendano ſempre fatte, e approvate col patto Additionis in diem, durante il ſuddetto termine di venti giorni; di maniera che quegli, in favor di cui è ſtato deliberato l' Appalto, non acquiſti dritto alcuno ſopra il medeſimo in virtù di detta deliberazione, e reſpettivamente approvazione, quante volte dentro il ſuddetto termine di venti giorni ſopravenga alcun'altro, che ſopra la di lui Offerta aggiunga almeno la Vigeſima.

4. Poſt 20. dies, vel Inſtrumentum confici cum priore Oblatore, vel locationem deliberari favore offerentis Vicesimæ.

IV. Spirato il termine di detti venti giorni, ſe non ſarà comparſo alcun'altro Oblatore, che abbia offerta, come ſopra, almeno la Vigeſima, non averà più luogo a favor della noſtra Camera il ſuddetto Privilegio Addictionis in diem, ma potrà ſenz' altro indugio, e ſenza ammetterſi altra Offerta, ſtipolarſi l' Iſtromento d' Appalto con quegli, in favor di cui fu da principio deliberato. Ma ſe all'incontro dentro il ſuddetto termine di venti giorni ſaranno comparſi uno, o più Oblatori, che abbiano aggiunta almeno la Vigeſima; in tal caſo dovrà la noſtra Camera godere del ſuo Privilegio Addictionis in diem, e dovrà la ſuddetta Congregazione Camerale deliberar nuovamente l' Appalto in favor di quegli, che avrà aggiunto almeno la Vigeſima: E in concorſo di più Oblatori ſopra la Vigeſima, dovrà deliberarlo in favor di quegli, che ſarà a giudizio ſuo il migliore, e maggior Oblatore.

5. Hoc caſu licere priori Oblatori augere oblationem intra 10. dies; ſed his elapſis, Inſtrumentum melioribus conditionibus omnino confici.

V. Sarà poi peſo di queſto Secondo, dopo che ſarà ſtata da Noi, o da' noſtri Succeſſori approvata la ſuddetta nuova deliberazione, denunciare, ed intimare al Primo, con Intimazione eſeguita perſonalmente, l'aggiunta della Vigeſima, o di altra maggior ſomma da lui fatta, e la nuova deliberazione ſeguita a ſuo favore: dopo la quale Intimazione ſi laſciarà al ſuddetto Primo il termine di altri dieci giorni, ad effetto, che poſſa riſolvere, ſe vuol fare nuova Offerta ſuperiore a quella del Secondo: E quando il Primo dentro il termine delli ſuddetti altri dieci giorni faccia nuova Offerta ſuperiore a quella del Secondo; in tal caſo dovrà a lui reſtar l' Appalto, ſenza che poſſano più riceverſi altre nuove Aggiunte, o ſiano Offerte. Ma quando all'incontro il ſuddetto Primo, dentro i ſuddetti dieci giorni non faccia nuova Offerta ſuperiore a quella del Secondo; in tal caſo l' Appalto dovrà reſtare al Secondo, e con lui ſenz'altro indugio potrà ſtipolarſi l' Iſtromento; così che, paſſati che ſiano detti dieci giorni, non dovranno più ammetterſi altre nuove Aggiunte, o ſiano Offerte, nè dal Primo, nè da altri.

6. Si quis tamen Sextâ partem ultrà offerat, compererе Cameræ Apoſtolicæ reſtit. in integrum.

VI. Da queſta prohizione di ammettere altre nuove Aggiunte, o ſiano Offerte, ſi eccettua il ſolo caſo, che venga alcun'Oblatore, o di quelli, che già ſiano concorſi, o altri, che non ſiano concorſi, qual offeriſca almeno la Seſta ſopra l'ultima maggior Offerta del Primo, o del Secondo; perchè in tal caſo la noſtra Camera, a titolo di leſione, dovrà godere il benefizio della reſtitutione in Integrum, qual benefizio, a differenza del Privilegio Addictionis in diem, compete al Fiſco; ancorche la coſa non ſia più intiera, ancorche ſia ſtato ſtipolato l' Iſtromento, e ancorche l' Appaltatore abbia già preſo, e ſi trovi in poſſeſſo attuale della coſa locata; nè altro in tal caſo può pretendere il medeſimo Appaltatore, che di eßer preferito, ſupplendo ancor lui il giuſto prezzo, cioè la medeſima Seſta.

Sed hoc intra tres Menſes tantum a die deliberationis.

Ma perchè ammettendoſi queſta reſtituzione in Integrum ſenz'alcuna limitazione di tempo, (come ſaria di ragione), potrebbe renderſi più difficile alla Camera il trovare idonei Appaltatori, per lo giuſto timore, che ogniuno avrebbe, di poter eßer cacciato dall' Appalto per queſta via di reſtituzione in Integrum, dopo averlo reſo per ſua propria diligenza, e induſtria più fruttuoſo del paſſato; Perciò ordiniamo, che ſi debba ammettere l'offerta della Seſta, dentro però il ſolo termine di tre meſi, da incominciare dal giorno, che ſarà ſtato deliberato, come ſopra, l' Appalto, o per la via ordinaria, o in virtù del ſuddetto Privilegio Addictionis in diem, al maggiore, e migliore Oblatore; ancorche queſti, dentro il ſuddetto termine di tre meſi, foſſe venuto colla Camera alla ſtipolazione dell' Iſtromento, e ancorche aveße fatto delle ſpeſe, o altri preparamenti in qualunque modo neceſſarj per l'eſecuzione del medeſimo Iſtromento, o per la buona condotta dell' Appalto: Volendo Noi, che dentro queſto termine di tre meſi ſia ſempre luogo all'offerta della Seſta, e alla reſciſſione del Contratto per via di reſtituzione in Integrum; e che perciò Quegli, al quale, come ſopra, foſſe ſtato deliberato l' Appalto, in caſo di detta reſciſſione, non poſſa pretendere, nè dalla Camera, nè dal nuovo Oblatore il rifacimento di alcuna ſorte di ſpeſe, che aveſſe fatte dentro il termine ſudetto; ma ſolamente poſſa, e debba eſſer preferito, quando voglia anch'eſſo ſupplire la medeſima Seſta, o altra maggior ſomma, che ſia ſtata offerta dal nuovo Oblatore.

Tunc verò priori Oblatori competere prælationem cæteris paribus, non autem refectionem ſumptuum &c.

VII. Paſſati poi li ſuddetti tre meſi dal giorno della deliberazione, come ſopra, non ſia più luogo alla reſciſſione del Contratto, ma quello debba reſtar fermo, e irrevocabile per tutto il tempo convenuto, e ſecondo la forma, e patti concordati nella deliberazione: E ſolamente alla Camera rimanga ſalvo, e preſervato il dritto d'impugnare il Contratto, in caſo di leſione ultra dimidiam, quatenus de Jure, & prout de Jure, ed a tenore delle Coſtituzioni Apoſtoliche, ſenz'alcuna limitazione di tempo, quando a queſta non ſia ſtato da Noi, o da noſtri Succeſſori ſpecialmente, e nominatamente derogato.

7. Poſt dd. tres menſes, Contractum reſcindi non poſſe, niſi ex cauſa læſionis ultra dimidiam.

VIII. E finalmente, coll'occaſione di queſto regolamento ſopra gli Appalti Camerali, volendo Noi anche provedere alli aggravj, che ſi fanno tutto giorno dagli Appaltatori alli Sudditi del noſtro Stato Eccleſiaſtico, ordiniamo, che nello ſtipolare gl' Iſtromenti coi ſuddetti Appaltatori, niuno ardiſca ſenz'ordine, o Chirografo ſpeciale ſottoſcritto da Noi, e noſtri Succeſſori pro tempore, porre alcun Capitolo, col quale alcuna Gabella, o Privativa cadente ſotto l' Appalto, venga in qualunque modo diſteſa ed ampliata, oltre i caſi, e termini preſcritti nell' Iſtituzione di tal Gabella; o Privativa, e diverſamente da quello, che è ſtato generalmente pratticato, ed oſſervato in tempo de' paſſati Appaltatori; dichiarando Noi invalido, e nullo qualunque Capitolo d' Iſtromento, e qualunque Editto, o Bando, che foſſe fatto, o che ſi faceſſe in contrario.

8. In Conditionibus locationum nihil addi poſſe, quo vectigalia ultra legem eorum inſtitutionis, & conſuetudinem, augeantur.

Clauſulæ, & Decreta irritantia.

Quali ordini in avvenire vogliamo, ch'eſattamente ſiano oſſervati in tutte le deliberazioni degli Appalti Camerali, ſotto pena della loro nullità, da incorrerſi ipſo facto, & ipſo Jure, ſenz'altra dichiarazione di Giudice, e che a tenore de' medeſimi ordini debba ſeguire la pubblicazione, e rinovazione degli Editti, e la ſtipolazione de' ſuddetti Appalti, anzi giuſta la di loro forma ſi debbano intender pubblicati gli Editti, conſumate le deliberazioni, e ſtipolati li pubblici Iſtromenti; perche così, e non altrimenti ordiniamo, e comandiamo, e come legge vogliamo, che inviolabilmente ſi oſſervi, per eſſer così mente, e volontà noſtra preciſa. Volendo, e decretando, che la preſente noſtra Cedola

di

di Moto proprio, da ammetterſi, e regiſtrarſi in piena Camera, e ne' ſuoi libri, ſecundo la Bolla di Pio IV. noſtro Predeceſſore de regiſtrandis, *vaglia, e debba avere ſempre il ſuo pieno effetto, eſecuzione, e vigore colla noſtra ſemplice ſottoſcrizzione, e che non gli ſi poſſa mai opporre di ſurrezione, orrezione, nè di alcun'altro vizio, o difetto della noſtra voluntà, ed intenzione; e che così, e non altrimenti, debba ſempre nelle coſe premeſſe giudicarſi, definirſi, deciderſi, ed interpretarſi dal Reverendiſſimo Cardinal Camerlengo, da Monſig. Teſoriere Generale, dalla piena Camera, e da qualunque altro Giudice, e Tribunale, ſebbene Collegiato, e compoſto di Reverendiſſimi Cardinali; togliendo loro, ed a ciaſcheduno di eſſi la facoltà, ed autorità di giudicare, definire, ed interpretare diverſamente; dichiarando fin da ora nullo, irrito, ed invalido tutto ciò, che ſi faceſſe, o ſi tentaſſe di fare in contrario. Ancorche non vi ſia ſtato chiamato, citato, nè ſentito Monſig. Commiſſario della noſtra Camera, o altri, che vi aveſſero, o pretendeſſero avervi intereſſe; e non oſtanti le Coſtitutioni di Paolo II., Paolo IV., e del detto Pio IV. noſtri Predeceſſori* de rebus Eccleſiæ, & Cameræ non alienandis, *ogni, e qualunque Jus, e dritto competente alla noſtra Camera, benchè chiuſo nel Corpo delle Leggi, la Regola della noſtra Cancellaria* de Jure quæſito non tollendo, *e qualſiſiano altre Coſtituzioni, ed ordinazioni Apoſtoliche noſtre, e de' noſtri Predeceſſori, uſi, ſtili, conſuetudini, Sentenze, Decreti, e Re-Judicate in caſi ſimili, ed ogni altra coſa, che faceſſe, o poteſſe fare in contrario; alle quali tutte, e ſingole, avendone il di loro tenore quì per eſpreſſo, e di parola in parola inſerto, per il ſolo effetto ſuddetto, ampiamente, ed eſpreſſamente deroghiamo. Dato dal noſtro Palazzo Apoſtolico Quirinale queſto dì 23. Novembre 1742.*

Sublata ſecus judicandi facultate.

Drogationes

Dat. die 23. Nov. 1742.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Regiſtrata in Camera Apoſtolica die 28. ejuſdem menſis, & anni.

LXVI.

Epiſcopis Ruthenis ſuadet Pontifex, ut unionem Monachorum Sancti Baſilii ſub unico Proto-Archimandrita promoveant, & foveant.

Venerabilibus Fratribus, Athanaſio Kioviæ Archiepiſcopo totius Ruſſiæ Metropolitano, necnon Epiſcopis Ruthenis, Theodoro Luceoriæ, Feliciano Chelmenſi, Hieronymo Premisliæ, & Georgio Pinſcenſi.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Pontificis mens in demandanda Monachorum unione.

ETSI dubitare non poſſumus, Fraternitates veſtras diligentem daturas operam, ut debita reverentia, & nulla mora, Decretis pareatur, quæ de conſilio Venerabilium Fratrum Noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Propagandæ Fidei negotiis præſidentium, nuper edidimus pro colligendis in unum Corpus ſub uno Capite, unaque juriſdictione, Ruthenis Monachis Baſilianis; Cum tamen è literis communi veſtro nomine ad Nos datis perceperimus, modeſte vos ſubvereri, ne in iis quidpiam incommodum veſtris conſuetudinibus, & privilegiis ſancitum fuerit; vos, pro ſingulari noſtra erga veſtram Nationem benevolentia, cenſuimus admonendos, eadem Decreta id ſolum ſpectare, ut ipſi Monachi in unum Cœtum coaleſcentes, atque ita facilius Monaſtica diſciplina inſtituti, ad ſuam ſalutem incumbant, & ad firmiùs obſtringendos Apoſtolicæ Sedi Popularium animos.

Eadem alias a S. Sede optata fuit.

§. 1. Quæ ſanè Decreta eò etiam in veneratione eſſe debent, quò inhærent perpetuo Romanæ Cathedræ propoſito, redigendi in unum Ordinem cunctos Ruthenos Baſilianos Monachos, eoſque ſubjiciendi uni ſupremo Præſidi, qui è propinquo ſervari jubeat domeſticas leges, caveatque ne ulla ex parte Religioſa diſciplina detrimentum faciat. Quocirca *Unitorum*, ut vocant, *Ordini*, ſub Sanctiſſimæ Trinitatis nomine militantium, data fuit olim facultas condendi idoneas huic conſilio leges, à Pontifice Maximo confirmandas, ejuſque auctoritate robur habituras. Quod pariter veſtra Zamoſcienſis Synodus luculenter ſibi propoſuit, teſtata, in unum congreganda eſſe Corpus quotquot Monaſteria ad verum Chriſti Ovile tum redierant, aut reditura forent, quæ in ſchiſmate, nulli omnium maximo Rectori cohærebant. Id autem nemo non videt facilius obtineri, ſi quicquid eſt Ruthenorum Baſilianorum ſodalium, totius Ruſſiæ Proto-Archimandritæ obediat, ejuſque imperata faciat. Nec dubitari poteſt, hanc fuiſſe ejuſdem Zamoſcienſis Concilii mentem, ſiquidem Metropolita Leo Kiska, qui, permittente Romana Sede, Synodum ipſam congregavit, vix ea finem acceperat, ſcilicet quadrageſimo poſt die, cum aliis ſuæ Gentis Epiſcopis ſedulo poſtulavit, ut cunctæ Baſilianæ Familiæ ſupremus Præfectus alternatim eligeretur ex Lithuanis, & Volimnienſibus Monachis; dato documento, ita ſenſiſſe de uno conſtituendo Præſide Zamoſcienſium Patrum conſtitutionem; quâ in hunc ſenſum acceptâ, Synodum confirmavit Apoſtolica Sedes, cujus eſt, de vero Synodali ſenſu judicare.

Et à Synodo Zamoſcien. decreta.

§. 2. Quod autem attinet ad veſtras modeſtè exhibitas querelas, iiſdem Noſtris Decretis imminutum iri Epiſcopalem juriſdictionem, Monachis ab ipſa exemptis; ſatis erit ad eas ſedandas, ut in memoriam revocetis, id antea à vobis conceſſum ſpontè fuiſſe, & in Oecumenica Tridentina Synodo expreſsè comprobatum, confirmatumque: quam ſaluberrimam Synodum libenter à veſtro Zamoſcienſi Conventu, nulla exceptione, venerabundè acceptam, ex ejuſque placitis plura ſæpius à vobis ſancita fuiſſe, profecto non ignoratis. Nec vobis in mentem veniat reputare, quicquam ibi veſtris Ruthenis Ritibus adverſari, quos, & quoſcumque alios laudabiliter inſtitutos, ubique ſervandos exiſtimarunt ſapientiſſimi illi Patres; rati, ex incorruptarum Cœremoniarum diverſitate, Catholicæ Eccleſiæ decus accedere. Et à Nobis quàm maxime alienum eſt, ab hujuſmodi ſententia vel minimum diſcedere.

Epiſcoporum jura, & Nationis Ritus nullum ex ea detrimentum aceptura.

§. 3. Igitur cum nihil vobis timendum ſit, ne, Noſtris pronunciatis Decretis, probatæ ab hac Sanctiſſima Sede conſuetudines veſtræ vulnus aliquod acceperint; cum vos ipſi ſpontè decreveritis Monachos ſui eſſe juris; cum iidem illos optaverint in unum coire Ordinem, conſpicati, hoc pacto melius conſuli Monaſticæ diſciplinæ, ac Ruthenorum utilitati; quid eſt, quod Apoſtolicam benignitatem ad præſidium veſtrum invocetis? Hanc autem ad opportuniorem uſum reſervare poteritis, & quam non ſemel experti eſtis, nunquam vobis defuturam exiſtimare; præſertim ſi ad ipſam conciliandam eximium ſtudium adhibueritis, ut nihil impedimento ſit, ſæpius nuncupatis decretis noſtris debita obedientia exequendis. Quod ut commodius fieri queat, permiſimus Nuntio iſthic Noſtro, tempus idoneum deſignare ad cogendum Monachorum Conventum, ut ibi, maturo conſilio, norma conſtituatur, qua negotium iſtud ad exitum perduci queat; Interim Fraternitatibus Veſtris Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Suadetur Epiſcopis, ut eidem conſtituendæ non adverſentur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVII. Novembris MDCCXLII. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

Dat. die 27. Nov. 1742.

J. Vincentius Lucceſinius.

Ele-

LXVII.

Electo de Nankim præcipitur, ut, ante consecrationem, juramentum emittat, ad formam Constitutionis supra positæ num. 59.

Dilecto Filio, Francisco de Sancta Rosa de Viterbio, Electo de Nankim in Indiis Orientalibus.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Provisio facta Ecclesiæ de Nankim.

NUPER Nos, in Consistorio nostro secreto, Ecclesiæ de Nankim, cui bo. mem. Emanuel de Jesu Maria ultimus illius Episcopus, dum viveret, præsidebat, per obitum ejusdem Emanuelis Episcopi extra Romanam Curiam defuncti, Pastoris solatio destitutæ, de persona tua, Nobis, & Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum acceptâ, de Fratrum nostrorum consilio, auctoritate Apostolica providimus, Teque illi in Episcopum præfecimus, & Pastorem; curam, regimen, & administrationem ipsius Ecclesiæ de Nankim Tibi in spiritualibus, & temporalibus plenariè committendo; prout in nostris desuper super plumbo expeditis Literis, quarum tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur. Nunc autem Pastoralis officii nostri esse ducimus, Tibi injungere, prout auctoritate præfata tenore præsentium injungimus, quod, antequam munus Consecrationis suscipias, juramentum illud, quod Missionatii omnes in Sinis degentes jam emiserunt, hoc est de fideliter, integre, & inviolabiliter observando præcepto, ac mandato super Ritibus, & Cæremoniis Sinensibus in Constitutione felicis recordationis Clementis Papæ XI. Prædecessoris nostri die XIX. Martii MDCCXV. hac de re edita, & in nupera Constitutione nostra, quæ incipit: *Ex quo singulari*, confirmata, contento, similiter emittere, ipsumque juramentum tua subscriptione, & sigillo munitum, vel saltem authenticum illius exemplum, ad Nos quantocitius transmittere omnino tenearis. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Forma autem juramenti, quod præstabis, hæc est: *Ego Franciscus de Sancta Rosa de Viterbio Electus de Nankim, præcepto, & mandato super Ritibus, & Cæremoniis Sinensibus in Constitutione piæ mem. Clementis Papæ XI. die XIX. Martii MDCCXV. hac de re edita, qua præsentis juramenti formula præscripta est, contento, ac mihi per integram ejusdem Constitutionis lecturam apprime noto, plenè, ac fideliter parebo, illudque exactè, absolutè, & inviolabiliter observabo, & absque ulla tergiversatione adimplebo, atque pro virili enitar, ut à meis subditis, aliisve, quorum cura ad me in munere meo spectabit, quantum in me erit, similiter observari, & adimpleri curabo: Ac insuper, quantum in me est, nunquam patiar, ut Ritus, & Cæremoniæ Sinenses in Literis Pastoralibus Patriarchæ Alexandrini Macai datis die IV. Novembris MDCCXXI. permissæ, ac à Sanctissimo Domino Nostro Benedicto Papa XIV. damnatæ, ab eisdem subditis ad praxim deducantur; Si autem (quod Deus avertat) quoquomodo contravenerim, toties, quoties id evenerit, pœnis per præfatas Constitutiones impositis me subjectum agnosco, & declaro. Ita, tactis Sacrosanctis Evangeliis, promitto, voveo, & juro; sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Ego Franciscus de Sancta Rosa de Viterbio Electus de Nankim manu propria.*

Præceptum præstandi juramentum & transmittendi ad Sedem Apostolicam.

Formula juramenti.

Dat. die 3. Dec. 1742.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die III. Decembris MDCCXLII. Pont. Nostri Anno III.

D. Card. Passionеus.

LXVIII.

De Concursu, & Examine habendo pro Parochialium Ecclesiarum collatione: De appellationibus ab irrationabili Ordinarii judicio admittendis, vel rejiciendis.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Ecclesiæ, Concil. Tridentini, & Sedis Apostolicæ mens circa dignioris electionem ad curam animarum.

CUM illud semper plurimùm formidaverit Ecclesia Catholica, ne indignis quibusque, & extra sacerdotale meritum constitutis, Cura animarum, & Dominici Gregis custodia crederetur; quia totius Familiæ status, & ordo nutat, si quod requiritur in corpore, non invenitur in capite: Hinc Canonicis sanctionibus, ac præsertim Sanctæ Tridentinæ Synodi Decretis providè consultum est, regimen Ecclesiarum Parochialium iis esse committendum, quorum omnis ætas à puerilibus exordiis ad perfectiores annos per disciplinæ Ecclesiasticæ stipendia ita cucurrisset, ut de illorum supra alios provectione, ac potiori doctrinæ, morum, ac diuturni laboris suffragio, nefas esset dubitare. Quia verò pernicioſa apud plurimos opinio sensim invaluit, Tridentini Decretis non præscriptam esse Dignioris electionem; sed caveri tantummodo, ne Indignis Ecclesiæ Parochiales, aliaque Beneficia, quibus Cura imminet animarum, conferrentur; San. mem. Innocentius XI. Prædecessor Noster erroneam doctrinam à vera, & sincera Patrum mente longius deflectentem damnavit, & edocuit, quàm prudens, ac diligens esse debeat Pastoralis Officii dispensatio.

Ecclesiæ Parochiales per concursum providendæ.

§. 1. Ad tramites idcirco ejusdem Sanctæ Synodi, usu receptum est, occurrente Parochialis Ecclesiæ vacatione, quæ liberè ab Ordinario conferenda sit, Concursum institui, ut, habitâ in eo de cujuslibet ætate, moribus, doctrina, & sufficientia, solerti inquisitione, Episcopus eligat quem cæteris magis idoneum judicaverit.

Appellatio ab irrationab. jud. Ep. à Pio V. permissa in devolutivo.

§. 2. At quia contingere quandoque potest, quod favore, vel gratiâ, vel minus æquo judicio, minus digni Dignioribus præponantur; Sa. me. Pius V. Noster Prædecessor, ne quid in hujusmodi electione esset inordinatum, atque præposterum, editâ saluberrimâ Constitutione, licere voluit injustè in Concursu rejectis, interpositâ ad Metropolitanum, vel Episcopum viciniorem, vel Sedem quandoque Apostolicam appellatione, Præelectum ad novum examen provocare, & Ecclesiam alteri non ritè collatam, novo facto meritorum periculo, si ita jus esset, vindicare. Et ne frivolæ appellationis diffugio locus esset, providè ibidem cautum est, dictæ appellationi in devolutivo tantùm deferri oportere, non suspensâ, aut quoquo modo retardatâ Præelecto ab Ordinario Parochialis Ecclesiæ possessione.

Abusus hujusmodi appellationum.

§. 3. Consultissimæ hujusmodi leges eum in finem institutæ, ne in tanti momenti re imperiti magistris, novi antiquis, rudes præferantur emeritis, violatæ sunt hominum fraude, & malitiâ, ipsâ medelâ vulnus exasperantium. Sæpissimè enim rejecti ab Ordinario, dictæ Constitutionis obtentu, in vocem Appellationis facilè prorumpere, &, minus legitimâ concurrente causâ, Electos ab Episcopo ad novum examen provocare consueverant; illosque præterea, relictâ Gregis, & Ecclesiæ custodiâ,

longum iter arripere, & diuturni laboris, temporis, & pecuniæ impensâ exhaustos, litem in secunda, tertia, & ulteriori quandoque instantia sustinere cogebant.

Et perniciosus quandoque judiciorum exitus.

§. 4. Quin etiam experientiâ compertum est, magno justitiæ detrimento litem ipsam absolvi. Quandoquidem ii, qui Examini se subjecerant, atque in primævo Concursu, utpotè legitimarum Institutionum nescii, rejecti fuerant, longâ postmodum decurrente lite, sedulam literis ex industria navantes operam, præferri aliis merebantur, & acerbè succensebant Episcopo, judici quidem adeptæ, non autem adipiscendæ peritiæ, per injuriam se fuisse rejectos.

Votum à SS. D. N. olim Cong. Conc. Secret. prolatum, & publicatum.

§. 5. Hinc apud benè moratos homines, & justitiæ vindices, frequens querelarum occasio: quibus sedandis cum Congregatio Concilii Tridentini Interpres omne studium, diligentiamque conferret; Nobis, qui Secretarii munere fungebamur, mandatum est, ut sermone, typis postea vulgato, rem sedulò expendere, ingruentis mali originem, & aptà eidem avertendo remedia investigare pro viribus niteremur. Sensus hac de re Nostros explicantes, vitio potissimùm laborare comperuimus Praxim Examinis oretenus habiti, nec scriptis consignati: Electi siquidem ad Curam animarum ab Ordinario Collatore, & ad iteratum examen coram alio Judice provocati, jus legitimæ Collationis tueri non poterant certo, ac permanenti testimonio jam probatæ idoneitatis; sed à novi Examinis alea, subeunda coram Judice Appellationis, gestarum rerum prorsus ignaro, totâ res pendere videbatur. Quocirca gravi Justitiæ detrimento recepta in Foro erat opinio, provocari posse ad alium Judicem, nullo exhibito indebitæ rejectionis documento. Quod quidem cum à Sacrorum Canonum censura longiùs aberraret, facilè huic corruptelæ occurri posse censuimus, si certa primùm, & aptè dispositа habendi Examinis forma præscriberetur; si quæstiones Examinatis propositæ, & consentaneæ illorum responsiones, totaque rei gestæ series in scriptis redigeretur; & si Acta demum totius Concursus ad Judicem Appellationis integra asportarentur.

Quod à Congregatione, mox etiam a Pontifice Clemen. XI. probatum fuit.

§. 6. Inita à Nobis consilii ratio non solùm arrisit Congregationi, illam die 16. Novembris 1720. ratam habenti; Sed etiam Pontificii judicii accessione roborata fuit à Clemente XI. Ecclesiasticæ Disciplinæ vindice, & assertore eximio. Utque locorum Ordinarii ea omnia filiali, quo par erat, obsequio, & diligentiâ exequerentur; iis datæ sunt die 10. Januarii 1721. opportunæ Literæ nostro calamo exaratæ, ejusdemque Pontificis sensu, & oraculo comprobatæ, quarum tenorem, etsi aliàs prælo commissum, & insertum in Bullario dicti Clementis Prædecessoris Nostri, congruè hic duximus referendum.

Epistola Congregationis nomine scripta. Ecclesiæ disciplina in provisionibus Ecclesiarum Parochialium per concursum.

§. 7. *Reverendissime Domine uti Frater. Quò Parochiales Ecclesiæ dignioribus Personis gubernandæ traderentur, statuit, ut notum est, Sacrosancta Tridentina Synodus sess. 24. cap. 18., ut, vacante Ecclesia Parochiali, indiceretur, & fieret Concursus; ac, postquam Concurrentes ab Episcopo, vel ejus Vicario Generali, atque ab Examinatoribus Synodalibus saltem tribus, examinati, & approbati essent, Episcopus eum eligeret, quem ætate, moribus, doctrinâ, prudentiâ, aliisque rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam necessariis, & opportunis, digniorem cæteris, magisque idoneum judicaret. Adjecitque ad hanc Concilii Sanctionem validiùs confirmandam, re, & nomine Sanctissimus Pontifex Pius V., quod, si unquam Episcopus minus habilem, postpositis magis idoneis, elegisset, possent ii, qui rejecti essent, à mala ejusmodi electione ad Metropolitanum, vel, si ipse eligens Metropolitanus, aut exemptus foret, ad viciniorem Ordinarium, ut Sedis Apostolicæ Delegatum, vel aliàs ac ipsam Sedem Apostolicam appellare, ac Præelectum ad novum examen coram ipse Appellationis Judice, & ejus Examinatoribus, provocare; eâ tamen cautione, ut appellatio non in suspensivo, sed in devolutivo esse deberet; quemadmodum in ejus Constitutione, quæ trigesima tertia est, latiùs cavetur; concludendo, quod, constito de prioris Eligentis irrationabili judicio, eoque revocato, Parochialis Ecclesia magis idoneo conferatur.*

Non eadem ubique examinis peragendi forma.

Cum autem neque Concilii Decreto, neque Pontificis Bullâ Examinis in Concursu peragendi forma, seu methodus ulla certa, ac peculiaris servanda proponatur; difficile dictu est, quanta Examinum, aliorum alibi diversitas extiterit, atque hinc occasio querelarum. Nam alicubi, cum non eædem omnibus Quæstiones, non iidem casus propositi fuissent: erant identidem, qui, vel in judicio, vel extra conquererentur, sibi quidem postpositis difficiliores, Præelecto autem faciliores ad solvendum Quæstiones obtigisse. Alibi verò eædem quidem omnibus Quæstiones propositæ fuerunt, sed neque hæ, neque datæ à Concurrentibus responsiones, scripto, seu literis consignabantur. Cumque postmodum, nec rarò contingeret, ut è postpositis quispiam, jure Bullæ supradictæ, novum ad Examen coram Judice Appellationis, ejusque Examinatoribus, Electum provocaret: S. Congregatio usque ab anno 1603. considerans gravamen non aliâ ratione, quàm novo examine, probari posse; provocationem ad novum examen censuit admittendam, gravamine nec dum probato, & requisitis tantummodò probationibus in subsequenti judicio; in quo, probato, per novum examen Appellantis, gravamine quoad doctrinam, probanda supereſt ejusdem præ jam electo in reliquis ad regendam Ecclesiam requisitis præstantia, ut de majori alterutrius ad Parochialis Ecclesiæ gubernium idoneitate Sententia ferri possit; cum non continuò, si quis est doctior, is etiam aptior, seu magis idoneus ad id regimen habeatur, vel etiam habendus sit. Quam Sacræ Congregationis Sententiam Scriptores, & Tribunalia laudarunt. Aliis demum in Diœcesibus laudabilis invaluit consuetudo, ut eædem omnibus Quæstiones, iidemque casus proponantur; ac (ne qua detur ansa Cancellario quidquam suo marte addendi, minuendi, mutandi) ut ipsimet Concurrentes, qui interrogati fuerint, quæque responderint, suâ manu perscribant.

Decretum anni 1603. pro novo examine concedendo absque prævia probatione gravaminis.

Sed alia deinde requisita, præter doctrinam, expendenda.

Atque Ordinarii, qui morem hunc longè optimum in examinando tenuere, Sacræ deinde Congregationi etiam, atque etiam considerandum reliquerunt, his, qui sic examinati esset, atque postpositi, in posterum, ut solent, appellantibus, indulgenda, nec ne, statim Electi novum ad examen provocatio, nullâ gravaminis prærequisitâ probatione, videretur; cum isti ex actis primi examinis gravamen Doctrinæ facilè alioquin probare possent; quod alii, aliter nimirum examinati, probare, nisi secundo, seu novo examine, non poterant. Nec defuere alii probitatis, ac peritiæ in administrandis diu Ecclesiis laude præstantes, qui monerent, frænum aliquod hujusmodi Appellantium licentiæ tandem injiciendum, eorumque jam nimis crebras novum ad examen provocationes esse reprimendas; quippè quæ vix unquam sine magno Ecclesiarum damno contingunt. Nam cum novum examen coram Judice Appellationis longè procul à Parochia peragendum sit; Electus ab Episcopo, qui provocatur, Parochiam, quam possidet, cogitur interea temporis deserere, eamque Oeconomo, vel Vicario cuipiam, veluti Sponsam ignotis Custodibus, relinquere, Sponso non parumper, sed diù sanè abfuturo; dum nempè, implicitâ, ut fit, lite, terna etiam, vel quaterna, alia ex aliis, Examina, super præstantia primùm doctrinæ, tum deinde aliorum, quæ ad integrandam idoneitatem opportuna sunt, contentiosè multiplicentur, & commodè, ne dicam otiosè, transigantur,

Dubia super admissione appellationis in casibus particularibus, & in ulterioribus instantiis.

ante-

antequam deliberari possit utri Concurrentium Parochia sit adjudicanda.

Præscribitur Ordinariis uniformitas in Concursibus, & Examinibus.

Ad tollendam ejusmodi non minus querelarum, quàm incommodorum occasionem, Sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpres, postquam rem omnem à capite repetitam in gemina sessione 1. Octobris, & 16. Novembris 1720. summo studio recognovit, tandem, Sanctissimo etiam annuente, statuit (quod per præsentes Literas encyclicas exequitur) omnes, & singulos Episcopos, aliosque Prælatos, penès quos sit jus, & auctoritas faciendi Concursum, hortari, ut examen ejusmodi instituere non graventur, quale jam & multæ Diœceses, & Urbs ipsa observat, atque Apostolica etiam Dataria postulat; sive, cum, Sede vacante, vacat Ecclesia aliqua Parochialis, cujus collatio ad Sedem Apostolicam pertineat; sive cum vacat Parochialis aliqua, ut dicitur, juxta Decretum; sive demum, cum, vacante in Collegiatis, aut Cathedralibus Ecclesiis Dignitate aliquâ majori, annexam habente Curam animarum, faciendus est Concursus, atque ad Apostolicam Datariam transmittendus, ut notum est, atque in Literis, quæ de ordine Sanctissimi, tunc è Dataria prodeunt, clarè præscribitur.

Quid singillatim servandum in provisionibus Ecclesiarum per concursum.

Vacante itaque Ecclesiâ Parochiali, quæ conferenda sit per Concursum, atque hoc solitis formulis indicto, hæc, quæ sequuntur, ex Sacræ Congregationis Sententia, consilio, suasione, servanda proponuntur.

1. Primum nempè, ut assignentur eædem omnibus Concurrentibus Quæstiones, iidem Casus, idemque Textus Evangelii, super quo sermonis aliquid perscribant, ad probandam dicendi pro concione facultatem.

2. Alterum, ut Casus, & Quæstiones resolvendæ dictentur omnibus eodem tempore, atque omnibus pariter eodem tempore Textus Evangelii tradatur.

3. Tertium, ut certum, idemque omnibus spatium temporis constituatur, intra quod Casus resolvant, Quæstionibus respondeant, Conciunculam componant.

4. Quartum, ut eodem Concurrentes omnes in Conclavi claudantur, unde, quandiu scribent (dabitur enim omnibus scribendi copia) nemo eorum egredi, neque alius quispiam eò ingredi possit, nisi postquam scripta confecerint, & exhibuerint.

5. Quintum, ut omnes suâ quisque manu tum responsa, tum sermonem scribant, subscribantque.

6. Sextum, ut responsa quidem latinè, sermo autem eâ, quâ ad populum haberi solet, linguâ scribatur.

7. Postremum, ut unumquodque responsum, & unusquisque sermo, cum ab unoquoque Concurrentium exhibebitur, non solùm ab eo, qui scripsit, atque à Cancellario Concursus, verùm etiam ab Examinatoribus, & ab Ordinario, vel ejus Vicario, qui Concursui interfuerint, subscribatur.

Præmissis omnibus servatis, appellatio post 10. dies interposita non admittatur.

Peracto secundum hanc formulam Concursu, collatâque ei, qui magis idoneus, ac dignior judicatus fuerit, Ecclesiâ Parochiali, non admittatur Appellatio, aut à mala relatione Examinatorum, aut ab irrationabili judicio Episcopi, nisi intra decem dies à die Collationis interponatur.

Forma transferendi Acta coram Judice ad quem.

Si quis autem hoc intra spatium appellaverit, Actaque Concursus petat ad Judicem Appellationis transferenda; mittantur vel Acta ipsa originalia Concursus clausa, & obsignata, vel certe unum aliquod authenticum eorum exemplum, à Cancellario Concursus, atque altero Notario collatum, & auscultatum coram Vicario, vel alio in Ecclesiastica dignitate constituto, quem eligat Ordinarius, ad quem etiam Notarii Cancellario adjungendi electio pertinebit; necnon ab Examinatoribus Synodalibus, qui Concursui interfuerunt, subscriptum.

Gravamine quoad doctrinam ex actis nō probato, novum examen minime concedendum.

Ex quibus actis, vel authentico eorum exemplo, nisi gravamen quoad doctrinam probet is, qui sic, ut præmittitur, examinatus, aut à mala relatione Examinatorum, aut ab irrationabili judicio Episcopi appellaverit, novum ad examen provocandi facultatem à Sacra Congregatione frustra postulabit.

Neque permittenda prosecutio appellationis, nisi gravamen, quoad alia, saltem extrajudicialiter probetur.

Quemadmodum & in judicio Appellationis persequi jus suum frustra tentabit is, qui forte se gravatum doleat quoad reliqua, nisi, interpositâ maturè, ut dictum est, Appellatione ab irrationabili judicio Episcopi, gravamen quoad illa ostenderit, vel ex actis primi Concursus, vel saltem ex attestationibus, & documentis extrajudicialibus etiam, sed non levibus.

Præmissis non servatis, admittetur appellatio, & provocatio ad novum examen, etiam non probato gravamine.

Atque ita quidem sensit Sacra Congregatio, & Sanctissimus assensit.

At si quis tamen Ordinariorum aliter, ac supra descriptum est, Concurrentium examina instituere perrexerit, perget & Sacra ipsa Congregatio more pristino Appellantibus, qui se gravatos dixerint, provocationem ad novum examen, nullâ gravaminis prævià probatione, indulgere. Interim tamen, ne harum literarum memoria dilabatur, vult eadem Sacra Congregatio, eas in uniuscujusque Ordinarii Cancellaria perpetuò conservari. Cujus interea consilium, tum voluntatem, dum ego omnibus significo, Amplitudini Tuæ fausta omnia è Cœlo precor. Romæ hac die 10. Januarii 1721.

Dat. die 10. Jan. 1721.

Amplitudinis Tuæ.

Uti Frater

P. M. Card. Corradinus Præfectus.

P. Lambertinus Secretarius.

§. 8. Quantum rectè dispensandis Ecclesiasticis muneribus, administrandæ justitiæ, componendis dissidiis, continendisque in officio Clericis proficeret saluberrima præmissarum legum institutio, satis superque experientiâ comperuimus, cum Anconitanam primùm Ecclesiam, ac deinde Bononiensem Sponsam nostram paternâ charitate cominus amplecteremur; Freti siquidem dictarum legum præsidio, Digniores Parochiis, & Curæ animarum præfecimus: Tantâque, benedicente Domino, id accidit animorum consensione, ut nemo questus sit, traditum minus Digno celsioris loci præmium, vel minus justè alteri credita vacantis Ecclesiæ gubernacula.

Pontificis experientia de præmissarum legum utilitate.

§. 9. At quia certis admonemur indiciis, non ita id aliis Episcopis contigisse; imò non deesse, qui privatis abrepti studiis, sæpe declinare, ac redarguere Judicium Episcopale præsumant: Nos propterea solliciti de implendis, prout decet, muneris Nostri partibus, nonnulla præfatis Literis addenda, nonnulla verò tacitè, breviterque ibidem tradita, clariùs explicanda censuimus, ut rectè omnia, atque ex ordine peragantur.

Aliqua tamen addenda supersunt.

§. 10. Mœrentes igitur audivimus, quod in plerisque Diœcesibus, etsi recepta sit laudabilis, firmiterque custodienda consuetudo in scriptis redigendi examen Concurrentium, nihilominus Examinatorum suffragia in sola literarum peritia versantur, nec illorum exquiritur sententia de Clericorum ætate, institutione, gravitate, & honestate morum, prudentia, muniis antea exercitis, & an tales demum sint, qui Oves suas verbo, & exemplo juvare possint. Quam devia sit hujusmodi praxis à Tridentini semitâ, is planè intelliget, qui expendet verba relata *cap. 18. sess. 24. de Reformat.*: *Peracto deinde examine, renuntientur quotcumque ab his idonei judicati fuerint moribus, doctrinâ, prudentiâ, & aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis.* Idque probè noscens Congregatio ejusdem Concilii Interpres, pluries edixit, Examinatores suo deesse muneri, si doctrinæ tantùm Judices essent, nec inquirerent, qui præ aliis, probitate morum, laboribus, præstito

De concurrentium idoneitate, non ex doctrina tantum, sed ex aliis etiā qualitatibus judicandum.

antea Ecclesiæ obsequio, cæterisque dotibus ad Officium Parochi cumulatè obeundum necessariis, essent idonei, & commendabiles.

Super quibus expedit Examinatorum quoque sententias exquiri.

§. 11. Absoluto Examine, ut cuique satis compertum est, sit tantummodò potestas Examinatoribus renuntiandi quotquot regendæ Ecclesiæ idoneos judicaverint, reservata uni Episcopo electione Dignioris, quemadmodum sancitum est à Tridentino illis verbis: *Ex hisque Episcopus eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit*: At si quem Clericorum fortè contigerit appellare à mala relatione Examinatorum, quorum cura unicè versata fuerit in exquirenda doctrina, non facta uno eodemque tempore solerti etiam investigatione aliarum qualitatum, quæ Pastoris congruant officio: Ordo judicii secum feret, ut etiam Judex, ad quem provocatum fuit, in sola doctrinæ indagine immoretur: Nec sine gravi animarum detrimento, & disciplinæ injuria, præficiatur Ecclesiæ, qui literis magis pollet, licèt cætera minus aptus, & quandoque indignus; Contra verò arceatur ille, qui licèt impar doctrinæ merito, attamen moribus, gravitate, prudentia, probato nomine, diuturno Ecclesiæ famulatu, ac multiplici virtutum laude præcellit.

Et Judicem appellationis cognoscere.

§. 12. Factum præterea satis extirpandis abusibus non videtur, si tam Episcopus, quàm Examinatores, conjunctis studiis, industriæ nervos omnes intenderint in conferenda concordi judicio Ecclesia Personæ, quæ licèt scientiâ, & literis alteri concedat, majori tamen cæterarum qualitatum eminet ornamento; Siquidem Postpositus, suæ nimium fidens doctrinæ, ab irrationabili Judicio Episcopi non rarò appellat; Causâque ad Judicem Appellationis delatâ, idem totus est in perquirenda majori doctrina, ac reparando gravamine literato homini irrogato, nusquam librato aliarum virtutum pondere, quæ in Appellante desiderantur: Lugentque ut plurimum vigiles Ecclesiarum Antistites exitum hujusmodi appellationis, intimèque dolent, Parochias doctis, non aptis Pastoribus, ut dictum est, regendas committi.

Atque in judicio ferendo, legitimis probationibus & documentis inuiti.

§. 13. At si Judex etiam Appellationis (quod rarò evenit) tantum tribuens scientiæ, quantum satis, majori, & accuratiori examine inquirat, qui mores hominum sint, quæ gravitas, prudentia, qui susceptí antea labores, quæ virtutum specimina, quæ demum totius anteactæ vitæ ratio, pascendo Gregi consentanea: Tot Judici exhibentur attestationes ab Appellante ex industria collectæ, ut, revocato Episcopali judicio, tamquam irrationabili, non vereatur Judex succurrere eidem Appellanti, quem tam copiosa, tamque conspicua probitatis adjuvant documenta.

Habenda quoque ratio Episcopalis judicii ex informata conscientia prolati.

§. 14. Demum cum præcipuè Episcopis, tamquam in specula constitutis, pateant Subditorum excessus, contingere solet, ut in Concursu, tam inspectâ scientiâ, quàm moribus, ille idoneus ab Examinatoribus renuntietur, cui fœda aliqua vitii labes, ac criminis macula inusta sit, omnibus, præterquam Episcopo, occulta. Si Episcopus, justâ suadente causâ, crimine non revelato, eundem criminosum tacitus præterierit, aliumque immunem a sorde prælegerit: Illicò Postpositus, simulato gravamine, provocat ad Superiorem Judicem criminis ignarum, & consueto diffugio Appellationis, evehitur ad Pastorale fastigium, qui non potest consulere Populo, sed nocere, nec præstare regimen, sed augere discrimen.

Appellatio saltem devolutiva denegari nequit ex Conc. Trid.

§. 15. Ne igitur improbi ingenii homines remedium Appellationis, ad justitiæ præsidium institutum, callidè traducant ad iniquitatis defensionem: Optimum factu aliquibus fortasse videretur, si Appellatione quâvis sublatâ, cura præficiendi Rectores animarum prorsus relinqueretur Episcopis, rationem villicationis suæ Christo Judici tantùm reddituris. Verùm nullo pacto probare id possumus, quod adversaretur menti Concilii Tridentini, tacitè permittentis Appellationem in devolutivo a mala relatione Examinatorum, quemadmodum innuere videntur verba illa: *Nec prædictorum Examinatorum relationem, quominus executionem habeat, ulla devolutio, & Appellatio, etiam ad Sedem Apostolicam, sive ejusdem Sedis Legatos, aut Vice-Legatos, aut Nuntios, seu Episcopos, aut Metropolitanos, Primates, vel Patriarchas interposita impediat, aut suspendat*: Cui Sanctioni respondet etiam Constitutio Piana, admittens Appellationem in devolutivo ab irrationabili Judicio Episcopi.

Series Actorum servandorum in Parochialium provisione per concursum.

§. 16. Qua de re, ut in hujusmodi negocio aptè omnia, atque compositè peragantur, Officii Nostri esse duximus, cum vobis, Ven. Fratres, gerendarum rerum ordinem præscribere, quem longo usu utilem agnovimus instituendis animarum Rectoribus, qui credito sibi Gregi præesse, & prodesse possint.

Deputatio Vicarii in Ecclesia vacante.

I. Episcopus, habitâ notitiâ vacationis Ecclesiæ, statim, ad præscriptum Tridentini, idoneum in ea deputet Vicarium, cum congrua ejus arbitrio fructuum portionis assignatione, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec ei de Rectore provideatur.

Indictio Cõcursus, cum præfixione termini ad exhibenda in actis Requisita.

II. Publico evulgetur Edicto notitia Concursus, congruo, & ab Episcopo præfinito tempore celebrandi: eodemque Edicto omnes clarè, & apertè moneantur, ut interim decurrente termino assignato, coram Cancellario Episcopali, vel altero ab Episcopo deputando, suarum qualitatum, meritorum, & munerum probationes, attestationes tam judiciales, quam extrajudiciales, aliaque id genus documenta, quæ fraude vacent, exhibeant: Alioquin, dicto termino elapso, Documenta hujusmodi, quæcumque, & qualiacumque ea sint, nullatenus recipientur.

Summarium meritorum tam Ordinarii, quàm Examinatorum judicio subjiciendũ.

III. Eveniente die Concursus, a Cancellario Episcopali singulorum merita, qualitates, & Requisita, (ut vocant), incorruptâ fide deprompta a Juribus tempore habili exhibitis, in scriptis summatim redigantur: Porrò copia Epitomes tradetur non solùm Episcopo, vel Vicario Generali vices illius obeunti, sed singillatim omnibus Examinatoribus ad Concursum adscitis, ut cum de scientia, tum de vita, moribus, aliisque regendæ Ecclesiæ necessariis dotibus ferant judicium.

Forma concursus, & examinis, tum circa doctrinam, tum circa reliquas qualitates requisitas.

IV. Die præstitutâ ab Episcopo habeatur Concursus, servatâ accuratè in omnibus formâ traditâ in supra relatis Literis anno 1721. editis, totaque rerum in eo gestarum series scriptis diligenter enucleetur. Porrò Examinatores, ad assequendam certam, & indubiam conjecturam scientiæ, postquam diligenter expenderint singulorum peritiam in evolvendo, explicandoque oretenus aliquo Ecclesiasticæ Doctrinæ capite, vel a SS. Patribus, vel a Sacro Concilio Tridentino, vel a Catechismo Romano excerpto, ac pari diligentia libraverint a quolibet scripto datas responsiones quæstionibus propositis; Et postquam demum deprehenderint quâ quisque polleat gravitate sententiarum, & elegantiâ sermonis in Conciuncula scripto pariter exarata, & Textui Evangelico, vel alteri dato Themati accommodata: parem, ni forte majorem solertiam Examinatores adhibeant in perscrutandis aliis qualitatibus, regimini animarum consentaneis; morum honestatem inquirant, gravitatem, prudentiam, præstita hactenus Ecclesiæ obsequia, acquisitam in aliis muneribus laudem, aliaque spectabilium virtutum ornamenta, Doctrinæ arcto fœdere consocianda; hisque omnibus conjunctim expensis, inhabiles per sua suffragia rejiciant, & idoneos Episcopo renuntient.

Suppressa requisitorum notula, di-

V. Absoluto Concursu ab Episcopo, vel eo

impedito,

gnior ab Ordinario eligendus, & in possessionem inducendus.

impedito, a Vicario Generali una cum Examinatoribus Synodalibus non paucioribus quàm tribus, Notula compendiaria Requisitorum antea distributa tradatur Cancellario, qui illam comburat, vel penès Acta secretò custodiat, & nemini ostendat, nisi de mandato Episcopi, vel ejus Vicarii Generalis. Subinde verò Ordinarius, cum primùm ei libuerit, eligat ex approbatis Dignioremm, nec illi Possessio, ullo Appellationis vel Inhibitionis obtentu, retardetur.

Congregat. Concilii.

Appellatione interpositâ, Judex AD QUEM nō pronunciet nisi secundū acta.

VI. Si quem Clericorum appellare contigerit a mala relatione Examinatorum, vel ab irrationabili Judicio Episcopi: coram Judice Appellationis Acta Concursus integra omnino producat; Et Judex, nisi illis visis, & gravamine comperto, Sententiam non pronunciet. Præterea in ferenda Sententia, ac reparando gravamine, idem Judex innitatur solummodò probationibus ab Actis elicitis, tam respectu doctrinæ, quàm aliorum meritorum. Quia verò a publica indictione, usque ad diem habiti Concursus, tantum temporis intercessit, quantum satis fuit commodè exhibendis necessariis juribus, attestationibus, requisitis, aliisque meritorum documentis; Idcircò, ut quævis via fraudibus præcidatur, volumus, ac districtè mandamus, ne dd. Attestationes, Fides tam judiciales, quàm extrajudiciales, & documenta quæcumque studiosè conquisita, & post Concursum, ut ajunt, expiscata, ullo modo recipiantur: Non obstantibus supra memoratis Literis, a Congregatione Concilii Tridentini Interprete anno 1721. editis, quibus ad præmissorum effectum in hac parte derogamus, illis tamen in reliquis, una cum omnibus in eis contentis, firmiter in suo robore permansuris.

Duæ conformes in utrâlibet partem judicio finē imponent.

Si Ordinarius processerit ex informata conscientia, causam sibi notâ, per Litteras familiares indicabit Judici superiori.

VII. Ubi verò Episcopus, posthabito uno, vel altero ex approbatis, Ecclesiam contulerit magis idoneo ob aliquam sibi ipsi tantùm notam causam, quam censeat significari oportere Judici Appellationis, ad detergendam injustæ fortasse preelectionis notam: Familiaribus literis Judicem certiorem efficiat, inviolabilis secreti lege adjectâ. Nemo sit, qui hanc praxim Nostræ tribuat solertiæ, cum illa profluat a Tridentini Decretis. *Sessione* etenim 24. *cap.* 20. *de Reform.* ita disponitur: *Præterea si quis in casibus a Jure permissis appellaverit, aut de aliquo gravamine conquestus fuerit, seu aliàs, ob lapsum biennii, de quo supra, ad alium Judicem recurrerit, teneatur acta omnia coram Episcopo gesta ad Judicem Appellationis expensis suis transferre, EODEM TAMEN EPISCOPO PRIUS ADMONITO, UT SI QUID EI PRO CAUSÆ INSTRUCTIONE VIDEBITUR, POSSIT JUDICI APPELLATIONIS SIGNIFICARE.*

Præmissorū executio Ordinariis cōmendatur.

Qui nec illam revelare poterit, nec juridice probari postulabit.

Et quamvis jure Nobis timendum sit, ne dicta praxis monendi Judicem, a quo appellatum est, in more olim posita, hac tempestate obsoleverit, & a Foro recesserit; Attamen Episcopus (ut dictum est) si ex causa sibi tantùm, & non aliis nota, quæ tamen approbari digna sit, Ecclesiam contulerit; illam Judici Appellationis, datis secretò literis, denunciet, & aperiat. Sciant porrò Judices, delatas ab Episcopo causas, & rationes, inviolabilis secreti fide esse custodiendas; nec parvi pendendum esse testimonium illius Pastoris, cui Divino mandatur eloquio, Oves suas agnoscere. Facilè enim credi non potest, Episcopos suæ non minus, quàm alienæ salutis adeò immemores, ut non deterriti Divini in terminatione Judicii, odio vel favore moveantur; & in Sacrorum Canonum singularem injuriam, *dicant malum bonum, bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.*

Pro collatione Ecclesiæ a Sede Apost. providendæ, liceat semper Ordinariis Concursum indicere, & complere.

Ordinarius suspectū habens Judicē AD QUEM, Judicii sui causas aperiet Præfecto

Si verò Episcopo fuerit suspecta fides Judicis, ad quem appellatum est, nec eidem revelanda censuerit hujusmodi occulta rationum momenta: Illa significet secretis literis S. R. E. Cardinali Præfecto pro tempore Congregationis Concilii, qui nec consilio, nec auctoritate deerit, quo minus a Judice Appellationis debitus justitiæ locus tribuatur.

§. 17. Præterea quia æquitati etiam convenit, Causas Appellationis, quæ magno Litigantium dispendio, & Ecclesiæ pernicie, immortales quandoque existunt, quantâ fieri potest brevitate terminari: Idcirco ubi a Judice Appellationis lata sit Sententia, quæ præelectioni factæ ab Episcopo omninò sit conformis, nullus pateat novæ Appellationi aditus, sed auctoritate Rei judicatæ controversiæ finis imponatur. Sin verò Judex Appellationis aliter, quàm Ordinarius, pronunciaverit; liceat Præelecto ab Episcopo, qui Causâ cecidit, ad alium Judicem appellare, firmiter interim retentâ Parochialis Ecclesiæ possessione. Tandem postquam tertius quoque Judex Sententiam dixerit, ne Partes ultra modum graventur laboribus, & expensis, præsertim quia agitur de Cura animarum, cui damnosum est, certi Pastoris destitui solatio; Is legitimum regendæ Ecclesiæ jus obtineat, cui duæ conformes assistunt Sententiæ, nec ullum novæ Appellationis remedium succumbenti suffragetur.

§. 18. His sanè regulis, quamvis Appellatio sublata non sit, satis tamen præsidii comparatum esse arbitramur Ecclesiasticæ disciplinæ, ac recto gerendarum rerum ordini. Unum superest, ut propositа hactenus media debitæ executioni mandentur; Eumque in scopum Locorum Ordinarii vigilantiam suam desiderari non patiantur. Ferendum quippe non esset, ad nostri Apostolatus auditum novas in diem deferri querelas, ac submovendis abusibus novas imploraari leges, ab iis, qui jam præstitutas negligunt & contemnunt.

§. 19. Demum cum non rarò contingat, Ecclesias Parochiales, Dignitates, Canonicatus, aliaque Beneficia Curam animarum habentia, a Sede Apostolica esse conferenda; vel quia vacaverint in mensibus reservatis, vel quia ex alio capite dictæ Sedi reservata sint: Nos Prædecessorum Nostrorum vestigiis inhærentes, præcipimus, & mandamus, ut uno vel altero eveniente casu, Concursus ab Episcopo sine ullo discrimine indicatur, nullâ ad hunc actum petitâ veniâ, vel licentiâ, quam Nostris hisce literis sibi tributam Episcopi intelligant.

Item dignioremm eligere, non transmissis actis, pro collatione Ecclesiæ Sedi Apost. reservatæ RATIONE MENSIS. Secus, si ex alia causa reservationi fuerit obnoxia.

§. 20. Absoluto concursu, si res sit de Beneficiis Curatis, *quæ tantùm ratione Mensium reservata sint*, Episcopus inter approbatos eligat magis Idoneum, & Datariæ significet, nec Acta Concursus transmittat, nisi a Dataria, cum id opportunum duxerit, requirantur. Sin verò dicta Beneficia, quibus cura imminet animarum, *ex alio quovis capite, quàm mensium Apostolicorum*, Sanctæ Sedi reservata sint; Eo sanè casu, veteri non immutato more, abstineat Episcopus a ferendo Dignioris judicio, & Acta concursus ultrò Datariæ exhibeat.

Pontifex Ordinariorum judicio multum deferet.

§. 21. Licebit tamen Ordinariis, pro suo arbitrio, familiaribus literis Datario scriptis, eidem denunciare Personam, quam censent regendæ Ecclesiæ magis idoneam, eumdemque commonere, an occulta aliqua, & in Actis justè reticita subsit causa, quæ cuipiam obstet ad Beneficium Curatum obtinendum. Nos ipsi postmodum ab hac Sede omnium Principe, & Magistra, luculento edocebimus exemplo, quanti faciendum sit Episcopale judicium, quantoque vos honore prosequamur, Venerabiles Fratres, in partem Nostræ sollicitudinis evocatos, quibus interim Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Dat. die 14. Dec. 1742.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 14. Decembris MDCCXLII. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

LXIX. Vota simplicia in Congregatione Missionis emissa, a nemine, quacumque ex causa, præter quam a Romano Pontifice, aut a Superiore Generali Congregationis in actu dimissionis tantum, dissolvi posse statuitur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Pontificis studium erga Congregationem Missionis.

QUo magis uberes, ac salutares in Catholica Ecclesia fructus in dies, benedicente Domino, Congregationem Missionis a S. Vincentio de Paulo Fundatore olim institutam, & æterna cum animarum Christifidelium salute latissimè propagatam, proferre dignoscimus, eò magis luculentis Apostolicæ auctoritatis providentiæque nostræ studiis eamdem complecti volumus, ut majora semper accipiat incrementa.

Alex. VII. approbat Cõgregationis institutum, & professionem votorũ simplicium, a solo Pont. aut Sup. Gen. dissolven.

§. 1. Aliàs sane fel. rec. Alexander PP. VII. Prædecessor noster, de tunc existentium S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum consilio, ad ejusdem S. Vincentii Fundatoris in humanis agentis supplicationem, per quasdam suas in simili forma Brevis literas die XXII. mensis Septembris anno MDCLV. expeditas, in perpetuum eamdem Congregationem Missionis inceptam, & approbatam, Apostolica auctoritate sua approbavit, & confirmavit, cum emissione Votorum simplicium Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ, necnon stabilitatis in dicta Congregatione, ad effectum se toto vitæ tempore saluti Pauperum Rusticanorum applicandi, post biennium Probationis facienda, in quorum tamen Votorum emissione nemo interesit, qui ea acceptet, sive nomine Congregationis, sive nostro & pro tempore existentis Romani Pontificis nomine, & vota sic, ut supra, emissa dissolvere possit solus Romanus Pontifex, necnon & Superior Generalis dictæ Congregationis in actu dimissionis e Congregatione: nemo autem alius, etiam vigore cujuscumque Jubilei, Bullæ Cruciatæ, seu alterius privilegii, & indulti, aut cujuscumque Constitutionis, sive Concessionis nisi in eis facta fuerit specialis mentio horum votorum sic, ut supra, in dicta Congregatione emissorum, dissolvere, aut commutare, vel dispensare possit & valeat; & aliàs prout in dictis literis Alexandri Prædecessoris præfati, quarum tenorem præsentibus pro expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

Statuta ambitum prohibentia Clementi IX. exhibita, a Clemente X. confirmãtur.

§. 2. Deinde, fel. pariter rec. Clemente PP. IX. itidem Prædecessore nostro, qui quasdam Constitutiones in Comitiis Generalibus dictæ Congregationis pro ejusdem meliori regimine conditas, recognoscendas, examinandasque aliquot Romanæ Curiæ Prælatis commiserat, viam universæ carnis ingresso, easdem Constitutiones jam recognitas, & examinatas rec. mem. Clemens PP. X. similiter Prædecessor noster per alias suas in pari forma Brevis literas die 11. mensis Junii anno MDCLXX. datas, quarum tenorem pariter præsentibus pro expresso, & inserto haberi volumus, Apostolicæ auctoritatis patrocinio communivit; inter quas quidem Constitutiones nona in Ordine ita præscribit: *Dignitates Ecclesiasticas absque consensu Conventus generalis acceptare non poterit*, (scilicet Superior Generalis), *nisi Summus Pontifex id in virtute sanctæ obedientiæ præcipiat.* Quod sanè etiam cautum videtur in Regulis, seu prioribus Constitutionibus Congregationis præfatæ cap. 3. §. 10. in quo sic habetur: *Quoniam virtus paupertatis solo etiam appetitu inordinato ad bona temporalia potest violari, unusquisque diligenter cavebit, ne hoc malum, etiam quoad beneficia sub specie boni spiritualis ambienda, cor suum invadat; ideoque, ne quidem ad ullum beneficium, aut dignitatem Ecclesiasticam, sub quocumque prætextu, aspirabit.*

Idem Clemens X. declarat, facultates a S. Sede in Jubileis, aliisque Indultis concessas, nõ extendi ad dd. Votorum dispensationem.

§. 3. Præterea cum aliqui, post antedicta vota in eadem Congregatione emissa, ipsam Congregationem deseruerint, asserentes se dictorum votorum dispensationem, seu commutationem obtinuisse a quibusdam Confessariis, vigore Literarum Apostolicarum super Jubileo emanatarum, ac prædictos Confessarios potuisse dispensare, seu commutare hujusmodi vota, quia in dictis literis conceditur facultas commutandi vota quæcumque, Castitatis, & Religionis exceptis, ac deinde in fine derogatur contrariis quibuscumque, & in specie Statutis, & Consuetudinibus quorumcumque Ordinum, ac Congregationum, seu Institutorum Regularium, etiam confirmatione Apostolica roboratis, necnon privilegiis, indultis, & literis Apostolicis eisdem Ordinibus, & Congregationibus concessis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua mentio habenda foret: memoratus Clemens X. Prædecessor per alias pariter suas in simili itidem forma Brevis literas die XXIII. mensis Junii anno MDCLXX. datas, de consilio tunc existentium S. R. E. præfatæ Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, declaravit, vota prædicta in dicta Congregatione Missionis post illius confirmationem Apostolicam præfatam emissa, vel emittenda, ab aliis, quam a pro tempore existente Romano Pontifice, & Superiore Generali ejusdem Congregationis, in actu dimissionis ab ipsa Congregatione, licitè, & validè non potuerint, nec possint dispensari, commutari, aut aliàs quomodolibet dissolvi vigore cujuslibet Jubilei, Bullæ Cruciatæ, seu alterius Privilegii, Indulti, Constitutionis, sive concessionis, non facientium expressam dictorum votorum mentionem.

Causæ obtẽdi, aut expiscari solitæ ad extorquendas dispensationes.

§. 4. Quoniam autem, sicut accepimus, ex Presbyteris, qui in eamdem Congregationem admissi ac probati, antedicta vota emiserunt, & in doctrinarum, bonarumque artium studiis, non sine magno ejusdem Congregationis dispendio, instituti, per non breve temporis spatium commorati fuerunt, regularis observantiæ pertæsis, ut ex ipsa Congregatione egrediantur, alii quidem varias infirmitatis causas obtendunt, alii vero Beneficia Ecclesiastica in Cathedralibus, Collegiatis, aliisque Ecclesiis personalem residentiam requirentia omnimodis artibus sibi conferenda procurant, alii etiam ad Ecclesias, quibus pastoralis animarum cura adnexa est, obtinendas concurrunt, ac deinde votorum emissorum dispensationem, præmissorum obtentu, extorquent. Quæ certè in hujusmodi votis, ac præsertim stabilitatis, dispensandi facilitas, aliàs ferè inaudita, in causa est, ut, quamplurimis in Galliis, Italia, & Polonia ex eadem Congregatione nuper egressis, incitamento sit & exemplo aliis, quo omnem aditum egrediendi sibi aperire studiosè meditentur, & interea Congregationis præfatæ munera negligentius obeantur, ac propterea incrementum, quod eidem Congregationi Deus dare cæpit, sensim disperdatur: Hinc est, quod Nos, qui Congregationem præfatam semper plurimi fecimus, &, quanto Clericis in sortem Domini vocatis ad vocationis suæ munera ritè sanctèque adimplenda adjumento sit, novimus, salutare aliquod remedium hac in parte adhibere cupientes, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ auctoritatis plenitudine, tenore præsentium, non solum omnia, & singula in Constitutionibus, & Regulis ejusdem Congregationis, ut præmittitur, contenta, & de novo statuta, ac ab Apostolica hac Sancta Sede iterum atque iterum approbata, & confirmata, iterum, quatenus opus sit, de novo approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis perpetuæ Apostolicæ firmitatis robur adjicimus;

Pontifex relatas Constitutiones confirmat, & innovat.

verum

verum etiam quamcumque in dispensando pro votis hujusmodi, ac præsertim voto stabilitatis, facultatem, tum ordinariis Nostris & Apostolicæ Sedis præfatæ pro tempore ubicumque existentibus Nuntiis, & Legatis, tum omnibus, & singulis Congregationibus Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, quavis auctoritate, privilegiis, & indultis, quibus omnibus, quoad hanc partem, motu, scientia, potestate, ac tenore paribus derogamus, quomodolibet competentem, & respectivè attributam, omnino inhibemus, & inhibitam esse volumus, ac declaramus; ita ut quælibet dispensatio pro votis supradictis, ac præsertim stabilitatis, cuilibet Presbytero, seu Clerico, vel Laico dictæ Congregationis, ob quamcumque causam, a quibusvis, etiam speciali mentione dignis, (dummodo non fuerit concessa per Nos, & pro tempore existentem Romanum Pontificem Successorem nostrum, sive per modernum pariter, & pro tempore existentem Superiorem Generalem ejusdem Congregationis in actu dimissionis tantum, juxta præfatas Constitutiones), quomodolibet concessa, & quælibet cujuscumque Beneficii Ecclesiastici personalem residentiam requirentis, vel animarum curam extra dictam dumtaxat Congregationem unitam habentis, collatio, cuilibet ex Presbyteris, & Clericis præfatis quomodolibet facta, & capta etiam possessio, irritæ, & nullæ sint, ac nullius roboris, & momenti habeantur, perinde ac si minime concessa, facta & capta fuisset, ac propterea nemini, ad quem spectat, & pro tempore quandocumque in futurum spectabit, suffragentur.

Adimit quibuslibet facultatem dispensandi quoad prædicta vota, ex quacumque causa.

Eamque reservat Rom. Pontifici, aut Super. Generali tantum in actu dimissionis.

Collationes Beneficiorũ curat., aut resid., Missionariis factas, & faciendas annullat.

§. 5. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque semper firma, valida, & efficacia existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quod spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective, inviolabiliter observari; sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. præfatæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, ac Apostolicæ Sedis prædictæ Nuntios, ac quosvis alios quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ de perpetua Literarum firmitate.

§. 6. Non obstantibus præmissis, necnon nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris. ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Derogationes.

§. 7. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici, vel Secretarii Generalis dictæ Congregationis subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, vel Superioris Generalis Congregationis præfatæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Exemplorũ auctoritas.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 18. Decembris MDCCXLII. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Dat. die 18. Dec. 1742.

D. Cardinalis Passionеus.

Consecratio Hieronymi de Bock in Pseudo-Episcopum Harlemensem damnatur, & excommunicationis, ac suspensionis sententia in ipsum pronunciatur.

LXX.

Dilectis Filiis, Universis Catholicis in Fœderato Belgio commorantibus.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecti Filii, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

OBSURDESCIT quotidie magis infandum Schisma, paucorum perfidia apud vos conflatum; nec definit in præceps ruere, ac novis in dies sceleribus irritare amantissimi Patris animum, sibique a bonis omnibus ludibria cumulare.

Exordium.

§. 1. Cognovimus enim Petrum Joannem Meyndarts, funestissimum ejusdem Schismatis Caput, ausum fuisse refricare illatum Catholicæ Ecclesiæ tam diræ perduellionis vulnus, illegitimo Ritu, & fucatis Cœremoniis consecrato in Harlemensem Pseudo-Episcopum Hieronymo de Bock, ejus simiolo, parique inverecunda fronte, ac protervitate.

Refertur Consecratio Pseudo-Episcopi Harlemensis.

§. 2. Detestamur utique indignum facinus, dolemusque, nullum ab iis, eorumque Sectatoribus fieri furendi finem. Non tamen adhuc exuimus paternam misericordiam, ac veluti mater, confecta incredibili mœrore super insanientem filium, pietate potius, quàm iracundia percellimur. Sed quid ultra ad eos revocandos fieri potest, quod non perfecimus? Clamavimus, viam, quam insisterent, ad interitum ducere, nec audierunt. Exprobravimus fractam, quam promiserant Domino, fidem, negatamque Romanæ Sedi obedientiam; & continuerunt aures suas, ne conscientia latrante se respicerent, ad sanamque mentem redirent. Flagellum denique distrinximus Ecclesiasticæ severitatis; & occallescunt, parvique pendere videntur acceptas plagas, quasi se non attingant, probè tectos lorica durissimæ contumaciæ, pudendæque perduellionis. Igitur cùm Ecclesiam, ejusque Supremum Pastorem non amplius audiant, id solùm supereſt, ut è Christi Domini Oraculo habeantur veluti Ethnicus, & Publicanus, extorres Catholico Grege; utque se jactent, quantum lubet, in ea Satanæ Ecclesia, quam sibi statuerunt, nec amplius glorientur ad veram Ecclesiam se pertinere, unde penitus exclusi, dejecti, depulsi sunt. Nos utique, in magno de illorum pertinacia dolore, lætamur saltem, ita denique hanc jamdiu male olentem reproborum apud vos hominum sentinam exhaustam, ipsorum discessu, censeri posse, atque adeo minus ab eadem metuendum esse. Utinam verò & Catholicorum nomen, quod hactenus retinere conantur, jam tandem deponerent. Sic enim prorsus abjiceremus solicitudinem, ne simplicibus, incuriosis, aut malè, quid illic veneni lateat, instructis, imponant, Catholici nominis usurpatione, Sacræque Hyerarchiæ falsò ab ipsis suppletæ similitudine.

Quam Pontifex detestatur.

§. 3. Nos quidem, quantum tenuitati nostræ licuit, in hujusmodi eventum jamdudum Apostolico Ministerio Nostro sedulò defuncti sumus, nefariamque Joannis Petri Meyndarts ad Ultrajectensem Ecclesiam electionem, irritam, illegitimam, ac sacrilegam declaravimus, & quicquid ex illo, futilem commentitii Archiepiscopatus auctoritatem exercente, prodiisset, aut proditurum foret, nullum pariter irritumque pronunciavimus. Deinceps eadem nota, parique infamia, censuriisque inussimus prænuncupati

Electiones Consecrantis, & Consecrati nullæ; censuræ in utrumque prolatæ.

Hieronymi de Bock probrosam cooptationem in Harlemensem Antistitem.

Consecratio Hieronymi de Bock illicita, & illegitima, declaratur.

§. 4. Nunc autem Prædecessorum nostrorum, sacrarumque legum morem atque exempla sequuti, tradita Nobis e Cœlo potestate, primùm hujusmodi nefariam consecrationem, illicitam, illegitimam, sacrilegam, ac contra Supremæ Sedis mandata, & Sacrorum Canonum sanctiones factam declaramus.

Idem cum assectis excommunicatur.

Deinde ipsum Hieronymum de Bock, & quotquot huic execrabili facinori operam, consilium, consensum præstiterunt, auctoritate Omnipotentis Dei excommunicamus, anathematizamus, atque ac Ecclesiæ communione segregatos, ac prorsus Schismaticos habendos, & vitandos esse iterum constituimus.

Suspenditur ab exercitio Ordinis, & jurisdictionis.

Sciat autem idem Hieronymus de Bock, non solum ab iis, quæ sunt jurisdictionis, exercendis se esse suspensum, sed etiam ab iis, quæ sunt Ordinis. Mandamus illi propterea, districtèque interdicimus, sub pœna excommunicationis ipso facto, & sine alia declaratione incurrendæ, ut nullo pacto, aut Chrisma conficere, Clericos ordinare, Virgines consecrare, aut alia Episcopalis Ordinis exercere audeat; Decernentes insuper vacuos, inanes, nulliusque prorsus roboris, ac momenti, omnes & singulos alios actus, quos attentare præsumpserit. Ac proinde qui ab ipso Ecclesiasticis Ordinibus initiati fuerint, noverint suspensionis vinculo se obstrictos, atque irregularitati propterea obnoxios, si susceptos Ordines exercuerint.

Admonitio ad Catholicos.

§. 5. Quæ omnia vobis, Dilecti Filii, renuntianda esse duximus, non ut caveatis ab hoc quoque sacrilego insidiatore; siquidem scimus, satis vos adversus illius temeritatem, ac subdolas artes habere præsidii in vestra invicta pietate, & religione; sed ut, si aliqui sunt in ea contumaciissima secta, qui nondum penitus infixi maneant in limo profundi, a Nobis pro paterna caritate admoniti, inducant animum respiscere, ac desinant præbere aures hujusmodi factiosis hominibus, qui, ut serviant furori suo, inveteratoque adversus veram Christi Ecclesiam odio, se prorsus Satanæ devoverunt. Vos autem manete in ea vocatione, in qua vocati estis, & quam sequuti Majores Vestri, constantissimam Fidem suam probarunt universæ Ecclesiæ, & hujus in terris capiti Pontifici Maximo. Reliqui, qui sese istic obstinarunt ad persequendum Schisma, pergant in exiguo suo Cœtu gaudere de sacrilega sua pertinacia, sibique plaudant ob execrabile inventum Pseudo-Episcopos constituendi. Non diu erit, cum experti discent, quid sibi profuerit malitia sua; ac fremebundi intelligent, quid vobis æterni gaudii, & immortalis gloriæ pepererit virtus obedientiæ, castaque fides vestra. Huic interim faustissimo eventui proludimus Apostolica benedictione, quam Vobis, Dilecti Filii, peramanter impertimur.

Dat. die 20. Dec. 1742.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 20. Decembris 1742. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

J. Vincentius Lucchesinius.

Publicat. die 5. Januar. 1743.

LXXI.

Reos Convictos per indicia indubitata, quamvis non confessos, pœnis ordinariis multandos esse statuitur.

Monsignor Francesco Ricci della Nostra Città di Roma, e suo Distretto, Generale Governatore, e Vice-Camerlengo.

Congregatio Particularis pro quæstionis examine deputatur.

AVENDOVI Noi con Viglietto di Segreteria di Stato in data delli 29. Aprile del cadente anno 1742. *espressamente ordinato, che, per apportare qualche opportuno rimedio alla frequenza degli Omicidj, ed altri Delitti qualificati, che si commettono in Roma, e nel Nostro Stato Ecclesiastico da' Rei, sulla confidenza di non poter essere condannati alla Morte, se spontaneamente non confessino il lor Reato, ò confessandolo ne' Tormenti, non ratifichino poscia la lor Confessione, doveste convocare avanti di Voi una Particolar Congregazione con l'intervento de' Monsignori, Bardi Segretario della Sagra Consulta, Fabretti, e Clarelli Ponenti della medesima, Toppi Fiscale Generale, & Avvocati, Mocci Luogotenente dell' A. C., Delfini Luogotenente del Cardinal Vicario, Michilli, e Mirogli Luogotenenti del vostro Tribunale del Governo, e de Angelis Giudice de' Malefizj di Campidoglio, e sentirne sopra di ciò il di lei sentimento; ci avete rappresentato, che dopo essersi più volte adunata avanti di Voi la detta Congregazione, fattosi in essa maturamente considerati li seguenti Dubbj, e con essersi inteso tanto in voce, che in scritto anche il parere dell' Avvocato de' Poveri, ne siano emanate le sofcritte Risp ste.*

Dubia in Congregatione Proposita. Dub. I.

Primò: An duo, vel tres Testes concludentes perneceſsè Delictum, & aliquas patientes exceptiones, præter illas pro quibus Testes de Jure in totum repelluntur à testificando, possint suppleri tàm ex aliis indiciis, & conjecturis probatis per Testes minùs habiles, & idoneos, quàm ex numero Testium, ad effectum imponendi pœnam ordinariam?

Responsum. Responsum: Attentis frequentia Delictorum, & facilitate, qua Rei negativi evadunt promeritas pœnas, esse consulendum Sanctissimo, ut declaret, in Tribunalibus Supremis, & suas vices gerentibus, ac in Delictis atrocissimis, Homicidiis appensatis, & Furibus famosis, posse suppleri tàm ex Indiciis, quàm ex numero, etiam per Testes minus habiles, & idoneos.

Dub. II. Secundò: An idem servandum sit in Delictis sequutis in Lupanaribus, Custodiis Birruariorum, aliisque locis, ubi nec actu, nec habitu solent intervenire, aut intervenerint alii Testes, quam Personæ infames?

Responsum. Responsum: Affirmativè, dummodò suppletio fiat per indicia, & conjecturas, quæ probentur per alios Testes.

Dub. III. Tertiò: An contra Convictum indiciis indubitatis concludentibus perneceſsè taliter, ut adimant ab animo Judicis omnem rationabilem hæsitationem, quod res aliter se habere potuerit, deveniendum sit ad pœnam ordinariam?

Responsum. Responsum: Affirmativè.

Dub. IV, Quartò: An concurrentibus duabus semiplenis probationibus, possint hæ insimùl conjungi ad imponendam pœnam ordinariam?

Responsum. Responsum: Negativè.

Dub. V. Quintò: Demùm an in contestationibus faciendis Reis, quando Indicia sunt de illis proximis indubitatis, possint reticeri aliquæ circumstantiæ, ad hoc, ut in casu, quo Rei tormentis subjiciantur, & tales circumstantias non contestatas fateantur, haberi possint pro verificationibus a parte post Confessionis, taliter ut opus non sit ratificatione ad imponendam pœnam ordinariam?

Responsum. Responsum: Negativè.

Pontifex approbat relatas Resolutiones. *§. 2. Onde Noi considerando esser molto profittevole non meno alla Giustizia, che al pubblico, e privato interesse la punizione de' Delinquenti, e che più facilmente potrà venirsi al conseguimento di questa, ogni volta che diasi esecuzione alle Risposte emanate sopra li proposti Dubbj, con il presente Chirografo, di Nostra certa scienzia, pienezza di Volonta, e Podestà assoluta, confermando, ed approvando quando faccia di bisogno le sudette Risoluzioni, dichiariamo, e commandiamo, che in avvenire tutti li Tribunali Supremi, e che esercitano le Nostre veci, tanto in Roma, che in tutto lo Stato Ecclesiastico, comprese anche le Legazioni di Bologna, Ferrara, Ravenna, Urbino, e Benevento,*

debbano giudicare, e venire alla condanna, e totale esecuzione delle Pene nelli sovra espressi Casi à tenore di dette Risoluzioni; quali vogliamo, che abbiano piena forza di Legge universale, e che debbano inviolabilmente osservarsi, come se provenienti fossero dal Gius comune, Canoni anche Conciliari, Costituzioni Apostoliche, Decreti, Statuti, & Opinioni approvate de' Dottori, e perpetuamente durare a beneplacito della Santa Sede Apostolica, derogando per tal'effetto, quando mai facesse di bisogno, a qualunque cosa, che potesse fare in contrario, e che, per l'adempimento di questa Nostra volontà, trasmettiate copia del presente Chirografo a tutti i Capi de' Tribunali sudetti, acciò debbano farla conservare nelle loro Cancellarie, e giudicare nella contingenza de' casi secondo l'espresse Risoluzioni.

Et vim legis eisdem tribuit.

Clausula de valore solius signaturæ, aliæque.

§. 3. *Volendo in oltre, che il presente Chirografo, colla sola Nostra sottoscrizzione, vaglia, & abbia il suo pieno effetto, & esecuzione, benchè non sia registrato nei Libri della Camera, nè in altro modo sia servata la forma della Costituzione di Pio IV.* De registrandis, *alla quale per questa volta deroghiamo, e che contro di esso non si possa opporre di orrezione, surrezione, mancanza della Nostra volontà, & intenzione, o qualsivoglia altro difetto, benchè degno di speciale, & individua menzione, e qualsivoglia altro difetto, nè si possa diversamente interpretare, benchè l'interpretazione provenisse da' Canoni anche Conciliari, Leggi, Costituzioni, Decreti, & Opinioni approvate, perchè tale è la Nostra volontà, e così vogliamo, con la clausola* Sublata, *e* Decreto irritante, *ed in ogni altro modo.*

Dat. die 2. Janu. 1743.

Dato dal Nostro Palazzo Apostolico Quirinale questo dì 2. Gennaro 1743.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Publicatum per Edictum R. P. D. Gubernatoris Urbis, die 13. Januarii 1743.

LXXII. Privilegia, & Exemptiones Almæ Domus Lauretanæ, necnon Resolutiones Dubiorum, & Controversiarum jurisdictionalium in Synopsim redactæ, approbantur, & confirmantur.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Procœmium. HUMILITATIS nostræ considerationem ad Sacrum Gloriosæ Virginis Habitaculum dirigentes, Apostolicæ sollicitudinis zelo excitamur, ut omnem curam, ac studium, quantum in Domino possumus, adhibeamus, ad quascumque dissidiorum occasiones procul à Loco Sancto submovendas, ne unquam ibi discordiæ exoriri valeant, ubi Verbum Dei Deus, & Dei Filius, qui à Propheta Princeps Pacis cognominatus est, ad reconciliandum Deo Hominem, in intemeratæ ejusdem Virginis sinu factus est homo.

Clemens VII. Castrum Laureranum &c. Protectori Sanctæ Domus subjecit. §. 1. Sanè postquàm plures Romani Pontifices Prædecessores Nostri prædictam Sanctam Domum, olim Nazarenam, nunc verò Lauretanam nuncupatam, multiplici privilegiorum, gratiarum, indultorum, prærogativarum, & exemptionum concessione cumulaverant, ac signanter felicis recordationis Clemens PP. VII. etiam Prædecessor Noster, inter alia, Castrum Lauretanum, illiusque Habitatores, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis, curæ, gubernio, administrationi, & regimini, cum mero, & mixto Imperio, ac potestate gladii, Commissarii, seu Protectoris ejusdem Sanctæ Domus submiserat, & demandaverat; ac subinde rec. mem. Sixtus Papa V. pariter Prædecessor Noster Castrum Lauretanum prædictum in Civitatem, ac Sæcularem & insignem Collegiatam Ecclesiam inibi existentem, eandemque Sanctam Domum, magnificâ, atque eleganti Ædificiorum constructione circumdatam atque exornatam, in Cathedralem erexerat, deindeque piæ record. Paulus Papa V. similiter Prædecessor Noster, ad succidenda jam enata inter Episcopum Lauretanum, & Protectorem ipsius Sanctæ Domus, Litium, & Controversiarum germina, per quandam suam in perpetuum valituram Constitutionem, quæ incipit: *Divina disponente Clementia &c.* sub datum apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCXX. pridie Idus Julii Pontificatus sui Anno XVI. editam, eidem Sanctæ Domui Lauretanæ Solum, seu pavimentum Sancti Cubiculi, seu Sanctæ Cappellæ, quam circumcirca usque ad Columnas, & Scalas inclusivè contentum, in Territorium proprium, distinctum, & separatum, nullius Diœcesis, in quo de cætero solus ejusdem Sanctæ Domus Protector, pro tempore existens, ejusque Gubernator, privativè quoad Episcopum Lauretanum, etiamsi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis existeret, jurisdictionem omnimodam, & quasi Episcopalem habere, & exercere posset, perpetuò constituerat, & assignaverat, ipsamque Sanctam Domum, seu Cappellam magnam, & parvam nuncupatam, ac pavimentum, & Territorium prædictum, ejusque Gubernatorem, Officiales, Ministros, & quoscumque alios tam Laicos, quàm Clericos, & Regulares, eidem Sanctæ Domui, seu Cappellæ, ejusque Bonis quomodolibet inservientes, necnon eorundem Officialium, Ministrorum, aliorumque inservientium Familias, & Famulos, & quoscumque Peregrinos ad Sanctam Domum prædictam confluentes, ipsiusque Sanctæ Domus Palatia, Ædificia, Possessiones, & Prædia quæcumque, ac reliqua Bona tam Mobilia, quàm Stabilia, & semoventia, ubicumque existentia, Supellectilia etiam pretiosa, pecunias, eleemosynas, Donationes, & quæcumque relicta, ab omni, & quacumque Episcopi Lauretani superioritate, jurisdictione, dominio, ac potestate perpetuò, plenissimè, penitusque, & omninò exemerat, & liberaverat, ac sub Beati Petri, & Sedis Apostolicæ protectione speciali susceperat, omnimodamque jurisdictionem Ecclesiasticam, & Spiritualem, ac quasi Episcopalem in prædictam Sanctam Domum, ejusque Territorium, Ministros, Officiales, aliosque Inservientes, & Peregrinos, resque, Bona, ac jura prædicta eidem pro tempore Protectori adjudicaverat, variis eidem Protectori, tam circa Vicarii Curati deputationem, quàm circa Litterarum dimissorialium concessionem, aliaque plurima, privilegiis, & facultatibus attributis.

Innoc. XII. confirmata exemptione S. Domus à jurisdictione Ordinarii, Protectoris Officium suppressit. §. 2. Novissimè felicis pariter recordationis Innocentius Papa XII. prædecessor quoque Noster, providè attendens, ex hujusmodi forma Regiminis speratam non provenisse utilitatem, quin potiùs experientiâ, & quamplurimis ad audientiam ejus perlatis reclamationibus, & querelis edoctus, imminuta nimis Episcopi Lauretani potestate, Ecclesiasticam disciplinam paulatim dissolvi, Clerique, ac Populi mores, aucto Exemptorum numero, relaxari; Ad obviandum detrimentis hujusmodi, per aliam suam itidem perpetuò valituram Constitutionem, quæ incipit: *Sacrosancta Redemptionis humanæ mysteria;* editam sub datum apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCXCVIII., nonis Augusti, Pontificatus sui Anno VIII., eidem Sanctæ Domui Territorium proprium, & separatum, ac ab omni Ordinarii jurisdictione exemptum, & quasi Episcopale, in prædicta Pauli Prædecessoris Constitutione assignatum, confirmavit, & approbavit, idemque Territorium, unà cum omnibus prædictæ Sanctæ Domus Ministris, & Officialibus, aliisque Personis ei quomodolibet inservientibus, vel ad eam ex

Sixtus V. supradictum Castrum in Civitatem, ac Collegiatam Ecclesiam, sanctamque Domum in Cathedralem erexit.

Paulus V. Sanctam Domum, & pertinentia ab Episcopo exemit, ac Territorium nullius Diœcesis declaravit, eique Protectorem præfecit.

qualibet Mundi parte devotionis gratiâ confluentibus, ab omni, & quacumque Ordinarii prædicti jurisdictione iterum plenissimè, penitusque eximit; Et prædicto Protectoris, quod per obitum bon. mem. Palutii, dum vixit, Episcopi Portuen. S. R. E. Cardinalis de Alteriis nuncupati, tunc vacabat, Officio, Dignitate, titulo, & denominatione perpetuò suppressis, & extinctis, sub Beati Petri, & Sedis Apostolicæ speciali, & immediata protectione suscepit.

Et Congregationi Lauretanæ jurisdictionem, quam Protectores exercebant, demandavit; eique facultates, Statuta &c. cõdendi &c. concessit.

§. 3. Omnem verò, & quamcumque jurisdictionem tam Ecclesiasticam, & Spiritualem, ac quasi Episcopalem, quæ in eandem Sanctam Domum, ejusque Territorium, Officiales, & Ministros, Peregrinos, ac Bona prædicta, quàm Sæcularem, sive Laicalem, in Communitatem, Homines, & Civitatem Lauretanam, ejusque Comitatum, atque Districtum, Protectori pro tempore ejusdem Sanctæ Domus quomodolibet competierat, quandoquidem ei Romani Pontifices, per se ipsos, Apostolicæ Servitutis onere prægravati, vacare nequibant, exercendam imposterum statuit, & mandavit per Congregationem nonnullorum S. R. E. Cardinalium, & Romanæ Curiæ Prælatorum, *Lauretanam* nuncupandam, quam ad hunc effectum erexit, & instituit, ac specialiter deputavit. Eidemque Congregationi, ut semel, & pluries, ac quoties sibi videretur, & placeret, quæcumque Statuta, & Ordinationes pro felici prædictæ Sanctæ Domus, ejusque Bonorum, ac Personarum eidem inservientium regimine, Sacris tamen Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis non adversantia, & ab omnibus, ad quos pertineret, inviolabiliter observanda, condere, edere, & publicare, illaque mutare, alterare, corrigere, & emendare licitè posset, & valeret, concessit, & indulsit.

Sanctæ Domus, & Civitatis regimen, quoad Spiritualia Episcopo ut Sanctæ Sedis Delegato, quoad Temporalia Gubernatori commisit.

§. 4. Insuper voluit, & mandavit, ut Congregatio prædicta, in Spiritualibus quidem, quæ scilicet ad Ecclesiæ cultum, Chori servitium, Divinorum celebrationem, Animarum Curam, Sacramentorum administrationem, morum correctionem, & alia hujusmodi pertinerent, Episcopi Lauretani pro tempore existentis, tanquam Sedis Apostolicæ Delegati; In iis verò, quæ quorumcumque Bonorum ejusdem Sanctæ Cappellæ temporalem administrationem, necnon dictæ Civitatis Lauretanæ, ejusque Comitatus, atque Districtus, tam in Causis Civilibus, quàm Criminalibus, seu mixtis, Gubernium Sæculare concernerent, Romanæ Curiæ Prælati in Gubernatorem à Romano Pontifice pro tempore existentem deputandi, ope, & ministerio uti deberet.

Episcopi, & Gubernatoris facultates expressit.

§. 5. Præterea tam Domorum, & Ædificiorum omnium Fabricam, & manutentionem, quàm Supellectilium cujuscumque generis, Paramentorum, Gemmarum, aliorumque Jocalium, quæ sub Thesauri nomine continentur, necnon eleemosynarum, & largitionum quarumcumque custodiam, atque etiam Montis Pietatis, Nosocomii, Hospitii, & Triclinii pro pauperibus Peregrinis, superintendentiam, Gubernatoris prædicti curæ committendas esse; Ministros verò supradictis Locis, rebusque inservientes, si Clerici essent, in concernentibus dumtaxat eorum ministerium, Gubernatori prædicto, in reliquis autem Episcopo Lauretano, tanquam Sedis Apostolicæ Delegato; Organistam demum, Cantoresque quoscumque ejusdem Sanctæ Domus, quoad correctionem morum, Ecclesiæque servitium, Episcopo, & in cæteris Gubernatori subesse debere decrevit, & declaravit; Si quid verò circa præmissorum observantiam, interpretationem, seu declarationem, ullo unquam tempore controverti, aut dubitari contigisset, id omne prædictæ Congregationis Lauretanæ, ut præmittitur, institutæ judicio (necessariis, & opportunis ei ad id facultatibus attributis) declarandum, decidendum, definiendumque esse præcepit, & mandavit, aliaque statuit, & decrevit, prout in ejusdem Innocentii Prædecessoris Constitutione prædicta uberius continetur.

Tandem futuras Controversias Congregat. Lauretanæ decidendas &c. reliquit.

§. 6. Cum autem ex præmissis providè, ut præmittitur, dispositis, ea, quæ sperabatur, concordia, & tranquillitas non evenerit, quinimò inter Episcopum Lauretanum, & Gubernatorem prædictos, super eorum respectivè Jurisdictionis exercitio, & pertinentiâ, novæ dubiorum, & quæstionum ambages emerserint, adeo ut in illis dissolvendis Congregatio Lauretana prædicta per crebras Resolutiones, & Decreta assiduè laboraverit; Nos, quibus jurisdictionales controversiæ hujusmodi, in ipso Nostræ ad Summi Apostolatus apicem Assumptionis exordio, non sine animi molestia innotescebant, solliciti fuimus, ut per sedulam Nostræ provisionis industriam, Controversias hujusmodi componeremus; Quamobrem post deliberationem, quam super hoc adhibuimus diligentem, varias Resolutiones à prædicta Congregatione Lauretana super eisdem Controversiis alias aliis temporibus emanatas colligi curavimus; simulque gravati non sumus tria supra triginta Dubia materiam jurisdictionalem hujusmodi tangentia, in dicta Congregatione usque de Anno Domini 1734. inter Partes concordata, sed nondum eatenus proposita, nec decisa, Apostolicæ Nostræ Resolutionis oraculo definire; Omnesque, & singulas, tam à Nobis, quoad Dubia prædicta, quam ab ipsa Congregatione editas Resolutiones prædictas, in compilationem, seu Synopsim Alphabeti ordine digestam, quæ deinde Typis impressa promulgari valeat, curavimus redigendas.

Variæ, post Constitutionem Innocentii, controversiæ.

Earum Resolutiones à Congregat. Lauretana emanatæ colliguntur, & Dubia deciduntur.

§. 7. Intendentes igitur per eandem Synopsim quæstiones, & Controversias jurisdictionales hujusmodi, aut omninò extinguere, vel saltem majori ex parte abolere, & utramque Jurisdictionem, Episcopi videlicet, & Gubernatoris Lauretani pro tempore existentium, quantum nobis possibile est, pacis fœdere unire, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, & singula privilegia, gratias, prærogativas, exemptiones, & indulta à quibuscumque Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris prædictæ Sanctæ Domui, illiusque Bonis, & Personis ei inservientibus, quomodolibet concessa, & elargita, necnon Pauli, & Innocentii Prædecessorum Constitutiones prædictas, eandemque Synopsim, omnesque, & singulas, tam à Nobis, quoad Dubia prædicta, quàm à dicta Congregatione Lauretana editas Resolutiones, & in ipsa Synopsi contentas, eorundem privilegiorum, gratiarum, exemptionum, indultorum, Constitutionum, & Synopsis respectivè tenores etiam veriores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, Apostolica auctoritate, tenore præsentium confirmamus, approbamus, & innovamus, illisque, ac eorum singulis novum, perpetuumque Apostolicæ firmitatis robur adjicimus: decernentes, eandem Synopsim, singulasque Resolutiones in ea contentas, vim, & effectum, & efficaciam Legis, & Canonicæ Sanctionis perpetuò habere, & obtinere, omnesque, & quascumque Controversias, si quas imposterum inter Episcopum Lauretanum, & Gubernatorem pro tempore existentes, super eorum respectivè Jurisdictionis pertinentia, vel exercitio, quomodolibet exoriri contingat, ad Synopsim, & Resolutiones in eas contentas prædictas omninò referri, & nonnisi juxta, & secundùm easdem Synopsim, & Resolutiones, dirimi, ac definiri debere.

Omnes Resolutiones in Alphabeticam Synopsim redactæ imprimuntur.

Privilegia &c. à Prædeceff. Sanctæ Domui &c. concessa.

Pauli, & Innocentii Constitutiones, Synopsis, Resolutiones super controversiis, & super Dubiis, confirmantur &c.

Synopsim, Resolutionesque vim Legis habere decernitur.

§. 8. Easque, necnon præsentes nostras Literas,

Clausulæ pro validitate, & Observan-

tia Synopsis Resolutionū hujusque Cōstitutionis.

ras, etiam ex eo, quod Venerabilis Frater modernus Episcopus, & dilectus Filius modernus Gubernator Lauretani, ac alii quicumque in præmissis quomodolibet interesse habentes, vel habere prætendentes, quibus omnibus & singulis perpetuum desuper silentium imponimus, eisdem præmissis non consenserint, aut vocati, vel auditi non fuerint, aliaque quavis de causa quantumvis juridica, & legitima, de ullo subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostræ, aut alio quocumque defectu notari, impugnari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci nullatenus unquam posse, sed semper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces existere, & ab iis, ad quos spectat, & in futurum spectabit, firmiter, & inviolabiliter observari, eisque omninò acquiesci; Sicque, & non aliàs per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, quavis auctoritate, & potestate fungentes, ac Dignitate, etiam Cardinalatus honore fulgentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de Latere Legatos, ac eandem Congregationem Lauretanam, sublatâ eis, & eorum cuilibet, quavis aliter, quàm juxta, & secundùm Synopsim, & Resolutiones in ea contentas prædictas, judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, in controversiis jurisdictionalibus Lauretanis, in quocumque judicio, & in quacumque instantia, ubique judicari, & definiri debere; irritum quoque, & inane, quidquid secus super præmissis, vel eorum aliquo, aut circa ea, à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Cum Clausula SUBLATA, & Decreto irritanti.

Controversiæ, quæ deinceps oriētur, Congr. Lauretanæ resolvendæ &c. demandantur.

Cæterum, quia contingere potest, ut circa observantiam, intelligentiam, declarationem, & interpretationem prædictarum Pauli, & Innocentii Prædecessorum Constitutionum, aliqua deinceps exoriatur quæstionis materia, vel controversia, quæ in memorata Synopsi decisa, & definita non reperiatur; Nos quamcumque quæstionem, vel controversiam hujusmodi, si quam exoriri contingat, ejusdem Congregationis Lauretanæ judicio resolvendam, decidendam, definiendamque esse statuimus, ac eidem Congregationi plenam, & omnimodam ad id tribuimus, & concedimus facultatem; Novasque Resolutiones ab ipsa Congregatione super iis emanandas, tanquam perpetuò validas, & efficaces, ab omnibus & singulis, ad quos spectat & pertinet, aut spectare & pertinere poterit quomodolibet in futurum, quacumque appellatione, recursu, & contradictione remotis, dummodò tamen Synopsi, & Resolutionibus in ea contentis prædictis in aliquo non adversentur, omninò servandas, districtè præcipimus, & mandamus.

Derogationes opportunæ.

§. 10. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, Nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ regulâ, de jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis, Statutis, & Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

De Transumptis.

§. 11. Volumus autem, ut earundem præsentium Litterarum Transumptis, seu Exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra illud adhibeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio.

§. 12. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostræ Constitutionis, Decreti, Statuti, Definitionis, Declarationis, Confirmationis, Mandati, ac Voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 7. Jan. 1743.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, septimo Idus Januarii, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo tertio, Pontificatus Nostri Anno III.

D. Card. Passionеus.

X. Sub-Datarius.

VISA DE CURIA.

N. Antonellus.

J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Synopsis Decretorum Congregationis Lauretanæ.

Administratio Bonorum, Pecuniarum &c.

ADMINISTRATIO Bonorum, Pecuniarum, aliorumque effectuum relictorum, vel Capitulo, vel cuilibet de dicto Capitulo, vel Inservientibus Ecclesiæ, aut Altaribus, pro Cappellaniis, & Legatis Missarum, sive ad tempus, sive perpetuò, etiam de Jurepatronatus Laicorum, spectat ad ipsum Sanctuarium, & per ipsum ad Gubernatorem. *Lettere a' Monsignori Vescovo, e Governatore* 1. *Marzo* 1700., *e* 25. *Agosto* 1717.

Administratio Sacramentorum. *Vide* Baptisma, Eucharistia.

Afflictuarii. Vide Coloni exempti.

Altare Sanctissimi Sacramenti. *Vide* Visitatio.

Alumni Collegii Illyrici. *Vide* Collegium.

Armorum Custodes.

Sex Armorum Custodes, vulgò *Armaroli*, sunt subjecti Parocho Almæ Domus, a quo ipsis Sacramenta sunt administranda. *Lettere a' Monsignori Vescovo, e Governatore* 18. *Febraro* 1704.

Avunculi verò dictorum Armorum Custodum licet cohabitent cum Nepote, non sunt subjecti dicto Parocho Almæ Domus, cum non possint dici de Familia Nepotum exempta. *ibidem.*

Artifices, & Professores.

Artifices, & Professores quicunque inservientes Almæ Domui intra annum in eorum Professionibus, non tamen continuò, sed juxta Sanctuarii necessitatem, absque constitutione annui salarii, licet Litteris patentalibus Almæ Domus cum inhibitione fuerint muniti, non gaudent exemptione a jurisdictione Episcopi. *Dub.* 15. *ex* 33. *concordat. Anno* 1734.

Arx Ecclesiæ.

Arx Ecclesiæ Lauretanæ existens supra dictam Ecclesiam, ubi sunt Mansiones Clericorum Sacristiæ, & Inservientium Missarum, & Lampadariorum, non est sub Ditione Episcopi, itaut possit ab eo visitari jure ordinario quoad Clericos Sacristiæ, & dictos Inservientes; quò verò ad Lampadarios jure delegato. *Dub.* 6. *ex* 33.

Janua dictæ Arcis erit omninò claudenda, ne Mansiones ejusdem accommodentur, ut moris est, illis, qui confugiunt ad Ecclesiasticam Immunitatem. *Ibidem ut supra.*

Baldachinum.

Neque Episcopo, neque Gubernatori licet uti Baldachino intra limites Palatii Almæ Domus. *Resolut.* 2. *Decembris* 1729.

Baptiſma.

Baptizare Infantes Confluentium, & eorum Cadavera tumulare, ſpectat ad Parochum Sanctuarii. *Lettere a' Monſignori Veſcovo, e Governatore* 2. *Decembre* 1717.

Parocho Sanctuarii ægrotanti licet ſui loco deputare Sacerdotem ſibi beneviſum, ex approbatis tamen ab Epiſcopo, pro adminiſtratione Sacramenti Baptiſmatis. *Lettere a' Monſignori Veſcovo, e Governatore* 24. *Agoſto* 1705.

Si contingat, Cappellano Almæ Domus cum Nepote convivente, Filiam ex ipſo Nepote naſci, baptizanda erit a Parocho dictæ Almæ Domus, licèt Pater, & reſpectivè Nepos litteras patentales Epiſcopi haberet. Litteræ enim patentales Epiſcopi non poſſunt æquivalere Litteris patentalibus dictæ Almæ Domus. *Lettera a Monſignor Veſcovo* 20. *Gennaro* 1740.

Bona. Vide Adminiſtratio Bonorum.

Breve pro aperienda Capſula Eleemoſynæ. *Vide* Eleemoſynæ.

Campanarius, ſeu Pulſator Nolarum.

Ad Epiſcopum, uti Delegatum, ſpectat privativè ordinatio pulſandi Campanas pro ſigno canendi Litanias in quocumque Sabatho de ſero, & in quacumque Feſtivitate Beatæ Mariæ Virginis, & earum Vigiliis. *Lettere a' Monſignori Veſcovo, e Governatore* 6. *Settembre* 1698. *Reſolut. ad Dub.* 5. 17. *Aprilis* 1708.

Licet autem Epiſcopo in parte Palatii, ubi reſidet apud Lauretum, uti Campanulâ ad uſum proprium tantùm. *Reſolut.* 2. *Auguſti* 1729.

Qui habent Officia Almæ Domus, ſed ea exercent per interpoſitas Perſonas, veluti Pulſator Nolarum, Cantinerius, & ſimiles, frui debent exemptione tam ipſi, ut Officiales, quàm eorum Subſtituti, dummodò facultas exercendi per ſubſtitutum fuerit a Sacra Congregatione approbata. *Dub.* 17. *ex* 33.

Cancellaria, Cancellarius.

Epiſcopus procedens jure delegato, debet uti Cancellario Sanctuarii, nec ſufficit, ſi emolumenta omnia, quæ aliàs ad ipſum ſpectarent, ipſi relinquat. *Lettera a Monſignor Governatore li* 16. *Maggio* 1701., *& Dub.* 7. *ex* 33.

Epiſcopus aliquando, & attentâ aliquâ ſuſpicione, poterit, prævià licentiâ Sacræ Congregationis Lauretanæ, in cauſis contra Privilegiatos Almæ Domus uti ſuo Cancellario in examinandis Teſtibus pro ſumendis, & captivandis indiciis, dummodò tamen dicta examina Teſtium reproducantur per acta Cancellariæ Almæ Domus, antequam Reus conſtituatur, & Proceſſus per eadem Acta Cancellariæ Almæ Domus proſequatur. *Lettere a' Monſignori Veſcovo, e Governatore* 28. *Febraro* 1701. *Dub.* 8. *ex* 33.

Item poterit Cancellarius Almæ Domus compelli ab Epiſcopo ad conficiendum Inventarium omnium Proceſſuum, Beneficialium, Matrimonialium, Civilium, & Criminalium, Actorum, & aliarum Scripturarum factarum, & reſpectivè exhibitarum in dicta Cancellaria coram Epiſcopo tanquam Delegato Apoſtolico, vel ejus Vicario, ad effectum aſſervandi dictum Inventarium in Archivo Epiſcopali ad formam noviſſimi Concilii Romani, & Conſtitutionis Benedicti XIII., & in caſu renitentiæ, compellendus erit a Sacra Congregatione. *Dub.* 10. *ex* 33.

Epiſcopus verò tenetur regiſtrare in Cancellaria Almæ Domus tam Ordinationes Exemptorum, quàm eorum Literas teſtimoniales. *Lettere a' Monſignori Veſcovo, e Governatore* 11. *Marzo* 1704.

Candelæ, Cera.

Benedictio Candelarum in Solemnitate Purificationis eſt facienda, juxta ſolitum, in Eccleſia Lauretana, non autem in Sancta Cappella. *Lettere a' Monſignori Veſcovo, e Governatore*, 28. *Gennaro* 1720.

Quando in Eccleſia Lauretana de ordine Epiſcopi fit Communio Generalis, vel fit aliqua Proceſſio, aut Expoſitio Sanctiſſimi Sacramenti ad implorandum Divinum Auxilium pro neceſſitatibus Populi, vel Eccleſiæ Catholicæ, debent a Miniſtris Almæ Domus ſubminiſtrari Ceræ, & alia neceſſaria pro ſupradictis Functionibus explendis. *Dub.* 2. *ex* 33.

Cantores, Muſici, Magiſter Cappellæ, Organiſta.

Muſicis, & Cantoribus ſe abſentare petentibus a ſervitio Eccleſiæ ad breve tempus, ob aliquod eorum negocium, concedenda eſt licentia ab Epiſcopo, aut ejus Vicario Generali, jure delegato, non autem a Gubernatore. *Lettere a' Monſignori Veſcovo, e Governatore* 1. *Settembre* 1698., *e* 28. *Giugno* 1700. *Dub.* 4. *ex* 33.

Ad Epiſcopum pariter, privativè quoad Gubernatorem, ſpectat præſcribere Ordines Magiſtro Cappellæ, Cantoribus, & Organiſtæ, circa ſervitium Chori, & Functionum Eccleſiaſticarum. *Dub.* 5. *ex* 33.

A Gubernatore verò danda eſt poſſeſſio Magiſtro Cappellæ, & Organiſtæ, poſt eorum deſtinationem, in ſequelam Litterarum patentalium, quas ipſe de mandato Sacræ Congregationis expedire ſolet. *Lettere a' Monſignori Veſcovo, e Governatore* 28. *Febraro* 1701. *Vide* Punctaturæ.

Cappellanus, Cappella, Cappellania.

Cappellanus Vivaldus eſt ſubjectus, unà cum Fratre, & tota Familia ſecum vivente, Parocho Almæ Domus. *Reſol.* 19. *Septembris* 1710.

Inſtitutio Præſentati ad Cappellaniam Domus Farſettæ, reſervata tempore fundationis Cardinali Protectori, ſpectat ad Sacram Congregationem. *Lettera a Monſignor Veſcovo* 19. *Decembre* 1710.

Epiſcopo competit facultas ingrediendi in Sacram Cappellam cum Mozzetta, & Rocchetto detecto, nec non benedicendi Populo jure delegato. *Reſol.* 10. *Julii* 1731.

Non licet autem ipſi Epiſcopo die Præſentationis Beatæ Mariæ Virginis, & aliis diebus, quibus Miſſa cantari ſolet in Sacra Cappella, illam canere in Eccleſia. *Lettere a Monſignor Veſcovo* 28. *Novembre* 1701. 10. *Gennaro* 1702.

Cappellanus poſſeſſor Cappellaniæ Micucci, cujus nominatio ſpectat ad Venerabilem Societatem Sanctiſſimi Roſarii Laureti, Epiſcopo ſubjectam, gaudet exemptione, ex quo deſtinatos proventus prædictæ Cappellaniæ recipit ab Alma Domo uti hærede ſupradicti Micucci. *Dub.* 21. *ex* 33.

Carceres.

Perſonæ, quæ carcerantur de mandato Epiſcopi, vel ejus Vicarii procedentis jure delegato; detineri debent in Carceribus Almæ Domus, ad excluſionem illarum ipſius Curiæ Epiſcopalis. *Dub.* 9. *ex* 33.

Cauſa.

Non poteſt Gubernator, attento privilegio Sanctuarii, trahendi ad ſuum Tribunal omnes cauſas tam activas, quàm paſſivas ejuſdem Almæ Domus, procedere in Cauſis activis motis a Miniſtris, & Exemptis Almæ Domus contra Eccleſiaſticos non privilegiatos; id autem ſpectat ad Epiſcopum jure ordinario. *Lettere a' Monſignori Veſcovo, e Governatore* 1. *Marzo* 1700. *Reſol.* 10. *Luglio* 1731. *Dub.* 25. *ex* 33.

Quo verò ad Cauſas tam activas, quam paſſivas, in quibus agitur de intereſſe Almæ Domus, ſpectare debent privativè ad Gubernatorem. *dict. Dub.* 25. *&* 33.

Spectat autem ad Epiſcopum, jure tamen delegato, cognoſcere Cauſas activas motas a Miniſtris, & exemptis Almæ Domus contra Eccleſiaſticos privilegiatos, niſi agatur de iis, quæ reſpiciunt eorum Miniſterium, in quibus ſubeſſe debent

Guber-

Gubernatori. *Lettere a' Monſignori Veſcovo, e Governatore* 1. *Marzo*, e 26. *Aprile* 1700.

Inſtantia Cherubinorum, & Fratrum Alexandrinorum petentium, eorum Cauſam contra Sanctuarium coram Epiſcopo agitatam, & a Gubernatore reaſſumptam, iterum committi Epiſcopo, aut pro ea deputari Judicem in Curia Romana, rejecta fuit, ne inferretur præjudicium privilegiis ejuſdem Sanctuarii. *Lettere a Monſignor Governatore* 11. *Maggio* 1699.

Coadjutores.

Coadjutores Officialium Almæ Domus gaudent & ipſi exemptione, dummodò Coadjutoria fuerit a Sacra Congregatione approbata. *Dub.* 18. *ex* 33.

Collegium Illyricorum.

Conceſſio Dimiſſorialium Alumnis Collegii Illyrici, & reliqua omnia concernentia eorum ordinationem, ſpectat privativè ad Epiſcopum. *Lettere a Monſignori Veſcovo, e Governatore* 9. *Febraro* 1699.

Quoad Convictores verò ejuſdem Collegii, Epiſcopus procedit jure ordinario. *Lettera a Monſignor Governatore* 30. *Agoſto* 1700.

Ordinatio Alumni dicti Collegii eſt etiam licita, non obtentis Litteris Dimiſſorialibus Epiſcopi Lauretani. *Lettera a Monſignor Veſcovo* 4. *Aprile* 1709.

Concurſus.

Concurſus pro Cura Almæ Domus committitur per Sacram Congregationem Epiſcopo, & firmatur, Curatum eſſe perpetuum, & non ad nutum amovibilem. *Lettere a' Monſignori Veſcovo, e Governatori* 28. *Giugno* 1700.

Intimatio Concurſus pro Eccleſia Parochiali Almæ Domus facienda eſt ab Epiſcopo jure delegato, & Acta Concurſus transmittenda ad Sacram Congregationem. *Lettera a Monſignor Veſcovo* 29. *Ottobre* 1729.

Concurſui tamen non eſt neceſſe, quod Delegatio & inſeratur, & indicetur peculiariter, cum habeatur vigore Bullæ. *Reſol.* 20. *Decembris* 1729.

Acta Concurſus Parochialis referuntur in Sacra Congregatione, & per Vota fit electio. *ibidem.*

Confirmatio.

Epiſcopus qui Sacramentum Confirmationis conferre poteſt ſubditis ordinario jure, exemptis verò delegato, ad hoc ut dicti ordinarii, & delegati juris differentia eluceſcat, declarare debet in actu Collationis per Acta Cancellariæ Gubernii, quoad Exemptos ſe procedere jure delegato: non tenetur tamen Exemptorum Nomina deſcribere in dicta Cancellaria. *Lettere a' Monſignori Veſcovo, e Governatore* 24. *Agoſto* 1705.

Confluentes.

Expreſſione Confluentium a qualibet Mundi parte devotionis gratiâ ad Almam Domum, qui juxta litteram Conſtitutionis Innocentianæ §. *Ac primo quidem*, a juriſdictione Epiſcopi eximuntur, non comprehenduntur illi, qui petunt Lauretum propter eorum temporalia negotia, vel in dicta Civitate remanent ultra decem dies. *Lettera a Monſignor Governatore* 8. *Gennaro* 1738. *Dub.* 13. *ex* 33.

Hinc Confluentes illi, qui a Birruariis Epiſcopalibus apprehenduntur cum Mulieribus ſuſpectis, Fures, aliique quomodolibet, gaudent privilegio confluentiæ, dummodò captura ſequatur intra decem dies ab illorum adventu. *Lettera a Monſignor Veſcovo* 8. *Ottobre* 1713. *Dub.* 14. *ex* 33.

Quoad dictos tamen Delinquentes, Conſcientia Gubernatoris oneratur eos puniendi prout de jure; addictis pœnis arbitrio Sacræ Congregationis, & Summi Pontificis, in caſu omiſſionis, *d. Dub.* 14. *ex* 33. *Cætera Vide* Licentiæ.

Conſtitutio.

Conſtitutio San. mem. Innocentii XII. nihil innovat quoad juriſdictionem privativam in Conſtitutione Sa. me. Pauli V. conceſſam Gubernatoribus in Cauſis activis, & paſſivis Sanctuarii, contra Debitores, & Poſſeſſores bonorum ipſius Sanctuarii. *Lettera a Monſignor Governatore* 7. *Agoſto* 1699.

Minores Conventuales.

Quatuor ex Patribus Minoribus Conventualibus, qui ſunt Cappellani addicti ſervitio Sanctuarii, ex gratia ipſis conceſſa a clar. mem. Cardinali Alterio Protectore, juxta Conſtitutionem San. mem. Pauli V., ſubſunt ſolum delegatæ Juriſdictioni Epiſcopi. *Lettere a' Monſignori Veſcovo, e Governatore* 3. *Ottobre* 1702.

Nomina tamen dictorum quatuor Patrum, & aliorum Regularium ſimilibus Cappellaniis fruentium, ſcribenda ſunt in Rollo, & in Tabella, ſicuti Nomina cæterorum Cappellanorum, & hoc ita, ut uno ex ipſis quomodolibet deficiente, Nomen alterius in ipſius locum ſubrogati, deſcribatur. *ibidem ut ſupra.*

Sanctæ Crucis Lignum.

Lignum Sanctæ Crucis, quod ſervatur in Cappella, occaſione alicujus particularis Proceſſionis ab Epiſcopo indictæ, ſubminiſtrari debet, ad effectum illud exponendi in Altari Sanctiſſimæ Annunciationis, illudque proceſſionaliter deferendi per Civitatem, & cum illo Populum benedicendi. *Dub.* 2. *ex* 33.

Cuſtodes.

Cuſtodes omninò obedire tenentur ſine ulla exceptione licentiis ab Epiſcopo conceſſis Confluentibus, & Diœceſanis ſe muniendi Euchariſtia in Sacra Cappella, & Epiſcopo conceditur facultas procedendi contra ipſos inobedientes, & creſcente contumaciâ, ab officio removendi; hac tamen adjecta lege, quod ante remotionem, de voluntate Epiſcopi ſuper hoc certior reddenda ſit Sacra Congregatio. *Lettere a' Monſignori Veſcovo, e Governatore* 19. *Novembre* 1699., e 28. *Giugno* 1700.

Cæremoniæ. Vide Miſſa.

Cantinerius. Vide Campanarius.

Concurſus. Vide Edicta.

Sacra Congregatio. Vide Juriſdictio, Solitum, Sede vacante.

Curatus. Vide Parochus, Concurſus, Edicta.

Cuſtodes. Vide Licentiæ.

Deputatio.

Deputatio trium Cuſtodum Sacræ Cappellæ, duorum Sacerdotum Lampadariorum, duorum Miniſtrorum Cappellæ Sanctiſſimi Sacramenti, Miniſtrorum Sacriſtiæ, ubi ſubminiſtratur Vinum, & Cera pro celebratione Miſſarum in Eccleſia Cathedrali, Campanarii, & Servientis pro pulſatione Campanarum, tam pro Sacra Cappella, quàm pro Eccleſia Cathedrali, ſpectat privativè ad Sacram Congregationem. *Lettere a' Monſignori Veſcovo, e Governatore* 1. *Settembre* 1698.

Dimiſſoriales.

Litteræ Dimiſſoriales Cappellanis, & Miniſtris Sanctuarii concedendæ ſunt ab Epiſcopo, jure delegato. *Lettre a' Monſignori Veſcovo, e Governatore* 1. *Marzo* 1700.

Gubernator verò debet in dictum finem exhibere Cancellariæ Epiſcopali notulam Cappellanorum, & Privilegiatorum. *Ibidem ut ſupra.*

Debitores Sanctuarii. Vide Conſtitutio.

Dimiſſoriales. Vide Collegium Illyricorum, Licentiæ.

Edicta.

Edicta ſuper obſervatione Feſtorum ſunt ex juribus Epiſcopi ordinariis quoad Subditos, quoad

Exemptos verò sunt juris delegati. *Lettera a Monsignor Governatore 2. Ottobre 1703.*

Si in Edictis non exprimatur auctoritas delegata, non obligant Curatum Almæ Domus. *Lettera a Monsignor Vescovo 1. Decembre 1704.*

Edictum pro convocatione Concursus Ecclesiæ curatæ Almæ Domus faciendum est ab Episcopo jure delegato, & per acta Cancellarii Almæ Domus. *Lettera a Monsignor Vescovo 28. Febraro 1701.*

Episcopus, neque uti Delegatus, valet, inconsultâ Sacrâ Congregatione, Edicta affigere in Sacrario Sacræ Cappellæ, nuncupato *La Sagrestia del Tesoro*, circa concernentia decentiam Sacrificii, tempus celebrandi, & similia. *Resol. ad Dub. 4. 17. Aprilis 1708.*

Eleemosynæ.

Ad formam Bullæ Innocentianæ, spectat ad Gubernatorem aperire Capsulas Eleemosynarum, & ad ipsum dirigendum est Breve pro facultate ipsas aperiendi. *Lettere a' Monsignori Vescovo, e Governatore 20. Decembre 1700.*

SS. Eucharistia.

Ad formam Bullæ Pauli V., competit Episcopo facultas administrandi Populo, quotiescumque voluerit, Sanctissimam Eucharistiam ab Altari Sanctissimi Sacramenti. *Resol. ad Dub. 2. 18. Agosto 1727.*

Debet tamen idem Episcopus, ad evitandas confusiones, super hoc verbum facere cum Gubernatore. *Resol. 14. Luglio 1711.*

Ecclesiastici. Vide Causæ.

Exempti, Exemptio. Vide Cappellanus, Causæ, Ordines, Status liber.

Exstractio a Loco immuni. *Vide* Immunitas.

Familiæ. Vide Exemptio.

Exemptio.

Ministri, & gaudentes Litteris patentalibus Sanctuarii, uni tantùm Famulo exemptionem participare valent. *Lettera a Monsignor Governatore 14. Luglio 1705. & Dub. 11. ex 33.*

Pistores conficientes Panem in Civitate Laureti pro Inservientibus Almæ Domui, hoc est, qui panem conficiunt, quem Alma Domus Inservientibus facit distribuere, gaudent exemptione; Non gaudent verò, qui conficiunt Panem venalem ad usum publicum, & propriam utilitatem. *Dub. 24. ex 33.*

Familiæ Servitorum, & Famulorum, qui inserviunt Ministris, Officialibus, aliisque Privilegiatis, non gaudent dictâ exemptione. *Dub. 11. ex 33.*

Neque Famuli, aliique Inservientes Patentatis Sanctuarii, in Cauponis, & Apothecis. *Dub. 19. ex 33.*

Neque commorantes continuò in Civitate Lauretana, & habentes Litteras patentales Quæstuatorum, Denunciatorum Legatorum piorum Sanctuarii, & similium, in eorum Patriis ab eadem Civitate distantibus. *Dub. 20. ex 33.*

Neque Coloni, & Affictuarii pro tempore existentes in prædio sito in Territorio Lauretano, spectante ad Venerabilem Societatem Sanctæ Annæ Recineti, tanquam Emphyteutæ Almæ Domus. *Dub. 22. ex 33.*

Neque Coloni, & Affictuarii Venerabilis Societatis Laureti, existentes in Prædio, quod ipsa Societas possidet uti Emphyteuta Almæ Domus. *Ibidem.*

Exercitia Spiritualia.

Occasione Exercitiorum Spiritualium, concessa fuit Episcopo a Sacra Congregatione facultas exponendi Sanctissimum Sacramentum primâ, & secundâ Dominica Quadragesimæ in Altari Sanctissimæ Annunciationis, & cum eodem benedicendi Populum. *Lettera a Monsignor Vescovo 7. Febraro 1728.*

Gabella.

Clerico Petro Philippo Riccardi convento a Gabellario Laureti pro Gabella Vini, decretum fuit, Causam spectare ad Episcopum, ipsique Episcopo injunctum, ut Sacram Congregationem super hoc instructam redderet. *Lettera a' Monsignori Vescovo, e Governatore 10. Luglio 1699.*

Hospitalarii.

Hospitalarii Hospitalis directi a Confratribus Sanctissimi Sacramenti, non spectantis ad Sanctuarium, subsunt ordinariæ Jurisdictioni Episcopi. *Lettera a Monsignor Governatore 18. Febraro 1704.*

Immunitas, seu Loca immunia.

Si contingat, Furtum committi in Sacra Cappella, & Furem confugere ad Loca immunia, extractio dicti Furis a dictis Locis immunibus spectat ad Episcopum, in reliquis procedit Gubernator. *Lettere a' Monsignori Vescovo, e Governatore 1. Settembre 1698., e 23. Febraro 1732.*

Jurisdictio.

Episcopus, vigore Bullæ Innocentianæ, est Delegatus perpetuus, nec est adstrictus pro exercitio Jurisdictionis delegatæ recurrere ad Sacram Congregationem, salvâ tamen Superioritate ipsius Congregationis, & salvâ obedientiâ ab Episcopo eidem debitâ ad tramites ejusdem Bullæ. *Dub. 32. ex 33.*

Jurisdictio in Causis Civilibus Militum subjectorum in Civilibus, & Criminalibus Gubernatori, competit Episcopo cumulativè cum Gubernatore. *Lettera a Monsignor Governatore 8. Gennaro 1738.*

Jurisdictio Cappellæ Sanctissimi Sacramenti destinatæ ad solam Sanctissimæ Eucharistiæ administrationem, non spectat privativè ad Episcopum. *Dub. 3. 17. Aprilis 1708.*

Inventarium. Vide Cancellaria.

Libri.

Episcopo competit facultas visitandi libros Baptizatorum, Desponsatorum, & Defunctorum Parochi Almæ Domus ad formam Bullæ. *Resol. ad Dub. 4. 18. Augusti 1727.*

Non potest tamen idem Episcopus inspicere libros, & inquirere circa adimplementum onerum Missarum, aliarumque Functionum Piarum. *Resol. ad Dub. 12. 17. Aprilis 1708.*

Licentiæ.

Episcopo, uti Delegato, privativè competit licentias concedere Confluentibus, & Diœcesanis, sese muniendi Eucharistiâ in Sacra Cappella. *Dub. 12. ex 33.*

Et hoc etiam post discessum trium Custodum discedentium ab Ecclesia post absolutum officium, id petentibus Confluentibus nobilioris conditionis. *Resol. ad Dub. 8. 17. Aprilis 1708.*

Excepto tamen Gubernatore, ejusque Familia. *Lettere a' Monsignori Vescovo, e Governatore 1. Settembre 1698.*

Competit etiam Episcopo, eodem jure delegato, approbare Dimissorias petentium licentiam celebrandi in dicta Cappella. *Resol. 13. Februarii 1731.*

Licetque ulteriùs recognoscere, an a Clericis, qui præsunt Sacristiæ dictæ Cappellæ, paritum sit licentiæ a se impertitæ. *Lettere a' Monsignori Vescovo, & Governatore 1, Settembre 1698.*

Horam verò, & tempus assignare competit Ministris Sanctuarii. *Resol. 13. Februarii 1731.*

Ad Gubernatorem privativè spectat impertiri licentiam tam Confluentibus, quàm Diœcesanis, ingrediendi in parva Sacra Cappella, seu Camino: *Lettere a' Monsignori Vescovo, e Governatore 1. Settembre 1698.*

Pro cantandis Missis extraordinariis in Sacra Cappella cum invitatione Capituli, & Cleri, non

debet

debet præcedere licentia, vel assensus Episcopi, antequàm invitetur Capitulum; non potest tamen id peragi, nullâ requisitâ dicti Episcopi licentiâ. *Resolut. ad Dub.* 11. 17. *Aprilis* 1708. Cætera *Vide* Cantores, & Custodes.

Missa.

Episcopo auscultanti Sacrum in Altari Sanctissimæ Annunciationis, vel in eo Sanctissimi Sacramenti, uti Delegato Apostolico, servari debent a Cappellanis Almæ Domus cœremoniæ servari solitæ in Missis, quæ celebrantur coram Episcopo in sua Diœcesi: eadem pariter servari debent ab Inservientibus, & signanter circa Evangelium porrigendum Episcopo ad osculandum. *Dub.* 1. *ex* 33. *Vide* Cappella.

Ministri. Vide Causa, Deputatio, Exemptio, Synodus.

Mons Pietatis. Vide Visitatio.

Magister Cappellæ, Musici. Vide Cantores.

Officiales.

Episcopus, sive ejus Vicarius Generalis, procedens jure delegato tam in Causis Civilibus, quàm in Criminalibus contra Privilegiatos Almæ Domus, tenetur uti Officialibus ipsius Almæ Domus, ad exclusionem illorum suæ Curiæ Episcopalis. *Lettere a' Monsignori Vescovo, e Governatore* 1. *Settembre* 1698. *Dub.* 7. *ex* 33.

Ordines.

Episcopo non licet ordinare auctoritate delegatâ Exemptos Almæ Domus extra Ecclesiam Lauretanam. *Lettera a Monsignor Vescovo* 11. *Marzo* 1704. *Dub.* 10. *ex* 33.

Et servanda sunt ab ipso omnia, ex quibus dignosci possit, in Ordinatione processisse jure delegato. *Lettera a Monsignor Vescovo* 9. *Settembre* 1719.

Ordinationes. Vide Cancellaria, Collegium Illyricorum.

Paramenta.

Episcopo, juxta Constitutionem San. mem. Pauli V., debetur usus Paramentorum Ecclesiasticorum, in suo Sacrario separato assignandorum. *Dub.* 31. *ex* 33.

Non valet tamen ipsis Paramentis uti etiam in Functionibus explendis in Diœcesi Lauretana. *Ibidem.*

Neque licet Episcopo uti Sacris Suppellectilibus Almæ Domus, tempore Visitationis; & ad mentem: Mens autem fuit, quod scriberetur Gubernatori, ut ratione urbanitatis ipsas suppellectiles tribueret dicto tempore. *Resolut.* 13. *Februarii* 1731.

Episcopo pro devotione sua celebrare volenti privatè in Sacra Cappella, aut solemniter in Ecclesia cum Paramentis ab R. P. D. de Carolis donatis, & a Summo Pontifice benedictis; dicta Paramenta a Gubernatore subministranda sunt. *Lettera a Monsignor Governatore* 28. *Gennaro* 1720.

Parochus.

Functiones Parochiales in matrimonio contracto inter privignam Substituti Montis Almæ Domus, & Famulum Hospitalis Sanctuarii, spectant ad Parochum ejusdem Sanctuarii. *Resolut.* 14. *Septembris* 1722.

Administratio Sacramentorum, & tumulatio Cadaverum Sororis Aromatarii, Matris Musici, & Matris Curati Sacræ Cappellæ, conviventium in eadem Domo cum iisdem respectivè Officialibus, prævia revocatione contrariarum resolutionum, firmatum fuit, spectare ad Parochum ejusdem Sanctuarii. *Lettera a Monsignor Vescovo* 10. *Gennaro* 1702.

Proclamationes Matrimonii Filiæ Promontistæ Sanctuarii, resolutum fuit, faciendas esse a Parocho ipsiusmet Sanctuarii; probationem verò Status liberi Contrahentium, per Acta Cancellariæ Almæ Domus; attento quod Promontista est Minister dictæ Almæ Domus, ideoque Filia est de Familia exempta, juxta Constitutionem San. mem. Pauli V. *Lettere a' Monsignori Vescovo, e Governatore* 16. *Gennaro* 1703.

Proclamationes, & exhibitio Fidei Status liberi Mulieris conviventis cum Fratre, qui non est Operarius stabilis, sed in dies conductus a Fabro lignario Almæ Domus, spectant ad Parochum Episcopalem: Marescalli verò dictæ Almæ Domus, spectant ad Parochum Sanctuarii. *Lettere a Monsignor Vescovo, ed al Paroco della Santa Casa* 1. *Febraro* 1721.

Declarata fuit nulla, & attentata tumulatio Cadaveris Filii Pistoris habentis Litteras patentales Almæ Domus, facta per Parochos Episcopales de licentia Vicarii itidem Episcopalis, pendente inhibitione quoad hoc de nihil innovando, & demandata fuit restitutio emolumentorum Parocho Almæ Domus. *Lettera a Monsignor Vescovo* 3. *Luglio* 1737.

Confluentibus Peregrinis, & Forensibus, intra decem dies eorum adventus ad Almam Domum, administranda sunt Sacramenta per Parochum Almæ Domus, & funera peragenda. *Lettera a Monsignor Vescovo* 29. *Maggio* 1737. Cætera *Vide* Baptisma, Armorum Custodes.

Pontificalia.

Episcopo Bussi concessa fuit ex gratia a Sacra Congregatione, die solemnis sui ingressus, facultas exercendi Pontificalia ad Altare Sanctissimæ Annunciationis. *Resol. ad Dub. I.* 18. *Augusti* 1727. Cætera *Vide* Solitum.

Pradella.

Nihil est innovandum quoad Pradellam, qua utitur Gubernator dum assistit Sacris Functionibus prope Altare Sanctissimæ Annunciatæ. *Lettera a Monsignor Vescovo* 11. *Febraro* 1711. *Dub.* 27. *ex* 33.

Præventio.

In captura Philippi Angeli Palmerii, resolutum fuit, Gubernatorem fuisse ab Episcopo præventum, & ideo confectionem Processus ad eundem Episcopum spectare, & Reum ipsius Curiæ Episcopalis Carceribus esse tradendum. *Lettera a Monsignor Vescovo* 10. *Luglio* 1699.

Punctaturæ.

Episcopus jure delegato tantùm potest cogere Cantores ad retinendum Librum Punctaturarum, illasque solvendum in casu deficientiæ, ut practicatur in Patriarchalibus Urbis. *Dub.* 16. 17. *Aprilis* 1608.

Pecuniæ. Vide Administratio Bonorum.

Peregrini. Vide Confluentes.

Pistores Panis. Vide Exempti.

Possessores Bonorum Sanctuarii. *Vide* Constitutio.

Processio. Vide Candelæ, Lignum S. Crucis, Vicarii.

Proclamationes. Vide Parochus.

Sede Vacante.

Vacante Sede Lauretana, Sacra Congregatio subdelegat Vicarium Capitularem in concernentibus gubernium Spirituale Almæ Domus, seclusa Gubernatore. *Lettera a Monsignor Governatore* 19. *April.* 1727.

Semestre scutorum viginti, quod Sanctuarium persolvit Episcopo partim pro stabulo, partim pro Coquina, decursum Sede Episcopali vacante, non debetur novo Episcopo. *Resol.* 2. *Augusti* 1729.

Solitum.

Solitum semper servandum est, & si aliqua prætensio insurgat, antequam quidquam innovetur, exhibenda est Sacræ Congregationi, & ejus resolutio expectanda. *Lettera a Monsignor Vescovo* 28. *Novembr.* 1701.

Solitum item ſervandum eſt quoad celebrationem Miſſarum in Pontificalibus ab Epiſcopo apud Altare Sanctiſſimæ Annunciationis.

Epiſcopo non licet, poſtquam Pontificaliter celebravit primas Veſperas Sanctiſſimæ Circumciſionis Domini, incedere cum Veſtibus Pontificalibus, Paſtorali, & Mitra, contra ſolitum, ad incenſandum Altare Sanctiſſimæ Annunciationis, & Imaginem Beatiſſimæ Virginis in Sacra Cappella. *Lettera a Monſignor Governatore* 10. *Gennaro* 1733.

Status Liberi Fides.

Probatio Status liberi unius Fratris, qui aliunde habet unde vivat, licet ſit Socius Menſæ duorum aliorum Fratrum exemptorum, facienda eſt coram Epiſcopo jure ordinario. *Lettera a Monſignor Veſcovo* 1. *Marzo* 1700.

Synodus.

Licet Epiſcopo, occaſione convocationis Synodi, vocare ad ſe Eccleſiaſticos privilegiatos Almæ Domus, tam ad Concilium, quàm ad reliquos actus neceſſarios pro explenda dicta Synodo, eodem modo, quo ſe gerit reſpectu ſuorum ſubditorum. *Dub.* 28. *ex* 33.

Licet etiam, facultate delegata, renuentes debitis pœnis compellere. *ibid.*

Econtra verò occaſione Synodi promulgandæ in Eccleſia Lauretana, non tenentur Almæ Domus Miniſtri ſubminiſtrare ea omnia, quæ neceſſaria ſunt pro promulgatione. *Dub.* 29. *ex* 33.

Sacramenta. *Vide* Parochus.

Sacrarium. *Vide* Edicta.

Supellectiles Sacræ. *Vide* Paramenta.

Tumulatio Cadaverum. *Vide* Parochus.

Vicarius Generalis.

Vicarius Epiſcopi, in his, qui reſpiciunt exercitium Juriſdictionis delegatæ, non debet procedere uti Subdelegatus Apoſtolicus, ſed uti Subdelegatus Epiſcopi. *Dub. ultimo ex* 33.

Licet Vicariis Generalibus Laureti, & Recineti, proceſſionaliter cum Capitulis ambarum Civitatum, ad Almam Domum, in Feſtivitate Sanctiſſimæ Annunciationis, vel alia die non impedita, ingredi in Sacram Cappellam indutis Mantellettâ ſupra Rocchettum, dummodò habeant privilegium utendi dictis Mantellettâ, & Rochetto. *Dub.* 3. *ex* 33.

Viſitatio.

Epiſcopo competit facultas viſitandi Sanctiſſimum Sacramentum in ejus Altari, ad effectum recognoſcendi, an aſſervetur debitâ decentiâ, ac veneratione. *Dub.* 3. 18. *Auguſti* 1727.

Item viſitandi Sanctiſſimum Sacramentum, quod aſſervatur in Hoſpitali ejuſdemmet Almæ Domus, ac recognoſcendi libros, in quibus notantur Infirmi, & Defuncti ejuſmet Hoſpitalis, ibique facere abſolutionem Defunctorum occaſione ſuæ Viſitationis. *Dub.* 5. *ut ſupra.*

Non poteſt autem jure delegato Epiſcopus viſitare Montem Pietatis, ad ſolum effectum inquirendi, & recognoſcendi, an adimpleantur Legata, & alia opera pia cum onere a Particularibus relicta. *Dub.* 7. 17. *Aprilis* 1708. Cætera *Vide* Arx Eccleſiæ.

Vicarius Capitularis. *Vide* Sede Vacante.

Dubia à BENEDICTO XIV. ſummo Pontifice deciſa, & reſoluta.

Primum Dubium.

An Epiſcopo auſcultanti Sacrum in Altare Sanctiſſimæ Annunciationis, vel in eo Sanctiſſimi Sacramenti, uti Delegato Apoſtolico, ſervari debeant a Cappellanis Almæ Domus Cœremoniæ ſervari ſolitæ in Miſſis, quæ celebrantur coram Epiſcopo in ſua Diœceſi; Et an ab Inſervientibus eadem debeant ſervari, & ſignanter circa Evangelium porrigendum Epiſcopo ad oſculandum?

Reſolutio. Affirmativè quoad utramque partem.

II. Dubium.

An quando in Eccleſia Lauretana de ordine Epiſcopi fit Communio generalis, vel fit aliqua Proceſſio, aut Expoſitio Sanctiſſimi Sacramenti, ad implorandum Divinum Auxilium pro neceſſitatibus Populi, vel Eccleſiæ Catholicæ, debeant a Miniſtris Almæ Domus ſubminiſtrari Ceræ, & alia neceſſaria pro ſupradictis Functionibus explendis, & præcipuè Lignum Sanctiſſimæ Crucis, quod ſervatur in Sacra Cappella, occaſione alicujus particularis Proceſſionis, ad effectum illud exponendi in Altare Sanctiſſimæ Annunciationis, illudque proceſſionaliter deferendi per Civitatem; & an liceat in hujuſmodi Caſibus Epiſcopo, uti Delegato, cum Sanctiſſimo Sacramento, vel Ligno Sanctiſſimæ Crucis, ſolemniter Populo benedicere in eodem Altare Sanctiſſimæ Annunciationis, vel in eo Auguſtiſſimi Sacramenti?

Reſolutio. Affirmativè in omnibus.

III. Dubium.

An liceat Vicariis Generalibus Laureti, & Recineti proceſſionaliter cum Capitulis dictarum ambarum Civitatum, ad Almam Domum, in Feſtivitate Sanctiſſimæ Annunciationis, vel aliâ die non impedita, ingredi proceſſionaliter, ut ſupra, in Sanctam Cappellam, indutis Mantellettâ ſupra Rocchettum?

Reſolutio. Affirmativè, dummodò habeant.

IV. Dubium.

An Muſicis, & Cantoribus ſe abſentare petentibus a ſervitio Eccleſiæ ad breve tempus ob aliquod eorum negocium, ſit concedenda licentia a Gubernatore, vel potius ab Epiſcopo, aut ejus Vicario Generali, jure delegato?

Reſolutio. Negative quoad primam partem, & affirmative quoad ſecundam.

V. Dubium.

An ad Epiſcopum, privative quoad Gubernatorem, ſpectet præſcribere Ordines Magiſtro Cappellæ, Cantoribus, & Organiſtæ, circa ſervitium Chori, & Functionum Eccleſiaſticarum?

Reſolutio. Affirmativè.

VI. Dubium.

An Arx Eccleſiæ Lauretanæ exiſtens ſupra dictam Eccleſiam, ubi ſunt Manſiones Clericorum Sacriſtiæ, & Inſervientium Miſſarum, & Lampadariorum, ſit ſub Ditione Epiſcopi, itaut poſſit ab eo viſitari jure ordinario, quoad Clericos Sacriſtiæ, & ſupradictos Inſervientes; quoverò ad Lampadarios jure delegato?

Reſolutio. Negative: Sed cùm Perſonæ in Dubio deſcriptæ non habitent in Arce, ſed Manſiones Arcis accommodentur illis, qui confugiunt ad Eccleſiaſticam Immunitatem, Januam Arcis eſſe omnino claudendam.

VII. Dubium.

An Epiſcopus, ſive ejus Vicarius Generalis Laureti, procedens jure delegato tam in Cauſis Civilibus, quàm in Criminalibus contra Privilegiatos Almæ Domus, teneatur uti Officialibus Tribunalis Almæ Domus, ſeu potius uti valeat illis ſuæ Curiæ Epiſcopalis: Et quatenus affirmative quoad primam partem?

Reſolutio. Affirmative quoad primam partem, & negative quoad ſecundam.

VIII. Dubium.

An poſſit aliquando, & attentâ aliquâ ſuſpicione, uti ſuo Cancellario Epiſcopali in examinandis Teſtibus, pro ſumendis, & captivandis indiciis, dummodo tamen dicta Examina Teſtium reproducantur per acta Cancellariæ Almæ Domus, antequam Reus conſtituatur, & Proceſſus per eadem acta Cancellariæ Almæ Domus proſequatur?

Resolutio. Affirmative, prævia tamen licentia Sacræ Congregationis.

IX. Dubium.

An Personæ, quæ carcerantur de mandato supradicti Episcopi, vel ejus Vicarii, procedentis jure delegato, detineri debeant in Carceribus Almæ Domus, vel potiùs in illis ipsius Curiæ Episcopalis?

Resolutio. Affirmative quoad primam partem, & negative quoad secundam.

X. Dubium.

An Dominus Cancellarius Almæ Domus possit ab Episcopo compelli ad conficiendum Inventarium omnium Processuum Beneficialium, Matrimonialium, Civilium, & Criminalium Actorum, & aliarum Scripturarum factarum, & respective exhibitarum in dicta Cancellaria coram Episcopo, vel ejus Vicario, tanquam delegato Apostolico, ad effectum asservandi dictum Inventarium in Archivo Episcopali, ad formam novissimi Concilii Romani, & Constitutionis Benedicti XIII.?

Resolutio. Teneri, & in casu renitentiæ, compellendum esse a Sacra Congregatione Lauretana.

XI. Dubium.

An juxta prætensam dispositionem Constitutionis san. mem. Pauli V. §. *Nihilominus*, privilegio Exemptionis a Jurisdictione Episcopi gaudere debeant Familiæ Servitorum, & Famulorum, qui inserviunt Ministris, Officialibus, aliisque Privilegiatis Almæ Domus?

Resolutio. Negative: Nihil tamen esse innovandum quoad jus exemptionis concessum Ministris pro uno tantùm eorum Famulo.

XII. Dubium.

An Episcopo uti Delegato Apostolico, privative competat licentias concedere Confluentibus, & Diœcesanis, sese muniendi Eucharistia in Sacra Cappella?

Resolutio. Affirmative.

XIII. Dubium.

An sub expressione Confluentium a qualibet Mundi parte devotionis gratiâ ad Almam Domum, qui, juxta Litteram dictæ Constitutionis Innocentianæ §. *Ac primo quidem*, a jurisdictione Episcopi eximuntur, comprehendantur illi, qui petunt Lauretum propter eorum temporalia negocia, vel in dicta Civitate remanent per plures dies: Et quatenus affirmativè, per quantum temporis durare debeat privilegium Confluentiæ?

Resolutio. Quoad primam partem negative; & quoad secundam, privilegium confluentiæ durare per decem dies.

XIV. Dubium.

An hujusmodi privilegio Confluentiæ gaudeant Confluentes illi, qui a Birruariis Episcopalibus apprehenduntur cum Mulieribus suspectis, Fures, aliique quomodolibet Delinquentes?

Resolutio. Affirmative, dummodo captura sequatur intra decem dies, juxta Responsionem ad Dubium præcedens; oneratâ quoque Gubernatoris conscientiâ, eos puniendi prout de jure; additisque pœnis arbitrio Sacræ Congregationis Lauretanæ, & Summi Pontificis, in Casu omissionis.

XV. Dubium.

An eâdem exemptione a jurisdictione Episcopi gaudere debeant Artifices, & Professores quicumque inservientes Almæ Domui intra annum in eorum Professionibus, non tamen continuò, sed juxta Sanctuarii necessitatem, absque Constitutione annui Salarii, licèt Litteris patentalibus Almæ Domus cum inhibitione fuerint muniti?

Resolutio. Negative.

XVI. Dubium.

An frui debeant eâdem exemptione omnes Coloni, Affictuarii, & Emphyteutæ etiam parvorum Prædiorum Almæ Domus cum tenui Canonis responsione?

Resolutio. Negative.

XVII. Dubium.

An, qui habent Officia Almæ Domus, sed ea exercent per interpositas Personas, veluti Pulsator Nolarum, Cantinerius, & similes, frui debeant dictâ exemptione tam ipsi uti Officiales, quàm eorum Substituti?

Resolutio. Affirmative, dummodo facultas exercendi per Substitutum fuerit a Sacra Congregatione Lauretana approbata.

XVIII. Dubium.

An gaudeant dictâ exemptione etiam Coadjutores Officialium Almæ Domus?

Resolutio. Affirmative, dummodo Coadjutoria fuerit approbata a Sacra Congregatione Lauretana.

XIX. Dubium.

An eâdem exemptione gaudeant Famuli, aliique inservientes Patentatis Sanctuarii in Caponis, & Apothecis?

Resolutio. Negative.

XX. Dubium.

An aliqui commorantes continuò in Civitate Laureti, & habentes Litteras patentes Quæstuatorum, Denunciatorum Legatorum piorum Sanctuarii, & similium in eorum Patriis ab eadem Civitate distantibus, eâdem exemptione gaudere debeant?

Resolutio. Negative.

XXI. Dubium.

An Sacerdos Possessor Cappellaniæ Micucci, cujus nominatio spectat ad Ven. Societatem Sanctissimi Rosarii Laureti Episcopo subjectam, eodem privilegio exemptionis fruatur, ex quo destinatos proventus prædictæ Cappellaniæ recipit ab Alma Domo, uti hærede supradicti Micucci?

Resolutio. Affirmative.

XXII. Dubium.

An Coloni, & Affictuarii pro tempore existentes in quodam Prædio sito in Territorio Lauretano, & spectante ad Ven. Societatem S. Annæ Recineti, tanquam Emphyteutæ Almæ Domus, gaudeant supradictâ exemptione?

Resolutio. Negative.

XXIII. Dubium.

An hujusmodi exemptione gaudeant Coloni, & Affictuarii Ven. Societatis Laureti existentis, in Prædio, quod dicta Societas possidet uti Emphyteuta Almæ Domus?

Resolutio. Negative.

XXIV. Dubium.

An Pistores Panis venalis Civitatis Laureti gaudeant eâdem exemptione?

Resolutio. Pistores Panis, quem conficiunt pro Inservientibus Almæ Domui, hoc est, qui Panem conficiunt, quem Alma Domus Inservientibus facit distribuere, gaudere; Secus illos, qui Panem venalem conficiunt ad usum publicum, & propriam utilitatem.

XXV. Dubium.

An liceat Gubernatori, attento privilegio Sanctuarii trahendi ad suum Tribunal omnes Causas tam activas, quàm passivas ejusdem Almæ Domus, procedere contra Clericos, Ecclesiasticasque Personas, & Loca Pia, in dictis Causis Almæ Domus, uti Reos conventos, seu potiùs id competat Episcopo tanquàm Delegato Apostolico, vel ejus Vicario uti Subdelegato?

Resolutio. Non posse Gubernatorem procedere in Causis Activis motis a Ministris, & Exemptis Almæ Domus contra Ecclesiasticos non privilegiatos, idque ad Episcopum pertinere jure ordinario; Et hoc ipsum quoque ad eundem pertinere jure delegato, in Causis activis

motis a Ministris, & Exemptis Almæ Domus contra Ecclesiasticos privilegiatos, nisi agatur de iis, quæ respiciunt eorum Ministerium, in quibus subesse debent Gubernatori; Quo verò ad Causas tam activas, quàm passivas, in quibus agitur de interesse Almæ Domus, spectare privativè ad Gubernatorem.

XXVI. Dubium.

An Episcopo liceat ubique in sua Diœcesi, ubi ordinationes habuerit, etiam extra Ecclesiam Lauretanam, ordinare auctoritate delegatâ Exemptos Almæ Domus, ita tamen, ut Episcopus teneatur registrare in Cancellaria Almæ Domus, tam Ordinationes Exemptorum, quàm eorum Litteras testimoniales?

Resolutio. Negative quoad primam partem, & affirmative quoad secundam.

XXVII. Dubium.

An reducenda sit ad mensuram præscriptam Pradella, qua utitur Gubernator, dum assistit Sacris Functionibus prope Altare Sanctissimæ Annunciatæ, ad instar Pradellæ, quæ pro eodem Gubernatore extat in Choro?

Resolutio. Nihil esse innovandum.

XXVIII. Dubium.

An occasione Convocationis Synodi liceat eidem Episcopo vocare ad se Ecclesiasticos privilegiatos Almæ Domus tam ad Concilium, quàm ad reliquos Actus necessarios pro explenda dicta Synodo, eodem modo, quo se gerit respectu suorum Subditorum; Et an, facultate delegatâ, possit renuentes debitis pœnis compellere?

Resolutio. Affirmativè quoad utramque partem.

XXIX. Dubium.

An occasione Synodi promulgandæ in Ecclesia Lauretana, debeant Almæ Domus Ministri subministrare ea omnia, quæ necessaria sunt pro dictæ Synodi promulgatione?

Resolutio. Negativè.

XXX. Dubium.

An Episcopo, uti Delegato Apostolico, liceat Infirmis in Hospitali Almæ Domus degentibus impertiri Benedictionem in Articulo mortis?

Resolutio. Affirmativè.

XXXI. Dubium.

An eidem Episcopo, juxta Constitutionem San. mem. Pauli V., debeatur usus Paramentorum Ecclesiasticorum in suo Sacrario separato assignandorum; Et an valeat ipsis uti etiam in Functionibus explendis in Diœcesi Lauretana?

Resolutio. Affirmative quoad primam partem, & negative quoad secundam.

XXXII. Dubium.

An Episcopus vigore Bullæ Sa. me. Innocentii XII. sit Delegatus perpetuus? sive potiùs: An, & in quibus casibus recurrere teneatur ad Sacram Congregationem Lauretanam?

Resolutio. Episcopum vigore Bullæ Innocentianæ esse Delegatum perpetuum, nec esse adstrictum recurrere ad Sacram Congregationem Lauretanam pro exercitio dictæ jurisdictionis delegatæ, salvâ tamen superioritate dictæ Sacræ Congregationis, & salvâ obedientiâ eidem ab Episcopo debitâ, ad tramites ejusdem Constitutionis Innocentianæ?

XXXIII. Dubium.

An Vicarius ejusdem Episcopi possit procedere uti Subdelegatus Apostolicus, sive ipsius Episcopi?

Resolutio. Vicarium Episcopi in his, quæ respiciunt exercitium jurisdictionis delegatæ, non debere procedere uti Subdelegatum Apostolicum, sed uti Subdelegatum Episcopi.

Sequens XXXIV. Dubium jussu Sanctissimi Domini Nostri inter Partes concordatum, & ab eadem Sanctitate Sua, ut infra, resolutum.

XXXIV. Dubium.

An, & cui competat Electio, Approbatio, & respectivè Expeditio Litterarum Patentium Rectoris Ecclesiæ Parochialis Sancti Petri Castri Fidardi, in casu &c.

Resolutio. Electionem, & Litterarum Patentium Expeditionem pertinere ad Gubernatorem, nomine Congregationis Lauretanæ: Examen verò, ac Approbationem ad Episcopum, jure delegato.

APPENDIX
AD SYNOPSIM LAURETANAM.

CUm post prælo traditam Synopsim Lauretanam, jussu ac auctoritate Sanctissimi Domini Nostri Benedicti XIV. in unum collectam, nonnullæ aliæ insurrexerint Controversiæ jurisdictionales inter Curiam Episcopalem, & alteram Domini Gubernatoris Lauretani, eas itidem definire Apostolico suo Oraculo dignatus est idem Pontifex Optimus Maximus; Ut verò Resolutiones hujusmodi in posterum pro quibuscumque similibus casibus inservire valeant, eo quo pollet zelo in dirimendis litibus, & dissensionibus pro publica utilitate, jussit præfatæ Synopsi hanc superaddi Appendicem, expresse decernens, decisiones, & resolutiones in ea contentas, vim, & efficaciam legis perpetuò obtinere, perindè ac si illæ impressæ, ac insertæ in ipsa Synopsi reperirentur.

Dubia à BENEDICTO XIV. Summo Pontifice resoluta post Annum 1743., quo evulgata fuit Synopsis Lauretana.

Primum Dubium.

AN tumulatio Cadaverum, & administratio Sacramentorum, quoad Cappellanos, qui pro Principibus exteris Missam assiduè celebrant in Sancta Cappella, & ab Alma Domo mercedem non recipiunt, spectet ad Curatum Almæ Domus, seu potius ad Parochos Episcopales?

Resolutio. Affirmativè quoad primam partem, & negativè quoad secundam.

II. Dubium.

An Pictor Cereorum, qui die Purificationis benedicuntur, & Culcitrarum Confector pro servitio Almæ Domus, gaudeant exemptione a jurisdictione Episcopi?

Resolutio. Negative.

III. Dubium.

An privilegio Exemptionis frui debeat Afictuarius parvi Prædii Almæ Domus ad usum Fornacis lateritiæ, ex quo ipse tantum retrahit ab eodem Prædio, quantum sufficit ad illius, & Familiæ substentationem pro toto anno, vel saltem pro ejus majori parte?

Resolutio. Affirmative.

IV. Dubium.

An cognitio furti commissi in Ecclesia Lauretana, extra tamen Territorium exemptum, pertineat ad Gubernatorem, seu potius ad Episcopum; & quatenus affirmativè ad secundam partem?

V. Dubium.

An, ubi Fur sit confluens devotionis gratia, & non Clericus, idem Episcopus procedere possit jure delegato?

Resolutio. Ad primum, pertinere cumulativè ad Gubernatorem, & ad Episcopum, itaut sit locus præventioni: Ad secundum, negative.

VI. Dubium.

An, & quando Exteri censeri debeant Lauretum petere propter eorum temporalia negotia, seu potiùs devotionis gratia ad Almam Domum, itaut intret privilegium Confluentiæ?

Resolutio.

Resolutio. Omnes, & quoscumque Exteros ex quacumque Mundi parte Lauretum accedentes, censendum esse, illuc petere devotionis gratia, exceptis iis, qui in Civitate, vel Territorio bona possident; ita tamen, ut privilegium Confluentiæ duret dumtaxat per decem dies, nisi longior permanentia procedat ex causa gravis Infirmitatis contractæ infra decem dies.

VII. Dubium.

An administratio Sacramentorum quoad Joannem Rubeum, ejusque Conjugem, conviventes quidem cum Gaetano Borgognoni privilegiato, sed tamen propriis eorum redditibus, spectet ad Curatum Almæ Domus, seu potiùs ad Parochos Episcopales?

Resolutio. Negative ad primam partem, & affirmative ad secundam.

VIII. Dubium.

An probatio status liberi Francisci Raffaelli continui Commensalis Antonii Nicoli patentati, qui etiam dictum Raffaelli tanquam unicè proprio servitio adscriptum declaravit, fieri debeat per acta Cancellariæ Almæ Domus, seu potius in Curia Episcopali?

Resolutio. Affirmative ad primam partem, & negativè quoad secundam.

IX. Dubium.

An quoties de mandato sive Sacræ Congregationis Lauretanæ, sive Gubernatoris ejusdem Civitatis, aliquis ex Canonicis, Beneficiatis, seu aliis Capitularibus Basilicæ Lauretanæ, nullo ei assignato stipendio, eligitur pro servitio Almæ Domus, pro quo ipse, sivè attenta absentia a dicta Civitate, sive aliter, præpeditus remaneat interessendi Divinis Officiis; taliter electus, & deputatus, possit percipere omnes distributiones quotidianas; ita quod a quoquam nullo modo punctari possit?

Resolutio. Affirmative, quamdiù necessitas servitii Almæ Domus perduraverit: & quoad Custodes, & Sacristas observetur Constitutio San. me. Pauli V. §. *Decernimus.*

LXXIII. Ut præstationes post obitum S. R. E. Cardinalium Magistris Cœremoniarum persolvi solitæ, deinceps a singulis Cardinalibus in sua ad Cardinalatum promotione solvantur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Paulus V. certas summas, tum in promotione, tum in obitu S. R. E. Cardinalium Ministris S. Collegii, & Magistr. Cœrem solvi mandavit.

DUDUM, sicut accepimus, fel. record. Paulus Papa V. Prædecessor noster, considerans assiduos labores, quos Magistri Cœremoniarum, ac Officiales, seu Ministri S. R. E. Cardinalium Collegii, in rebus & negotiis ejusdem Sacri Collegii procurandis, substinebant, per quasdam suas in simili formâ Brevis die 3. Januarii MDCXIX. expeditas literas, motu suo proprio, ac ex certâ scientiâ, eisdem Magistris Cœremoniarum centum, necnon Secretario, & Clerico, ac Computistæ Sacri Collegii prædicti septuagintaquinque, à singulis Cardinalibus in promotione ad Cardinalatus honorem; necnon post obitum singulorum Cardinalium, etiamsi ad Cardinalatus honorem promoti Romam nondùm venissent, & sive illos in Romanâ Curiâ, vel extrà eam, & ubique decedere contigisset, eisdem Magistris quinquaginta, ac Secretario, Clerico, & Computistæ præfatis similiter septuagintaquinque Ducatos auri de Camera, in supplementum mercedis ordinariæ eorumdem Officialium, seu Officiorum, deberi, illisque conjunctim per pro tempore existentes Cardinales prædictos, seu per eorum Agentes, & hæredes, quomodolibet debitos, ac solvendos, auctoritate Apostolicâ statuit, & ordinavit.

Clemens IX. alias præstationes addidit pro Magistris Cœremon. non particip.

§. 1. Subinde verò rec. mem. Clemens PP. IX. itidem Prædecessor noster, cum accepisset, præter prædictos Magistros Cœremoniarum, qui duo sunt, & participantes vocantur, alios esse Cœremoniarum Cappellæ Pontificiæ Magistros interdum duo, & quandoque, prout tunc, tres, qui non participantes nuncupantur, ipsosque Magistros Cœremoniarum non participantes in pari possessione accipiendi, vel exigendi à singulis Cardinalibus in promotione ad Cardinalatus honorem triginta sex, & post obitum ab eorum hæredibus vigintiquinque Ducatos auri de Camera pares, ex laudabili consuetudine, reperiri; & Venerabiles Fratres tunc suos, nunc nostros, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ prædictæ Cardinales horum quoque Magistrorum Cœremoniarum officio, atque ministerio egere, & uti; dictaque emolumenta eis, tanquam mercedem, seu pro eorum mercede, præstari consuevisse; propterea illorum indemnitati consulere volens, per suas quoque in pari formâ Brevis die 22. Novembris 1668. expeditas literas, motu simili, ac ex certa scientia sua, præfatis Cœremoniarum Magistris non participantibus triginta sex in promotione ad Cardinalatus honorem, & vigintiquinque Ducatos auri de Camera, prædictos, inter eos pro æqualibus portionibus respectivè dividendos, post obitum singulorum Cardinalium hujusmodi, etiamsi ad Cardinalatus honorem promoti Romam nondum venissent, & sive in Romana Curia, vel extra eam, & ubicumque illos decedere contigisset, in supplementum mercedis ordinariæ eorumdem Magistrorum Cœremoniarum non participantium, pariter deberi, illisque conjunctim per pro tempore existentes Cardinales prædictos, seu per eorum Agentes, & hæredes respectivè absque mora solvi, & eis consignari debere, sine ullo tamen quorumcumque jurium Cameræ quomodolibet debitorum, & solvendorum, ac anterioritatis, & potioritatis Cœremoniarum Magistrorum participantium, & trium Sacri Collegii Officialium supradictorum præjudicio, itidem perpetuò statuit similiter, & ordinavit.

Clemens XII. summas Ministris Sacri Collegii debitas, in ipsis Cardinalium promotionibus integrè solvi voluit.

§. 2. Postmodum verò fel. record. Clemens Papa XII. pariter Prædecessor noster per suas itidem in simili forma Brevis die 17. Augusti MDCCXXXIV. expeditas literas, cum etiam accepisset septuagintaquinque Ducatorum auri hujusmodi, memoratis Officialibus, seu Ministris dicti Collegii Cardinalium, nempe Secretario, Clerico, & Computistæ, post obitum Cardinalium, sicut præmittitur, debitorum, ac per defunctorum hæredes solvendorum exactionem perquam difficilem reddi, præcipuè ubi ipsos Cardinales extra ditionem Ecclesiasticam, & maximè ultra montes ab humanis decedere contigisset, itaut multoties eorumdem Ducatorum solutio, etiam post peractas exactiores diligentias, a præfatis hæredibus nullatenus facta fuerit; dictosque Officiales, seu Ministros eò ægriùs istiusmodi emolumentis carere, quod merces eorum ordinaria admodum tenuis existeret, sibique vicissim non mediocres labores, aliaque onera incumberent, ac propterea Secretario multæ expensæ faciendæ essent, Clerico verò, ac Computistæ prædictis alieno servitio, seu ministerio sese addicere per statuta supradicti Sacri Collegii vetitum esset; præmissa, ac præsertim dicta emolumenta ipsis Officialibus, sive Ministris, tanquam mercedem, seu pro mercede præstanda fore attendens, illorumque proinde indemnitati prospicere volens; motu simili, ac ex certa sua scientia, septuagintaquinque Ducatos, qui, post obitum singulorum Cardinalium, eisdem Officialibus, seu Ministris per hæredes defunctorum, juxta dicti Pauli Prædecessoris literarum formam, & dispositionem, solvendi, & consignandi erant, deinceps a singulis Cardinalibus in sua ad Cardinalatus honorem promotione per se, seu eorum Agentes, ipsis

Officialibus, sive Ministris absque mora, unacum aliis septuagintaquinque Ducatis similibus in eorum promotione hujusmodi debitis, & assignatis, ut præfertur, solvi, & consignari debere, sine ullo pariter quorumcumque Jurium Cameræ Apostolicæ debitorum, & solvendorum præjudicio, eâdem auctoritate Apostolicâ perpetuò itidem statuit, & ordinavit; & aliàs, prout in ejusdem Pauli, & utriusque Clementis Prædecessorum prædictorum literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, uberiùs continetur.

Pontifex, ex paritate rationis, idé servari jubet cum Magistris Cœremoniarum.

§. 3. Nos considerantes quinquaginta Ducatorum auri hujusmodi dictis Magistris Cœremoniarum de numero participantium, & vigintiquinque Ducatorum parium Magistris non participantibus, post obitum Cardinalium, ut præfertur, debitorum, ac per defunctorum hæredes solvendorum exactionem pari modo difficilem reddi, præsertim si ipsos Cardinales extra Statum Ecclesiasticum, & ultra Montes, debitum naturæ persolvere contigerit, & causas, propter quas secundodictus Clemens suas literas prædictas favore dictorum Officialium, & Ministrorum edidit, etiam pro eisdem Magistris Cœremoniarum existere; ac proinde hisce incommodis consulere cupientes, motu simili, ac ex certa scientia nostra, ut quinquaginta Ducatos Magistris Cœremoniarum de numero participantium, & vigintiquinque Ducatos, qui post obitum singulorum Cardinalium eisdem Magistris Cœremoniarum de numero non participantium, per hæredes defunctorum, juxta memoratarum Pauli, & primodicti Clementis Prædecessorum prædictorum literarum formam & dispositionem, solvendi, & consignandi erant, deinceps a singulis Cardinalibus in sua ad Cardinalatus honorem promotione per se, seu eorum Agentes, ipsis Magistris Cœremoniarum de numero participantium, unà cum centum & duodecim Ducatis similibus, & de numero non participantium unà cum aliis trigintasex Ducatis similibus, in eorum promotione debitis & assignatis, ut præfertur, absque mora, & ulla tergiversatione solvi, & consignari debeant, sine ullo pariter quorumcumque jurium Cameræ Apostolicæ debitorum, & solvendorum præjudicio, eâdem auctoritate, tenore præsentium, perpetuò itidem statuimus, & ordinamus.

Executores deputat.

§. 4. Injungentes propterea dilectis Filiis ejusdem S. R. E. Collegii Cardinalium moderno, & pro tempore existenti Camerario, necnon Causarum Curiæ Cameræ prædictæ Generali Auditori, quatenus infra mensem, a die promotionis dictorum Cardinalium computandum, etiamsi ipsi Cardinales nondùm, ut supra dictum est, Romam venerint, per Collegii prædicti Depositarium, vel aliàs, prout meliùs expedire videbitur, centum sexagintaduos Magistris Cœremoniarum de numero participantium, & sexagintaunum Ducatos auri de Camera hujusmodi, Magistris Cœremoniarum de numero non participantium præfatis, quibusvis appellationibus, subterfugiis, & cavillationibus remotis, persolvi curent, & etiam cum effectu faciant; ac summarium, & expeditum jus illis administrent, omnibusque remediis opportunis sibi benevisis, etiam cum invocatione brachii sæcularis, cogant, & compellant: Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ memoratus Paulus, ac Clementes prædicti Prædecessores in eorum respective literis prædictis voluerunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 14. Febr. 1743.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 15. Februarii 1743. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Pro D. Cardinali Passionei
Cajetanus Amatus.

Ecclesiæ Papiensi perpetuò unitur Archiepiscopatus Amasiensis in partibus Infidelium; aliaque privilegia confirmantur, & respective conceduntur. LXXIV.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

AD supremam equidem Apostolicæ hujus Sanctæ Sedis, cujus servituti Pastorum Princeps JESUS CHRISTUS Nos imbecillitatis nostræ conscios per ineffabilem bonitatem suam mancipare dignatus est, auctoritatem, providentiamque pertinere intelligimus, ut non solùm decora, privilegia, prærogativas, immunitates, & exemptiones, quibus aliàs legitimè concessis singulæ Ecclesiæ pacificè fruuntur, confirmare, & augere studeamus, verùm etiam opportunam, salutaremque, ad benè constitutum, Apostolicisque legibus præscriptum Ecclesiasticæ Disciplinæ ordinem in suo pristino decore retinendum, conservandumque, si quo pacto per longas temporum vices immutari contigisset, operam nostram conferre satagamus.

Ecclesiæ Papiensis prærogativæ novis decoribus augeri merentur.

§. 1. Quoniam autem Cathedralis Ecclesia Papiæ, quæ olim Ticinum dicta est, non tam vetustæ antiquitatis, Longobardorum Regum Sedis, & tot Sanctorum Antistitum pietate, literis, ac Martyrio insignium splendore, quàm ipsa amplitudine, & omnimoda in populos sibi subjectos jurisdictione, inter præcipuas Italiæ Ecclesias semper extitit, factum est, ut innumera propemodum privilegia cum latifundiis fortunis, aliisque amplissimis juribus, Romani Pontifices, Imperatores, Reges Longobardorum, aliique Principes eidem Ecclesiæ, ejusque Antistitibus indulserint; Eapropter tot sanè privilegia cum decoribus, prærogativis, dignitate, auctoritate, immunitatibus, exemptionibusque conjuncta, ac toties comprobata, atque confirmata iisdem Antistitibus, qui Apostolicæ huic Sanctæ Sedi immediatè subjecti sunt, Pallii certè usus, ac jus Crucem more Archiepiscoporum ante se gestandi, album equum conscendendi, jus à dextris in Conciliis Generalibus Summo Romano Pontifici assidendi, jus denique, quod etiam admirans refert clar. mem. Cæsar Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Baronius, ut quotiescumque Ticinensis Episcopus vocaret ad Synodum Archiepiscopos Mediolanensem, & Ravennatensem, cum Suffraganeis, venire omninò deberent; hæc non immeritò exposcerent, ut eamdem Cathedralem Ecclesiam, exigentibus etiam eximiis Venerabilis Fratris Francisci ejusdem Cathedralis Papiensis Episcopi, in tuendis Ecclesiæ Papiensis, ipsi spirituali connubio junctæ, juribus egregiè meriti virtutibus, in Archiepiscopatum erigeremus.

Pontificis consilium.

§. 2. Verùm Nos, quibus nihil est antiquius, quàm ut Venerabilem Ecclesiarum antiquitatem stabilem custodiamus, æquum, nec novum esse ducimus, si eidem Ecclesiæ Cathedrali Papiensi, ejusque Antistiti pro tempore existenti aliquem titulum Archiepiscopi Ecclesiæ Archiepiscopalis in partibus Infidelium sitæ tribuamus, Archiepiscopalemque Ecclesiam hujusmodi ipsi Papiensi Ecclesiæ uniamus: & incorporemus: Ita enim fiet, ut eidem Episcopo Papiensi tot privilegiis munito, & Archiepiscopali dignitate adaucto, debitus locus, & honor in quibusvis Ecclesiasticis, & Sæcularibus Consessibus deferatur.

Archiepiscopatum Amasiæ in part. Infid. ipsi perpetuo unit.

§. 3. Hinc est, quod Nos, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine,

tenore

tenore præsentium, Archiepiscopalem Ecclesiam Amasiæ, quæ Helenoponti Metropolis Turcarum Tyrannidi subjecta, quoad nominis honorem saltem conservari meretur, eidem Cathedrali Ecclesiæ Papiensi unimus, & incorporamus, ac perpetuis futuris temporibus unitam, & incorporatam esse, ac fore declaramus, statuimus, decernimus, & ordinamus, itaut non modò idem Venerabilis Frater Franciscus Papiæ Episcopus, sed quicumque pro tempore in Episcopali Papiensi Cathedra ipsi successerit, una insimul nuncupetur, inscribatur, & sit Archiepiscopus Amasiensis, & Episcopus Papiensis, cum omnibus, & singulis juribus ratione tum Episcopali Ecclesiæ Papiensis, tum Archiepiscopalis Ecclesiæ Amasiensis ad ipsum respectivè spectantibus; Nec propterea eumdem Archiepiscopum, & Episcopum, ad Archiepiscopalem Ecclesiam prædictam Amasiæ, donec ab Infidelibus detinebitur, accedere, & apud eam personaliter residere minimè teneri.

Eandem sub immediata S. Sedi subjectione confirmat, etiam quoad causarum appellationes, &c.

§. 4. Præterea volumus, & mandamus, ut idem Episcopus Papiensis, & Archiepiscopus Amasiensis, deinceps semper, ut antea, memoratæ Apostolicæ Sedi immediatè subjectus intelligatur, nec juxta Concilii Tridentini decretum, & Concilii Romani à fel. record. Benedicto PP. XIII. Prædecessore nostro celebrati, præscriptionem, sibi Metropolitanum, quem hactenus non eligit, imposterùm eligere teneatur; nec Causæ quæcumque Civitatis, & Diœcesis Papiensis ad quemvis, jure appellationis, nisi ad Apostolicam Sedem prædictam, deferantur.

De forma expediendi Literas Ap.

§. 5. Denique statuimus, ac declaramus, eumdem Franciscum modernum Episcopum Papiensem, tenore præsentium, absque ulla alia declaratione, sive Apostolicarum Literarum expeditione, re ipsa Archiepiscopum Amasiensem esse, ac fore, & nuncupari posse, ac debere: ipsius verò pro tempore Papiensi Ecclesiæ præfatæ præficiendis Antistitibus, toties, quoties præfici contigerit, per easdem Apostolicas sub Plumbo pro Papiensi Ecclesia expediendas literas, titulum Archiepiscopi Amasiensis conferri debere, facta semper unionis, & incorporationis hujusmodi mentione; quem sanè titulum Archiepiscopi Amasiensis ita unitum, & incorporatum esse, ac fore volumus ac præcipimus Episcopo Papiensi pro tempore existenti, ut quicumque Papiensis Episcopus, si ipsum ab Ecclesia Episcopali Papiensi ad aliam Episcopalem Ecclesiam transferri evenerit, relicto Archiepiscopi Amasiensis titulo, alium alterius Archiepiscopalis Ecclesiæ titulum ab Apostolica Sede præfata impetrare, & obtinere debeat.

Quid in casu translationis.

Clausulæ de perpetuo literarum vigore, sublata &c. irritum &c.

§. 6. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quicumque cujusvis status, gradus, ordinis, conditionis, præeminentiæ, vel dignitatis, seù aliàs specifica, & individua mentione, & expressione digni, in præmissis quomodolibet jus, vel interesse habentes, seù habere prætendentes, iisdem præmissis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, intimati, aut auditi fuerint; tametsi suorum Indultorum, vel privilegiorum vigore, consentire, seù vocari, citari, intimari, & audiri semel, vel pluries quoquomodo debuissent, aut ex alia quacumque juridica, privilegiata, & rationabili, ac etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda foret, causa, occasione, colore, prætextu, titulo etiam onerosò, & capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seù intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam maximo, substantiali, essentiali, formali, aut incogitato defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, rescindi, in controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seù adversus illas aperitionis Oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seù etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seù se juvare nullatenus posse; Sed easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac eidem Francisco Archiepiscopo, & Episcopo, & suis pro tempore Successoribus in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogationes.

§. 7. Non obstantibus præmissis, & quatenus opus sit, quacumque Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula in contrarium præmissorum quomodolibet edita, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon dictarum Ecclesiarum Ecclesiarum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis prærogativis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seù quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè, ac plenissimè, & amplissimè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xv. Februarii MDCCXLIII. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Dat. die 15. Febr. 1743.

Pro D. Card. Passioneo.
Cajetanus Amatus.

LXXV.

Concionatoris Apostolici munus Ordini Fratrum Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum perpetuò addicitur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pontificis studium erga Ordinem FF. Minorum Cappucc.

INCLYTUM Fratrum Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum Ordinem, dum in Minoribus quidem essemus, ea, qua par erat, veneratione prosequebamur: in hac verò Sacrosancti Apostolatus specula constituti, majoribus Apostolicæ nostræ caritatis, benignitatisque testimoniis complecti gestimus; considerantes maximè, quanta, & quam luculenta Christianæ pietatis, & religiosæ

giosæ perfectionis exempla, cum sacrarum doctrinarum splendore, atque æterna Animarum salute conjuncta, sicut ab initio, in Catholica Ecclesia, ita in dies proferant religiosissimi illius Ordinis Alumni; ut nihil Orthodoxos, Acatholicosque vicissim vehementius perstringat, & ad saniorem mentem reducat, quàm celeberrimi Instituti inita cum austerioris vitæ sanctimonia ratio, & Christianarum virtutum semita, prius per eosdem Alumnos quàm diutissime trita, deinde aliis exemplo, & verbo indicata.

Horum eximia opera in munere Concionatoris Sacri Palatii.

§. 1. Eapropter accedentes Nos ad audiendum Verbum Dei, quod in Apostolico Palatio statis temporibus prædicari solet, tunc temporis maximopere laudabamus sapientissimum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum consilium, qui ex hoc potissimum Ordine Prædicatores ad hujusmodi officium adsciscere consuevissent; Ex illo enim, non tam majorum nostrorum, quàm nostra etiam memoria, prodierunt insignes Verbi Dei Præcones, quorum etiam in præsentia quamplurimi ubique per Catholicum Orbem commendantur. Inter alios verò, qui præclaras Concionatoris in Palatio Apostolico partes, summa cum nominis laude, expleverunt, præter Venerabilem Fratrem Bonaventuram Ferrariæ Archiepiscopum à Nobis, dum in minoribus pariter essemus, cum voluptate diù auditum, ac tantoperè probatum, duo etiam in Sacrum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Collegium adlecti fuerunt, Anselmus à Monopoli, & Franciscus Maria ab Aretio.

Utilitas addicendi perpetuò hujusmodi munus eorum Ordini.

§. 2. His sanè, aliisque animum nostrum moventibus, atque ex eo etiam adducti, quod in hac Alma Urbe nostra alia Officia, atque Ministeria aliis nonnullorum Religiosorum Ordinum Alumnis ità addicta in perpetuum sunt, ut munera hujusmodi, tamquam sibi debita, vindicantes Ordinum Superiores, quo laudabilius obeantur, optimum quemque suorum omni studio, atque cura conquirant; confidimus fore, ut imposterum, quemadmodum hactenus, benedicente Domino, factum est, ex memorato Cappuccinorum Ordine eximii in Apostolico Palatio Concionatores habeantur.

Quod per præsentes statuitur.

§. 3. Itaque, Motu proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, ac certa scientia, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, statuimus, decernimus, & ordinamus, quod deinceps perpetuis futuris temporibus Officium prædictum Concionatoris Apostolici, alicui dicti Ordinis Minorum Cappuccinorum Professori, committi, concedi, & assignari debeat.

Clausulæ, & Decreta.

§. 4. Decernentes easdem præsentes litteras, & in eis contenta quæcunque, semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime suffragari; sicque in præmissis per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogationes.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis Cappuccinorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus, Privilegiis, quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die II. Martii MDCCXLIII. Pontificatus Nostri Anno III.

Pro D. Card. Passioneo.

Cajetanus Amatus.

Dat. die 2. Mart. 1743.

LXXVI.

Epistola Decretalis in causa jurisdictionali jam dudum pendente inter Episcopum Conversanum, & Ordinem Militarem S. Joannis Hierosolymitani. Expenditur vis Possessionis quadragenariæ, & immemorabilis. Indulta Apostolica, & Episcoporum cessiones quatenus jurisdictionem activam, vèl exemptionem passivam dumtaxat importent &c. Sententia fertur pro Episcopo Conversano, & opportunis Decretis & clausulis munitur.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium ab Ecclesiasticæ pacis cura.

APOSTOLICÆ servitutis officium, quod humeris nostris, licet imparibus, inscrutabilis imposuit Divini altitudo consilii, illius Nos sæpè admonet sollicitudinis, quam Romanum Pontificem, ad procurandam omnium Ecclesiarum tranquillitatem, earumque tuenda commoda, & jura, vigili curâ oportet impendere; ut Episcopi ad eaſdem regendas a Spiritu Sancto positi, avulsis omnium dissensionum seminibus, commisso sibi gregi attendentes, ministerium suum in dulcedine pacis adimpleant.

Controversiæ antiquitas, & status.

§. 1. Cum itaque ad nostri Apostolatus auditum, publico primùm sermone, ac fama, & deinde demissa Venerabilis Fratris Macarii Episcopi Conversani expositione nobis humiliter facta, delatum sit, inter Episcopos pro tempore Conversanos ex una, ac dilectos filios Magnum Magistrum, & Fratres Milites militiæ S. Joannis Hierosolymitani ex altera partibus, annosam litem, & jam senescentem intercessisse, super exercitio jurisdictionis Ordinariæ in Oppido *Putiniani*; litemque ipsam, tametsi a bonmem. Cæsare Lambertino Episcopo Insulano, vigore commissionis signatæ manu fel. rec. Leonis Papæ X. Prædecessoris, per definitivam sententiam olim diremptam, nihilominus denuo in Foro instauratam fuisse, & in Causarum Palatii nostri Apostolici Auditorio, magno ipsorum litigantium incommodo, ac dispendio, diutissimè exagitatam, & per varias ambages ad hanc diem protractam, & adhuc in eodem Auditorio pendentem, majori utriusque partis detrimento in diem magis magisque protrahi posse: Idcirco ut celerius & expeditius, quo fieri posset, eidem tandem finis imponeretur, servata tamen, sanctèque, ut par est, custodità Canonicarum legum, & sanctionum censurâ; Nos Prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, præcipuè Innocentii PP. III. morem, & exempla secuti, qui restituendæ pacis, & concordiæ solliciti, ad parcendum litigantium expensis, & temporis diuturnitati consulendum, non detrectantes onus, & laborem cognitionis ipsarum controversiarum, Apostolicæ auctoritatis, & providentiæ partes non semel per se ipsi interposuere; causam hujusmodi ferè interminabilem, & perpetuam, ad Nos avocavimus, eamque, adscitis in consilium dilectis Filiis Causarum Palatii nostri Auditoribus, & allegationibus juris, & facti diversorum Jurisperitorum,

Eam Pontifex ad se avocat, cum cõsilio Audd. S. Pal. Prædecessorum exemplo, decidendam.

qui

qui utrique parti aderant, & jura strenuè tuebantur, tum voce, tum scripto coram Nobis deductis, & sæpius a Nobis auditis, lectis, & diligenter consideratis, supremo judicio nostro decidendam, & debito fine duximus terminandam.

Prælato Inferiori acquiritur jurisdictio intra Episcopi Diœcesim, vel ex privil., vel ex consuet. immè.

§. 2. Sanè licèt vetustissima hujus contestatæ litis primordia, si altius ab origine sua repetantur, præ vetustate admodum obscura, & involuta sint; illud tamen certum, firmumque, & indubitatum est, Oppidum *Putiniani* situm esse in Diœcesi Conversana, ejusque finibus contineri, nec illius positionem intra Diœceseos ambitum, impugnatam unquam fuisse ab iis, qui acri & diuturna contentione, pro sibi asserenda contra Episcopum Ordinaria jurisdictione decertarunt. Quo quidem posito, quod in dubium revocari nequit, certi juris est, jurisdictionem in dicto Oppido exercendam acquiri tantum potuisse, aut ex vi clari & manifesti privilegii Apostolici, adimentis Episcopo, & Prælato inferiori tribuentis aliquam Territorii partem, a reliqua Diœcesi prorsus separatam, & quodammodo avulsam; aut, deficiente privilegio expresso, ex vi consuetudinis immemorabilis strictè cum suis requisitis conditionibus comprobatæ: Continuata enim, & pacifica, atque hominum memoriam longè excedens omnium actuum jurisdictionalium exercita possessio, ipso vidente, & acquiescente Episcopo, tantæ virtutis, & efficaciæ esse censetur, ut jurisdictio Ordinaria, & Territorialis, quæ privilegio expresso adscribi non potest, saltem præsumpto videatur referenda.

Non vero ex possess. quadragenaria, cum titulo colorato, ex doctrina SS. D. N., & Decreto Congr. Conc., & Clem. XI.

§. 3. Firmissimo huic juris Canonici enunciato refragari posse videbantur aliquæ Tribunalium, & Jurisconsultorum in Foro sensim receptæ opiniones, asserentium jurisdictionem Ordinariam, etiam in alienæ Diœcesis parte, adstrui sibi facilè posse a Prælato inferiori ex sola quagenaria possessione, cum titulo, ut vocant, colorato. Verùm enim Nos, cum adhuc in minoribus existentes, munere Secretarii Congregationis S. R. E. Cardinalium super interpretatione, & executione Decretorum Concilii Tridentini fungeremur, ad cohibendam hujusmodi propositionum licentiam, & ad inconsultam Canonici juris interpretationem coërcendam, rationum momenta, quæ pro utraque sententia afferebantur, expendimus, tractatu in scriptis a Nobis pro ingenii nostri virium facultate elucubrato, & publicis typis impresso. Subinde verò, ut omnis in posterum dubitandi occasio præciderétur, & una esset in Foro certa, & immota judicandi ratio, sublato quovis dissidentium opinionum conflictu, fel. rec. Clemens Papa XI. Prædecessor noster ea, quæ a Nobis literis consignata fuerant, examinanda commisit Congregationi Particulari quinque S. R. E. Cardinalium, & totidem Prælatorum, doctrina, & integritate præstantium, Nobis etiam uti Congregationis Secretario in hunc numerum adscriptis. Porrò eadem Congregatio, maturè discusso, intimèque ex nostra sententia rimato negocio, præmissas opiniones innixas *possessioni quadragenariæ cum titulo colorato*, tanquam Canonicis sanctionibus adversas, præsidio juris destitutas, & saniorum Canonistarum sententiis parùm consentaneas, rejecit; & ad asserendam favore Prælati inferioris jurisdictionem Ordinariam in aliqua parte alienæ Diœcesis, expressum privilegium Apostolicum, vel consuetudinem immemorabilem legitimè probatam suffragari tantùm posse decrevit. Idem verò Clemens Prædecessor antèdictæ Congregationis decretum die 3. Januarii anno Domini 1721. nedum benignè probavit, & observari perpetuis futuris temporibus præcepit; verùm etiam typis impressum, & inter Apostolicas Constitutiones relatum perpetuò custodiri mandavit.

§. 4. Hæc igitur præ oculis habitâ certa judicandi regula providè sapienterque institutâ, consultò Religio Hierosolymitana nullum ponebat fundamentum in consuetudine immemorabili, vel quia certa recensebantur initia prætensæ jurisdictionis in Oppido Putiniani, vel quia eadem immemorabilis, quæ solo labefactatur rumore, interverti, ac submoveri penitùs videbatur tum ex judiciali, diuturna, & nunquam intermissa contradictione Episcoporum Conversanorum, tum etiam a plerisque actibus jurisdictionalibus in præfato Oppido ab Episcopis exercitis, quorum non obscura extabant monumenta.

Religioni Hieros. non assistit immemorabilis, ut pote semper impugnata ab Episcopo.

§. 5. Potissimum itaque acquisitæ jurisdictionis ordinariæ præsidium constituebat in privilegio Apostolico, ac in literis Prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, præsertim fel. rec. Joannis XXII. qui anno Domini 1317. Monasterium S. Stephani Ordinis S. Benedicti Religioni Hierosolymitanæ perpetuò incorporavit, & univit, *cum Ecclesiis, Cappellis, Membris, Castris, Casalibus, Granciis, Territoriis, Olivetis, Possessionibus, Juribus, Jurisdictionibus, Libertatibus, Privilegiis, & exemptionibus, ac omnibus bonis, juribus, & pertinentiis suis.*

Privilegium Joann. XXII. favore Monachor. Benedict.

§. 6. Verùm, inspecto, & sedulò expenso integro contextu, & tenore præfatæ Constitutionis, minimè ex ea evincitur, in Magnum Magistrum, ejusque Commendatarios, translatam fuisse plenam, & omnimodam jurisdictionem Ecclesiasticam, & Spiritualem, non solùm in Ecclesias, & loca, verùm etiam in Clerum, & Populum, quemadmodum necessarium est, ut Prælatus inferior suum peculiare habeat Territorium a reliqua Episcopali Diœcesi separatum. Resistunt enim tum mens, tum verba Constitutionis prædictæ. Et quidem mens, quia unio & incorporatio eum in finem solummodò collineavit, ut Equites Hierosolymitani, qui a Monachis Benedictinis inter se dissidentibus in Monasterium ad oram Maris positum allecti fuerant, possessionem illius adepti, legitimum quoque ex largitione Apostolica nanciscerentur dominium reddituum temporalium; tum etiam ut ex hoc loco, transvehendis ultra Mare commeatibus maximè opportuno, Classi suæ contra Infideles instructæ suppetias ferre possent.

Quod non suffragari censetur.

Inspecta mente Pontificis.

§. 7. Adversantur præterea verba; quia si verba Bullæ singillatim examinentur, & præsertim illa: *Cum omnibus juribus, jurisdictionibus, libertatibus, & privilegiis*: tantæ non sunt efficaciæ, ut jurisdictio ab Episcopo ablata dicatur, & in Religionem Hierosolymitanam translata; quia, cum non agatur de privilegio merè exemptivo, sed de privilegio magis arduo, & a jure communi alieno, tribuendi scilicet jurisdictionem Ordinariam personæ inferiori, ablata Episcopo parte suæ Diœcesis; nunquam per generalia, & ambigua verba concessum esse intelligitur.

Et deficiente expressa Ordinariæ jurisd. concessione.

§. 8. Maximè quia in casu, de quo agitur, ad hujusmodi interpretationis veritatem confirmandam accedit circumspecta præfati Pontificis vigilantia, qua in ipsa unione rebus omnibus opportunè consultum, ac provisum voluit. Siquidem in dicto Monasterio uniendo, hujusmodi leges, & conditiones servandas præscripsit, ut non solùm Equites Hierosolymitani onera eidem inhærentia adimplerent, Personas idoneas eligerent, quæ præessent Ecclesiæ, Missas in Defunctorum animarum expiationem celebrarent, & Divina Officia persolverent; verùm etiam Monachis Benedictinis, quorum nonnulli adhuc supererant, omnia ad victum, & vestitum necessaria tribuit, eorumque vitæ commodis voluit provideri. Minimè autem verisimile censetur, tantum in res singulas levioris momenti collatum fuisse a Pontifice studium, & diligentiam: nullumque præterea verbum de

Quam non omisisset, dū leviora constituit.

Oppido

Oppido populoso, soluto, ut prætenditur, a lege Diœcesana, & avulso a jurisdictione Episcopali; nullum de personis spirituali regimini in posterum præficiendis; nullum de finibus aptè designandis; nullum denique de cura Gregis, ac vigilantia Pastoris, in dicta Constitutione adjecisse, si revera id facere providus Pontifex in animo habuisset.

Literæ Paschalis & Callixti II., & Alex. III. prædictis Monachis concessæ quid contineant.

§. 9. Longè autem minoris ponderis, ac levioris momenti apparebant Apostolicæ Literæ Paschalis, & Calixti II., necnon Alexandri III. Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, qui Apostolicæ Auctoritatis munimine confirmarunt donationes factas anteactis temporibus ab Episcopis Conversanis dicto Monasterio S. Stephani Urbi Monopolitanæ finitimo. Si enim singulæ partes expendantur præfatæ Constitutionis Alexandri III., cui consonant disposita per Paschalem, & Calixtum, nihil aliud ex ea constat, quàm sub immediata S. Petri, & Apostolicæ Sedis protectione fuisse recepta bona quæcumque per Monasterium S. Stephani acquisita, & in futurum acquirenda, recensito etiam Oppido Putiniani, unà cum suis membris, & pertinentiis; *illudque fuisse solutum ab omni jugo, & exactione tam Episcoporum, quàm Sæcularium.* Præterea in eisdem literis Alexandri, ad augenda novis titulis dignitatis Abbatialis decora, & ornamenta, conceditur Abbati usus Mitræ, & Annuli, necnon facultas recipiendi Chrismatis, & Olei Sancti a quovis Catholico Antistite gratiam, & communionem Apostolicæ Sedis habente, & insuper a quovis etiam Antistite Catholico Basilicas, & Altaria consecrari, & ordines Monachis, & Clericis ritè conferri posse decernitur. Prohibetur itidem in eisdem Literis Episcopo, ne absque Monachorum consensu in Ecclesia Monasterii Pontificalia exerceat, & Ecclesiastico supponat interdicto Ecclesiam, aut Monasterium, *Monacos, Clericos, seu etiam Laicos utroque jure ipsis subjectos*: neve eosdem Monachos Synodo Diœcesanæ interesse compellat: Demum ad exhibendam Apostolicæ Sedi reverentiam, & homagium, unciæ unius auri census imponitur, Romano Pontifici quotannis persolvendus.

Extendi nequeunt ad Jurisdictionem activam.

§. 10. Itaque Constitutiones præfatæ, sive conjunctim, & generatim, sive disjunctè, & singillatim considerentur, nihil aliud præseferre videntur, præterquam nudam, ac simplicem exemptionem passivam Monasterii, & Monachorum, una cum Clericis, & Laicis eorum obsequio mancipatis, & servitio addictis, a Jurisdictione Ordinarii; non autem translationem in Abbatem Jurisdictionis Ordinariæ, & Ecclesiasticæ in Clerum, & Populum Putiniani, prævia separatione ejusdem Oppidi a reliqua Diœcesi Conversana; ideoque argumentum, & illatio ab hujusmodi passiva exemptione ad jurisdictionem activam, tanquam Canonicis Sanctionibus nimium absona, omninò repellenda videbatur.

De illius ætatis disciplina.

§. 11. Eò magis quia interpretatio Constitutionis pro sola exemptione passiva, Ecclesiasticæ historiæ monumentis illius ætatis apprimè consonans, & conveniens comperitur. Quamvis enim tempore prædicti Alexandri III. eximi Apostolica auctoritate consueverint Monasteria ab Episcoporum Jurisdictione, ut Monasticæ quieti, & tranquillitati uberius consultum foret, nulla tamen per id temporis recensentur exempta activæ jurisdictionis tributæ Monachis in Clerum, & Populum.

Cessio juris Episcopalis ab Episcopo facta per verba generalia, congrue, refertur ad exemptionem passivam.

§. 12. Parvique refert, quod Bulla Alexandri III. non solùm confirmaverit donationes antiquitùs factas Monasterio a Supremis Principibus, Comitibus, aliisque sæcularibus personis; sed ratam quoque habuerit cessionem juris Episcopalis primitus factam ab Episcopis Conversanis favore Monachorum, *sicuti habetur in eorum authenticis scriptis.* Quandoquidem cessio Juris Episcopalis, cum suaptè natura non secum ferat omnimodam, plenariam, & effrenatam abdicationem a donantibus in donatarios totius auctoritatis, & jurisdictionis Ecclesiasticæ in Populum, & Clerum exercendæ, ad quem effectum verba deberent esse clara, & expressa; ratio juris suadet, per hujusmodi donationem nihil aliud transfusum fuisse in Abbatem, præterquam aliquam Juris Episcopalis partem, cohærentem, & consentaneam soli exemptioni passivæ, & in majus dictæ exemptionis incrementum cessuram.

Confirmatio Apostolica in forma communi nihil addit.

§. 13. Neque huic interpretationi ea adversatur animadversio, quod idem Alexander Papa III. confirmavit cessionem juris Episcopalis, aliasque donationes, relative ad documenta, quæ *in Monachorum authenticis scriptis contineri* ferebantur: quia documenta hujusmodi neque examinata, neque Pontifici exhibita, neque in Bulla Alexandrina de verbo ad verbum, ut opus erat, expressa fuerunt; ideoque cum illa apud Monachos, antiquitatis offusa tenebris, perpetuò consepulta jacuerint; palam fit, Literas Apostolicas prædicti Alexandri non egredi limites confirmationis Apostolicæ *in forma communi*, nullamque ex eadem confirmatione erui posse activæ jurisdictionis probationem.

Idem Alexander, ciusque Successores, suam mentem factis declarant.

§. 14. Cæterùm ubi etiam donationes fuissent ab eodem Alexandro recognitæ, specialiter approbatæ, & in suis literis expressæ, nihilominus claris ostenditur argumentis, alienam fuisse a voluntate Pontificis quamcumque activi juris Episcopalis ademptionem, & imminutionem. Etenim proponente Episcopo Conversano paulò post querelam ereptæ sibi jurisdictionis Ordinariæ in Oppido Putiniani ab Abbate Benedictino eam sibi vindicante obtentu dictæ confirmationis Apostolicæ, præfatus Alexander Prædecessor, datis opportunè literis Episcopis Vigilensi, & Tranensi, non solùm declaravit, nullum se auctoritati Episcopi Conversani irrogare voluisse præjudicium, sed etiam ad sarcienda illata illius dignitati dispendia ab Abbate Benedictino, mandavit eisdem Episcopis, ut, causâ judicialiter cognitâ, & instructâ, acta conficerent, & confecta Curiæ Romanæ remitterent. Successivè verò alii Pontifices Clemens, & Cœlestinus III., necnon Cardinalis Rogerius Romanæ Sedis Legatus, jurium Episcopalium vindices, unanimi sensu decreverunt, redintegrandum esse Episcopum in ablatæ jurisdictionis possessione, atque Ecclesiastico jure, & auctoritate in ea confovendum.

Ex dictis infertur, solam exemptionem passivam Monachis competiisse.

§. 15. Hæc autem illustria, & antiqua gestarum rerum monumenta demonstrant, privilegia ab Alexandro III. Monasterio concessa secumferre nudam passivæ exemptionis prærogativam, tam respectu Monasterii præfati, & Ecclesiarum ab eo dependentium, quam respectu Clericorum, & Sæcularium Monachis inservientium, firma tamen perseverante, & immota in Episcopo jurisdictione activa in Oppido *Putiniani*; ac proinde illam, utpotè a Monachis non acquisitam, per unionem factam a Joanne XXII., in Religionem Hierosolymitanam transfundi non potuisse. Et licet superius relata monumenta temporum injuria interciderunt; satis tamen visum est ea relata fuisse a Sententia promulgata a bon. mem. Cœsare Lambertino Episcopo Insulano, ad hanc litem dirimendam, ut superiùs dictum est, delegato à Leone X. Prædecessore nostro. Nam eximii hujus Præsulis, moribus integerrimi, & juris Canonici consultissimi, tum ob ejus dignitatem, tum ob vitæ probitatem, doctrinæque præstantiam, & generis nobilitatem, in re antiqua, & longè a memoria hominum remota, tanti facienda visa est auctoritas, ut ob illius testimonium, etiam deperditis actis,

Ideo nihil ultra in Relig. Hierosol. potuisse transfundi.

Standum testimonio Judicis omni except. majoris, præsertim in antiquis.

quibus

quibus sententia nitebatur, post longum temporis cursum fides adjungi deberet.

Immediata subjectio S. Sedi solam importat exemptionem passivam.

§. 16. Demum ad comprobandam passivæ dumtaxat exemptionis concessionem confert ipsa forma literarum Joannis XXII., qui, unione & incorporatione dicti Monasterii Sancti Stephani Religioni Hierosolymitanæ ex Apostolica benignitate factâ, & concessâ, una cum membris, Capellis, pertinentiis, juribus, & jurisdictionibus, Pontificiam concessionem, & Apostolicum privilegium non alia designavit nuncupatione, quàm *immediatæ subjectionis Sanctæ Romanæ Sedi*; quæ sanè verba soli congruunt exemptioni passivæ, non autem juri activo, & separationi Territorii.

Tenor sententiæ pro Episcopo Conversano.

§. 17. His igitur, aliisque rationum momentis maturè, seduloque perpensis; diligenterque auditis, quæ fuerunt hinc inde proposita; inspectis etiam omnibus causæ instrumentis, penitusque consideratis; diligenti præterea habito tractatu cum præfatis Causarum Palatii nostri Auditoribus, ut compositis omnibus dissidiis, tandem, benedicente Domino, oriatur abundantia pacis, & ut Conversanæ Ecclesiæ jura a moderno Episcopo, quibuscumque postpositis humanis rationibus, magnaque sui nominis laude strenuè constanterque propugnata, salva in posterum, & illæsa consistant; decernendo pronunciamus, & pronunciando decernimus, jurisdictionem Ordinariam, & Episcopalem in Ecclesias, Clerum, & Populum universum dicti Loci, seu Terræ *Putiniani* Conversanæ Diœcesis, competere Episcopo Conversano, non autem Bajulivo Sancti Stephani, Magno Magistro, Fratribus, aut Hospitali S. Joannis Hierosolymitani; quorum favore dominium dumtaxat, & alia bona, & jura temporalia super dicto loco, & Populo, etiam quoad Decimas, quamvis spirituales, per Bajulivos ab immemorabili retro tempore percipi solitas, &, juxta mentem dicti Joannis XXII., in publicam causam erogandas; cum obligatione tamen præstandi Parocho ejusdem Terræ Congruam annuorum ducatorum centum, juxta resolutionem alias captam Anno Domini 1713., & 1715. super eâdem Congrua a Congregatione S. R. E. Cardinalium negociis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum; Apostolica auctoritate confirmamus, & approbamus.

Quænam competant Bajulivo S. Stephani, & Militiæ Hierosolym.

§. 18. Ut autem sententia, & decretum nostrum debitæ executioni demandetur, atque hæc antiquissima lis, & controversia nullo amplius tempore in posterum excitari, & renovari possit, Magistro, & Fratribus dicti Hospitalis, necnon Bajulivis dicti Bajulivatus S. Stephani prope Monopolim, nunc, & pro tempore existentibus, in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipimus, & mandamus, ut suo jure contenti, idest Dominio temporali dictæ Terræ, seu Oppidi Putiniani, aliorumque bonorum, & jurium similiter temporalium, quæ ad Abbatem, & Monachos unionis tempore pertinebant, necnon etiam Decimis, quæ hactenus ab ipsis Bajulivis percipi consueverunt, cum onere tamen solvendi Parocho, seu Archipresbytero ejusdem Terræ pro sua Congrua annuam summam ducatorum centum monetæ illarum partium; ac denique passiva exemptione quoad ipsos Bajulivos, eorumque domos, Cappellas, & Ecclesias, si quæ sint in dicta Terra, seu Oppido Regulares, aliasque personas tribus requisitis pollentes, ad formam Sacri Concilii Tridentini, & privilegiorum generalium dicto Hospitali Sancti Joannis, ejusque fratribus, & inservientibus concessorum per diversos Romanos Pontifices Prædecessores Nostros; nullum de cætero Ordinariæ, & Episcopalis jurisdictionis actum in Ecclesias tam Curatas, quàm non Curatas, Clerum & populum dictæ Terræ Putiniani, ejusque districtus, & Territorii, exercere audeant, seu præsumant; & multò minus directè, vel indirectè impedire, quominus nunc, & pro tempore existentes Episcopi Ecclesiæ Conversanæ prædictam jurisdictionem, omnesque actus ad illam quoquo modo pertinentes, per se, vel per alios, in dictas Ecclesias, Clerum, & populum liberè exerceant: Quod si secus directè, vel indirectè per nunc, & pro tempore existentes Bajulivos dicti Bajulivatus S. Stephani factum fuerit, pœnam excommunicationis latæ sententiæ, à qua solùm à Nobis, & Successoribus Nostris, præterquam in mortis articulo, absolvi possint, necnon privationis ejusdem Bajulivatus, omniumque aliarum Dignitatum, & Commendarum, sive de justitia, sive de gratia per eos quomodocumque obtentarum, & perpetuæ incapacitatis, sive inhabilitatis ad alias Dignitates, & Commendas in posterum obtinendas, ipso jure, & ipso facto, absque ulla præcedenti Judicis declaratione, incurrant; itaut alii Milites proximè, ac deinceps sequentes in ordine Antianitatis, servatâ in reliquis forma Statutorum, & Constitutionum ipsius Hospitalis, Bajulivatum, aliasque Dignitates, & Commendas per hujusmodi privationem, ut præfertur, vacantes, statim optare, atque obtinere possint, & debeant.

Præceptum de servandis limitibus exemptionis passivæ hic præscriptis, deque Episcopi jurisdictione non turbanda.

Pœnæ per contraventores incurrendæ.

Donationes, & assertæ confirmationes, ad cautelam, annullantur.

§. 19. Nos enim omninò volumus, quod Bajulivi, & Fratres dicti Hospitalis in dicta Episcopali, & Ordinaria jurisdictione in Terra Putiniani, ejusque Districtu, & Territorio, annexis, & connexis, nullo pacto in posterum se immisceant; & propterea, ad majorem cautelam, antiquas donationes Leonis, & aliorum Episcoporum, & assertas confirmationes Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, & præsertim Alexandri III., prout etiam Literas primodictas Joannis XXII., pro eo, quod attinet ad dictam jurisdictionem Ordinariam, & Episcopalem, motu proprio, & ex certa scientia, & de Apostolicæ plenitudine potestatis ex toto revocamus, abolemus, & annullamus, & solùm in reliquis in suo robore, & firmitate manere decernimus; &, quatenus per eas, vel alio quocumque modo tam deducto, quàm non deducto, dicta jurisdictio Episcopalis, & Ordinaria ab Episcopis avulsa, & in Monachos, & Abbatem dicti Monasterii Sancti Stephani, vel deindè in Magistrum, & Fratres dicti Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani quomodocumque, & qualitercumque translata fuisset; per præsentes nostras Literas eamdem Ordinariam, & Episcopalem jurisdictionem in Ecclesias, Clerum, & Populum dictæ Terræ Putiniani, motu, scientia, & potestate simili, à Magno Magistro, Fratribus, & Hospitali præfatis penitus penitusque avellimus, & Episcopis Ecclesiæ Conversanæ, prout antea de jure competebat, plenariè addicimus, & restituimus, eosque in illa plenissimè reintegramus, perindè ac si dictæ donationes, & Literæ Apostolicæ nunquam factæ, & concessæ fuissent.

Ef jurisdictio ordinaria à Fratribus Militibus avulsa, Episcopo restituitur.

Executores deputantur, tum facultatibus &c.

§. 20. Quo circa Venerabilibus Fratribus Tranensi, & Barensi Archiepiscopis, ac dilectis Filiis Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, ac Nostro & Sedis Apostolicæ Nuncio in Regno Neapolitano commoranti, ipsique Magno Magistro, & Fratribus præfati Hospitalis S. Joannis nunc, & pro tempore existentibus, motu simili per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Episcopi requisiti fuerint, solemniter publicantes, eique in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem præsentes, & in eis contenta hujusmodi, à Bajulivis dicti Bajulivatus S. Stephani, aliisque Fratribus dicti Hospitalis, necnon

Clero, & Populo præfati Oppidi, seu Terræ Putiniani nunc, & pro tempore existentibus, cæterisque omnibus, inviolabiliter observari; non permittentes eum, ejusque in Episcopatu Successores, desuper per quoscumque quomodolibet indebitè molestari; Contradictores quoslibet, & rebelles, per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, postpositâ quacumque appellatione, & recursu, etiam ad Sedem Apostolicam, compescendo; ac, servata forma Concilii Tridentini, sententias, censuras, & pœnas hujusmodi incurrisse declarando, ac etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

Derogatur litis pendentiæ, juri quæsito, privilegiis, statutis &c.

§. 21. Non obstantibus præmissis, & præsertim lite hactenus pendente in Auditorio nostri Palatii, cujus litis statum, & merita, & alia quæcumque etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes; necnon Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo; privilegiis, & indultis à Sede præfata hactenus concessis Hospitali, & Fratribus prædictis; ejusque Statutis, & Ordinationibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis; & quibusvis aliis Literis, Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam in Conciliis Generalibus, etiam consistorialiter, & motu, scientia, ac potestatis plenitudine similibus, ac aliàs quomodolibet etiam per Nos pluries concessis, approbatis, & innovatis; quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione aliàs de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, aut aliqua alia exquisita forma habenda foret, latissimè, & plenissimè, ac specialiter, & expresè, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque: aut si prædictis Bajulivis, & Fratribus Hospitalis præfati, seu aliquibus aliis communiter, aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem.

Transumptis auctoritas tribuitur.

§. 22. Volumus autem, ut earumdem Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides ubique locorum, tam in Judicio, quàm extra illud, habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio.

§. 23. Nulli ergo omninò hominum liceat, hanc paginam nostræ sententiæ, decreti, constitutionis, declarationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 14. Mart. 1743.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem pridie Idus Martii, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo tertio, Pontificatus Nostri Anno Tertio.

P. Card. Pro-Datarius.

D. Card. Passionеus.

VISA DE CURIA.

N. Antonellus.

Loco ✠ Plumbi.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

Electio, seu Postulatio duorum Patriarcharum Maronitarum ab Antistibus illius Nationis dissidentibus facta, cassatur, & annullatur, reservata S. Sedi Patriarchalis Ecclesiæ provisione.

LXXVII.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Recursus à Maronitis habitus ad Sanctam Sedem occasione schismatis inter eos orti.

QUOD non humanâ, sed divinâ decretum est sententiâ à Numidiæ Antistitibus antiquæ traditionis exempla servantibus, & Ecclesiasticæ memoribus disciplinæ, ut ad Apostolicæ hujus Sanctæ Sedis referretur judicium, quidquid, quamvis de disjunctis, remotisque Provinciis, ageretur; nec prius ducerent finiendum, nisi ad ejusdem Sedis notitiam perveniret, ut tota hujus auctoritate, quæ fuerit justa pronuntiatio, firmaretur; id sæpè aliàs, & nuper ab inclyta Maronitarum de orthodoxa Fide, & obedientia eidem Apostolicæ huic Sanctæ Sedi debita semper tantopere meritorum Natione præstitum est, cum post obitum bonæ memoriæ Josephi Petri, dum viveret, Antiocheni ejusdem Nationis Patriarchæ, extra Romanam Curiam universæ carnis ingressi, scissuris, & dissensionibus ob duorum Patriarcharum electiones exortis, ad nos ambo Electi appellantes, Pallio etiam donari postularunt. Enimverò sex quidem ex una parte convenientes Antistites Venerabilem Fratrem Eliam Archiepiscopum Arcensem, pauci verò alii ex parte altera Venerabilem pariter Fratrem Tobiam Archiepiscopum Napolosiæ, seorsim diversis in locis, in Patriarcham hujusmodi eligere ausi fuerunt. Ambo igitur, ut præmittitur, Electi, sive Postulati prætensi Patriarchæ ad Nos, & Apostolicam Sedem recursum habentes, enixis precibus rogarunt, ut cujusque electionem approbare, ratam habere, & confirmare, atque Pallium etiam transmittere de benignitate, & potestate Apostolica dignaremur.

Causa delegatur Cong. part. de Propag. Fide.

§. 1. Quoniam autem Nos, ut in causa tanti momenti eâ, qua decet, maturitate procederetur, utramque electionem, seu postulationem particulari Congregationi nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum discutiendam, examinandamque commisimus; & Cardinales dictæ particularis Congregationis, postquam Viros ab Electis prædictis missos, ac defensores plenè audivissent, omnesque scripturas pro utraque parte productas recognovissent, coram Nobis congregati, attentis peculiaribus, & gravibus nullitatibus in utraque electione repertis, per concordia suffragia, & vota censuerunt, neutram electionem, seu postulationem sustineri debere, neque locum esse alterutrius sanationi; sed utramque electionem, sive postulationem nullam, irritam, nullius roboris, ac momenti esse, ac fore, declarari, & haberi; ac proinde Patriarchali Ecclesiæ hujusmodi ex integro, juxta Sacros Canones, atque inconcussum Apostolicæ Sedis prædictæ in similibus casibus stylum, provideri debere de persona Nobis benevisa, & quatenus provisionem hujusmodi de aliquo Antistite cuicumque Ecclesiæ addicto faceremus, hanc, prævia solutione vinculi Ecclesiæ, quo tenetur, fieri debere.

Congregationis consilium.

Pontifex, illi inhærendo, utramque electionem, seu postulationem, nullam declarat.

§. 2. Hinc est, quod Nos, quos tam paterna caritas, qua Nationem hujusmodi maximoperè diligimus, & amplius complecti cupimus, quàm Apostolica omnium Ecclesiarum sollicitudo à Pastorum Principe Jesu Christo Nobis injecta vehementiùs urget, de memoratæ Congregationis consilio, necnon motu proprio,

&

& ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, utramque tam Eliæ Archiepiscopi Arcen. à sex Antistitibus, quàm Tobiæ Archiepiscopi Napolosiæ à paucis factam electionem, sive postulationem, nullam, irritam, & inanem, ac nullius roboris, & momenti esse, & fore, nullique eorum suffragari debere declaramus, annullamus, irritamus, & cassamus, atque utramque de utroque electionem, sive postulationem habitam, & factam, perinde haberi debere in omnibus, & per omnia, ac si minimè, & numquam habita, & facta fuisset, pariter decernimus, præcipimus, & declaramus; ipsamque Ecclesiam Patriarchalem adhuc eo, quo ante electionem, sive postulationem prædictam, per obitum dicti Josephi Petri, vacabat, modo vacare; nullumque jus, & auctoritatem per electionem, sive postulationem antedictam utrique prætenso Electo, sive postulato acquisitum, sive acquisitam esse, & fore, ac irritum, & inanem, nulliusque roboris, ac momenti quemcumque actum per ipsos prætensos Electos, & Postulatos, sive factum, aut faciendum, quemadmodum etiam alterum eorum in iis omnibus, & singulis ad Patriarchalem potestatem, & auctoritatem spectantibus sese ingerere, & intromittere audentem, ipso facto pœnis omnibus contra non parentes mandatis Apostolicis per Sacros Canones inflictis, & indignationi nostræ obnoxium esse, ac fore, easque incurrere, & incursum esse, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus decernimus, statuimus, & declaramus; ipsiusque Patriarchalis Ecclesiæ Antiochenæ Maronitarum ita, ut præmittitur, vacantis, collationem, provisionemque quandocumque faciendam, Nobis, & Apostolicæ Sedi prædictæ reservamus.

Prohibet, sub pœnis &c., ne electi in Patriarchatus Gubernio se ingerant.

Provisionem Ecclesiæ Patriarchalis sibi, & Sedi Apostolicæ reservat. Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ, propter quas præsentes emanarunt, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis justa, legitima, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari: sicque, & non aliter, in præmissis, per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & definiendi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quidquid secus super his à quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, ac Apostolicis, & in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon dictæ Patriarchalis Ecclesiæ etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Derogationes.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum auctoritas.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 13. Martii MDCCXLIII. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Dat. die 13. Mart. 1743.

D. Cardinalis Passionеus.

Maronitarum Patriarchalis Ecclesia Antiochena, auctoritate Apostolica, & jure devolutionis, providetur in personam Simonis Evodii Archiepiscopi Damasceni. LXXVIII.

Venerabili Fratri, Simoni Archiepiscopo Damasceno.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Pontifex refert cassationem duplicis electionis Patriarchæ, cum insertione Brevis.

NUPER ad Nos, & Apostolicam hanc Sanctam Sedem delatis scissuris, dissidiisque, propter electionem Patriarchæ Patriarchalis Ecclesiæ Antiochenæ Inclytæ Nationis Maronitarum, per obitum Josephi Petri, dum vixit, ejusdem Ecclesiæ Patriarchæ, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ persolverat, exortis, ad opportunum & salutare iisdem componendis, sedandisque remedium afferendum, dedimus alias nostras in pari forma Brevis Literas, tenoris sequentis: Benedictus Papa XIV. *Ad futuram &c.* Quod non humana &c. *ut supra num. LXXVII.*

Ecclesiæ vacanti præficit Archiepiscopum Damasc.

§. 1. Eapropter Nos ægrè ferentes Patriarchalem Ecclesiam prædictam Pastoris destitutam solatio, & tot, tantisque inter Hæreticos, Schismaticos, Mahumetanos, & Infideles, veluti Rosam inter Spinas, circumdatam angustiis & calamitatibus, amplius vacare, ad provisionem ejusdem Patriarchalis Ecclesiæ Antiochenæ celerem & felicem, ne Ecclesia ipsa Antiochena majoribus longæ vacationis exponatur incommodis, & dissidiis, paternis & sollicitis studiis intendentes, ac perspectam habentes notitiam de eximiis virtutibus Fraternitatis tuæ in tua ad Archiepiscopatum Damascenum promotione plurimi habitis, necnon quod Tu Venerabilium Fratrum Nationis Maroniticæ Antistitum Decanus sis, & apud Nos plurimorum fide dignorum testimonio commenderis, postquam de præficiendo eidem Ecclesiæ Antiochenæ prædictæ Nationis personam utilem, ac etiam fructuosam, cum iisdem Cardinalibus dictæ Congregationis particularis deliberationem habuimus diligentem, Te a quibusvis excommunicationis, sus-

pensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad hoc dumtaxat, ut translatio & præfectio per Nos, ut infra, facienda, necnon præsentes suum sortiantur effectum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, ac a vinculo, quo dictæ Ecclesiæ Damascenæ, cui præes, teneris, de simul consilio & Apostolicæ potestatis plenitudine absolventes, ad eamdem Ecclesiam Antiochenam Nationis præfatæ, de consilio, & potestatis plenitudine paribus, transferimus, Teque illi in Patriarcham ejusdem Nationis præficimus, & Pastorem; curam, regimen, & administrationem dictæ Ecclesiæ Antiochenæ Nationis prædictæ Tibi in spiritualibus, & temporalibus plenariè committendo; atque etiam non solum liberam Tibi ad Patriarchalem Ecclesiam præfatam transeundi licentiam tribuimus, sed etiam in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub indignationis nostræ, aliisque arbitrio nostro imponendis pœnis, præcipimus & mandamus, ut Patriarchalis Ecclesiæ hujusmodi possessionem, statim ac præsentes nostræ Literæ ad Te pervenerint, nulla interposita mora, adeas, & capias, atque omnia, & singula jura, auctoritatem, potestatem, præeminentiam, prærogativas, jurisdictionem, privilegia, aliaque hujusmodi ad Patriarcham dictæ Patriarchalis Ecclesiæ pro tempore existentem quomodolibet spectantia, & quibus alii Patriarchæ Ecclesiæ præfatæ Prædecessores tui de jure, usu, & consuetudine, usi, gavisi, & fruiti, fuerunt, pari modo exerceas, ac iis utaris, fruaris, & gaudeas: In illo, qui dat gratias, & largitur præmia, confidentes, quod, dirigente Domino actus tuos, prædicta Ecclesia Antiochena Nationis ejusdem sub tuo felici regimine regetur utiliter, & prosperè dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus, & temporalibus suscipiet incrementa.

Ab Ecclesiæ Damascenæ vinculo absolutum.

Cum præcepto de capienda possessione.

§. 2. Tu igitur ad eamdem Patriarchalem Ecclesiam Antiochenam Nationis præfatæ cum gratia nostræ benedictionis accedens, curam, & administrationem prædictas sic exercere studeas fideliter, sollicitè, & prudenter, quod Ecclesia ipsa Antiochena dictæ Nationis, Gubernatori provido, & fructuoso administratori gaudeat se commissam, Tuque præter æternæ retributionis præmium, nostram, & dictæ Sedis benedictionem, ac gratiam exinde uberiùs consequi merearis.

Eundem hortatur ad Pastoralis muneris impiementum.

§. 3. Quocirca eisdem Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis Suffraganeis, ac dilectis pariter filiis Capitulo, & Vassallis Ecclesiæ Antiochenæ Nationis præfatæ, ac Clero sæculari, & Regulari, etiam Societatis Jesu, & Populo Civitatis, ac Diœcesis Antiochenæ ejusdem Nationis, per Apostolica scripta mandamus, ut Suffraganei Tibi tamquam membra capiti obsequentes, & Capitulum Tibi tamquam Patri, & Pastori animarum suarum humiliter intendentes, exhibeant Tibi obedientiam, & reverentiam debitas, & devotas; ita quod mutua inter Te, & ipsos Suffraganeos gratia gratos sortiatur effectus, & Nos eorum devotionem possimus propterea in Domino meritò commendare; ac Clerus Te, pro nostra & ejusdem Sedis reverentia, benignè recipientes, & honorificè pertractantes, tua salubria monita, & mandata suscipiant humiliter, & efficaciter adimplere procurent; Populus verò Te tamquam Patrem, & Pastorem animarum suarum devotè suscipientes, & debita honorificentia prosequentes, tuis monitis, & mandatis salubribus humiliter intendant; ita quod Tu in eis devotionis Filios, & ipsi in Te per consequens Patrem benevolum inveniisse gaudeatis: Vassalli autem prædicti Te debito honorè prosequentes, Tibi fidelitatem solitam, ac consueta servitia, & jura Tibi ab eis debita integrè exhibere procurent; alioquin sententiam, sive pœnam, quam rite tuleris sive statueris in rebelles, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Præcipit Episcop. Suffrag., Clero, Populo, & Vassallis, ut novum Patriarcham agnoscant, eique obsequantur.

§. 4. Volumus autem, quod Tu, antequam regimini, & administrationi dictæ Patriarchalis Ecclesiæ Antiochenæ Nationis præfatæ Te in aliquo immisceas, in manibus alicujus Catholici Antistitis gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentis, & in illis partibus degentis, Fidei Catholicæ professionem a Sede prædicta Orientalibus præscriptam, juxta unam, expressè emittere; & fidelitatis debitæ solitum juramentum, juxta alteram, formas præsentibus adnotatas, præstare omnino tenearis, ac Professionis Fidei, quam emiseris, & juramenti hujusmodi, quod præstaveris, formas eidem Congregationi de Propaganda Fide de verbo ad verbum per tuas patentes literas tuo sigillo munitas, per proprium Nuntium quantocitius destinare procures.

Mandat Electo, ut Fidei Professionem emittat, & juramentum fidelitatis præstet.

§. 5. Forma autem Professionis Fidei, quam emittes, hæc est: *Ego Simon Electus Patriarchalis Ecclesiæ Antiochenæ Nationis Maronitarum firma fide credo, & profiteor omnia & singula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem, Factorem Cæli, & Terræ, visibilium omnium, & invisibilium; & in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei Unigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, qui propter Nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cælis, & incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est, crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est, & resurrexit tertia die secundum scripturas, & ascendit in Cælum, sedet ad dexteram Patris, & iterum venturus est cum gloria judicare vivos & mortuos, cujus Regni non erit finis: Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit, qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas: & unam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam; confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum; & expecto resurrectionem mortuorum; & vitam venturi sæculi. Amen: Veneror etiam, & suscipio universales Synodos, prout sequitur, videlicet: Nicænam primam, & profiteor, quod in ea contra Arium damnatæ memoriæ definitum est, Dominum Jesum Christum esse Filium Dei ex Patre natum unigenitum, idest ex substantia Patris natum non factum, consubstantialem Patri, atque impias illas voces rectè in eadem Synodo damnatas esse, quod aliquando non fuerit, aut quod factus sit ex iis, quæ non sunt, aut ex alia substantia, vel essentia, aut quod sit mutabilis, vel convertibilis Filius Dei; Constantinopolitanam primam, secundam in ordine, & profiteor, quod in ea contra Macedonium damnatæ memoriæ definitum est, Spiritum Sanctum non esse servum, sed Dominum, non Creaturam, sed Deum, ac unam habentem cum Patre, & Filio Deitatem; Ephesinam primam, tertiam in ordine, & profiteor, quod in ea contra Nestorium damnatæ memoriæ definitum est, Divinitatem, & Humanitatem, ineffabili & incomprehensibili unione, in una persona Filii Dei unum nobis Jesum Christum constituisse, eaque de causa Beatissimam Virginem verè esse Dei Genitricem; Calcedonensem, quartam in ordine, & profiteor, quod in ea contra Eutychen, & Dioscorum, ambos damnatæ memoriæ definitum est, unum eumdemque Filium Dei Dominum Nostrum Jesum Christum perfectum esse in Deitate, & perfectum in Humanitate, Deum verum, & hominem verum ex anima rationali, & corpore, consubstantialem Patri*

Forma Professionis Fidei.

secundum Deitatem, eumdem consubstantialem Nobis secundum Humanitatem, per omnia Nobis similem absque peccato, ante sæcula quidem de Patre genitum secundum Deitatem; in novissimis autem diebus eumdem propter Nos, & propter nostram salutem ex Maria Virgine Dei Genitrice secundum Humanitatem, unum, eumdemque Christum Filium Dominum Unigenitum in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indivisè, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unionem, magisque salva proprietate utriusque naturæ, in unam personam, atque substantiam concurrente, non in duas personas partitum, aut divisum, sed unum, eumdemque Filium, & Unigenitum Deum Verbum Dominum Jesum Christum: Item ejusdem Domini Nostri Jesu Christi Divinitatem, secundum quam consubstantialis est Patri, & Spiritui Sancto, impassibilem esse, & immortalem, eumdem autem crucifixum, & mortuum tantummodo secundum carnem, ut pariter definitum est in dicta Synodo, & in Epistola S. Leonis Romani Pontificis, cujus ore B. Petrum Apostolum locutum esse Patres in eadem Synodo acclamaverunt, per quam definitionem damnatur impia hæresis illorum, qui Trisagio ab Angelis tradito, & in præfata Calcedonensi Synodo decantato, Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis miserere Nobis, addebant, qui crucifixus es pro Nobis, atque adeo divinam naturam trium Personarum passibilem asserebant, & mortalem; Constantinopolitanam secundam, quintam in ordine, in qua præfatæ Calcedonensis Synodi definitio renovata est; Constantinopolitanam tertiam, sextam in ordine, & profiteor, quod in ea contra Monothelitas definitum est, in uno, eodemque Domino Nostro Jesu Christo duas esse naturales voluntates, & duas naturales operationes indivisè, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfusè, & humanam ejus voluntatem non contrariam, sed subjectam Divinæ ejus, atque omnipotenti voluntati; Nicænam secundam, septimam in ordine, & profiteor, quod in ea contra Iconoclastas definitum est, Imagines Christi, ac Deiparæ Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, & venerationem impertiendam; Constantinopolitanam quartam, octavam in ordine, & profiteor in ea Photium meritò fuisse damnatum, & Sanctum Ignatium Patriarcham restitutum; Veneror etiam, & suscipio omnes alias universales Synodos auctoritate Romani Pontificis legitimè celebratas, & confirmatas, & præsertim Florentinam Synodum, & profiteor, quæ in ea definita sunt, videlicet, quod Spiritus Sanctus ex Patre & Filio æternaliter est, & essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul & Filio, & ex utroque æternaliter, tamquam ab uno principio, & unica spiratione procedit; item dictionem illam Filioque, veritatis declarandæ gratia, & imminente necessitate, licitè, ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam. Item in Azymo, sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici, Sacerdotesque in altero ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ, sive Occidentalis, sive Orientalis, consuetudinem. Item si verè pœnitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, & omissis, eorum animas pœnis Purgatoriis post mortem purgari, & ut a pœnis hujusmodi releventur, prodesse eis Fidelium vivorum suffragia; Missarum scilicet Sacrificia, Orationes, & Eleemosynas, ac alia pietatis officia, quæ a Fidelibus pro aliis Fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiæ institutum; illorumque animas, qui post Baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ, sunt purgatæ, in Cœlum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum Trinum & Unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius; illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in Infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas. Item Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum Orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum Successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, ac omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere, & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam a Domino Nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam, ut eadem Florentina Synodus asserit, in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur. Item legalia veteris Testamenti, seu Mosaycæ Legis Cæremonias, sacra Sacrificia, & Sacramenta, Domino Jesu Christo adveniente cessasse, & post promulgatum Evangelium sine peccato observari non posse; ejusdem etiam Legis veteris ciborum mundorum, & immundorum differentiam ad cæremonialia pertinere, quæ surgente Evangelio transierunt: Illam etiam Apostolorum prohibitionem ab Immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, illi tempori congruisse, ut inter Judæos, & Gentiles dissensionis materia tolleretur, cujus Apostolicæ prohibitionis causa cessante, etiam cessavit effectus. Pariter veneror, & suscipio Tridentinam Synodum, & profiteor, quæ in ea definita, & declarata sunt, & præsertim offerri Deo in Missa verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium, pro vivis, & defunctis, atque in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, juxta fidem, quæ semper in Ecclesia Dei fuit, contineri verè, realiter, & substantialiter Corpus, & Sanguinem, unà cum Anima, & Divinitate Domini Nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum, fierique conversionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia aptissimè Transubstantiationem appellat, & sub unaquaque specie, & singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri. Item septem esse novæ Legis Sacramenta a Christo Domino Nostro instituta ad salutem humani generis, quamvis non omnia singulis necessaria, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre, & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem iterari non posse. Item Baptismum esse necessarium ad salutem, ac proinde, si mortis periculum immineat, mox sine ulla dilatione conferendum esse, & a quocumque, & quandocumque sub debita materia, & forma, & intentione collatum, esse validum. Item Sacramenti Matrimonii vinculum indissolubile esse, & quamvis propter adulterium, hæresim, aut alias causas possit inter Conjuges Thori, & Cohabitationis separatio fieri, non tamen illis aliud Matrimonium contrahere fas esse. Item Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones suscipiendas esse, & venerandas. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo Ecclesiæ relictam fuisse, illarumque usum Christiano Populo maximè salutarem esse. Pariter quæ de peccato originali, de justificatione, de sacrorum Librorum, tam veteris, quam novi Testamenti indice, & interpretatione in præfata Tridentina Synodo definita sunt, suscipio, & profiteor. Cætera item omnia suscipio, & profiteor, quæ recipit, & profitetur Sancta Romana Ecclesia, simulque contraria omnia, & Schismata, & Hæreses ab eadem Ecclesia damnatas, rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, & anathematizo. Insuper Romano Pontifici Beati Petri Principis Apostolorum Successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac juro. Hanc fidem Catholicæ Ecclesiæ, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram, & inviolatam usque ad extremum vitæ spiritum, constan-

constantissimè, Deo adjuvante, retinere, ac confiteri, atque a meis Subditis, vel illis, quorum cura ad me in meo munere spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem Simon Electus, qui supra, spondeo, voveo, & juro, sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Forma Juramenti fidelitatis.

§. 6. Forma verò juramenti, quod præstabis, hæc est: *Ego Simon Electus Patriarchalis Eccl siæ Antiochenæ Nationis Maronitarum ab hac hora in antea fidelis & obediens ero Beato Petro, Sanctæque Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, ac Domino Nostro Domino Benedicto PP. XIV., suisque Successoribus canonicè intrantibus; non ero in consilio, aut consensu, vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, seu capiantur mala captione, aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur, seu injuriæ aliquæ inferantur, quovis quæsito colore: consilium verò, quod mihi crediturі sunt per se, aut Nuntios, seu Literas, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam: Papatum Romanum, & Regalia Sancti Petri, adjutor eis ero ad defendendum, & retinendum contra omnem hominem: Legatum Apostolicæ Sedis in eundo, & redeundo honorificè tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo: jura, honores, privilegia, & auctoritatem Romanæ Ecclesiæ, Domini Nostri Papæ, & Successarum præfatorum conservare, defendere, augere, & promovere curabo; nec ero in consilio, facto, vel tractatu, in quibus contra ipsum Dominum Nostrum, vel eamdem Romanam Ecclesiam aliqua siniſtra, vel præjudicialia personæ, honoris, juris, status, & potestatis eorum machinentur, & si talia a quibuscumque procurari novero, vel tractari, impediam hoc pro posse, & quanto citius potero commodè significabo eidem Domino Nostro, vel alteri, per quem ad ipsius notitiam poterit pervenire: Regulas Sanctorum Patrum, Decreta, Ordinationes, sententias, dispositiones, reservationes, provisiones, & mandata Apostolica totis viribus observabo, & faciam ab aliis observari: Hæreticos, & Schismaticos, ac Rebelles Domino Nostro, & Successoribus præfatis pro posse persequar, & impugnabo; vocatus ad Synodum veniam, nisi præpeditus fuero canonica præpeditione: Apostolorum limina singulis decenniis personaliter, ac per me ipsum visitabo, & Domino Nostro, & Successoribus præfatis rationem reddam de toto meo Pastorali Officio, deque rebus omnibus ad Ecclesiæ meæ statum, ad Cleri, & Populi disciplinam, animarum denique, quæ meæ fidei creditæ sunt, salutem quoquomodo pertinentibus, & vicissim Mandata Apostolica præfata humiliter recipiam, & quam diligentissimè exequar: Quod si legitimo impedimento detentus fuero, præfata omnia adimplebo per certum Nuntium ad hoc speciale mandatum habentem, de gremio Capituli mei, aut alium in dignitate Ecclesiastica constitutum, seu aliàs Personatum habentem, aut his mihi deficientibus, per Diœcesanum Sacerdotem, & Clero deficiente, omnino per aliquem alium Presbyterum Sæcularem, vel Regularem spectatæ probitatis, & Religionis de supradictis omnibus plenè instructum; de hujusmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Proponentem in Congregatione Sacri Concilii Tridentini per supradictum Nuntium transmittendas; Possessiones verò ad Mensam meam pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque denuo infeudabo, vel aliquo modo, alienabo, etiam cum consensu Capituli Ecclesiæ meæ, inconsulto Romano Pontifice, & Constitutionem super prohibitione Investiturarum Bonorum Jurisdictionalium de Anno Domini milleſimo sexcenteſimo vigesimoquinto editam servabo, & si ad aliquam alienationem devenero, pœnas in quadam super hoc edita Constitutione contentas eo ipso incurrere volo: Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.*

De Pallio eidem concedendo.

§. 7. Cæterum Pallium, insigne videlicet plenitudinis Pontificalis Officii, de Corpore Beati Petri Apostoli sumptum, tunc ad Fraternitatem tuam, cum per tuum Nuntium, ea, qua decet, instantia postulatum fuerit, destinandum, transmittendumque mandabimus. Non obstantibus iis omnibus, quæ in præinsertis nostris literis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 16. Martii MDCCXLIII. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

D. Cardinalis Passioneus.

Dat. die 16. Mart. 1743.

Ad Maronitarum Nationem Commissarius Apostolicus ablegatur, pro præmissorum, aliorumque Apostolicæ Sedis mandatorum executione, cum facultatibus oportunis. LXXIX.

Dilecto Filio Jacobo à Luca, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum professori, Conventus Sancti Sepulchri, ejusque dependentium, Visitatori, ac Commissario Apostolico.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

De cassatione duplicis electionis Patriarchæ, & electione alterius auctoritate Apostolica; cum inserione Brevium.

NUPER ad sedandas, componendasque lites, scissuras, & controversias post bonæ memoriæ Josephi Petri, dum vixit, Antiocheni Nationis Maronitarum Patriarchæ obitum excitatas, ob electionem, seu postulationem duorum Patriarcharum ad Ecclesiam Patriarchalem dictæ Nationis factam, edidimus Apostolicas nostras in simili forma Brevis Literas ad Venerabilem Fratrem Simonem Archiepiscopum Damascenum datas, in quibus alias pariter nostras in pari forma Brevis literas ad futuram memoriam editas inseruimus; Ambarum autem Literarum tenor est, qui sequitur. *Venerabili Fratri Simoni &c. Nuper ad Nos &c. ut supra num.* LXXVIII. Præinsertarum autem Literarum exemplaria seorsim in Chartis Pergamenis scripta, & Annulo Piscatoris munita, cum hisce nostris conjuncta, ad te transmittenda mandamus, ut non solum, quæcumque in iisdem continentur, debitæ executioni demandari prudenter, fideliterque cures, verùm etiam quæcumque hisce nostris in pari forma Brevis à te peragenda in virtute sanctæ obedientiæ injungimus, omni studio, atque conatu conficere satagas.

Pro quorum executione Ablegatus S. Sedis, & Cõmissarius Apostolicus deputatur.

§. 1. Primum igitur omnium, Te, de cujus singulari fide, prudentia, sapientia, dexteritate, ac Religionis zelo plurimum in Domino confidimus, & ex eo præsertim, quod diu in istis regionibus, dum per plures annos in Sancta Hierosolymorum Civitate Conventus Ordinis tui Guardiani munus laudabiliter exercebas, commoratus, mores, idiomata, & instituta Nationis Maronitarum apprimè noveris, Nostro & Apostolicæ Sedis nomine, ad ea omnia, quæ in memoratis nostris præinsertis Literis continentur, peragenda, & conficienda, Ablegatum nostrum apud dictam Nationem, & Apostolicum Commissarium, cum omnibus, & singulis facultatibus ad hunc effectum necessariis, & opportunis, tenore, & auctoritate paribus facimus, constituimus, & deputamus.

Cum facultate compellendi contumaces.

§. 2. Præterea facultatem Tibi etiam tribuimus, & impertimur, contra quoscumque mandatis tuis Apostolica auctoritate nostra munitis non parentes, contumaces, & rebelles, sive Archiepiscopali, & Episcopali dignitate præditos, sive Clerum sæcularem, & regularem, etiam Societatis Jesu, necnon Sæculares, & Laicos quoscumque, cujusvis gradus, & conditionis, ac

digni-

dignitatis, procedendi, si opus fuerit, cum canonicis censuris, & pœnis, quas pariter à te inflictas auctore Domino ratas habebimus, & observari faciemus.

Eidem demandatur recuperatio, & executio mandatorum Sanctæ Sedis defuncto Patriarchæ direct.

§. 3. Insuper, quoniam Nos Apostolicas nostras in simili forma Brevis Literas, tum pro confirmatione Provincialis, seu Nationalis Synodi dictæ Nationis, tum pro nonnullis aliis Apostolicis ordinationibus occasione dictæ confirmationis necessariis, expeditas, dilecto Filio Eliæ Felici, qui à dicto Josepho Patriarcha, dum viveret, ad hanc Almam Urbem propter eandem confirmationem, & Apostolicas ordinationes hujusmodi missus fuerat, dedimus perferendas ad memoratum Josephum Petrum Patriarcham; hoc interea, dum dictus Missus esset in itinere, jam defuncto, Tibi committimus, & mandamus, ut omnes, & singulas Apostolicas Literas nostras hujusmodi, & Apostolicas ordinationes, necnon dictæ Congregationis Propagandæ Fidei Epistolas, & instructiones, tum ad ipsum defunctum Josephum Petrum Patriarcham, tum ad alios Antistites datas, & scriptas, ab eodem Elia Felice tibi restituendas, consignandasque nostro Nomine compellas & cogas; & eas, quæ quidem ad defunctum Patriarcham scriptæ erant, novo à nobis constituto, & deputato; quæ verò ad alios directæ, iis reddas, & debitæ executioni demandari cures & facias; etiam, si opus fuerit, facultate, & auctoritate Ablegati, & Commissarii Apostolici utendo contra rebelles, & contumaces, & Apostolicis mandatis non obtemperantes.

Aliæ facultates ad negocium conficiendū necessariæ ipsi tribuuntur.

§. 4. Verùm, ut ad optatum finem rem tanti momenti, & tam Inclytæ Nationi, orthodoxæ Fidei, & bonis moribus pernicioſam perducere valeas, summæ tuæ dexteritatis, prudentiæ, & zeli opus esse intelligentes, Te rogamus, & in Domino hortamur, ut omnem operam, & consilium hac in re adhibere adnitaris, nihil omittendo, quod ad facilem negotiorum Tibi commissorum expeditionem conducere noveris, tum propensiorem erga eam Nationem paternæ caritatis nostræ voluntatem explicando, tum Apostolicæ benignitatis argumenta eidem per Te, postquam Apostolicis mandatis, & ordinationibus nostris, ac præceptis tuis debitam, fidelemque præstiterint obedientiam, & non aliter, conferenda declarando.

I. Illæsa præservandi jura Nationis quoad electionem Patriarchæ.

§. 5. I. Ac primùm quidem declares oportet, Nos per hanc à Nobis factam novi Patriarchæ, ut præmittitur, electionem, deputationemque, nullum Antistitibus dictæ Nationis præjudicium illatum iri voluisse, sed, ut obortis dissidiis Nationem ipsam distrahentibus opportunè consuleremus, suprema Nostræ potestatis Apostolicæ auctoritate in appellationibus præsertim ad eamdem Sedem delatis canonicè, ac necessariò interponenda utentes, novum Patriarcham elegisse, nec propterea jus eligendi, sive postulandi Patriarcham hujusmodi, juxta eorum morem, Antistitibus dictæ Nationis sublatum esse; imò Nos velle, & mandare, ut omnia in posterum, quæ à laudatâ Synodo à nobis approbatâ, & confirmatâ, sunt, circa Patriarchæ electionem præscripta, ab ipsis Antistitibus servari debeant.

II. Absolvendi à censuris, & dispensandi super irregularitate incursis.

§. 6. II. Tibi à Nobis omnem facultatem impertitam esse absolvendi à censuris omnibus, & dispensandi à quibusvis irregularitatibus, ob celebrationem cum censuris, forsan, occasione dictarum electionum, & ob excessus, etiam cum oneratione potestatis Ecclesiasticæ, & usu potestatis Laicæ, commissos, contractis, & incursis.

III. Sanandi actuum, & expeditionū nullitates.

§. 7. III. Facultatem Tibi pariter concessam Apostolica auctoritate sanandi omnes, & singulos actus, & Patriarchales expeditiones, ab utroque prætenso Electo, ad usque denunciationis, & intimationis Apostolicæ provisionis nostræ diem, peractos, & peractas.

IV. Condonandi exactiones pecuniarum, non tamen Sed Patriarchali debitarum.

§. 8. IV. Facultatem similiter tributam remittendi, & condonandi omnes pecuniarum, quæ ad Patriarchas spectabant, exactiones, ab utroque prætenso Electo quomodolibet factas; ita tamen, ut, quoad pecunias quidem ad Patriarcham spectantes, benigna utrique impendatur condonatio; quoad pecunias verò ad Sedem Patriarchalem pertinentes, unusquisque eidem Patriarchali Sedi restituere teneatur.

V. Utriusque Electi famam, & existimationem purgandi.

§. 9. V. Scripturas omnes ad utriusque prætensi Electi patrocinium, & favorem editas, & prædictæ Congregationi de Propaganda Fide hinc inde exhibitas, tamquam in forma non probanti esse, ac fore, & haberi, ac proinde in futurum nullum famæ, & existimationi utriusque Electi ex ipsis detrimentum illatum esse, aut in futurum inferri posse, nisi judicialiter, servatis servandis, aliter constet.

VI. Absolvendi Episcopos illicite consecratos, eorumque Consecratorem; adjectis legibus &c.

§. 10. VI. Facultatem Tibi à nobis collatam, prout earumdem præsentium tenore, & auctoritate similibus tribuimus, & impertimur, dispensandi cum Monachis Episcopali dignitate inauguratis ab Archiepiscopo Soriano super suspensione, & irregularitate contracta, præviis tamen salutaribus pœnitentiis, & injuncto onere sese in aliquo Monasterio continendi, ibique per mensem saltem à Celebratione, & à Pontificalium exercitio sese abstinendi: Necnon facultatem Tibi traditam absolvendi ipsum pariter Archiepiscopum Sorianum, alterius proinde Ritus, à prædicta ordinatione. Quibus sanè Episcopis denuncies, se eas Diœceses à dicto Archiepiscopo Tobia ipsis assignatas, quæ ab eodem Tobia Archiepiscopo retinebantur, & ad ipsum redire debent, habere non posse, sed eas dumtaxat, quæ de jure, juxta distributionem Diœcesum, ad formam nostræ ordinationis præscriptæ occasione confirmationis laudatæ Synodi Provincialis, seu Nationalis, faciendam, assignari debent.

VII. Altaria Privilegiata, & Indulgentias concedendi.

§. 11. VII. Indultum Altaris Privilegiati perpetui pro singulis Cathedralibus Ecclesiis à fel. recor. Benedicto Papa XIII. Prædecessore nostro per alias suas in simili forma Brevis Literas concessum, si ad Ecclesias Cathedrales ejusdem Patriarchatus dictæ Nationis non fuerit extensum, Auctoritate Nostra extendas, & confirmes. Præterea iis Ecclesiis Parochialibus, in quibus aliud Altare Privilegiatum, sive perpetuum, sive ad tempus concessum non reperitur, nec sufficiens Missarum numerus celebratur, Altare Privilegiatum pro uno die in hebdomada, per Ordinarium loci designando, ad viginti quinque annos concedas. Insuper, Patriarchali quidem Ecclesiæ Plenarias Indulgentias perpetuas, revocando alias, sive ad tempus, sive in perpetuum concessas, quater in anno, aliis verò Cathedralibus bis in anno, per unumquemque Christifidelem, servatis servandis, lucrifaciendas, pariter concedas, & indulgeas.

Idem Contendentium reconciliationi operam dare jubetur.

§. 12. Denique tuum erit in primis nihil intentatum relinquere, quod ad veram fraternamque caritatem, qua decet Episcopos sese mutuo complecti, & confovere, ut populis sibi commissis exemplo sint, atque incitamento, inter memoratos prætensos Electos Eliam Arcen., & Tobiam Napolosiæ Archiepiscopos glutino Christi Pastorum Principis conciliandam, confirmandamque conducere possit: Nos enim Tibi omnes, ut præmittitur, facultates in hac re gravissima peragenda, & conficienda necessarias, & opportunas tribuimus, & impertimur. Non obstantibus iis omnibus, quæ in præinsertis nostris Literis diximus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Et ad præmissa omnia rectè peragenda excitatur.

§. 13. Cæterùm, Dilecte Fili, Te iterum rogamus, & in Domino hortamur, ut seriò

animo considerans, & quàm ardua sit provincia Tibi commissa, & quàm amplæ facultates ad illam alacriùs adeundam, & feliciùs explicandam, componendamque attributæ, omnia studia, omnes conatus, & vires intendas, non ut Apostolicam tantùm benignitatem nostram Tibi promerearis, sed ut æternam etiam in cœlis repositam mercedem à bonorum omnium remuneratore Deo, quem unum præ oculis habere debes, consequi possis, & valeas. Nos interim, ad prosperi successûs auspicium, Tibi Apostolicam Benedictionem, quam Nostro nomine universæ Nationi mandatis tuis obtemperanti, tuaque salubria monita adimplenti, elargiri poteris, peramanter impertimur.

Dat. die 16. Mart. 1743.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVI. Martii MDCCXLIII. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

D. Card. Passionеus.

LXXX.

Electio Patriarchæ Maronitarum à Pontifice facta, & Ablegatio Commissarii Apostolici, Archiepiscopis, & Episcopis ejusdem Nationis denunciatur.

Venerabilibus Fratribus, Simoni ab Archiepiscopatu Damasci ad Patriarchalem Maronitarum Sedem translato, cæterisque Archiepiscopis, & Episcopis ejusdem Nationis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Pontifex refert, ac deplorat schisma inter Maronitas exortum.

MAGNA non minus admiratione, quàm ægritudine affecti sumus, postquam è sex Episcoporum vestri Cœtus, aliorumque literis intelleximus, Maronitarum Ecclesiam, post obitum postremi Patriarchæ Josephi Petri, funesto Schismate discissam fuisse; à sex illis Episcopis in ejus locum suffecto Elia Arcæ, ab aliis Tobia Napolosiæ Archiepiscopis. Et quidem mirari satis non possumus, adeo nunc valuisse inimicum Hominem, ut superseminaverit divisionis zizania in agro isto, adhùc ea lue prorsùs intacto; utque vobis eripuerit decus amplissimum: id scilicet nunquam ex omni temporis memoria evenisse in vestro Patriarcha eligendo; qua laude nobiliores Ecclesiæ, vestro in conspectu positæ, plurimùm caruerunt. Angi autem qui nequeat in tanta malorum colluvie, quæ vestram Nationem, discordiis, tumultu, perturbatione obruerunt? Siquidem uterque Electus, non expectato Romanæ Sedis judicio, (quod lege, & more vetusto necesse fuerat,) statim pro Patriarcha se gerens, forum aperuit, usurpansque Patriarchalia jura, miscet humana Divinis, ut suo se teneat loco. Hinc populus alterutri inhærens, incertus, divisus, triste sui spectaculum præbet insultanti Schismatico, Turcæ irridenti; & metus est, ne vera Dei Religio, quamquam vestræ Genti altis radicibus infixa, obcœcatis contentione mentibus, discrimen adeat, ut sæpius alibi.

Ejusque pernicioſos effectus.

Controversiæ examen in Congreg. particulari instituitur.

§. 1. Hac enimverò sollicitudine, ac paterna caritate commoti adeo sumus, ut vestris medendis vulneribus, restituendæque sanitati accurrere acceleravimus, vix dum Romam venerunt utriusque partis Legati cum mandatis, & monumentis, supremum Apostolicæ Sedis judicium subituri. Nam statim selegimus aliquot è Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Propagandæ Fidei præpositis, qui juris ordine servato, auditisque Advocatis, de toto controversiæ statu cognoscerent, & coram Nobis deciderent, an alterutra Electio, seu Postulatio, confirmanda foret, aut sananda; & si utraque infirmanda, quid ultra Nobis agendum esset. Illi apud Nos convenerunt XV. Kalendas Martias, unaque fuit omnium sententia: utramque non modo nullam, atque invalidam, sed insanabilem videri, tantis undique scatent erratis adversus Canones, ipsasque vestras Constitutiones. Jus proinde eligendi, in hoc informis electionis casu, ad Apostolicam Sedem devolutum fuisse; sicuti Ecclesiasticæ jubent Leges, & ubique perpetuo in more fuit: cujus si nullum istic exemplum reperitur, referri debet Majorum vestrorum prudentiæ, qui ab hujusmodi nefario Schismate sibi semper caverunt.

Congregationis sensus.

§. 2. Nos igitur eorumdem Cardinalium sententiam assensu nostro prosequuti, utramque electionem penitùs abrogavimus. Simul autem Patriarcham vestrum elegimus Venerabilem Fratrem Simonem Archiepiscopum Damascì, qui antiquior vestri Cœtus, hoc etiam nomine commendationem habuit ad eam dignitatem; magis autem, quod miti ingenio, & a partium studiis abhorrente, ut plurium testimonio accepimus, idoneus Nobis visus est ad tantum munus gerendum. Quocirca acceptissimum vobis, vestræque Genti fore, idque prompto atque alacri erga ipsum obsequio, debitaque obedientia vos comprobaturos non dubitamus, daturosque documentum, præteritas discordias non præcipiti voluntatis æstu commotas fuisse, sed incautæ mentis errore, qui facilius excusari potest.

Abrogata duplici electione, alter eligitur Patriarcha, meritorum laude præstans.

§. 3. Nec vobis in mentem veniat suspicari, hac nostra extraordinaria constituti Patriarchæ providentia, juri vestro quidpiam detractum fuisse. Nam, & ipsum in hujusce electionis diplomate vobis expresse reservavimus, & in Provincialis, seu Nationalis recentis vestræ Synodi confirmatione, novo, ut petebatis, Pontificiæ auctoritatis robore permunivimus.

Salvis juribus Antistitum Maronitarum.

§. 4. Hæc per nostras istas literas in forma Brevis vobis referre satis duximus. Plura cognoscetis à Dilecto Filio Jacobo ab Urbe Luca, Observantium Franciscanorum Alumno, Apostolico Hierosolymis Visitatore, quem ad vos Nostro nomine ire Commissarium jussimus, ut sedulò curet observari, & custodiri quicquid in prænunciata Synodo, & à Nobis deinde, pro Ecclesiasticæ disciplinæ, sanctissimæque Religionis tutela, sancitum fuit; utque receptis à Sacerdote Andrea Felice, quem Patriarcha Joseph Petrus paulò post vita functus Romam ablegaverat, Nostris in forma Brevis ad eum literis, ubi plura peragenda commendavimus, & recuperato aliquo Religioso dono ad eundem Patriarcham transmisso, id omne Simoni ejus successori repræsentet, nostramque de rerum istic sacrarum Cultu, ritè, ac prudenter instituendo retinendoque, voluntatem, cujus conscium fecimus, patefaciat.

Commissarius Apostolicus pluribus facultatibus, & mandatis instructus ablegatur.

§. 5. Quin illum perhumaniter excepturi, præscriptaque vobis leges, accurata obedientia exequuturi sitis, nullum Nobis relinquit ambigendi locum, omnium vestrum animus religione, & constantissima erga Supremum Pastorem fide penitùs obstrictus. Præcipuè verò vos adhortabitur, ut obliti præteritæ æmulationis, unanimes sitis in Christo Jesu, sine querela, sine reprehensione, simplices filii Dei in medio Nationis, *Turcarum* scilicèt, pravæ, & perversæ, (Apostoli verbis utimur), inter quos lucetis sicut luminaria in mundo. Quod in auspicium, Venerabiles Fratres, Apostolicam Benedictionem vobis peramanter impertimur.

Debita Sanctæ Sedi obedientia, & animorum concordia commendat.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVI. Martii MDCCXLIII. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Dat. die 16. Mart. 1743.

J. Vincentius Lucchesinius.

LXXXI. Dignitas Protopapæ in Ecclesia Collegiata S. Mariæ *del Grafeo* Messanen., ejusdemque libera electio, necnon Ritûs Græco-Latini observantia, ipsius Ecclesiæ Clero in perpetuum asseritur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Ecclesiarum jura, & probatorum rituum varietas, conservanda.

ROMANA Ecclesia omnium Catholici Orbis Ecclesiarum Mater, & Magistra, assiduis Pontificiæ sollicitudinis, Apostolicæ caritatis, ac supremæ auctoritatis studiis sedulam vigilemque in eo potissimum operam posuit, ut omnia, & singula Ecclesiarum, præsertim aliis Patriarchis subjectarum, diversisque in divinorum officiorum, & sacrosancti Missæ sacrificii celebratione ritibus, linguis, & cœremoniis, per sacros Canones, & Ecclesiasticam disciplinam comprobatis, & confirmatis, utentium, jura, privilegia, indulta, decora, prærogativas, dignitates, gradus, & honores, quoad sibi integrum fuisset, tueri, confirmare, & adaugere adniteretur. Quamobrem adeo vetustæ antiquitatis, & integerrimæ traditionis tenax fuit, ut ea, quæ in quibusvis Ecclesiis sapienter statuta, & sanctissimè custodita reperirentur, non solum inviolabili etiam supremæ Apostolicæ auctoritatis, ac firmitatis robore communire studuerit; verùm etiam Apostolicis mandatis, & sub Ecclesiasticis censuris, ac pœnis, in posterum servanda mandaverit.

Dignitas Protopapæ in Eccl. S.M. del Grafeo.

§. 1. Quoniam autem, sicut accepimus, munus, sive dignitas *Protopapæ*, cujus auctoritas, ac prærogativa plurimi semper in omnibus ferè Constantinopolitani Patriarchatus Cathedralibus Ecclesiis habita fuerat, Messanæ, quemadmodum in nonnullis aliis Civitatibus, & Diœcesibus reperitur, adhuc extat in Collegiata Ecclesia sub invocatione Sanctæ Mariæ *del Grafeo*, inde *Catholicâ* dictâ, quod Ecclesia hujusmodi, ut asseritur, sub Græcorum imperio, in Spiritus Sancti ex Patre Filioque procedentis confessione, cum Romana Ecclesia invicem unita permanserit; & in eadem Ecclesia semper a tunc temporis Divina Officia, & Sacrosanctum Missæ Sacrificium Græca quidem lingua, sed Latino Romano Ritu celebrantur; nam Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Azymo conficitur, sacræ Vestes, & sacerdotalia indumenta ad instar Latinorum adhibentur, & dies festi juxta Kalendarium Gregorianum servantur; præter alia, quæ adhuc religioso cultu peraguntur.

Ritus Græco-Latinus in eadem Ecclesia.

Pontifex præd. Dignitatem, ejusque prærogativas confirmat.

§. 2. Hinc est, quod Nos, quibus omnimoda Universalis Ecclesiæ servitus, atque adeo omnium Ecclesiarum sollicitudo a Pastorum Principe Jesu Christo injuncta est, eamdem Ecclesiam in eo benè constituto, quem hactenus egregiè servaverunt, & de præsenti laudabiliter servant, statu deinceps firmius permanere, & constabiliri cupientes; motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ac de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Congregationis Propagandæ Fidei præpositorum consilio, Dignitatem antedicti *Protopapæ*, cum omnibus insigniis, prærogativis, privilegiis, facultatibus, jurisdictionibus, juribus, exemptionibus, titulis, honoribus, & oneribus, quibus alii *Protopapæ* antecessores de jure, usu, consuetudine, & indultis, legitimè tamen, & canonicè, & de Apostolicæ hujus Sanctæ Sedis licentia, benignitate, & concessione, hactenus usi, fruiti, & gavisi sunt, tenore præsentium approbamus, & confirmamus; necnon volumus & mandamus, ut perpetuis futuris temporibus omnino servetur, quemadmodum a plurimis seculis servatus est, in eadem Ecclesia Sanctæ Mariæ *del Grafeo* Ritus Græco-Latinus, nimirum Divina Officia, & Sacrosanctum Missæ Sacrificium Græca quidem lingua, & idiomate celebrandi, sed cum sacris vestibus, & sacerdotalibus indumentis latinis, & juxta Kalendarium Gregorianum, atque in Azymo, prout antehac in usu positum, & servatum est.

Ritum Græco-Latinum servari perpetuò jubet.

§. 3. Præterea motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, volumus, & mandamus, ut antiqua consuetudo, cum *Protopapam* hujusmodi viam universæ carnis ingredi contigerit, unum ex cætu, & corpore Cleri dictæ Ecclesiæ dumtaxat (in quem Clerum deinceps perpetuis futuris temporibus nullum omnino, nisi eodem Græco-Latino Ritu, ut præmittitur, initiatum, cooptari, & incorporari pariter volumus, & mandamus) in *Protopapam* pro tempore existentem ab eodem Clero eligendi, & constituendi, sanctissimè custodiatur; quamcumque vero electionem *Protopapæ* hujusmodi aliter, quam ut præmittitur, factam, aut quandocumque faciendam, nunc pro tunc annullamus irritamusque, ac nullam irritamque esse, & fore, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus declaramus.

Electionem Protopapæ ejusdem Ecclesiæ Clero privative præservat.

§. 4. Decernentes easdem præsentes Literas, ac omnia & singula in illis contenta, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, ac ad ea vocati, & auditi, seu causæ propter quas ipsæ præsentes emanarunt, adductæ, verificatæ, seu aliàs sufficienter, aut etiam ullatenus justificatæ non fuerint, aut ex alia quavis quamtumlibet legitima, pia, juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, occasione, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, vel invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quorumvis interesse habentium consensus, aut alio quovis quantumvis magno, & substantiali, ac inexcogitato defectu, notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, in jus, vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, firma, valida, & efficacia existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere, & illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia pleniissimè suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & quosvis alios, quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Litterarum firmitatem asserit.

Sublata &c. irritans &c.

§. 5. Quocirca Dilecto Filio Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori, necnon Venerabili Fratri moderno, & pro tempore existenti Archiepiscopo Messanensi, committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum, per se, vel per alium, seu alios, perpetuis

Executores deputat cum facultatibus.

futuris

futuris temporibus, præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Protopapæ, & Cleri dictæ Ecclesiæ pro tempore pariter existentis fuerint requisiti, si opus fuerit, solemniter publicantes, & Protopapæ, ac Clero prædictis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra Apostolica Protopapam, & Clerum hujusmodi præmissorum omnium, & singulorum commodo, effectu, & jure pacifice frui, & gaudere, non permittentes Protopapam, & Clerum hujusmodi desuper à quoquam quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

Contrariis derogat.

§. 6. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon dictæ Ecclesiæ, & Nationis Græcorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cœterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 18. Mart. 1743.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVIII. Martii MDCCXLIII. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

D. Card. Passioneus.

LXXXII.

Ecclesiastica Auctoritas in designandis publicarum precationum formulis, & in eisdem indicendis, asseritur.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Ad Ecclesiam pertinet publicarum precum formulas statuere, easque indicere.

Quemadmodum preces ad Deum pro Principibus effundere, valde consentaneum est, ita convenit, ut precum ipsarum formulæ sint ex illis, quas Ecclesia usu recepit; maximè verò si ejusmodi preces in celebratione Missarum adhibendæ sint. Præterea ad Ecclesiasticam auctoritatem unicè spectat preces illas statuere atque indicere; cùm nulli sæculari Potestati fas sit decernere, præceptoque mandare, ut publicæ præces fiant, sive ad persolvendas Deo gratias pro beneficio aliquo accepto, sive ad illius opem in gravi aliqua necessitate implorandam.

Ecclesia pro Principibus orari jubet.

§. 1. Divus Paulus *in prima ad Timotheum cap.* 2., ut Vos bene nostis, ita loquitur: *Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt.* Quod si expediat hoc loco praxim ostendere, qua primæva Ecclesia utebatur in orationibus, & precibus ad Deum pro Principibus offerendis, eam satis patefacere poterunt Sancti Dionysii Episcopi Alexandrini ad Præsidem Æmilianum epistola, Tertullianus *in lib. ad Scapulam, & in Apologetico*, Sanctus Cyprianus *in epistola ad Demetrianum*, Origenes *in respons. ad Celsum*, & Athanagoras *in sua Legatione ad Imperatores pro Christianis.*

§. 2. Multùm quidem inter se conveniunt credendi, & orandi ratio. Proinde in celebratissimis epistolæ S. Cœlestini ad Galliæ Episcopos additionibus *cap.* 11. legitur: *Obsecrationum quoque Sacerdotalium Sacramenta respiciamus . . . ut legem credendi lex statuat supplicandi.* Atque hinc oritur, in publicis supplicationibus formulas ab Ecclesia præscriptas esse adhibendas; præsertim si res agatur de orationibus, quæ recitari debeant in Missa, ut dictum est. Idcirco etiam à Sacro Concilio Tridentino cavetur, ne preces in Missarum celebratione adhibeantur, *præter eas quæ ab Ecclesia probatæ, & frequenti, ac laudabili usu receptæ fuerint.* Quamobrem in Missali Romano pro omni ferè necessitate existunt piæ quidem, ac religiosæ orationes, è vetustis, ac venerabilibus Sacramentariis opportunè depromptæ.

Eadem, ut credendi normam, sic & orandi rationem præscribit.

§. 3. Neque verò putamus nimium progredi, immo inter æquos auctoritatis nostræ limites Nos certè consistere credimus, cùm asserimus, ad Ecclesiasticam quidem, non autem ad sæcularem Potestatem pertinere, de Ecclesiasticis, ac spiritualibus rebus disponere. Magnus ille Osius Episcopus Cordubensis apud Sanctum Athanasium in Epistola ad solitariam vitam agentes, Ecclesiasticâ sanè libertate, ad Constantium Imperatorem hæc scripsit: *Ne te misceas Ecclesiasticis rebus, neque nobis in hoc genere præcipe; sed potiùs ea a nobis disce. Tibi Deus Imperium commisit: nobis, quæ sunt Ecclesiæ, concredidit . . . . Cave, ne quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Scriptum est: Quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.*

Nullum jus Potestati laicæ in spiritualia.

§. 4. Ad viciniora autem tempora, & ad rem, quæ epistolæ huic nostræ occasionem dedit, propiùs accedentes, dicimus, à laicorum ipsorum tribunali abrogata fuisse atque rescissa sæcularis alicujus Magistratus decreta, quibus publicæ pro Principibus preces indictæ fuerant, quòd ejusmodi decreta nullius auctoritatis, aut roboris esse per se innotescerent. Et non multis ab hinc annis Sacra Concilii Congregatio, Prædecessoribus nostris annuentibus, publicè abrogavit irritumque fecit secularis Potestatis Edictum, quo illa, ob partam à Principe victoriam, indixerat pro gratiarum actione *Te Deum laudamus*, etiamsi protestationem inseruisset de præjudicio Ecclesiastico juri non inferendo, quòd nimirum facto protestatio ipsa adversaretur.

Præcepta Magistratuum de publicis habendis precibus, aliàs revocata, & abrogata.

§. 5. Ut igitur æquitatis jure, rectoque ordine omnino procedatur, monemus Vos atque hortamur, ut tum Vos, tum alii operâ vestrâ, Deum sedulò rogent pro incolumitate, ac felicitate vestrorum Principum, quemadmodum & Nos pro Principibus Catholicis quotidie facimus. Æquo libentique animo accipite, quod Potestates sæculares a Vobis petant, ut pro se publicæ preces fiant; atque operam date, ut Ecclesiæ formulæ in illis usurpentur, neque novæ, aut inusitatæ orationes in Missa recitentur.

Monentur Episcopi, ut pro Principibus, juxta Ecclesiæ Ritus, orari jubeant.

§. 6. Sin autem, quod Nobis persuadere non possumus, laicalis aliqua Potestas, usu, vel consuetudine aliquâ, (quæ abusus revera dici debet), præsumat auctoritatem vestram in hoc minimè agnoscere, sed jure suo directè velit publicas preces indicere, immo & pœnam parere renuentibus statuere audeat; loquiminor & Vos, quemadmodum Osius ad Imperatorem locutus est. Rationes adducite, quas, qui errant, fortasse ignorant. Palam ipsis facite, hanc nullatenus esse rationem exorandi Deum, atque id, quod cupiunt, consequendi: ad Vos confugere eos debere, cùm Vos ii sitis, qui licet *ex hominibus assumpti*, tamen estis *pro hominibus constituti in iis, quæ sunt ad Deum*, ut ad Hebræos Apostolus loquitur: nec, præter Vos, posse

Sed Laicæ potestati ipsum forte imperanti non assentiantur.

aliquem

aliquem opus hujusmodi suscipere, & hunc sumere sibi honorem; *sed qui vocatur à Deo tamquam Aaron.*

Si qui pervicaces fuerint, de iis ad S. Sedem referant.

§. 7. Quod si dictis non acquiescant, neque a Vobis opportunum judicetur in eos ita procedere, ut Ecclesiasticæ Disciplinæ jura exigerent; Vobis strictè mandamus, ut Nos quamprimum certiores de iis faciatis, opportunis quoque transmissis ad manus nostras documentis: cùm Nos parati simus ea omnia facere, quæ clarissimi Prædecessores nostri in ejusmodi occasionibus facere consueverunt. Nolumus enim, ad Supremum Dei Tribunal vocati, de neglectis Sanctuarii juribus fontes judicari. Interea Vos Paterno amore complectimur, Vobisque Apostolicam Benedictionem impertimur.

Dat. die 23. Mart. 1743.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die XXIII. Martii MDCCLIII. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

LXXXIII.

De die natali Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli per totam Octavam Romæ solemniter celebrando.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Dei consilium in statuendo Romæ per BB. Apostolos Ecclesiæ Principatu.

ADMIRABILIS Sapientiæ Dei sublimitas, cujus provida dispositione mundana Regna constituuntur, ut Ecclesiæ Fidelium, quæ Divino comitata adjutorio peregrinatur in Terris, vel amplificandæ, vel exercendæ, vel custodiendæ, alternantibus miro ordine vicibus, inserviant, voluntariam humani Generis cæcitatem, & proclivem in deteriora nequitiam secretiori consilio, & altiori pietate commiserans, cum, adveniente temporum plenitudine, sedentibus in tenebris, & ambulantibus in umbra mortis Evangelicæ Fidei lucem effundere decrevisset, Romanum præparavit Imperium, ut promptiores ad omnes Populos prædicatio veritatis haberet accessus, quos unius Civitatis dominatio sociaret. Imbuendi autem Evangelio Mundi partibus, accepta per Spiritum Sanctum omnium locutione linguarum, duodecim Apostolis distributis, Beatissimus Petrus Princeps Apostolici Ordinis ad Arcem Romani destinatur Imperii, ut ea capta, & in obsequium Fidei subjugata, faciliùs universus Orbis humilitati Crucis superba colla submitteret. Ad hanc postea Coapostolus ejus Paulus, aliis peragratis provinciis, adveniens, labore, & meritis illi consociatus est; ut Roma tantorum Apostolorum edocta Magisterio, quæ superstitionis studio profanos omnium gentium cultus, atque errores receperat, veritatis amore, sanctæ atque immaculatæ unius Dei Religionis Sedes evaderet.

Quantum debeat Romana Urbs iisdem Beatis Apostolis.

§. 1. Isti enim sunt Romanæ Urbis Patres, verique Conditores, qui eam Regnis Cœlestibus adscribendam melioribus auspiciis, & fortunatioribus initiis, condiderunt; non illi, quorum manibus cognato sanguine pollutis prima mœnium fundamenta locata sunt, è quibus is, qui ei nomen dedit, fraterna cæde fœdatam facinorosis hominibus, scelerum impunitate promissa, habitandam concessit. At verò isti è tenebris Idololatriæ ad Fidei lumen evocatam, Evangelica veritate imbutam, Christianis ornatam virtutibus, & ad Cæli sublimitatem erectam, pretioso Sanguine suo consecrarunt, & sacris Corporum suorum Sepulcris adversus furentium hæresum insidias, & frementis infernalis hostis impetus, tanquam duobus firmissimis munivere propugnaculis. Beatus autem Apostolus Petrus, Sacerdotali Sede Romam translata, cum privilegium potestatis a Christo Domino acceptæ ad omnes suos transmittat hæredes, supremi culminis prærogativam quodammodo cum ea communicavit, adeo ut per Beati Petri Cathedram, Princeps, ac Caput Orbis fieret, & in immensum Religione Divinâ ejus cresceret dignitas, cujus latiùs quàm dominatione terrena per totum Orbem protendebatur auctoritas. Quare etsi in Sanctorum solemnitatibus commune universorum Fidelium deceat esse gaudium, cum ob fidei unitatem in acceptis a Deo per Servos suos beneficiis indiscreta sit omnium utilitas, tamen Natalis Apostolorum Petri, & Pauli Festivitas, præter illam reverentiam, quam totò Terrarum Orbe promeruit, speciali, & propria Romanæ Urbis exultatione veneranda est, ut ubi præcipuorum Apostolorum glorificatus est exitus, ibi in die martyrii eorum sit lætitiæ principatus.

Horum Natale maxima semper solemnitate in Urbe celebratum.

§. 2. Vivit adhuc in mente hominum, & nulla unquam delebit oblivio, vetus memoria, & recordatio, quam meritò & quantò per totum Orbem, sed præcipuè in hac Alma Urbe nostra, fuerit a primis Ecclesiæ seculis celebri cultu, & splendida solemnitate Natalis dies Beatorum Apostolorum celebratus. Siquidem ea die traditum est, Romanos Pontifices Prædecessores Nostros primùm in Basilica Beati Petri in Vaticano, deinde in altera Apostoli Pauli Via Ostiensi, Sacrum immortali Deo in honorem Principum Apostolorum fecisse, & Romanum Populum frequentissimo cœtu, & celebri concursu, utramque Basilicam, sacras Apostolorum Reliquias veneraturum, invisere solitum; immò ad eamdem solemnem diem ex diversis Orbis partibus, innumerabilem populi multitudinem, linguis, moribus, & regionibus discretam, venerationis tamen erga Beatos Apostolorum cineres, & triumphalem Natalis eorum memoriam concordi obsequio sociatam, confluere consuevisse; Episcopos etiam, aliosque Sacros Antistites, sublimes Regiasque Personas, ad eamdem solemnitatem convenire solitos fuisse, suppliceque se, suasque coronas ad pedes Piscatoris, & ad Scenofactoris monumentum, adstantibus Ducibus, & Præfectis militum, prosternere. Hæc igitur, & alia hujusmodi diligenti animi consideratione nobiscum reputantes, vehementer solliciti sumus, ne nos, qui in tantis periculis, & adversitatibus constituti, Sanctorum Apostolorum valido indigemus auxilio, degeneres a Majorum pietate, & devii a sanctis eorum Institutis simus, & quibus in accipiendis a Deo per Beatos Apostolos beneficiis, & donis pares sumus, impares & ingrati in sacra eorum recolenda memoria, & gratiis immortali Deo agendis reperiamur, meritòque illorum destituamur præsidio, quorum negligimus solemnitatem.

Quod etiam in posterum servari Pontifex cupit.

§. 3. Volentes itaque, cupienteque, Romani Populi erga Beatos Apostolos devotionem, de quorum præsidio hanc Urbem nostram, eorum decoratam corporibus, cœlestibus illustratam doctrinis, & potenti apud Deum patrocinio semper adjutam, maximè confidere decet, quantum in Nobis est, augere, atque amplificare, hac nostra in perpetuum valitura sanctione statuimus, ac decernimus, ut recurrente per ordinem Natali die eorumdem Apostolorum, non solùm in Basilica Vaticana, ut nunc moris est, in pervigilio ejusdem Festi, Vesperæ solemnes celebrentur, (quibus interesse solet Romanus Pontifex cum S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Romanæ Curiæ Prælatis, qui locum in Capella Pontificia obtinent;) & manè in eadem Basilica solemne Sacrum ab ipso Romano Pontifice peragatur; & secundæ Vesperæ ejusdem venerabilis diei Ecclesiastico Cantu, ac Ritu, a Capitulo, & Clero, præsente etiam S. R. E. Cardinali

Jubet non modo diem Festivitatis, de more solemniter transigi.

Sed per totam etiam Octavam celebritatem continuari.

præfatæ Basilicæ Archipresbytero, aliisque Cardinalibus ad eamdem Vesperarum solemnitatem devotionis causa accedentibus, persolvantur; sed ulteriùs per totam Octavam singulis diebus in diversis Ecclesiis quippe aliqua Apostolorum memoria, aut prærogativa insignitis, a Nobis electis, & inferius nominandis, Missa in Pontificalibus, concinente, ac psallente schola Cantorum, aliisque Pontificiæ nostræ Capellæ Ministris inservientibus, ordine, ac modo infra dicendo, ritè peragatur, recolaturque memoria illustris triumphi eorum Martyrii, quod toto Terrarum Orbi, sed præcipuè Romanæ Urbi decus contulit, & dignitatem.

Missam Pontificalem, secunda die, in Basilica S. Pauli celebrari.

§. 4. Secunda igitur intra Octavam die, Missarum solemnia in Pontificalibus celebrentur, præsentibus Venerabilibus Fratribus Episcopis Pontificio Throno assistentibus, in Basilica Beati Apostoli Pauli Via Ostiensi, in qua celebris est utriusque Apostoli memoria, sacræque Reliquiæ servantur, & veteri instituto solemnis eadem die Beati Apostoli Pauli commemoratio recolitur, qui si adhuc vivens in Terris, adeo Romanos diligebat, ut sine intermissione memoriam eorum in suis orationibus faceret, vehementerque cuperet eos videre, & ad eos confirmandos aliquid spiritualis gratiæ impertiri; quantò magis sperandum est, quod modò Beatus in Cœlis, pro Alumnis suis Deum orare non cessat, suamque opem humiliter postulantibus afferre non recusat, ut in illa cœlesti confirmentur doctrina, in qua eos ore suo, per quod Christus loquebatur, erudivit.

Tertia die in Ecclesia S. Pudentianæ.

§. 5. Tertia die in Ecclesia Sanctæ Pudendentianæ fiet solemne in Pontificalibus Sacrum, intervenientibus dilectis filiis Protonotariis Apostolicæ Sedis ex numero Participantium. Nam perhibent hoc loco fuisse domum Pudentis Senatoris, apud quem, cum primùm Romam advenit, hospitatus est Princeps Apostolorum Petrus, qui in eadem domo Verbum Dei Gentibus annunciavit, sacras habuit Synaxes, Sacrum pluries fecit, & Sacramenta Christi administravit; adeo ut in ea jacta sint quodammodo prima Romanæ Ecclesiæ fundamenta, omnium aliarum Ecclesiarum Matris, & Magistræ, quam superbæ inferorum portæ non vincunt.

Quarta die in Ecclesia S. Mariæ in Via Lata.

§. 6. Quarta die in Ecclesia Sanctæ Mariæ in Via-Lata Missarum persolvantur solemnia, intervenientibus Dilectis Filiis Causarum Palatii nostri Auditoribus. Locus enim iste antiqua est Religione celeberrimus; ibi primùm, ut fertur, hospitio exceptus est Apostolus & Magister Gentium Paulus, qui, ut Acta Apostolorum testantur, *mansit biennio toto in suo conducto, & suscipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum, prædicans Regnum Dei, & docens, quæ sunt de Domino Jesu Christo, cum omni fiducia, sine prohibitione.*

Quinta die in Ecclesia S. Petri ad Vincula.

§. 7. Quinta die ad Missarum solemnia in Pontificalibus celebranda convenient dilecti filii Cameræ Apostolicæ Clerici in Ecclesia Sancti Petri ad Vincula, sub titulo Eudoxiæ. Hæc enim prima Ecclesia esse traditur, quæ a Principe Apostolorum fuit Romæ Immortali Deo dedi ata; in hac ejusdem Beati Apostoli sacra Vincula servantur, quæ semper summo in honore, ac veneratione apud Fideles omnes fuerunt, pluraque benignissimus Deus miracula per ea efficere, ad laudem, & gloriam Servi sui, dignatus est. Hæc enim sunt felices illi nexus, qui de manicis, & compedibus in coronam mutandi, Apostolum contingentes, martyrem reddiderunt: Felices catenæ, quæ nudatis penè ossibus inhærentes, vivas reliquias de sanguinis sudore, jam attrita carne, rapuerunt: Felicia Vincula, quæ reum suum usque ad Christi Crucem, non tam condemnatura, quàm consecratura, miserunt.

Sexta die in Ecclesia Sancti Petri in Carcere.

§. 8. Sexta autem die in Ecclesia Sancti Petri in Carcere, quo, ut ferunt, Beati Apostoli Petrus, & Paulus per plures menses arctissima custodia ad mortem usque detenti sunt, eorumque Custodes Processus, & Martinianus ad fidem conversi, subito ex proxima petra Divina virtute fonte enato, fuerunt a Petro Sacro Baptismo abluti; & ubi in vinculis, & teterrimi carceris fœditate invisentibus se Evangelium Dei prædicare, curare infirmos, sanare ægrotos, & multa alia patrare miracula non desierunt. Missa autem in Pontificalibus in Ecclesia superiori, ob inferioris angustiam, adstantibus dilectis filiis Referendariis Votantibus Signaturæ Justitiæ, celebrabitur.

Septima die in Ecclesia S. Petri in Monte Aureo.

§. 9. Septima die Missa in Pontificalibus, assistentibus dilectis filiis Abbreviatoribus de Parco Majori, celebrabitur in Ecclesia S. Petri in Monte Aureo, ubi, ut pia traditione fertur, Beatus Apostolus Petrus Cruci affixus, Martyrio coronatus est, capite ad terram verso, & in sublime pedibus elevatis, asserens, se indignum, quod sic crucifigeretur, ut Dominus suus; sed ita è terra Cœlum, quò iter parabat, suspiciens, admirandæ humilitatis virtutem, novique mysterii disciplinam & inter tormenta servavit.

Octava die Cappellam Cardinalitiam haberi in Basilica Lateranensi.

§. 10. Demum octava die, festiva BB. Petri, & Pauli Apostolorum Principum solemnitas in Sancta Lateranensi Basilica absolvatur. Ibi enim supra Altare Majus in argenteis Imaginibus, margaritis, lapidibusque pretiosis ornatis, Sacra Apostolorum Capita, quæ olim in Ecclesia S. Laurentii ad Sancta Sanctorum servabantur, a fel. rec. Urbano Papa V. Prædecessore Nostro reposita fuerunt. Beata Capita, quæ Sanctarum illarum Animarum sedes, nihil humile, aut mundanum, sed cœlestia solùm, ac Divina cogitarunt; quæ non terrenum pulverem, aut humanas sordes, sed Divinas revelationes, & Cœlestia Arcana recipere meruerunt; quæ in novissima omnium mortuorum resurrectione, æternis ornanda sertis, corporibus, ac animabus suis, supernæ Patriæ beatitudine fruitura, conjungentur. Mane Missarum solemnia in Pontificalibus, præsente Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Collegio, eo majori ritu, & solemnitate, qua sacri hujusmodi Cardinalium conventus peragi unquam solent, celebrentur. Vespere autem Sacras Apostolorum Reliquias veneraturi, solemni cultu, & pari animi devotione ad eamdem Basilicam pergant dilecti Filii Nobiles Viri Senator Urbis, & Romanorum Civium, & Cameræ Urbis Conservatores; quorum pietatis exemplo commotus, ad debitas immortali Deo gratias reddendas, pro ineffabili munere ei collato in Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli patrocinio, universus Romanus Populus celebri frequentia, & æmula festinatione accedere contendat.

Et Senatum Romanum vespere ad eamdem accedere.

§. 11. Pomeridiano autem tempore aliorum dierum, omnes Confraternitates hujus Almæ Urbis, per Venerabilem Fratrem nostrum S. R. E. Cardinalem Vicarium pro tempore publico edicto intimandæ, statis suis quæque diebus, ad eam Ecclesiam, ubi manè Missa in honorem Apostolorum celebrata fuerit, piè, ac devotè procedant. Singulis autem Confratribus processionaliter accedentibus septem annos, & totidem quadragenas, & aliis omnibus utriusque sexus Christifidelibus verè pœnitentibus, & confessis, qui eamdem Ecclesiam, ubi Statio erit, religiosè visitaverint, de Omnipotentis Dei misericordia confisi, centum dies de injunctis eis, aut aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis, misericorditer in Domino relaxamus.

Singulis diebus, supplicationes Confraternitatum ad prædictas Ecclesias haberi.

§. 12. Monemus autem in Domino, & instantius rogamus omnes Christifideles in hac Alma Urbe natos, & commorantes, ut pia majorum exempla in veneratione erga Beatos

Adhortatio ad cultum exhibendum erga Beatos Apostolos, ob beneficiorum memoriam.

Apo-

Apostolos laudabili studio æmulantes, in Ecclesiis a Nobis constitutis devota celebritate conveniant, & spirituali lætitia exultantes, laudantesque Deum, qui glorificatur in Sanctis suis, tantam Natalis diei Apostolorum celebrent solemnitatem. Siquidem de præsidio divinitùs Nobis, ad exemplum patientiæ, & confirmationem fidei, præparato, in horum excellentia Patrum meritò est exultantius gloriandum, quos gratia Dei in tantam altitudinem provexit, ut horum alteri magnum, & mirabile consortium potentiæ suæ tribuerit Divina dignatio; alter verò Vas electionis, & specialis Doctor Gentium, superno oraculo, & Cœlesti sententia fuerit designatus. Præterea meminerint sæpè hanc Urbem potenti Apostolorum protectione a Barbarorum incursibus, a cæde, a depopulatione, ab incendiis, a terræmotibus, aliisque innumeris periculis, & calamitatibus liberatam. In mentem revocent innumera illa prodigia, & gratias, quas ad gloriam Servorum suorum, Brandeorum, vel Catenarum contactu, vel sola oratione, aut nominis invocatione, antiquorum fidelium pietas, ac devotio ab Omnipotenti Deo obtinuit. Demum in memoria habeant verba illa Beati Leonis Prædecessoris Nostri ad Romanum Populum ex Beati Petri Cathedra clamantis, & dicentis: *Licet omnem Ecclesiam, quæ in toto est Orbe Terrarum, cunctis oporteat florere virtutibus; vos tamen præcipuè inter cæteros populos decet meritis pietatis excellere, quos in ipsa Apostolicæ petræ arce fundatos, & Dominus Noster Jesus Christus cum omnibus redemit, & Beatus Apostolus Petrus præ omnibus erudivit.*

Interminato quoque Cælestis vindictæ metu.

§. 13. Caveant igitur, ne Sanctis suorum Pastorum monitis inobsequentes, ne immemores beneficiorum Dei, ne irreligiosi erga Servos ejus Beatos Apostolos, & absimiles majorum pietati inveniantur. Magnum enim periculum est, esse homines, per oblivionem beneficiorum, ingratos Deo, & Servis ejus, nec correptione corrigi, nec de gratiis recordari. Sciant denique, quod Beatos Apostolos, qui apud Deum intercessores sibi esse non curat, suarum culparum severos Judices habebit, & quos conciliatores supernæ miserationis habere contemnit, offensæ majestatis sentiet ultores.

Sanctio Constitutionis.

§. 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ Constitutionis, Decreti, Statuti, Definitionis, Monitionis, & Voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 1. Apr. 1743.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo tertio, Kalendis Aprilis Pontificatus Nostri Anno Tertio.

P. Card. Pro-Datarius.

D. Card. Passionеus.

VISA DE CURIA.

N. Antonellus.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium. Public. die 13. Aprilis ejusdem Anni.

Decretum quod SS. Apostolorum Principes Petrus & Paulus Urbis Romæ Patroni Principales nuncupentur.

CUM omnium communi æque, ac pio Ecclesiarum more institutum sit, ut quos è Sanctorum numero sibi singulæ Patronos elegerint, eos etiam, adjecto illustri Patronorum titulo, suis unaquæque Calendariis inscribant: Minimè dubitandum est, quin Romana potissimùm Ecclesia, Principum Apostolorum Petri, & Pauli Martyrio consecrata, ac supra alias in summum honoris, & gloriæ culmen evecta, a Fidei primordiis eosdem Apostolos uti Patronos habuerit apud Deum, seque in illorum tutela positam jure putaverit. Clarum antiquæ huic traditioni perhibent testimonium tum Sanctus Leo Papa *serm. 1. de SS. Petr., & Paul.* ubi eos Romæ Patronos nominat speciales: *Sicut autem*, inquit, *& Nos experti sumus, & Nostri probavere Majores, credimus, atque confidimus, inter omnes labores istius vitæ, ad obtinendam misericordiam Dei, semper Nos specialium Patronorum Orationibus adjuvandos:* tum quoque Sanctus Maximus Episcopus Taurinensis. *Homil. 3. de iisdem*, ubi eos Romæ Patronos appellat peculiares: *Horum hodie concursu lætissimo recolit Roma Martyrium; & quorum dudum impia persecuta est sanguinem, eorum nunc peculiari devota Patrocinio gloriatur.* Eisdemque celebri Districho concinit Sanctus Venantius Fortunatus. *A facie hostili duo propugnacula præsunt: Quæ Fidei Turres Urbs caput Orbis habet.*

At quia compertum est, in Ordine Divini Officii, debitâ hac notâ, ac insigni titulo Patronorum principalium Almæ Urbis, Sanctos eosdem Apostolos nuncupari non consueviſse, eam fortasse ob causam, quòd SS. PETRUS, & PAULUS Catholicæ Ecclesiæ Patroni cæteroquin Generales habeantur, eâque propter in communibus suffragiis ubique per Ecclesiam ipsam invocentur: Sanctissimus Dominus Noster BENEDICTUS PAPA XIV. solerter advertens, per hujusmodi Ecclesiæ universæ generale Patrocinium non effici, quominus iidem sint quamplurium per Orbem Ecclesiarum Patroni simul etiam peculiares, sive, ut ajunt, Principales, & hoc nomine in earum Calendariis inscribantur; ratus est, non decere, ut quæ ipsorum Patrocinio Roma præ cæteris lætatur, eos, ubi maximè oportet, Sacris videlicet in Fastis, Patronos non appellet.

Qua de re Sanctitas Sua, ut imposterum debita honoris & obsequii ratio servetur in recolenda memoria Principum Apostolorum, quorum præsenti ope, ac tutelâ Christiana Respublica, undique procellis acta, ac gravioribus in diem ærumnis confecta, tandem erigatur: Mandat, ac præcipit, memoratos Apostolorum Principes SS. PETRUM, & PAULUM posthac Romano quoque Calendario, sive Ordini Divini Officii pro degentis in Urbe Cleri directione quotannis imprimendo, similiter inscribi, titulo scilicet principalium Urbis Patronorum non omisso.

Præterea eadem Sanctitas Sua, inhærens Decretis aliàs editis a Sacra Rituum Congregatione, & a Prædecessoribus suis Romanis Pontificibus approbatis, declarat, quod Commemorationi, quæ in unaquaque Civitate, & Diœcesi, ex laudabili consuetudine, & Rubricarum dispositione, fit Sanctorum suorum Patronorum Principalium inter Suffragia Sanctorum, post Laudes, & Vesperas in Divinis Officiis, quando Commemorationes, sive Suffragia Sanctorum recitantur, tum Romæ, tum alibi, ubicumque Sancti Apostoli PETRUS, & PAULUS uti Patroni principales coluntur, satisfactum censeatur per eam Commemorationem ordinariam, seu communem, quæ fit eorumdem in universa Ecclesia, post Commemorationem Beatissimæ Virginis Mariæ. Atque ità Sanctitas Sua mandat, decernit, & declarat. Hac die 16. Octobris 1743.

Fr. J. A. Card. Guadagni Pro-Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

T. Patriarcha Hierosolymitanus Secret.

LXXXIV.

Auditoribus Causarum Sacri Palatii Apostolici conceditur delatio Roccheti etiam in accessu ad Cappellas, Functiones &c. & in recessu &c.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Pontificis studium erga Collegium Auditorum Sac. Palatii.

PRÆCLARA debitæ erga insigne Dilectorum Filiorum Cappellanorum nostrorum Causarum Palatii Apostolici Auditorum Collegium existimationis opinio, ab ipsa Adolescentia nostra ex eo potissimum concepta, quod, postquam sedulam utriusque juris studiis operam dedissemus, sub disciplina clar. mem. Alexandri primum Causarum Palatii Apostolici Auditoris, deinde Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Caprara, per plures annos, præstito apud idem Collegium sacramento, in Causarum controversiarumque ab eorumdem Capellanorum Auditorio decidendarum terminandarumque disquisitione pro virili parte versati fuerimus, magis magisque deinceps apud Nos, crescentibus annis, auctisque muneribus, ita invaluit, ut conspicuam ipsorum Capellanorum muneris dignitatem, eorumque egregiam in administranda justitia sapientiam, & integritatem, ea, qua decebat, veneratione semper perspexerimus. Porrò ad hæc accessit singularis honor, cujus memoria apud Nos adhuc recens perseverat, Nobis, postquam in Advocatorum Consistorialium Collegium ab anno fere cum dimidio adsciti fueramus, à toto Auditorio delatus; cum exortam de Jure Canonico controversiam, à Jurisperitis nunquam agitatam, Nobis, unà cum altero hujus Romanæ Curiæ gravissimo Patrono, pro veritate discutiendam dijudicandamque detulit idem Auditorium.

Honoris ab eodem Collegio sibi delati memoria.

Pontificiæ in ipsum benevolentiæ significationes.

§. 1. In hac verò suprema Sacrosancti Apostolatus specula per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam constituti, quanto in honore Auditorium hujusmodi habeamus, quibus paternæ charitatis studiis ejusdem Capellanos Auditores complectamur, & quanti faciamus, ipsi equidem præ cæteris clarius explicare possunt; Nos verò, ut non obscurum Pontificii de eximia eorumdem jurisprudentia judicii argumentum universis præberemus, causam, seu controversiam inter Venerabilem Fratrem Joannem Macarium Episcopum Cupersanensem ex una, & Hospitale Sancti Joannis Hierosolymitani ex altera partibus, vertentem, & jamdudum agitatam, una insimul cum iisdem Causarum Palatii Apostolici Auditoribus, dijudicare voluimus.

Tenor Decreti à Congreg. Cæremoniali editi 22. Nov. 1742. super delatione Roccheti in Urbe.

§. 2. Quoniam autem inter cætera Decreta à Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Sacris Cæremoniis præposita habita die XXII. mensis Novembris anni MDCCXLII. proximè elapsi edita, quæ insequenti die XXIII. ejusdem mensis, & anni Nos approbavimus, illud quoque continebatur, quod nulli Prælatorum, cujusvis Ordinis, aut Collegii fuerit, qui Roccheti prærogativa potitur, imposterum liceat eodem induto per Urbem incedere; cum hoc gestare unicè ex Summorum Pontificum munificentia, unàcum lemniscis nigris ad Equos proprii Currus appensis, præcipuorum suorum Officiorum ratione, ac præstantia, permissum sit Almæ Urbis Gubernatori Vice-Camerario, Generalibus Reverendæ Cameræ Apostolicæ Auditori, ac Thesaurario, necnon utriusque Sacri Palatii Apostolici Præfecto, atque insuper, ob distincti habitus accessionem, Mozzettæ scilicèt à san. mem. Benedicto XIII. quatuor Patriarchis, Constantinopolitano videlicet, Alexandrino, Antiocheno, & Hierosolymitano concessæ, dum Mantelletto, ac præfata Mozzetta ornati processerint. Prælati autem, qui Roccheti prærogativa fruuntur, tunc tantum sument illud per Scalas Palatii Pontificii, Apostolicam Aulam, vel in antecedenti Cubiculo, illud Congregationum, aut Collegialium actionum, quæ in eodem Palatio cum Roccheto fient, ingressuri; necnon quando primum, in promotione, Sacro Senatui de novo adscriptos, & iterum Cardinalatus insignis decoratos, eos in suis domibus visitabunt: Quoties quemcumque ex Dominis Cardinalibus primo invisent, vel Cardinali similiter Roccheto induto in comitatus obsequiis erunt, sive domi fuerint, sive extra; conveniendo insuper cum Oratoribus Principum, qui Aula gaudent Regia, publica solemni pompa procedentibus, & in actu pariter dumtaxat cujuscumque alterius publicæ, vel privatæ actionis, in qua Roccheti usus, dignitatis, vel muneris ratione, eis competere potest.

Auditores Sac. Palatii cum aliis parent.

§. 3. Cui sanè Decreto, cum, sicut acceperamus, debitam obedientiam præstitissent ipsi quoque Causarum Palatii Apostolici Auditores, qui domo sine Roccheto, juxta dicti Decreti formam, ac tenorem, exeuntes, & ad Pontificium Palatium, vel audientiam nostram postulaturi, vel Sacris in Pontificia Capella peragendis functionibus interfuturi, vel Auditorii sui munia obituri, accedentes, eodem Roccheto se, vel per Scalas ejusdem Pontificii Palatii, vel in Aula Apostolica, vel in ipso Aulæ Auditorii ingressu sese induerunt, quod pariter Rocchetum, obitis muneribus suis, statim exuentes, domum, quemadmodum inde venerant, sine Roccheto redierunt: Nos, quippe quibus notum erat, usum Roccheti memoratis Causarum Palatii Apostolici Auditoribus à fel. rec. Innocentio Papa X. Prædecessore Nostro concessum fuisse; ejusdem Innocentii Prædecessoris Apostolicas in simili forma Brevis Literas die VII. mensis Martii anno MDCXLV. pro concessione hujusmodi expeditas, quarum nulla in prælaudato Congregationis præfatæ Decreto fit mentio, inspicere voluimus, ut ex hisce aliquod rationis momentum, unàcum nostræ Pontificiæ benignitatis testimonio, ipsis Causarum Palatii Apostolici Auditoribus profuturum, deduceremus.

Non obstantibus Litteris Innoc. X. eorum favore expeditis.

Pontifex expendit prædictarum Litterarum amplitudinem.

§. 4. Ac primum quidem serio animadvertimus, Literas pro antedicta Roccheti concessione datas fuisse à prædicto Innocentio, qui, dum in minoribus esset, vigintiquinque annos munus Capellani Auditoris hujusmodi summa cum laude expleverat. Deinde verò easdem Literas tam apertissimis verbis concepras esse reperimus, ut nihil magis; omnibus enim, & singulis Capellanis Auditoribus tunc, & pro tempore perpetuò existentibus, quod in quibusvis Conciliis etiam Universalibus, Congressibus, Congregationibus, Conventibus, Sessionibus, Processionibus, Pompis, Conciliis, Functionibus, Negotiis, cæterisque Actibus publicis, & privatis, Pontificiis, Imperialibus, Regiis, Cardinalitiis, ac quorumcumque Principum, sive Sacris, sive profanis, vel mixtis, tam in Statu Ecclesiastico, quàm extra illum, ubique locorum, & gentium, etiam in Romana Curia, ac in quibusvis Regnis, Provinciis, Regionibus, & Locis, & Transalpinis, & Ultramarinis, ac etiam in sua, & Romani Pontificis pro tempore existentis, ac Imperatoris, Regum, Cardinalium, etiam de Latere Legatorum, Ducum, Principum, & quorumlibet aliorum, quacumque Mundana, & Ecclesiastica Dignitate, etiam specialem, & individuam expressionem requirente, fulgentium, præsentia, conspectibus, & curiis, ac generaliter ubicumque, coram quibuscumque, & quovis tempore, Rocchetum palam deferre, illoque induti publicè incedere, & comparere liberè, & licitè possent, & valerent, plena, & ampla facultas, ac licentia conceditur, atque impertitur.

Item observantiam eisdem Auditoribus sæpe favorabilem.

§. 5. Præterea usum, & consuetudinem, quoad Rocchetum ab iisdem Capellanis Auditoribus

bus induendum, deferendumque, inquirentes, etsi Nos per quadraginta annorum curriculum in hac Alma Urbe Nostra, antequam ad Pontificiam Dignitatem eveheremur, commorati, nonnullos ex Capellanis Auditoribus, sive ad Romanos Pontifices Prædecessores nostros, sive ad Pontificias Capellas, sive ad ipsum Auditorium tam accedentes, quam inde redeuntes, Roccheto exutos semper vidisse meminimus; à gravissimis tamen Viris docti, interdum alios Roccheto indutos, interdum alios eo exutos ad antedicta Officia persolvenda procedere, ac præsertim in eorumdem ad Auditorium accessu, & reditu, consuevisse; variam nec semper constantem fuisse cognovimus.

Declarat eos præfato Decreto non comprehendi.

§. 6. Eapropter Nos, attentis præmissis, effusa scilicet Innocentii Prædecessoris indulgentia, verborum in concessione hujusmodi adhibitorum amplitudine, & consuetudine atque usu non semper constanti, non immeritò ducimus, non obstante memorato dictæ Congreg. Decreto, (quod tenore præsentium Apostolica Auctoritate iterum confirmamus, & Apostolicæ firmitatis robore munimus, salvo semper, firmoque remanente ejusdem Congregationis jure), posse declarare, quemadmodum tenore, & auctoritate paribus declaramus, Capellanis Auditoribus præfatis competere, eosque habere facultatem, & licentiam deferendi Rocchetum, sive ad Romani Pontificis pro tempore existentis audientiam, sive Pontificias Capellas, & Functiones, sive ad Auditorium accedentes, & inde discedentes; &, quatenus opus sit, ut amplioribus benevolentiæ nostræ studiis Capellanos Auditores prædictos prosequamur, non solum laudatas Innocentii Prædecessoris prædicti Literas, ut præmittitur, à Nobis accuratè inspectas, & maturè expensas, tenore, & auctoritate paribus confirmamus; verum etiam, quatenus in ipsis Innocentii Prædecessoris prædicti Literis comprehensi non intelligerentur, nec essent expressi casus antedicti, tenore, & auctoritate similibus, de novo iisdem Capellanis Auditoribus facultatem, ac privilegium utendi, ac deferendi Rocchetum, cum, ut præmittitur, sive ad Romani Pontificis audientiam, sive ad Pontificias Capellas, & Functiones, sive ad Auditorium perrexerint, atque inde discesserint, tribuimus, & elargimur.

Et, quatenus opus, usum Rocchetti, secundum Litteras Innocent. X. eisdem indulget.

Clausulæ, & Decreta pro Indulti firmitate.

§. 7. Decernentes easdem præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, semper firma, valida, & efficacia existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari; sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ prædictæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quavis præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogationes.

§. 8. Non obstantibus præmissis, ac, quatenus opus sit, dictis Innocentii Prædecessoris prædicti Literis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die X. Aprilis MDCCXLIII. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Dat. die 10. Apr. 1743.

Pro D. Cardinali Passionei

Cajetanus Amatus.

De delatione, & usu Rocchetti.

Sacræ Congregationis Cæremonialis Decreta Sanctissimi Domini Nostri

BENEDICTI PAPÆ XIV.

Jussu edita.

CUM de mandato Sanctissimi Domini Nostri BENEDICTI Papæ XIV. propositi fuerint in Sacra Congregatione Cæremoniali nonnulli abusus, qui de recenti irrepserunt, inter quos est, quod Prælati Rocchetti usum habentes, illo indiscriminatim induti per Urbem incedant, ac insuetis, indebitisque lemniscis, vulgò *Fiocchi*, equos proprii currus exornent: brevioribus insuper nigris vestibus amicti Ecclesias adhuc lucente die, ingrediantur, Sacramentum publicè expositum veneraturi, vel recurrentibus Sanctorum sollemnitatibus Cultum adhibituri: atque debita ergà Sacrum Cardinalium Collegium publica visitationis officia, aliquandò non expleverint, tàm in primâ Prælatitii habitus susceptione, vel in nova Dignitatum, aut munerum assecutione, quam ergà eosdem Eminentissimos extrà Urbem degentes, dum per Civitates, ubi ipsi residunt, Prælati iter agentes, quamvis tempus congruum id permitteret, eos invisere non fategerint.

Eadem proinde Sacra Congregatio ad eos omninò eliminandos, enunciatis die, & mense, ità decrevit.

I. Nulli Prælatorum, cujusvis ordinis, aut Collegii fuerit, qui Rocchetti prærogativâ potitur, imposterum liceat eodem induto per Urbem incedere; Cum hoc gestare unicè ex Summorum Pontificum munificentiâ una cum lemniscis nigris ad equos proprii currus appensis, præcipuorum suorum officiorum ratione ac præstantiâ, permissum sit Almæ Urbis Gubernatori Vice-Camerario, Generalibus Reverendæ Cameræ Apostolicæ Auditori, ac Thesaurario, nec non utriusque Sacri Palatii Apostolici Præfecto, atque insuper ob distincti habitus accessionem, Mozzettæ scilicet à San. mem. Benedicto XIII. quatuor Patriarchis, Constantinopolitano videlicet, Alexandrino, Antiocheno, & Hierosolymitano concessæ, dum Mantelletto, ac prædicta Mozzetta ornati processerint.

II. Prælati autem, qui Rocchetti prærogativâ fruuntur, tunc tantum sument illud per Scalas Palatii Pontificii, Apostolicam Aulam, vel in antecedenti Cubiculo, illud Congregationum, aut Collegialium Actionum, quæ in eodem Palatio cum Rocchetto fient, ingressuri; nec non quando primum in promotione Sacro Senatui de novo adscriptos, & iterum Cardinalatus Insignibus decoratos, eos in suis Domibus visitabunt; quoties quemcumque ex DD. Cardinalibus primò invisent, vel Cardinali Rocchetto similiter induto in comitatus obsequiis erunt, sivè Domi fuerit, sivè extrà: Conveniendo insuper cum Oratoribus Principum, qui Aulâ gaudent Regia, publicâ sollemni pompâ procedentibus, & in actu pariter dumtaxat cujuscumque alterius publicæ, vel privatæ actionis, in qua Rocchetti usus, Dignitatis, vel muneris ratione eis competere potest.

III. Jussit item, ut Lemnisci, vulgò *Fiocchi*, aut quid similis ornatus, quocumque prætextu,

titulo, colore, aut forma, in Ephippiis Equorum Præsulum currus raptantium non apponantur. Etsi fortè appositа fuerint ornamenta, omninò amoveantur.

IV. Nulli prætereà Prælatorum, nisi Prælatitio habitu induto, publicas Ecclesias, in quibus Sanctissimum Sacramentum Fidelium venerationi fuerit expositum, vel alia quæcumque sollemnia inibi peragantur, diurno tempore ingredi liceat.

V. Statuit insuper S. Congregatio, ut Decreto alias per eam emanato die scilicet 26. Aprilis 1701., & a Sa. me. Clemente XI. approbato, nempè: Prælati usum Rocchetti habentes, eodem induti, Eminentissimos Dominos nuper creatos visitabunt, quos denuò cum Rocchetto, ut suprà, visitabunt, post susceptа Cardinalatus Insignia: adderetur, quod ipsi Prælati ejusdem visitationis officium explere teneantur, non solum statimac Prælatitium sumpserint habitum; sed etiam cum aliquâ distinctâ novâ Dignitate, vel munere fuerint insigniti, & occasione publici alterius Officii sibi ab Apostolica Sede collati, pro quo explendo ab Urbe sint recessuri, & quando, illo adimpleto, in Urbem redierint permansuri.

VI. Utque suprema Cardinalatus Dignitas semper, & ubique debito non fraudetur honore, decrevit itidem eadem Sacra Congregatio, quod Prælati tam privatâ, quàm publicâ Causâ itinerantes, dum eos per Civitates, in quibus aliquis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis adfuerit, transire acciderit, ergà ipsum, præfatum visitationis officium, prout tempus, & circumstantiæ ferent, explere non prætermittant.

Et facta per me Secretarium Sanctissimo Domino Nostro BENEDICTO Papæ XIV. de præmissis omnibus relatione, Idem Sanctissimus Dominus Noster prædicta Decreta, non solum approbavit, sed inviolabiliter præcepit servari, ac peculiariter Collegiis omnibus Prælatorum jussit significari, ne sub quovis prætextu, tolerantia, causa, vel colore, quæ superiùs præscripta sunt, secùs interpretando, variationi, vel omissioni subjaceant; sed omnimodè, prout exprimuntur, ab omnibus servanda mandavit, & quatenùs opus fuerit, pro eorumdem Decretorum executione ad omnia alia necessaria, & opportuna remedia, se deventurum expressit. Hac die 23. Novembris 1742. Sanctissimi Domini Nostri Pontificatus Anno III.

T. Episcopus Ostien., & Veliternen. Card. Rufus Sac. Collegii Decanus, Vice-Cancellarius, Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

Ignatius Reali Secretarius.

LXXXV. Matrimoniorum firmitati consulendo, damnantur, & annullantur pacta inter Conjuges inita de non appellando à sententia lata pro Matrimonii nullitate, confirmatur Constitutio edita super hujusmodi judiciorum forma; Ecclesiasticæ Disciplinæ observantia in Matrimonii celebratione commendatur.

Venerabilibus Fratribus, Archiepiscopis, & Episcopis Regni Poloniæ.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Connubiorū frequentes in Polonia solutiones aliàs improbatæ.

NIMIAM licentiam, ac libertatem, abusumque, in perpetuis indissolubilibusque vinculis Matrimoniorum canonicè celebratorum, diuturna etiam animorum concordia stabilium, nulla legitima causa intercedente, nec, si qua esset, juxta canonicas præscriptiones expensa, ac tanta cum facilitate, non sine gravi bonorum offensione, dissolvendis, in Ecclesiasticis istius Poloniæ Regni Curiis inductum vigentemque, per alias nostras in simili forma Brevis Literas die undecima mensis Aprilis anno millesimo septingentesimo quadragesimo primo ad Vos datas, deplorantes Nos, & detestantes, atque insimul Fraternitates Vestras rogantes, & in Domino exhortantes ad custodiendas vigilias super Ovibus vestræ curæ commissis, admonueramus, Nos hac in re salutares Leges modumque opportunum seriò meditari.

Leges super Matrimoniis occultis à Pontifice editæ.

§. 1. Interea certiores facti, in quamplurimis Christiani Orbis regionibus invectam esse pravam consuetudinem Matrimoniorum Occultorum, vulgò Conscientiæ dictorum, à quibus illa quoque, inter cæteras inde provenientes inordinationes, confusionesque, emanabat, qua occulta hujusmodi Matrimonia, aliis Matrimoniis cum aliis Conjugibus publicè celebratis, re ipsa solvebantur; per Encyclicas alias nostras Literas ad Venerabiles Fratres, Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & Episcopos universos die vigesima sexta mensis Augusti ejusdem anni scriptas, ea, ad antedictam pravam consuetudinem penitùs abrogandam, præscripsimus, quæ Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis consona, si accuratè servarentur, injectam Nobis sollicitudinem imminuerent.

Reformata Judicia Causarum Matrimonialium.

§. 2. Hisce insuper alias pariter nostras sub Plumbo Literas tertio nonas Novembres anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo primo expeditas addidimus, in quibus typorum arte editis, ac palam propositis, & vulgatis, statuimus, & in causis Matrimonialibus super Validitate, & Nullitate Matrimoniorum servandas mandavimus Leges, ac Regulas, quantum ab hominibus prospici potest, opportunas, ac necessarias, secundum quas Ecclesiastici Judices, neque culpa, & improbitate, neque inscitia, ac ignorantia abrepti, cum disceptationem de validitate, & nullitate Matrimoniorum hujusmodi apud ipsos haberi contigisset, non pro ingenio, sed pro justitia tutò sententiam suam ferre possent.

Idoneorum Judicum deputationi consultum.

§. 3. Præterea cum relatum objectumque esset, malum hujusmodi inde evenire, quod Commissiones, quæ quoad secunda in Causis Matrimonialibus edita postulata, & instantias dabantur, ad Viros ad Jus dicendum neque aptos, neque idoneos, sed judicandi prorsus incapaces dirigerentur: Nos non solum per Encyclicas alias Literas universis Antistitibus inscriptas, singulis injunximus, & mandavimus, ut unusquisque cum Capituli Cathedralis Ecclesiæ suæ consilio, eorum Virorum, quos ad grave Judicii hujusmodi ministerium probè, & sapienter obeundem aptos, & idoneos, rebus omnibus considerato exacteque expensis, in Domino reputassent, indicem confectum, ad Apostolicam hanc Sanctam Sedem mitterent; verum etiam in memoratis nostris sub Plumbo expeditis Literis addendum curavimus, ne antedictæ Commissiones in secundis Instantiis super Causis Matrimonialibus deinceps ad alios dirigerentur, quam ad viciniores Antistites; atque ut tunc dumtaxat, si fortè contingeret ita fieri non posse, ad quempiam ex indicatis Viris aptis, & idoneis Commissiones hujusmodi dirigantur.

Præsertim in hujusmodi causis.

§. 4. Ex præscriptis Apostolicæ providentiæ auctoritatisque nostræ Sanctionibus conceptam fiduciam sustentantes, fore nimirum, ut abusus antedictus, & omnis inordinatio istinc potissimum, quemadmodum alibi, benedicente Domino, evenire gratulabamur, penitus auferretur; ingenti cum Pontificii cordis nostri dolore

Præmissa à Polonis eluduntur, initis pactis pœnalibus de non appellando à sententia super nullitate Matrimonii.

accepimus,

accepimus, istic novas fraudes adinventas, novaque effugia quæsita, quibus Apostolicæ salutares Ordinationes eluderentur. Horret animus referre non solum Pacta inter conjuges, Matrimonii dissolutionem contendentes, vicissim conventa, ut alter eorum, post latam ab Ecclesiastico Judice super Matrimonii nullitate sententiam, ab eadem appellare audens, ad quamdam certam pecuniæ summam alteri de ipsa sententia acquiescenti solvendam teneatur, verum etiam ab Ecclesiastico Judice, apud quem appellatio instituta fuerit, Appellantem ad omnimodam summæ hujusmodi solutionem damnari.

Neglectus formæ præscriptæ pro celebratione Matrimonii, Fomes controversiarum super validitate.

§. 5. De hisce autem rebus accuratissimè exquisitis plenissimè docti, Nos in ea sumus sententia, inordinationem, confusionemque antedictam in Regno Poloniæ vigentem, majorem in partem, ex more modoque, quo Matrimonia per Poloniam contrahuntur, ac celebrantur, omnino exoriri. Sæpè numero enim, ac passim præsentia proprii Parochi, dum Matrimonium per verba de præsenti contrahitur, desideratur, & cuilibet Sacerdoti interessendi commissio, interdum inscio etiam proprio Parocho, demandatur. Frequentissimè etiam super denunciationibus per tres Festos dies inter Missarum solennia in Parochiali Ecclesia tam Viri, quàm Mulieris, de Matrimonio contrahendo fieri solitis, ac tantopere præscriptis, dispensatur; itaut, nulla intercedente legitima, & urgenti causa, ne una quidem denuntiatio fiat.

Pravi effectus, & scandala inde consequentia.

§. 6. Quamobrem obstructa omni via, qua ad agnitionem perveniri posset, an quodlibet Matrimonium cum debita utriusque Contrahentis libertate, & consensu celebretur; intercedatne inter utrumque Contrahentem impedimentum aliquod, cujus causa deinceps idem Matrimonium jam contractum dissolvi, & irritari debeat; Hinc opportunus datur locus frequentissimis super nullitate Matrimoniorum in facie Ecclesiæ etiam initorum disputationibus; interdum quidem contenditur Matrimonium, sive per vim, sive per metum, & sine alterius Conjugis libero consensu contractum fuisse; interdum verò impedimentum obtenditur, quod, cæteroquin legitimum, ac canonicum, ante reseiri potuisset, quàm Matrimonium contraheretur, nisi de industria, deditaque opera occultum esse voluissent; interdum etiam, quod frequentius accidit, inde Matrimonii nullitas arcessitur, quod coram alio Sacerdote, licet de commissione sive Parochi, sive Antistitis Ordinarii, sine tamen debitis consuetisque formis attributa, celebratum fuerit Matrimonium. Nemo sanè est, qui non intelligat, præmissa omnia, tamquam perpetuum Diabolicæ nequitiæ fomitem, apertumque sceleri aditum, in causa esse, & ut canonicum appellationis beneficium à Nobis in ultimis nostris Literis tantopere commendatum, quo alter Conjugum, post adjudicatam alteri super Matrimonii nullitate causam, frui potest, per hasce fraudes, & effugia impediatur, & ut frequentiores sint, non sine gravissima bonorum offensione, & scandalo, in Polonia hujusmodi Connubiorum dissolutiones.

Pontifex damnat, & annullat prædicta Pacta inita, sive ineunda.

§. 7. Itaque, ut injunctis imbecillitati nostræ Apostolici muneris partibus, quantum cum Domino possumus, satisfacere, & opportunum perniciosissimo huic malo remedium adhibere adnitamur, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium, non solum omnia, & singula ejusmodi pacta inter Conjuges, pro dissolutione Matrimonii quandocumque facienda, quomodolibet inita; verum etiam ea, quibus sive directe, sive indirecte, appellatio ab Judicis sententia jam lata super Matrimonii nullitate impediatur, etiamsi utraque pacta interposito jurejurando approbata, & confirmata, atque etiamsi ante editas nostras memoratas ultimas Literas quomodolibet conventa, & facta fuissent, nulla, invalida, irrita, nullius roboris, & momenti esse ac fore, & imposterum futura, & habenda esse declaramus, & nunc pro tunc annullamus, invalidamus, irritamusque; itaut nullo unquam pacto, tam in foro interno, quam externo, obligatoria sint & habeantur, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, a qua nemo, quicumque pacta hujusmodi celebraverit, præterquam a Nobis, & Romano Pontifice pro tempore existente Successore nostro, nisi in mortis articulo, absolutionem obtinere possit. Præterea eidem excommunicationis pœnæ ipso facto obnoxium esse & fore, eamque incurrere, & incursum esse pariter declaramus, & nunc pro tunc pronuntiamus, quemcumque Judicem, qui pacta antedicta executioni demandanda, & servanda curare, & pronuntiare ausus fuerit; ac propterea præfatas ultimas Literas, seu Constitutionem nostram, & quæcumque in iis, sive in ea, contenta, ac præsertim omne id, quod quoad ordinem seriemque appellationis à deputato Matrimonii Defensore, semper ac ab Judice contra ejusdem Matrimonii nullitatem sententia pronuntiata fuerit, interponendæ, continetur, statuitur, ac præcipitur, quatenus opus sit, iterum innovamus, & confirmamus, denuntiamusque; & Fraternitatibus Vestris eadem nostras Literas iterum proponendas, evulgandasque, in virtute sanctæ Obedientiæ jubemus, perinde ac si de verbo ad verbum iisdem præsentibus expressæ, & insertæ fuissent, quemadmodum earumdem tenorem ipsis præsentibus pro expresso, & inserto haberi volumus.

Eorum observantiam prohibet cõtrahentibus, sub pœna excommũ. reserv.

Leges a se statutas circa appellationes in causis Matrim. confirmat, & innovat.

§. 8. Quamquam vero quæcumque hactenus gessimus, retulimus, præscripsimus, satis esse intelligimus, ut Fideles istic præsertim Matrimonii sanctitatem cognitam habentes, ad Sacramentum hoc magnum, ea, qua decet, animi reverentia, ac pietate, ineundum accedant, eamdemque sanctitatem, mutuamque animorum concordiam perpetuò inviolatam indissolubilemque servent; tamen nostræ hac in re gravissima Apostolicæ sollicitudini haud satis esse ducimus, nisi Fraternitatibus Vestris proponamus præclaras salutaresque Leges, ac Regulas aliarum benè constitutarum Diœcesum, in quibus ferè nunquam, aut rarò lites super contractis Matrimoniis agitantur, & Sententiæ super eorumdem Matrimoniorum nullitate pronuntiantur.

Canonum observantiã, quoad celebr. matrim. Episcopis inculcat.

§. 9. Ac primum omnium, munus, quod ad proprium Parochum jure spectat, interessendi Matrimoniis celebrandis, per se ipse Parochus, nisi legitima gravissimaque de causa impeditus, obire tenetur.

Præsertim assistentiam proprii Parochi.

§. 10. Onus pariter proprio Parocho injunctum est, ut ante quam Denunciationes de ineundo Matrimonio publice in Ecclesia inter Missarum solemnia fiant, ipse tum Sponsum, tum Sponsam seorsim cautè, &, ut dicitur, ad aurem explorare studeat, an ex voluntate, sponte, ac libenter, & vero cum animi consensu, in matrimonium vicissim conjungantur; necnon ut, quantum fieri potest, inquirere nitatur, ullum ne, & cujus generis impedimentum inter Contrahentes intercedat; aliis ne fidem sponsionemque alter ex Contrahentibus dederit; de consensu ne Parentum Filii, Filiæque familias contrahant: Hæc, aliaque hujusmodi momenta postquam Parochi accuratissime exploraverunt; si aliquod eorumdem momentorum sive deficere, aut nocere posse deprehenderunt, suspensis interea denuntiationibus, illud, quod obstare possit, deferre tenentur ad proprium Antistitem, qui, prout res postulaverit, pro auctoritate, muneriisque sui debito, opportunè provideat.

Inquisitionẽ super contrahentium consensu, & impedimentis Matrim.

Trinam Matrimonii Denunciationem.

§. 11. Quod si Parochi nihil, quod Denuntiationibus publice, & de more faciendis obstet, tuto animadverterint, tunc illas per tres festos dies continuos in Ecclesia inter Missarum solemnia, juxta tam Concilii Lateranensis sub fel. record. Innocentio PP. III. Prædecessore nostro, quam Concilii Tridentini præscriptum, proponent, ut impedimentum, si quod prius reseiri non potuerat, ab interessentibus Auditoribus indicetur.

Mandat Ordinariis ne temere delegent alienum Sacerdotem ad assistendum celebr. Matrim.

§. 12. Etsi autem Antistites super ovibus sibi commissis vigilias, ea, quam ante diximus, salutari ratione, custodientes, non ignorant, Matrimonium coram quolibet Sacerdote non Parocho, facta illi copia, dataque licentia, sive a proprio Parocho, sive a Loci Ordinario Antistite, validum esse, auctoritatemque super Denuntiationibus dispensandi, atque ut una pro tribus, & ne una quidem, urgente legitima gravissimaque causa, Denuntiatio fiat, permittendi, se habere; tamen diligentissime cavent, ne ad libitum hac sua auctoritate, tum super Denuntiationibus dispensandi, tum cuilibet potius Sacerdoti, quam proprio Parocho facultatem, ut in contrahendis Matrimoniis interesse possit, committendi, nisi ubi ineluctabilem necessitatem ita exigere animadverterint, utantur. Immo cùm, ut præmissum est, commissionem hujusmodi necessario dandam esse perspexerint, eam non statim, sed postquam ex adhibitis diligentiis, acceptisque certis notitiis, sibi tutò constiterit nullum inter Contrahentes interponi impedimentum, impertiuntur.

Nec dispensent super denunciationibus, nisi juxta præscriptum Conc. Trid.

§. 13. Quoad dispensationem vero super Denuntiationibus, semper præ oculis Concilii Tridentini Decretum de reformatione Matrimonii habentes, apertissime intelligunt, facultatem in hujusmodi dispensationibus effrænatam immoderatamque sibi nullatenus inesse, sed facultatem ad prudentiæ rationem, legitimarumque causarum emergentes occasiones dirigendam, eâque cautè uti, ita ut hac in re semper recitent hæc ejusdem Concilii Tridentini verba: *Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, Matrimonium malitiosè impediri posse, si tot, nempe tres præcesserint Denuntiationes; tunc vel una tantum Denuntiatio fiat, vel saltem Parocho, & duobus, vel tribus Testibus præsentibus, Matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem Denuntiationes in Ecclesia fiant, ut, si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur.*

Leges Ecclesiasticas ipsi custodiant, & a subditis impleri curent.

§. 14. Hæc, Venerabiles Fratres, Antistitum gravissimas Episcopalis in Matrimoniis præsertim celebrandis ministerii partes adimplere studentium sollicitudo, diligentia, ac ratio agendi, omnes fere Connubiorum dissolutiones è medio tollit; hanc igitur sequamini. Per hanc semitam, non recens apertam, sed semper tuto tritam, & a laudato Concilio Tridentino tantopere commendatam, atque sub præcepto ad suscipiendam frequentandamque universis Antistitibus traditam, dirigite gressus vestros, ut injuncto Vobis oneri etiam hac in parte satisfacere possitis. Vigiles, ac solliciti adnitamini, ut Parochi, Animarumque Christifidelium Rectores, in partem laborum vestrorum Coadjutores vocati, in suis, ea, qua tenentur, vigilantia, sedulitate, & integritate, muneribus exercendis, per se ipsi omnem operam, & curam impendant. Ne patiamini, ut facili humanitate ducti, non autem legitima necessitate coacti, juridicam propriorum Parochorum præsentiam, in contrahendis Matrimoniis necessariam, ob quodlibet leve momentum removentes, cuilibet Sacerdoti in illis interessendi licentiam concedatis. Canonicas Ordinationes, ac Leges super Denuntiationibus ante contrahendum Matrimonium faciendis, non sine gravi animi angore, conscientiæque stimulo servandas, & summa cum nonnullorum offensione scandaloque minime prætereundas, Vos ipsi custodire, & ab aliis, quorum interest, re ipsa servari facite.

Contrarias consuetudines rejicit.

§. 15. Nec obtentu, prætextu, aut colore cujuscumque consuetudinis, & usus hactenus quomodolibet invecti, & in vestris Diœcesibus vigentis, eâ, quæ ad hæc usque tempora, super Denuntiationibus sine legitima causa dispensandi, versa est in fastidium, & tot litium fomitem, facilitate, deinceps abuti, audeatis; pernicioſa enim consuetudo, & auctoritatis abusus, non ad normam agendi, sed ad male actorum exprobrationem confert.

Adimit Nuntio Apostolico facultatem dispensandi super denunciat., & committendi assistg. tiam alienis Sacerdotibus.

§. 16. Quam vero Vobis, ad commissiones, & dispensationes hujusmodi præcipitanter effussèque dandas, exemplo, & incitamento fuisse asseritur, nimiam in iisdem tribuendis indulgentiam, qua vere, nec ne, Ordinarius Apostolicæ hujus Sanctæ Sedis in Polonia pro tempore existens. Nuntius, vigore facultatis, ipsi, inter cæteras tamquam à Latere Legato concedi solitas, utcumque hac in re competentis, easdem commissiones dispensationesque impertitur; ipsam moderno, & pro tempore existenti in Polonia Nuntio inhibendam mandamus, ut Fraternitates Vestræ, hoc exemplo, & incitamento etiam sublato, exinde sese à Commissionibus Dispensationibusve antedictis abstineant.

Acriora remedia adhibiturum se profitetur.

§. 17. Itaque, Venerabiles Fratres, nolumus Vos ignorare, Nos, tot nostras susceptas sollicitudines, tot nostras non omissas adhortationes, tot præscriptas Apostolicæ nostræ providentiæ auctoritatisque ordinationes, ex animi nostri, ad majorem Dei gloriam, Animarumque salutem intenti, sententia, minime succedere, nec pristinas in Matrimoniis ineundis dissolvendisque lites, & controversias è medio tolli animadvertentes, suprema auctoritate nostra, ad efficaciora, & asperiora remedia hisce malis curandis apta atque idonea opportune adhibenda, esse usuros: Vobis enim satis superque perspectum est, Nos justis, ac rationabilibus de causis, quemadmodum, si secus fortasse fiet quàm præscripsimus, certe accideret, Judicium Causarum Matrimonialium Poloniæ quoad primam etiam Instantiam reservare posse; & insuper, relicta Episcopis locorum prima, & Metropolitanis secunda Instantia, decernere, (ficut, necessitate tamen coacti, omnino decernemus,) ut in Causis Matrimonialibus Poloniæ, tum prima ab Episcopalibus, tum secunda à Metropolitanis Curiis Sententia, super nullitate Matrimonii pronuntiata, executioni minime demandetur, nisi utraque Sententia, cum rationum momentis, prius in Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum mature exacteque fuerit expensa, ac probata; necnon Matrimonium quodlibet, post utramque sententiam in Curiis vestris latam, vel interea temporis, dum in eadem Congregatione Cardinalium utraque sententia hujusmodi expenditur, vel nullo apud eamdem Congregationem Cardinalium habito recursu, quomodolibet, servatis etiam servandis, exinde contractum, nullum, irritum, nullius roboris, & momenti esse & fore declarare.

Eaque in promptu esse demonstrat.

Literarum firmitati consulit.

§. 18. Decernentes, easdem præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis quomodolibet jus, vel interesse habentes, seu habere prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis, seu alias specifica, & individua mentione, & expressione digni existant, iisdem præmissis non consenserint, nec ad ea vocati, seu auditi fuerint, tametsi suorum Indultorum, vel Privilegiorum vigore, consentire, seu vocari semel, vel pluries quomodolibet debuissent, aut ex alia quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, &

capite,

capite, etiam in corpore juris clauso, ullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & formali, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, in controversiam vocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis Oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari nullatenus posse; sed ipas præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, & ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuntios, aliosque quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus iis omnibus, quæ in sæpememoratis nostris Literis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Aliter judicari prohibet, irritans &c.

§. 19. Volumus denique, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Transumptis fidem haberi decernit.

§. 20. Cæterum Fraternitates Vestras in partem Pontificiæ sollicitudinis nostræ advocantes, rogamus, & quibus maximis possumus, Apostolicis exhortationibus excitamus, ut singulos Curiarum vestrarum Ministros, & Officiales, pietatis, probitatis, doctrinæ, prudentiæ, aliarumque Christianarum virtutum laude præstantiores, & diuturna experientia commendatos, semper ea, qua opus est, diligentia exquirere, & seligere studeatis; atque iisdem districte mandetis, ut ministerium suum quisque integerrime obire satagat; nec interea Vos de assidua vigilantia vestra quidquam omittatis; considerantes, & gravissimam Pastorum Principi Jesu Christo de procuratione Gregis Vobis crediti rationem esse reddendam, & æternam mercedem in Cœlis propositam iis, qui legitime certaverint, esse retribuendam. Nos interim ad prosperi successus auspicium, & ad Cœlestium Charismatum copiam promerendam, Fraternitatibus Vestris Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Ministrorum delectum, & in officio obeundo vigilantiam Episcopis commendat.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 18. Maji 1743. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Dat. die 18. Maji 1743.

D. Cardinalis Passionеus.

LXXXVI. Militiæ Hierosolymitanæ, & Incolis Insularum ipsius Ditioni subjectarum, plura Indulta conceduntur, ad formam Bullæ, quæ dicitur *Cruciatæ*.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Exordium a laudibus Ordinis Militaris S. Joannis Hierosol.

QUONIAM inter Militares Ordines, quibus Catholicam Religionem juvari, & ab Inimicis strenuè defendi gaudemus, Hierosolymitanus insignem retinet locum: Is enim pro Christi gloria, & contra perditissimos Mahumetana labe infectos homines summa contentione pugnans, Christianas Regiones ab illorum incursionibus totis viribus assiduè tuetur: Milites quoque, qui in eum recipiuntur, probata generis Nobilitate pollentes, ut alacrius in armorum exercitatione proficiant, promptioresque, & aptiores ad labores suscipiendos reddantur, domesticis relictis commodis, à nuptiis se abstinent, ac perpetuam vovent castitatem: Propterea Nos, Divinæ gratiæ munere in suprema Beati Petri Sede collocati, erga præclarum, & de Ecclesia, ac Sede prædicta optimè meritum Ordinem præcipuam Pontificiæ benevolentiæ significationem prodere cupientes, illum non solum peculiarium privilegiorum largitione ornare, sed etiam, in ejus necessitatibus, auxiliis prosequi ducimus oportunis.

Illius onus duplex, Bellum Sacrum, & Infirmorum cura.

§. 1. Cum itaque, sicut accepimus, Militia Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, ex sui Instituto, bellum adversus communem Christiani nominis Hostem incessanter, non aliquo tantum temporis spatio, nec aliquibus ad id impellentibus controversiis, sed perpetuò, totoque anni tempore gerat, ac in eum finem munitissimas, & bellico apparatu, omnique machinarum genere instructissimas Classes comparet, illasque à Dilectis Filiis Fratribus Militibus dictæ Militiæ rei maritimæ peritissimis directas, pro necessitate temporum huc illuc convertens, Mare Mediterraneum à Barbaris Prædonibus, & Piratis, in Mercatorum, ac iter facientium commodum, & securitatem, longe lateque tutum reddat; prætereaque, ex eodem Instituto, infirmorum curam in Xenodochiis exerceat, ac præmissa omnia, cum magna Christianæ Reipublicæ utilitate, & decore, huc usque laudabiliter adimpleverit, & executa fuerit; & ob id, ac etiam ob subsidia aliquoties Catholicis Principibus arma contra Inimicos Crucis Christi gestantibus data, ingentes, & penè innumeras pecuniarum summas insumpserit; ac communis Ærarii dictæ Militiæ redditibus, qui omnes in prædictorum Operum adimplementum erogangantur, ad tam gravia onera supportanda imparibus existentibus, magnam vim æris alieni, certis annuis responsionibus sub certis rationibus persolvendis subjecti, tam Romæ, quam Genuæ, & alibi contrahere coacta fuerit; & dudum ultimo Hungarico contra communem hostem prædictum gliscente bello, ex eo quod auxiliares electæ copiæ, experti Nautæ, & tormentorum bellicorum Magistri, tunc per eamdem Militiam in Hungariæ Regnum suppetias missi, penè omnes perierant, plurium annuarum præstationum favore Familiarum illorum qui tunc obierant, in tantæ Calamitatis levamen, distributarum, & insimul annuam summam octo millium scutorum excedentium (quæ aliquâ in parte fructu adhuc durant) oneri se subjecerit: Propterea eâdem Militiâ debitorum proprias vires excedentium pondere gravata existente, nec à suis Commendis, quæ Militibus Commendatoribus ejusdem Militiæ ex eis alimoniam percepturis, ac culturam bonorum, ac certorum onerum adimplementum, & præcipua dictæ militiæ munera executuris, & subituris, quorum decedentium, & in bonis habentium spolia ad dictum commune Ærarium spectant, conceduntur, ex quibus jam viginti duo cum dimidio prò quolibet Centenario reddituum illarum, communi Ærario prædicto quotannis persolvuntur, ullum aliud tam urgentibus indigentiis sublevandis aptum subsidium capiendi spe affulgente; bo. mem. Raymundus Despuig, tunc dum viveret, dictæ Militiæ Magnus Magister, alias fel. rec. Clementi PP. XII. Prædecessori Nostro

Quibus sustinendis ingentes sumptus impensi, & æs alienum contractum.

Absque spe levaminis ex redditibus ipsius Militiæ.

Preces oblatæ Clementi PP. XII.

demissas preces pro reportatione omnium Indultorum, ab Apostolica Sede, ob graves, & defensionem, ac propagationem dictæ Religionis importantes rationes, alibi concessorum, pro duarum, prædictæ Militiæ ditioni, & dominio subjectarum, Insularum, nempe Melitæ, & Gotii Incolis, detulerit; dictusque Clemens Prædecessor peculiari nonnullorum S. R. E. Cardinalium Congregationi ad id per eum tunc deputatæ preces hujusmodi remiserit, & Congregatio præfata illas, ac omnia, & singula nomine dicti Raymundi Magni Magistri, ac Consilii prædictæ Militiæ tunc allata maturè perpendens, rem tunc differre censuerit.

Item SSmo Domino Nostro.

§. 2. Ac deinde prædicto Clemente Prædecessore ab hac luce sublato, dilectus Filius Nobilis Vir Emanuel Pinto modernus dictæ Militiæ Magnus Magister, qui, sicut Nobis innotuit, post varia prædictæ Militiæ munera per eum laudabiliter & summa omnium commendatione gesta, eximiis præ cæteris virtutibus præditus, suis ità exigentibus meritis, eidem Militiæ Præfectus, ex quo amplissimam Dignitatem assecutus fuit, omnem diligentiam, & curam in promovendo Instituto prædicto viriliter conferre non destitit, præfatum negotium accuratiùs sibi assumendum ducens; secumque reputans æquiores urgentioresque causas pro elargitione Indultorum respectu supradictæ Militiæ, quàm aliorum Christianorum Principum, ratione prædicti Instituti, reperiri; Dilecto Filio Joanni Ludovico de Guerin de Tençin dictæ Militiæ Bajulivo, & alias Triremium Generali Præfecto, nunc apud Nos, & Sedem prædictam pro eadem Militia Oratori, easdem preces, quæ antea optatum effectum minimè sortitæ fuerant iterum repetendas, ac Nobis solo Dei nutu ad summi Apostolatus Apicem evectis, ferventiùs porrigendas commiserit; & prædictus Joannes Ludovicus, qui ob egregias, nobilesque animi sui dotes, atque in rebus etiam gravioribus gerendis præstantem peritiam, Nobis apprimè acceptus & gratus existit, commisso sibi negotio totis viribus incumbens, pro ope, prævia dictorum Indultorum impartitione, eidem Militiæ opportune ferenda, ferventer insteterit: Cumque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dicti Emanuelis Magni Magistri petitio continebat, Militia prædicta, nisi ei aliquod congruum subsidium per Nos, & Sedem prædictam prompte feratur, onera sibi, ut præfertur, incumbentia, & in vim Instituti prædicti per eam sufferri solita, non sine gravi Christifidelium incommodo & detrimento, diu sufferre nequeat; Et, sicut eadem petitio subjungebat, si saltem infrascripta privilegia, & Indulta universis Christifidelibus in duabus Insulis prædictis, illarumque adjacentiis commorantibus, ut infra, concederentur, & impartirentur, ex hoc profecto Christifideles hujusmodi, spe assecutionis spiritualium bonorum permoti, ad Eleemosynas communi Ærario prædicto conferendas allicerentur, & adducerentur, & eadem Militia subsidia, quibus valeret Institutum prædictum explere, perciperet: Quare pro parte ejusdem Emanuelis Magni Magistri Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus felici, & prospero dictæ Militiæ profectui in prosecutione prædictorum piorum operum, aliisque permissis, opportunè consulere de benignitate Apostolica dignaremur.

Pontifex postulatis annuens, ad sexennium cõcedit, ut infra.

§. 3. Nos igitur, qui Viris nobilibus, virtute, & Religione præcellentibus, qui dum pro Christianæ Reipublicæ defensione labores, & pericula subeunt, debitam erga dictam Sedem Apostolicam reverentiam adhibere non omittunt, in eorum indigentiis adjutrices porrigimus manus; &, ne difficultate rei pecuniariæ a proposito commendabilium suarum exercitationum studio retardentur, libenti animo occurrimus; eumdem Emanuelem Magnum Magistrum, ejusdemque militiæ Milites, specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præsentibus Nostris Apostolicis Litteris, ac omnibus, & singulis facultatibus, & indultis, & gratiis in eis contentis, ad sexennium, a die primæ præsentium publicationis, ut infra, faciendæ inchoandum, & non ampliùs, nec ulteriùs valituris;

§. 4. I. Magno Magistro dictæ Militiæ, expeditionibus contra Turcas, & Infideles assidua cura & diligentia incumbenti, necnon omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus in una, & altera Insulis, illarumque adjacentiis, dominio dictæ Militiæ, ut præfertur, subjectis, commorantibus, & ad illas declinantibus, qui intra annum, a die publicationis earumdem præsentium in locis dictarum duarum Insularum, ubi libuerit, faciendæ inchoandum, fidei zelo moti, ad Classes, aut ad quælibet Navigia, a Militia prædicta contra Turcas, & Infideles hujusmodi quomodolibet instructa, seu aliàs ad Copias per Militiam prædictam collectas, pugnaturi, aut aliud genus servitii, sive Terra, sive Mari gratis facturi accesserint, & in uno, seu pluribus Navigiis, aut ubicumque locorum, juxta Ordinationem a dicta Militia faciendam, per eumdem annum permanserint, vel etiamsi morte præventi integrum annum non expleverint, aut propter infirmitatem, seu aliam supervenientem necessitatem, inde recesserint; vel qui propriis expensis, pro modo facultatum, unam, seu plures personas per dictum integrum annum, ut præfertur, pugnaturas, aut servitium prædictum præstituras miserint; necnon iis, qui nec ibunt, nec mittent, si tamen infra dictum annum aliquam Eleemosinam in causam prædictam tantùm, & non in alios etiam pios usus convertendam, juxta facultatem, & qualitatem personarum, ad arbitrium infrascripti Prioris, seu Presbyteri a dicto Magno Magistro, ut infra, nominandi, seu designandi, spontè contulerint; Capitulis quoque Ecclesiarum, Monasteriorum, & Locorum etiam Regularium, & cujusvis Ordinis Mendicantium, tàm Masculorum, quàm Fœminarum, si pro decem personis eorumdem Capitulorum, & Locorum, præcedente Capitulari, seu Conventuali deliberatione, unam personam pro effectu præmisso etiam miserint, aut pro eadem persona stipendium pro dicto integro anno contribuerint; illis pariter, qui, ut præfertur, missi fuerint, si Pauperes extiterint: Præterea etiam *Clericis*, seu *Presbyteris* sæcularibus, qui a suis Ordinariis, & Regularibus, qui a suis Superioribus respectivè licentiam habentes, Verbum Dei Militibus, sub vexillo dictæ Militiæ adscriptis, aliisque personis inibi inservientibus prædicaverint, illorumque sacramentales Confessiones audierint, seu Missæ Sacrificium celebraverint, aut alia Ecclesiastica, & pia Ministeria exercuerint, (quibus, sæcularia, vel Regularia Beneficia obtinentibus, beneficiorum hujusmodi, exceptis illis dumtaxat, quæ Curam animarum annexam habeant, servitium per idoneos Vicarios interim præstari concedimus), respectivè verè pœnitentibus, & confessis, aut si non valeant confiteri, id corde desiderantibus, Plenariam omnium, & singulorum suorum peccatorum Indulgentiam, & Remissionem, quæ proficiscentibus ad recuperationem Terræ Sanctæ, quæque in anno Jubilei concedi consuevit, quam etiam simili modo lucrari valeant prædicti Fideles omnes, & singuli, qui forsitan non expleto anno ab hac luce migraverint, Apostolica auctoritate, earumdem tenore præsentium, concedimus, & elargimur.

I. Indulgentiam Plenariam in forma Jubilei &c. euntibus infra annum ad expeditionem contra Infideles cum Classe, aut Copiis Militiæ Hierosol.

Item mittentibus propriis expensis unam, aut plures personas.

Aut Eleemosinã in hunc finem conferentibus.

Capitulis quoque Ecclesiarum, & Regularibus, mittentibus, aut contribuentibus, ut supra.

Ipsisque ad expedition. missis; necnon Divina peragentibus in Castris &c.

§. 5. II. Omnibus quoque, & singulis Christifidelibus prædictis, ut ipsi dicto anno durante, possint, in Ecclesiis, in quibus aliàs Divina

II. Prædictis omnibus concedit, ut Missas Inter-

dicti tempore, celebrari facere possint.

Officia interdicto durante quomodolibet celebrare permissum fuerit, vel in privato Oratorio ad Divinum Cultum tantùm deputato, ab Ordinario visitando, & designando, etiam tempore Interdicti, cui ipsi causam non dederint, vel per eos non steterit, quominùs amoveatur, & illi, qui facultatem ad id ab infrascripto Priore, seu Presbytero deputando aliàs habuerint, etiam per horam antequam illucescat dies, & per horam post meridiem, in sua, ac Familiarium, & Domesticorum, ac Consanguineorum suorum præsentia, Missas, & alia Divina Officia, per se ipsos, si Presbyteri fuerint, vel per alium, celebrari facere, & tempore Interdicti illis interesse, clausis januis, & non pulsatis Campanis, & excommunicatis, ac specialiter Interdictis exclusis; Ita tamen, ut, si privato Oratorio ad præmissa uti voluerint, quoties id fecerint, aliquas preces Deo pro unione Principum Christianorum contra Infideles, eorumque contra eosdem victoria fundere teneantur: necnon durante hujusmodi interdicto, Eucharistiam, & alia Sacramenta in dictis Ecclesiis, vel Oratorio, præterquam in die Paschatis, recipere, ipsorumque Christifidelium, tempore interdicti hujusmodi decedentium, Corpora, (nisi forte vinculo excommunicationis innodati decesserint) cum moderata funerali pompa sepeliri valeant.

Et durante Interdicto, Sacramenta sumere, & Ecclesiastica sepultura gaudere.

§. 6. III. Et insuper ut tam quadragesimalibus, quàm aliis anni temporibus, & diebus, quibus esus carnium, ovorum, casei, butyri, & aliorum lacticiniorum prohibitus fuerit, eisdem ovis, caseo, butyro, & aliis lacticiniis, ac etiam, si necessitas, vel infirma Corporis valetudo, ac alia quæcumque indigentia exegerit, carnibus, de utriusque Medici consilio, exceptis tantum diebus majoris Hebdomadæ, die Cinerum, seu Feria quarta in capite Jejunii, Vigiliis Natalis Domini Nostri Jesu Christi, Pentecostes, Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, & quatuor temporum, uti, & vesci; servata tamen lege Jejunii per unicam comestionem, aliisque contentis in Nostris Litteris noviss. emanatis, sub Datum Romæ die trigesima Mensis Maji Anni MDCCXLI., quibus nullatenus per has præsentes intendimus derogare, respectivè, liberè, & licitè omnes Christifideles supradicti, præter personas tamen Regulares non Militares, possint, & valeant, eadem Apostolica auctoritate concedimus, & indulgemus.

III. Lacticiniis vesci diebus prohibitis. Carnibus quoque, in casu necess.

Servata tamen lege Jejunii.

§. 7. IV. Item eisdem Christifidelibus dicto anno durante, in singulis diebus Stationum Almæ Urbis nostræ quinque Ecclesias, seu Altaria, aut in illorum defectum, quinquies unum & idem Altare, Monialibus verò cujusvis Ordinis, & Instituti Regularis existentibus, ac Mulieribus, & Puellis in quibusvis Monasteriis, seu Conservatoriis degentibus, si forte Ecclesias non habuerint, Cappellas ab earum legitimis Superioribus designandas respectivè devote visitantibus, & in eis pias ad Deum preces pro supradicta unione, & victoria effundentibus, omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes, aliàs Ecclesiis tam intra, quàm extra mœnia prædictæ Urbis, ad quas dictæ Stationes fixæ existunt, concessas, eadem Apostolica auctoritate misericorditer in Domino concedimus. Quas tam pro se, quàm pro Defunctis, pro quibus visitaverint, consequi valeant.

IV. Indulgentias Stationum Urbis, ubique lucrari valeant.

§. 8. V. Et insuper eisdem Christifidelibus, quod ipsi bis, hoc est semel in eorum vita, & semel in mortis articulo, possint sibi eligere Confessarium ex approbatis ab Ordinario Loci, qui eos a quibuscumque peccatis, & Censuris, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, absolvere liberè, & licitè valeat; quod tamen Indultum eligendi Confessarium, & absolvendi a reservatis, non habere locum cum Regularibus utriusque sexus quorumcumque Ordinum, Congregationum, Societatisque, & Instituti, tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, non tamen Militum Militiæ hujusmodi, perpetuò declaramus, inhærentes aliis hujus Sanctæ Sedis, & plurium Prædecessorum Nostrorum, præsertim Clementis VIII., & Urbani VIII. circa Bullæ Cruciatæ, ac similia Indulta, perpetuis futuris declarationibus. Quodque ipsis per eumdem Confessarium vota quælibet simplicia per eos emissa, exceptis Religionis, Castitatis, ac Ultramarino, & Visitationis Liminum Apostolorum, in alia Pia Opera ritè commutari possint, ac valeant, concedimus, & elargimur.

V. Et Confessarium sibi eligere semel in vita, & in artic. mortis, cum facultate absolvendi a reserv.

Et commutandi Vota simplicia.

§. 9. VI. Præterea, ut iidem Christifideles, non tantùm semel, sed bis singulo quoque anno, quo harum gratiarum, seu facultatum summarium sumpserint, tam pro se, quàm per modum Suffragii pro Animabus in Purgatorio detentis, Indulgentias, Concessiones, Gratias, & Indulta prædicta consequi, eisque infra eumdem annum bis, ut præfertur, uti, & potiri, ac dictorum bonorum spiritualium participes fieri valeant, in Domino pariter concedimus.

VI. Ut accipientes summarium harum gratiarum, præmissas Indulgentias, & concessiones bis quolibet Anno lucrentur.

§. 10. VII. Ulteriùs eidem Priori, seu prædicto Presbytero, ut infra, deputato, quod ipse super irregularitate cum his, qui, Ecclesiasticis Censuris ligati, Missas, & alia Divina Officia (non tamen in contemptum Clavium) celebraverint, aut aliàs se Divinis immiscuerint, & super alia qualibet Irregularitate ex delicto proveniente; dummodo tamen irregularitas hujusmodi ex quovis homicidio, sive opera, sive consilio, & prava insinuatione perpetrato, aut simonia, vel apostasia a Fide, aut hæresi, vel a mala Ordinum susceptione, seu ex alio delicto scandalum in populo generante, non provenerit; & dummodo quis in irregularitate hujusmodi per sex Menses non insorduerit, cum retentione Beneficiorum forsitan sub ejusmodi irregularitate receptorum, non tamen Curam Animarum annexam habentium, nec Dignitatum in Cathedralibus, & Collegiatis, neque Canonicatuum in eisdem Cathedralibus Ecclesiis existentium, & fructuum ex eisdem Beneficiis non exceptis perceptorum compositione, in subsidium prædictarum expeditionum impendenda, & infamiæ, ac inhabilitatis exinde provenientis abolitione, & executione Ordinum, non malè susceptorum, dispensare.

VII. Facultates quoad absolutionem ab Irregularitate.

§. 11. VIII. Item quod cum personis nobilibus, & quæ, juxta ipsius Prioris, seu Presbyteri, ut infra, deputandi prædicti, arbitrium, qualificatæ fuerint, ut Missas per horam ante lucem, ac per horam post Meridiem audire, & celebrari facere valeant, indulgere.

VIII. Nobiles, & qualificatæ personæ Missam ante lucem, & post meridiem celebrari facere possint.

§. 12. IX. Quodque illos Clericos, seu Presbyteros, qui ad restitutionem fructuum Beneficiorum simplicium tantùm, non tamen personalem residentiam requirentium, neque Curam Animarum annexam habentium, ex omissione recitationis Horarum Canonicarum, tenebuntur, ad congruam compositionem super eisdem fructibus dictæ restitutioni subjectis, erogandam pro meditate Ecclesiis, vel aliis locis, quarum, vel quorum ratione Horas prædictas recitare debent, & pro altera meditate in causam expeditionum hujusmodi, admittere.

IX. Facultas componendi cum Beneficiatis super fructibus restituendis.

Compositiones quomodo erogandæ.

§. 13. X. Et insuper quod super injustè ablatis, seu acquisitis, quando domini, quibus restitutio facienda esset, post debitam diligentiam pro iisdem inveniendis adhibitam, reperiri non possunt, & præstito per debitores juramento de hujusmodi diligentia per eos facta, competenter componere, itaut Debitores pro foro Conscientiæ liberari possint, dummodo tamen iidem Debitores in confidentiam, & sub spe

X. De injustè acquisitis, seu ablatis.

hujus compositionis illa non abstulerint, seu acquisiverint, & ita ut hujusmodi compositio erogari in subventionem prædictarum expeditionum debeat, liberè, & licitè possit, & valeat, auctoritate Apostolica facultatem tribuimus, & impartimur.

Commissarius pro executione a M. Magistro deputandus, & a Sancta Sede confirmandus.

§. 14. Demum ut præsentes Litteræ suum plenum sortiantur effectum, & Facultates, Concessiones, Indulta, Elargitiones, & Indulgentiæ, aliaque præmissa, debitæ executioni demandentur, ac ex eis prædicta Militia conveniens, & in causam expeditionum hujusmodi omninò, ut præfertur, convertendum emolumentum percipere valeat, nunc, & tempore dicti sexennii existens prædictæ Militiæ Magnus Magister, (cui Nos necessarias, & opportunas ad infrascriptam nominationem liberè, ut infra, exercendam facultates earumdem tenore præsentium tribuimus,) Priorem Conventus Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani Melitæ existentis, seu, quatenus ipse Magnus Magister ex rationabilibus causis magis convenire putaverit, aliquem ex Presbyteris Conventualibus dictæ Militiæ nominare curabit; Et, si, durante prædicto sexennio nominationem per eum factam, etiam rationabilibus causis urgentibus, variare duxerit, alterum ex Priore, seu Presbyteris Conventualibus prædictis iterum nominabit; Nos enim ex nunc personam per eum prima, aut secunda vice, ut præfertur prædictam, & successivè Litteris Apostolicis sub Annulo Piscatoris in forma Brevis super hujusmodi nominationis confirmatione, totiès, quotiès nominari contigerit, desuper expediendis, muniendam, in præcipuum Executorem, seu Commissarium earumdem præsentium; Itaut ipsa persona hujusmodi dictas præsentes, etiam in vernaculam Linguam convertere, seu in Compendium, convenienti addito procœmio, reducere, illasque, & in eis contenta prædicta, aut compendium hujusmodi, in quibuslibet dictarum duarum Insularum, illarumque adjacentium locis, ubi magis libuerit, viva voce, seu scriptis, aut typis impressis exemplis, publicare, & enunciare, ac Eleemosynas in Causam expeditionum hujusmodi, ut præfertur, contribuendas ad sui arbitrium, juxta opes, & facultates, ac qualitates personarum contribuentium, determinare, & definire: Atque omnia, & singula alia, quæ faciliori, & expeditiori executioni earumdem præsentium conferre visa fuerint, peragere; ac ulteriùs Depositarium, Ratiocinatorem, aliosque similes Officiales, de consilio tamen, ac consensu Magni Magistri pro tempore designandos, eligere quoque possit, & valeat, eadem Apostolica auctoritate constituimus, & deputamus.

Ejusdem Commissarii facultates.

Derogatur contrariis.

§. 15. Non obstantibus Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque etiam in Synodalibus, Provincialibus, Generalibus, Universalibusque Conciliis editis, vel edendis, specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quibusvis suspensionibus, seu limitationibus similium concessionum, & facultatum per Nos, & Sedem prædictam quomodolibet factis, necnon dictæ Militiæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, stabilimentis, usibus, & naturis, ac ordinationibus Capitularibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis eidem Militiæ, ejusque Magno Magistro, necnon etiam Conventui, & Fratribus Militibus, ac quibusvis illorum personis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis Clausulis, ac etiam irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis; Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio facienda, & habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores eisdem præsentibus etiam pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, latissimè, & plenissimè, ac specialiter, & expresè harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Eleemosynæ in usum expeditionum tantum erogandæ.

§. 16. Volumus autem, quod omnes, & quæcumque Eleemosynæ in causam expeditionum hujusmodi quandocumque, quomodocumque, ac a quibusvis personis contribuendæ, in supra expressam causam tantum impendantur, & non in alios etiam pios usus, sub pœna caducitatis, & cassationis omnium, & singulorum Privilegiorum, ac Concessionum prædictorum, distrahantur, & convertantur.

Fides præstanda transumptis.

§. 17. Præterea etiam volumus, quod earumdem præsentium transumptis, etiam typis impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo alicujus Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra illud, adhibeatur, ac si illæ exhibitæ forent, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 18. Nulli ergo omninò hominum liceat, hanc paginam nostræ concessionis, elargitionis, indulti, impartitionis, constitutionis, deputationis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 16. Decembris 1743.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLIII. 17. Kalendas Januarii, Pontificatus Nostri Anno Quarto.

Expedit. per Officium Min. Gratiæ.

LXXXVII.

Decreta de Ritibus Græcorum Melchitarum Patriarchatus Antiocheni; de jurisdictione Patriarchæ, & Episcoporum ejusdem Nationis; deque Monachorum, & Monialium disciplinâ, in unum collecta promulgantur.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchæ Antiocheno Græcorum Melchitarum, & omnibus ejusdem Ritus Catholicis Episcopis, eidem Patriarchæ subjectis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Pontificis cura de statu omnium Ecclesiarum.

DEMANDATAM cælitùs humilitati Nostræ omnium Ecclesiarum curam subeuntes, sub ipsum initium Pontificatus Nostri, per encyclicas Literas datas die 3. Decemb. anni 1740. ad Venerabiles Fratres, Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & Episcopos per universum terrarum Orbem regentes Ecclesiam Dei, inter cæteros animi nostri sensus, quos illis manifestos esse voluimus, eosdem etiam omnes hortati sumus, ut quibuscumque in rebus, ad Catholicæ Fidei, disciplinæque conservationem & incrementum pertinentibus, Nostram atque hujus Sanctæ Sedis auctoritatem & opem sibi, suisque Ecclesiis necessariam contingeret, de iis ad Nos cum omni fiducia referre non dubitarent; atque omnibus illis ea adjumenta polliciti sumus, quæ ab Apostolica suprema Potestate

Nobis concredita, & ab ea sollicitudine, quæ nostrum Pastorale decet officium, inferiorum Ecclesiarum Prælatis afferri maximè convenit. Hæc autem à Nobis universo Episcoporum cœtui publicè promissa eum semper huc usque omni cura, & vigilantia, in mediis etiam difficillimorum temporum perturbationibus, Domino vires subministrante, effectu complere studuerimus; atque iis omnibus, qui hortationibus nostris excitati, de suis, suarumque Ecclesiarum rebus ad Nos adierunt, ea omnia præstiterimus, quæ tùm ad propriam ipsorum, tùm ad animarum ipsis subditarum incolumitatem, atque utilitatem conducere judicavimus; Minimè quidem negligendum esse censuimus recursum, quem de rebus non parvi momenti, & aliàs ad sel. rec. Prædecessores Nostros Benedictum XIII., & Clementem XII., & nuper ad Nos ipsos habuerat Ven. Frater Cyrillus Patriarcha Antiochenus; qui, ardenti zelo erga Fidei, & disciplinæ puritatem, atque animarum salutem impulsus, pro quo etiam illustres labores extant-lasse, & magna pericula adiisse dignoscitur, complura dubia in suæ, aliarumque Ecclesiarum sibi subjectarum regimine incidentia, & varia postulata de rebus, suâ sententiâ, sibi oportunis, ad hujus Apostolicæ Sedis judicium, more Majorum, detulerat; ut suprema Romani Pontificis auctoritate, & omnis dubitationum ambiguitas, errorumque tolleretur occasio, & Ecclesiastici regiminis ordo, ac tranquillitas, in iis regionibus, ad Populorum salutem providis legibus assereretur.

Dubia, & postulata à Patriarcha Antiocheno ad Sanctam Sedem referuntur.

§. 1. Itaque laudabili, justoque illius desiderio obsecundare, ejusdemque iteratis precibus, quantum oportunè fieri posset, satisfacere cupientes, totam rerum summam longo intervallo jacentem resumpsimus, eamque per nosmetipsos examinare, atque accuratè definire volentes, summo studio, ac diligentia prædicta Dubia, & Postulata singulatim perpendimus; adhibitisque in consilium nonnullis ex Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ex eo cœtu delectis, qui Propagandæ Fidei negotiis præsunt, tùm etiam aliquibus ex Clero Sæculari, & Regulari gravibus Viris, ac Theologica, & Canonica facultate præstantibus, quos omnes coram Nobis semel, bis, tertiò de prædictis rebus sententias suas aperire mandavimus; ea tandem decernere, atque sancire statuimus, quæ per has Litteras Nostras, Vobis, Venerabiles Fratres per universum Antiochiæ Patriarchatum Orthodoxis Græco-Melchitarum Ecclesiarum Episcopis, tenenda, atque observanda, Apostolica auctoritate declaramus; maximam de vobis omnibus in Domino fiduciam habentes, fore, ut Paternæ Nostræ erga Vos charitati, ac studiosæ de rebus vestris sollicitudini, integrâ, promptâque, ut par est, obedientiâ, atque observantiâ respondeatis.

Pontifex ea expendit, cum consilio &c. &, ut infra, decernit.

§. 2. Porro ex dubiis, & postulatis à prælaudato Ven. Fratre Cyrillo Patriarcha propositis, aliqua pertinent ad conservationem Rituum, & Morum Ecclesiæ Græcæ, tùm universorum in genere, tùm eorum in specie, qui ad jejuniorum observantiam, & Sacrosancti Missæ Sacrificii celebrationem attinent; Alia versantur circa Jurisdictionem ejusdem Patriarchæ, & Episcoporum ei subjectorum, quam hinc ab Episcopis Maronitis, hinc verò à Missionariis Latinis perturbari asseritur: Nonnulla denique spectant ad Monachorum disciplinam, eorumque legitimam Superioribus subjectionem; tum etiam ad Religiosarum Fœminarum vivendi Regulam, earumque regimen, & tutelam.

Quæsitorum partitio.

§. 3. De Ritibus igitur, & moribus Ecclesiæ Græcæ illud imprimis generatim statuendum decrevimus, nemini licuisse, aut licere, quovis titulo, & colore, & quacumque auctoritate, aut dignitate, etiamsi Patriarchali, aut Episcopali præfulgeat, quidquam innovare, aut aliquid introducere, quod integram, exactamque eorumdem observationem imminuat. Hinc est, quod Euthymii olim Archiepiscopi Tyri, & Sidonis, Viri alioquin Catholici, reique Christianæ propagandæ studiosissimi, factum, aliàs ab hac Sede Apostolica de anno 1716. improbatum, iterùm cogimur reprobare; inductamque ab eo, auctoritate propria, inconsultoque Romano Pontifice, nonnullarum Ecclesiæ Græcæ consuetudinum immutationem, revocamus, atque irritam fuisse, & esse decernimus; omnesque imposterum, & singulos Ecclesiæ Græcæ Ritus, & mores à Patribus traditos omnino servari mandamus; specialiter injungentes Ven. Fratri Patriarchæ Antiocheno, ut eorum conservationi diligenter invigilet; ac provideat, ne ulla novitas (unde confusionis, ut plurimùm, & scandali occasio) in ipsis introducatur: Permittentes solummodò eidem Patriarchæ, & Episcopis Catholicis in propriis Diœcesibus facultatem corrigendi, atque extirpandi abusus, si quos, aut errore vulgi, aut schismaticorum dolo, sive sæculi vitio inter eos irrepsisse compererint; vel etiam aliqua peculiaria pietatis exercitia admittendi, ac probandi, si quæ ad promovendam Fidelium religionem apta, & proficua prudenter in Domino judicaverint.

Nihil innovari jubet circa Ritus Eccl. Græcæ in genere.

Innovationes ab Archiep. Tyri inductas reprobat.

Patriarchæ injungit, ut pro receptarum consuetudinum observantia invigilet. Salva ejusdem, & Episcoporum auctoritate quoad indifferentia.

§. 4. Huic autem sanctioni generaliter à Nobis prolatæ consentaneum est, ut illæ consuetudines in specie, quæ aliquam mutationem, aut detrimentum subiisse feruntur, in pristinum vigorem reducantur, & restituantur.

De aliquibus Ritibus in specie.

§. 5. Cum itaque prædictus Cyrillus Patriarcha Antiochenus in quodam Episcoporum consessu de anno 1736. in Monte Libano habito, supra enunciati Euthymii Archiepiscopi exemplum aliqua ex parte sequendum sibi esse duxerit; ignorans verò, ut asseritur, Apostolicæ Sedis Decreta, quæ ad ipsius petitionem anno 1732. prodierant, (& quorum quidem executionem, ab eodem in accipienda suæ Dignitatis confirmatione in genere promissam, pro illius perspecta vitæ, officiique religione, & constanti in hanc Sanctam Sedem observantia, nunquam eum scienter prætermissurum fuisse, in animum inducimus); non solùm sibi licere, sed etiam expedire putaverit, receptam Ecclesiæ Græcæ disciplinam circa jejunia immutare: Considerans nempe inopiam complurium suorum subditorum Græco-Melchitarum, desertos Arabum pagos incolentium, ubi ciborum Quadragesimalium maxima est penuria; magnam insuper severitatem, ac diuturnitatem abstinentiarum, quæ in Ecclesia Græca observantur; ubi nimirum, præter jejunium Quadragesimæ, quod in tota Ecclesia Paschalibus Resurrectionis Domini Festis Apostolica institutione præmittitur, similis etiam quadraginta dierum abstinentia Natalitiæ Christi solemnitati præcedit; tum alia quatuordecim dierum ante Festum Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis observatur; & alia demum ante Festum Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, totidem dies complectens, quot à Feria secunda post Octavam Pentecostes ad eorumdem Apostolorum Festum intercurrunt: Perpendens etiam relaxationem disciplinæ, quæ per Euthymii decreta jam apud illas Gentes invaluerat, difficilè posse ad veterem rigorem revocari: super tribus hujusmodi abstinentiis postremo loco recensitis, quo ad omnes Incolas Pagorum Montanorum, perpetuo dispensans, eas coarctaverit singulas ad unum diem immediatè præcedentem enunciatas solemnitates Natalis Christi, Assumptionis B. Mariæ Virginis, & Martyrium SS. Apostolorum Petri, & Pauli.

De disciplina jejunii perperam immutata.

Abstinentiæ à Græcis servari solitæ.

Earum reductio à Patriarcha attentata.

§. 6. Nos

Factum Patriarchæ annullatur; vetus observantia constabilitur.

§. 6. Nos hujusmodi innovationem, & abstinentiarum relaxationem, & coarctationem, in nimium detrimentum veteris Græcarum Ecclesiarum disciplinæ vergere judicantes; licet alioquin, deficiente auctoritate Apostolicæ Sedis, nullius roboris esse dignoscantur; eas tamen auctoritate Nostra expresse revocamus, & nullum effectum imposterum habere, neque ullatenus executioni mandari; sed omnia in pristinum restitui debere, jubemus. Atque insuper in toto tractu Patriarchatus Antiocheni laudabilem consuetudinem à Majoribus derivatam, abstinendi etiam qualibet Feria quarta, & sexta per annum ab esu piscium, quæ ab aliis quoque finitimis Populis ejusdem Græci Ritus exactè custoditur, indistincte servari præcipimus.

Confirmantur aliæ abstinentiæ Græcorum per annum.

Facultas Patriarchæ conceditur dispensandi cum singulis universitatibus in casibus particularibus.

§. 7. Et nihilominus decreta Congregationis Particularis de Propaganda Fide alias die 22. Januarii anni 1732. de ejusmodi rebus edita, & à prædicto Patriarcha, ut asseritur, ignorata, renovantes, ac Paterno animo commiserantes egestatem Fidelium Incolarum Libani, & Anti-Libani, & inopiam ciborum Quadragesimalium, quæ in plerisque locis illius tractus adesse fertur, ob quam sæpè accidit, ut carnibus, & lacticiniis necessariò vesci debeant; indulgendo statuimus, ut, illæsa remanente etiam quoad illos generali lege de jejuniis, & abstinentiis, à qua nemini liceat dispensationem in genere concedere, si tamen aliquando vera, & gravis necessitas urgeat dispensandi cum aliquo cœtu, seu Communitate, facultatem concedimus Ven. Fratri Patriarchæ Antiocheno, ut in singulos tantum annos, quibus eam necessitatem persistere cognoverit, & non aliter nec alio modo, hujusmodi dispensationem singulis præfatis Communitatibus concedere possit; Non omissis interim debitis cautionibus, per quas veterum Rituum neglectui, & oblivioni sensim irrepenti occurri posse, pro suo arbitrio, & prudentia, existimaverit.

Unica Missa singulis diebus super quolibet Altari celebranda.

§. 8. Simili modo nullam innovationem fieri debere decrevimus in eo, quod respicit celebrationem Sacrosancti Missæ Sacrificii, quod unicum in singulos dies super quolibet Altari offerri, veterum Sanctorum Ecclesiæ Græcæ Patrum præcepto, & consuetudine traditum est; propterea que minimè indulgendum censuimus petitioni per eumdem Patriarcham Nobis porrectæ, qua postulaverat, ut ad satisfaciendum pietati Sacerdotum, & multiplicibus Fidelium Oblationibus, prædictum Ritum antiquitate commendatum immutari permitteremus, & in Ecclesiis Libani, & Anti-Libani plures Missas eodem die super eodem Altari offerendi Sacerdotibus fieret potestas; ac præterea in Feriis Quadragesimæ (quo tempore, exceptis diebus Sabbati, & Dominicæ, nonnisi Præsanctificatorum Missa in Græcis Ecclesiis celebratur) integrum Sacrificium peragendi facultatem concederemus. Quibus de rebus veteres Ecclesiæ Græcæ Rubricas omninò servari, earumque executionem Sacerdotibus inculcari mandamus; eliminata tamen ab opinione vulgi inepta credulitate, qua nonnulli arbitrari dicuntur, Sacerdotem utentem indumentis, & supellectilibus, quibus alius Sacerdos eodem die usus est, jejunii observantiam infringere.

In Quadragesima verò Missa dumtaxat Præsanctificatorum.

Falsa vulgi opinio corrigenda.

Plura Altaria in unica Ecclesia erigi permittuntur.

§. 9. Permittimus tamen, juxta Decretum latum die 31. Martii 1729. ab aliquibus ex Ven. Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus negotiis Progagandæ Fidei præpositis, ut alia Altaria in loco Ecclesiæ apto erigi possint. Si autem Altarium numerus Celebrantium, & Offerentium multitudini non respondeat, liceat pluribus Sacerdotibus, ubi hujusmodi consuetudo viget, super eodem Altari unàcum Episcopo, vel alio Sacerdote Sacrificium peragente, concelebrare; ita tamen, ut sacris vestibus more Celebrantium induti, unusquisque totam Liturgiam integrè recitet, & verba Consecrationis proferat, perinde ac si Sacrosanctum Sacrificium singulatim conficerent.

Et plures Sacerdotes simul Missam celebrare.

De applicatione Sacrificii.

§. 10. Hujusmodi autem Sacrificium singuli Sacerdotes juxta mentem eorum, qui voluntarias oblationes exhibent, licitè valeant applicare. Quod si secundæ, & ulteriores Oblationes pro ejusdem Sacrificii applicatione superaddantur, Sacerdos, qui eas receperit, semper teneatur monere Fideles posteriore loco offerentes, de aliis oblationibus ad eumdem finem acceptis; & nisi iidem Offerentes unica Missæ celebratione se voti compotes fore declarent, sciat se unico Sacrificio plurium voluntati minimè satisfacturum. Eorum verò mentem, qui pro Sacrificio obtulerunt, nunquam à Sacerdotibus impletum iri declaramus per solam adjectionem Particularum, & commemorationem, quæ in Panis præparatione ante Missæ Sacrificium fieri solet: cum omninò necessaria sit integra concelebratio; nisi de eorumdem Offerentium voluntate aliter fiat.

De applicatione Sacrificii.

Particularum adjectio, cum commemoratione ante Missam, Sacrificii rationem habere nequit.

In Liturgia uniformitas servanda.

§. 11. Ut autem à Sacerdotibus Græco-Melchitis in Sacris Mysteriis peragendis una, & eadem cœremoniarum ratio, iidemque Ritus serventur, & ne aliqua sensim in iisdem obrepat difformitas, mandavimus Typis Congregationis de Propaganda Fide imprimi Missale ad usum illorum Ecclesiæ, juxtà Rubricas remotissima antiquitate firmatas; quod, absoluta editione sacrorum Librorum Ritus Coptici, qui sub prælo sunt, incessanter impleri curabimus.

De jurisdictione Melchitarum multis modis à Maronitis turbata.

§. 12. Quod verò attinet ad prædictorum Venerabilium Fratrum, Patriarchæ Antiocheni, & Episcoporum Græco-Melchitarum Jurisdictionem, cujus conservatio magnoperè Nobis cordi esse debet: non sine magno animi Nostri dolore accepimus, nonnullos Episcopos Maronitas, prædictorum jura sibi asserentes, in illorum subditos Jurisdictionem sibi neutiquam competentem sæpè, ut asseritur, exercuisse; absolvendo eos, qui Ecclesiasticis Censuris à propriis Pastoribus innodati fuerant; dispensationes Matrimoniales concedendo in gradibus, & circumstantiis à Ritibus Græcis minimè permissis; dispensando etiam cum Monachis Græco-Melchitis super Votis Religionis; subditos denique Antiocheni Patriarchæ ad Maroniticum Ritum amplectendum variis artibus attrahendo. Quæ omnia, & singula à dictis Episcopis, ut fertur, peracta, jam per se nulla, & Pontificio, Canonicoque jure damnata, ne, in alienæ Jurisdictionis perturbationem, & simultatum, ac discordiarum fomentum, iterum renovari contingat, supremâ, quam Jesus Christus Princeps Pastorum Beato Petro Apostolo, Nobisque hujus Successoribus, in Ecclesia Catholica tribuit potestate, omnibus, & singulis Maronitarum Episcopis, ipsique Patriarchæ Nationis Maronitarum, eorumque Successoribus in perpetuum, in virtute sanctæ obedientiæ, quatenus Nobis expositа veritate nitantur, præcipimus, ut ab hujusmodi imposterùm abstineant; inhibentes præterea, ne quocumque prætextu, aut obtentu, rebus spiritualibus Nationis Græco-Melchitarum, in iis, quæ spectant ad Jurisdictionem, & auctoritatem illius Patriarchæ, Episcoporum, & Parochorum, se ingerere audeant, aut eorum subditis transitum à Græco ad Maroniticum Ritum suadere, vel eos, qui sponte transire vellent, nisi forte peculiaris à Romano Pontifice licentia interveniret, acceptare præsumant.

Quibus præcipitur, ut ab hujusmodi abstineant.

Neque Græcos Melchitas ad Rit. Maronitar. attrahant.

§. 13. Et quoniam intelleximus sæpedictum Patriarcham Antiochenum, eique subjectos Episcopos, vereri, ne Missionarii Latini, quos, in eorumdem adjutorium & levamen, Apostolica Sedes in eas regiones mittere, nec sine gravi incommodo, magnisque sumptibus illic

Item Missionariis Latinis, ne prædictorum Jurisdictionem perturbent.

subſtentare conſuevit, utendo facultatibus ſibi conceſſis, eorum Juriſdictioni præjudicium inferant, & numerum ſubditorum imminuant; volentes etiam in hac parte eorumdem indemnitati conſulere, ac libero propriæ auctoritatis exercitio proſpicere, ſtatuimus primò, & declaramus, licere tantummodò Fratribus Ordinis Minorum Sancti Franciſci Cuſtodiæ Terræ Sanctæ, Parochialia munia obire circa Græcos Melchitas, eiſque Sacramenta adminiſtrare, in iis locorum & temporum circumſtantiis, quibus omninò deficiat modus habendi Parochum, aut alium Antiſtitem Græci Ritus: Quo caſu prædicti Fratres emolumenta legitimo jure debita percipere licitè valeant, & à Juriſdictione Antiocheni Patriarchæ nullatenùs ipſi dependeant; ſed huic dumtaxat petenti teneantur ſingulis annis notulam tradere Animarum Græci Ritus in ea Civitate, ſeu loco exiſtentium, utpotè quæ in reliquis eidem Patriarchæ omninò ſubeſſe intelligantur. Curet autem Patriarcha pro ſui muneris implemento, ut ubicumque opus fuerit, Catholici Parochi copia ſuppetat, à quo præfati Græci-Melchitæ Sacramenta Græco Ritu recipere queant.

Soli Minoritæ curam animarum exerceant in abſentia Parochi Græci.

§. 14. Sacramentum verò Confirmationis à Patre Guardiano Terræ Sanctæ, in Civitate Hieroſolymitana, & in iis locis, ubi Epiſcopus Græcus Catholicus jure ſuo, & in propria Diœceſi non reſideat, conferri poſſe *ſub conditione* Græcis à ſimplici Sacerdote Confirmatis, ac ſpontè ab eodem confirmari petentibus. Ubi verò ſit Epiſcopus Catholicus reſidens, hujuſmodi Sacramentum non conferat, niſi de ejuſdem Epiſcopi conſenſu; eo autem diſſentiente, abſtineat.

Guardianus Terræ Sanctæ Confirmationem Græcis miniſtret dumtaxat in abſentia Epiſcopi Græci.

§. 15. Præterea omnibus, & ſingulis Melchitis Catholicis Græcum Ritum ſervantibus, ad Latinum Ritum tranſire deinceps expreſsè vetamus. Miſſionariis verò omnibus diſtrictè mandamus, ſub pœnis etiam infra exprimendis, aliiſque arbitrio Noſtro decernendis, ne cuiquam ex illis hujuſmodi tranſitum à Græco ad Latinum Ritum ſuadere præſumant, aut etiam cupientibus, inconſulta Apoſtolica Sede, permittant.

Græci ad Latinum Ritum non attrahendi.

§. 16. De iis autem, quos *Latinizantes* appellant, nimirùm, qui à Græcis Parentibus progeniti, deficientibus Græcis Sacerdotibus, Latino Ritu à Latinis ad hunc diem baptizati fuerunt, eumque Ritum hactenus tenuerunt: quorum magnus numerus Damaſci inveniri perhibetur, neque ſatis hucuſque definitum fuit, cui potiſſimùm Ritui addicti eſſe deberent: ſtatuimus, & declaramus, ut coram Perſona à Nobis deputanda ſemel profiteri debeant in quo Ritu vivere malint; in eoque impoſterùm, omni variandi facultate adempta, perſeverare teneantur.

Latinizantes ſemel profiteri debeant quo Ritu vivere velint.

§. 17. Filii verò, qui ab hujuſmodi Parentibus poſt emiſſam ab illis prædictam declarationem naſcentur; necnon ii, qui jam nati ſunt, ſed nondum ad uſum rationis pervenerunt; ſequantur conditionem Parentum, ſi Conjuges unum eumdemque Ritum elegerint; ſin minus, Patris Ritum ſequantur.

Eorum Filii Parentum Ritum ſequantur.

§. 18. Cæterùm ſi quos impoſterùm Græcos, neceſſitate cogente, ob defectum Parochi Catholici Ritus Græci, Baptiſmum, aut alia Sacramenta à Latino Presbytero recipere eveniat; illi non ideo cenſendi erunt Latinum Ritum ſuſcepiſſe; ſed, omni dubitatione ſublata, Ritum Græcum, in quo orti ſunt, obſervare teneantur. Et cum quidem, durante prædicta neceſſitate, in omnibus rebus, quibus poſſunt, & præcipuè in jejuniorum obſervatione, retineant; in reliquis verò integrè reſumant, & proſequantur, ſtatim ac Epiſcopus, aut Parochus Græcus ſupervenerint.

Græci Latino Ritu in poſterum baptizati, Græcum Ritum ſervare teneantur.

§. 19. Ad præcidendas denique controverſias omnes, quæ ſuper hujuſmodi quæſtionibus oriri ſolent, etiam inter ipſos Miſſionarios, propter diverſas eorum ſententias, atque doctrinas; utque omnis contentio inter Fideles inde promanans penitùs extinguatur; expreſsè præcipimus Miſſionariis cujuſcumque Ordinis, & Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, ut ſolliciti ſint ſuper his omnibus ſervare unitatem ſpiritus, & doctrinæ; quod quidem, noſtris hiſce decretis, aliiſque de Ritibus Græcorum in partibus Orientalibus obſervandis aliàs à Sede Apoſtolica editis, fideliter obtemperantes, facilè conſequentur. Curent præterea, ut omnia laudabilia Eccleſiæ Græcæ inſtituta ab antiqua Patrum traditione derivata, & Apoſtolica comprobatione firmata, in ſuo vigore permaneant, atque à Fidelibus iſtius Nationis integrè executioni tradantur; neque aliquid iiſdem ſuggerere, aut ſuadere audeant, quod illorum contemptum, atque imminutionem inducere poſſit; multòque minus auctoritate propria aliquid circa illa innovare, aut etiam ſuper iiſdem aliquam diſpenſationem concedere, vel admittere præſumant. Alioquin, præter diſtrictam, quam Deo, Nobis, ſuiſque Superioribus (quos de urgenda hujus Decreti obſervantia peculiariter oneramus) rationem reddent, ſciant ſe harum Litterarum vigore privationem vocis activæ, & paſſivæ, & inhabilitationem ad quemcumque gradum, & officium in ſuis reſpectivè Ordinibus, Inſtitutis, & Congregationibus, ipſo facto incurſuros.

Eiſdem commendatur conſervatio Rituum Eccleſiæ Græcæ.

Et innovationes, ac diſpenſationes ſuper illis inhibentur, ſub pœnis &c.

§. 20. Demùm, quod attinet ad Regularem Monachorum diſciplinam, decernimus, ut Monachi utriuſque Congregationis ſub invocatione reſpectivè Sanctiſſimi Salvatoris, & Sancti Joannis, obſervent regulam genuinam Sancti Baſilii, eis tradendam à Venerabilibus Fratribus Noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus negotiis Propagandæ Fidei præpoſitis: Abſtineantque ab eſu carnium in ſenſu prædictæ Regulæ. Utriuſque autem ſupradictæ Congregationis, ſive alterius cujuſcumque Inſtituti Monachos immediatè ſubeſſe jubemus Epiſcopis Ordinariis Catholicis, & mediatè Patriarchæ pariter Catholico. At in Diœceſibus, in quibus non eſt Catholicus Antiſtes, Patriarchæ Catholico immediatè ſubjaceant.

Monachi ſubjiciuntur Regulæ S. Baſilii, & juriſdictioni Ordinariorum.

§. 21. Nullius verò generis Libros, aut folia, ſine prævia approbatione, & licentia Epiſcopi Diœceſani, & Patriarchæ prædictorum edere poſſint; atque inſuper nullum de rebus ſacris Librum, aut folium publici juris faciant, inconſulta Sede Apoſtolica. Quod ſi novas Librorum ſacrorum ab eadem Sancta Sede jam probatorum Editiones fieri contingat; onus erit Patriarchæ, & Epiſcoporum Catholicorum, inſpicere, ne ulla in re diſcordent ab Editionibus approbatis.

Præſertim quoad Librorum editiones.

§. 22. Monaſterium porrò Monialium in Keſruano erectum à Græco-Melchitis, pro Puellis ſuæ Nationis, & Ritus, ante omnia declaramus eidem Græco-Melchitarum Nationi jure proprietatis acquiſitum eſſe; itaut Puellæ alterius cujuſcumque Ritus, & Nationis nullatenùs quacumque de cauſa in eodem deinceps admitti poſſint; ſublata cuicumque, etiam Patriarchæ, atque Epiſcopis, ſuper hoc diſpenſandi facultate.

Monaſterium Monialium in Keſruano exiſtens, ſolis Puellis Græco-Melchitis pateat.

§. 23. Inſuper prædictum Monaſterium, & Moniales ſub protectione Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, & Congregationis de Propaganda Fide recipimus; illius verò, ſeù illarum regimen, tùm ſpirituale, tùm temporale, ad Monachos Congregationis Sancti Joannis de Soairo ſpectare decernimus, cum immediata ſubjectione Epiſcopo Ordinario, & mediata Patriarchæ Græco-Melchitarum Antiocheno; qui etiam immediatam ſuper eo, & illis auctoritatem acquirere debeat, quotieſcumque futuris temporibus non adeſſet Epiſcopus Orthodoxus illius Sedis: Quatenus verò (quod Deus avertat) neuter eſſet Catholicus, per id tantùm temporis, & donec alteruter Catholicus ſupervenerit, prædictum Monaſterium

Ejus gubernium ad Monachos S. Joannis pertinet, ſub juriſdictione Ordinarii, tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegati &c.

Diſſenſiones ſuper præmiſſis inter Miſſionarios extinguendæ.

immediatè subjaceat Abbati Generali præfatæ Congregationis Sancti Joannis, tamquàm Delegato Sedis Apostolicæ.

De ejusdem Confessariis ordinariis, & extraordinariis.

§. 24. Confessarius Ordinarius Monialium prædicti Monasterii, sit Monachus professus dictæ Congregationis Sancti Joannis, quem scientiæ, pieratis, ac prudentiæ commendatione ab ipsius Abbate Generali delectum, & præsentatum, Episcopus Diœcesanus probaverit: Idemque statuimus de Confessario extraordinario, quem idem Abbas Generalis ter in Anno, & quandocumque necessitas urgeat, ad audiendas dictarum Monialium Confessiones valeat deputare. Facta insuper prædicto Episcopo potestate, quatenùs id expedire putaverit, alium quemcumque Sacerdotem Regularem, etiam alterius Instituti, & Ritus Latini, vel etiam sæcularem ejusdem Ritus, in Confessarium extraordinarium dictis Monialibus deputandi.

Regula similiter S. Basilii à Monialibus servanda.

§. 25. Non aliam verò Regulam à prædictis Monialibus servandam statuimus, quàm genuinam illam Sancti Basilii, quam Monachis tradendam, supra significavimus. Cui quidem Regulæ, si tàm supradicti Monachi, quàm mox enunciatæ Moniales, aliquas peculiares Constitutiones addere velint, quæ nec ejusdem Regulæ observantiæ, neque Græcis Ritibus adversentur, eas ad Congregationem de Propaganda Fide prius cognoscendas, & si opus fuerit corrigendas, Nobisque auctoritate Apostolica confirmandas exhibere teneantur.

Cum facultate condendi Constitutiones à Sancta Sede approbandas.

Cura Pontificis pro conservanda Ecclesiæ Græcæ disciplina, & Episcoporum auctoritate.

§. 26. In omnibus hisce Decretis, Venerabiles Fratres, quæ, prævio maturo examine, ut supra diximus, auditoque consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, aliorumque præstantium integritate, ac doctrina Virorum, statuenda, edenda, ac Vobis denuncianda esse judicavimus, minimè dubitamus, quin agnoscatis, nihil aliud Nobis propositum fuisse, quàm ut & Venerabiles Ecclesiæ Græcæ Ritus, ac mores in suo vigore persistant, & debita Vobis à populis obedientia, vestraque simul in eos auctoritas, & Jurisdictio, sarta tecta servetur. Quorum utrumque ex una, eademque animi, ac judicii æquabilitate proficiscitur; per quam & varias Ecclesiarum Institutiones & consuetudines justa æstimatione pensantes, unum illud ad animarum salutem omninò necessarium in votis habemus; ut scilicet omnes, qui ubique Terrarum Catholico censentur nomine, unico Fidei, atque unitatis vinculo teneantur: Et supremam hujus Sanctæ Sedis auctoritatem, qua super alias Divina institutione præeminet, ad promovendam omnium Ecclesiarum utilitatem solummodò interponentes; de cætero Fraternitatibus Vestris intacta manere volumus jura omnia, ac privilegia, & liberum Jurisdictionis vestræ exercitium, ad regendas Oves vestræ fidei commissas, easque per semitas mandatorum Dei ad salutis æternæ metam, adjuvante Divina Gratia, dirigendas. Hinc est, quod & hujusmodi Decreta libenter à Vobis, & cum debita devotione, atque observantia, suscipienda & amplectenda fore confidimus. Et nihilominùs auctoritate Nostra Vobis mandamus atque præcipimus, ut ea omnia & singula servetis & ab aliis, ad quos attinet, executioni mandari, atque exactissimè observari curetis. Et Apostolicam Benedictionem Fraternitatibus Vestris ex animo impertimur.

Præceptum de observandis præmissis Decretis.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die XXIV. Decembris MDCCXLIII. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

Dat. die 24. Dec. 1743.

Constitutio contra Homicidas à Clemente XII. edita pro Ditione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, extenditur ad loca Dominii Reipublicæ Lucanæ, in his quæ pertinent ad Immunitatem personalem, & localem.

LXXXVIII.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Clemens XII. confirmatis Prædecessorum sanctionibus contra Homicidas, statuit, ut infra.

ALIAS fel. rec. Clemens PP. XII. Prædecessor Noster per suas sub Plumbo expeditas literas, nempe IV. Kal. Februarii anno Incarnationis Dominicæ MDCCXXXIV. Pontificatus sui Anno Quinto, ad compescenda, & coërcenda, atque ab hac Alma Urbe, totaque in temporali S. R. E. ditione penitus avertenda & eliminanda. Homicidia, quæ à viris sanguinum, divini, humanique juris oblitis, incredibili cum immanitate in dies magis magisque increbescente, sæpissimè patrari, non sine gravissimo paterni animi sui dolore ac mærore, inaudiverat; Constitutionem, quæ incipit: *In Supremo Justitiæ Solio*, promulgavit, in qua, postquam omnes, & singulas Constitutiones à fel. itidem rec. Pio II., Paulo II., Sixto IV., Julio II., Leone X., Julio III., Pio IV., Pio V., Gregorio XIII., Sixto V., Gregorio XIV., Clemente VIII., Innocentio XI., Innocentio XII., ac Benedicto XIII., & quibusvis aliis Romanis Pontificibus Prædecessoribus pariter Nostris, tunc suis, adversus Homicidas saluberrimè editas, approbavit, confirmavit, & innovavit, illasque adversus quemcumque non usum, seu contrarium usum, qui quovis modo prætendi, vel allegari potuisset, restituit, & plenarie reintegravit, quas deinceps omninò, & inviolabiliter observari præcepit, & mandavit; inter cætera in eadem Constitutione contenta, hæc præscripta erant, tenoris, qui sequitur.

Privilegiatis non suffragari Privilegium Fori in causis Homicidii.

§. 1. Et quoniam experimento compertum est, administrationem, ac cursum rectæ, & expeditæ Justitiæ, qua Reipublicæ salus præcipuè innititur, summoperè obturbari, vel ab excessivo numero privilegiatorum, vulgariter Patentati *nuncupatorum, vel à minus recta intelligentia privilegiorum concessorum; proinde, salvis, firmisque remanentibus decretis, & resolutionibus, quæ temporibus fel. pariter rec. Urbani PP. VIII., & dictorum Innocentii XI., & Innocentii XII. Prædecessorum, aut alias quandocumque ea super re emanarunt, volumus quod privilegium Fori nemini quorumcumque Privilegiatorum hujusmodi, tam in Urbe, quàm in reliquo Statu Ecclesiastico prædictis,* (*Officialibus, aliisque privilegiatis à Congregatione pro tempore existentium ejusdem S. R. E. Cardinalium contra hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum, ac Ministris necessariis actu inservientibus Archiepiscopis, Episcopis, ac Ordinariis prædictis, eorumque Curiis, dumtaxat exceptis*) *pro crimine Homicidii suffragentur; sed dicti Privilegiati, quatenus Clericali Charactere insigniti, Ecclesiasticæ; & quatenus laici fuerint, seculari jurisdictioni subjaceant: Reservantes Nobis facultatem declarandi, quinam, quotque esse debeant veri Familiares dictorum Archiepiscoporum, Episcoporum, & Ordinariorum, ac Officiales necessarii, Curiis Ecclesiasticis verum, & actuale servitium præstantes.*

Exceptis Official. & Familiar., & Privilegiatis a S. Officio, & ab Ordinariis, eorumque Curiis.

Quorum numerus, & qualitates Summo Pontifici præfiniendæ reservantur.

§. 2. *Insuper quia ex illis etiam, qui in sortem Domini vocati sunt, quique aliis irreprehensibilis, & ab omni culpa, & macula immunis vitæ, ac virtutum exemplo prælucere deberent, aliqui interdum reperiuntur adeo suæ vocationis immemores, ut impellente humani generis hoste, pluribus etiam Homicidiis manus suas cruentare non perhorrescant;*

Clericos Tonsuratos non Beneficiatos, pro duobus Homicidiis, privilegio Fori, & Canonis privandos.

Nos

Nos perversorum quorumcumque malitiis obviandum esse, non indulgendum, probe intelligentes; ad istorum quoque frænandam pervicaciam, perpetuo itidem statuimus, quod Clericus primæ Tonsuræ nullum Beneficium Ecclesiasticum obtinens, tameesi conditiones Clericis hujusmodi à Concilio Tridentino præscriptas servaverit, ac servet, pro duobus tamen Homicidiis animo deliberato, ac præmeditato per eum patratis, privilegio fori, & Canonis, in odium tanti excessus, & ad aliorum terrorem, exuatur, & uti incorrigibilis, omnino seculari potestati subjiciatur, ab ea tanquam laicus legitimis pœnis plectendus. Clericus quoque in minoribus Ordinibus constitutus, nec pariter Beneficiatus, nec præscripta à Concilio Tridentino servans, tam Cælebs, quam conjugatus, in causis Homicidii dicto privilegio fori non gaudeat, eoque privatus remaneat, neque à proprio Episcopo, seu Ordinario repeti, minusque habitum Clericalem, quem indigne abjecit, reassumere possit post totaliter expiatam admissi delicti pœnam. Declaratio autem, an reus, ante patratum Homicidium, requisita à Concilio Tridentino servaverit, ad Episcopum, aliumve loci Ordinarium omninò spectet, non retardata interim delinquentis assecuratione, facienda etiam per Judicem laicum nomine Ecclesiæ, qui illum pariter Ecclesiæ nomine ad illius dispositionem retinere possit, ac debeat, donec dicta declaratio prodierit, quacumque diversa, ac etiam contraria Juris Canonici, & Apostolicarum Constitutionum dispositione, seu interpretatione, necnon consuetudine, haud refragante.

Clericus in Minor., non servantes præscripta Concil. Trid. non gaudere privilegio in caus. Homicidii.

Utrum præscripta Concil. Trid. servaverint, ab Ordinario declarandum esse, non retardata assecuratione.

§. 3. Porro cum idem Benedictus Prædecessor, animadvertens Homicidia hujusmodi suo etiam tempore increbescere, nec minus, quam alia facinora in celebri Constitutione dicti Gregorii XIV. etiam Prædecessoris, quæ incipit Cum alias, *recensita, publicæ quieti officere; pro commissi sibi Apostolici Officii debito, per prædictam suam Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXXV. sexto Idus Junii, cui initium est:* Ex quo Divina, *evulgatam Constitutionem, laicos animo præmeditato, ac deliberato proximum suum interficientes, ab Ecclesiasticæ Immunitatis beneficio excluserit & repulerit, ac pro exclusis atque repulsis haberi voluerit: Nos, ob gliscentem in dies quorumdam Ecclesiasticorum nequitiam, qui nulla proprii status habita ratione, non raro in adeo nefarium, detestandumque crimen prolabuntur, ipsorum Gregorii, & Benedicti Prædecessorum Constitutionibus, quas supra confirmavimus, atque innovavimus, inhærentes, & quatenus opus sit, criminum in illis exceptorum Reos Immunitate Ecclesiastica nequaquam juvari, iterum decernentes; eamdem Benedicti Prædecessoris Constitutionem laicos animo præmeditato, ac deliberato proximum suum, sicut præmittitur, interficientes à beneficio Immunitatis Ecclesiasticæ excludentem, ad ipsos Ecclesiasticos cujuscumque gradus, & Ordinis existant, in Urbe, ac universa ditione Nobis, & Sedi Apostolicæ mediate, vel immediate subjecta, Homicidium animo similiter præmeditato ac deliberato patrantes, extendimus quoque, & ampliamus, dummodo tamen causa admissi per eos Homicidii ab illorum Judice Ecclesiastico competente cognoscatur, & ab eo, si rei reperti fuerint, citra pœnam sanguinis, ad præscriptum Sacrorum Canonum, condigna puniantur animadversione.*

Ecclesiasticos, æque ac Laicos, Homicidii præmeditati Reos, non gaudere Immunitate Ecclesiastica.

§. 4. Ulterius, ad varias Doctorum, qui ejusdem Benedicti Prædecessoris mentem, quoad personas in dicta ejus Constitutione comprehensas, interpretari, & explicare voluerunt, sententias, & opiniones dirimendas, declaramus, Homicidii reos, natu minores viginti quinque, majores vero viginti annis, tam laicos, quàm Clericos, qui mandatum, consilium, instigationem, auxilium cooperativum, aut aliam operam occisori præbuerint, ex quorum singulis pravis actibus homicidium evenerit, in dict. Benedicti Prædecessoris Constitutione comprehensos esse, ac deinceps censeri debere, eamque, quatenus opus sit, ad ipsos pariter extendimus; ita silicet, ut illorum extractio è loco immuni, atque traditio Curiæ Seculari, quoad laicos, ad ejusdem Curiæ Secularis requisitionem, fiat à Curia Ecclesiastica, & Clerici ab ipsa Curia Ecclesiastica ex Officio omnino extrahantur, juxta normam infra dicendam. Item declaramus, omnes, & singulos prædictos tam Laicos, quàm Ecclesiasticos, qui in Urbe, ac ditione prædictis, ex causa, & occasione Homicidii etiam in rixa commissi cum armis, seu instrumentis suapte natura aptis ad occidendum, inquisiti, & processati, vel in contumaciam banniti, & condemnati fuerint, dummodo homicidium non fuerit casuale, vel ad propriam defensionem, Immunitatis prædictæ beneficio minime gaudere.

Ab Ecclesiastico tamen Judice judicandos, & puniendos esse.

Homicidium mandantes, adjuvantes &c. etiam minores annis 25., & Ecclesiasticos, non gaudere Immunit.

Item inquisitos, & dãnatos de Homicidio in contumaciam.

§. 5. Utque reorum, ratione Homicidii, ut præfertur, excepti inquisitorum, seu bannitorum, & in contumaciam condemnatorum extractio ab Ecclesiis, aliisque locis immunibus, atque traditio suo cuique Judici competenti, legitimis modo, & forma à Curia Ecclesiastica fiant, volumus, & ordinamus, ut quotiescumque Judici Ecclesiastico competenti innotuerit aliquem Laicum, seu Ecclesiasticum ex causa homicidii excepti inquisitum, atque processatum, ad Ecclesiam, seu locum immunem confugisse, ibique moram trahere, ac ea super delicti qualitate, ac personæ reitate subministrata, vel acquisita suppetant indicia, quæ ad capturam decernendam sufficere videantur, tunc idem Judex Ecclesiasticus ex Officio, ac nemine etiam requirente, si delinquens sit Clericus, sin vero Laicus, postquam à Curia Seculari requisitus fuerit, ad ipsius delinquentis extractionem ab Ecclesia, seu loco immuni, implorato etiam ad hoc, quatenus opus sit, auxilio brachii Secularis, & cum interventu personæ Ecclesiasticæ ab Episcopo deputandæ, devenire teneatur, extractumque ad suos, si tuti, & securi fuerint, sin minus ad Curiæ Secularis Carceres asportari, ibique sub tuta custodia detineri curet, & faciat; Ubi vero ex processu informativo desuper conficiendo, quoad inquisitum nondum condemnatum, dictus Judex Ecclesiasticus, ex acquisitis, seu subministratis indiciis ad torturam tantum sufficientibus, ab extracto homicidium à præfata Benedicti Prædecessoris, & hac Nostra Constitutionibus exceptum patratum fuisse cognoverit, ad declarationem, quod scilicet de casu ita excepto constet, progrediatur; extractumque, si Laicus sit, Ministris, & Officialibus Curiæ Secularis, si autem Clericus, ejus competenti Judici Ecclesiastico tradere, & consignare possit, ac debeat, exactis tamen, receptisque in actu traditionis, & consignationis hujusmodi, à Judice quidem Seculari, juramento, & ab Ecclesiastico, promissione in verbo veritatis, de restituendo extractum Ecclesiæ, locove immuni, sub pœna excommunicationis latæ Sententiæ, Nobis, & eidem Romano Pontifici pro tempore existenti reservatæ, quatenus extractus in suis defensionibus, quæ ad tramites juris, & Ordinationum Apostolicarum ei competunt, præfata elidat, & diluat indicia. Et si illa minime eliserit, seu diluerit, & delinquens repertus fuerit, Judici suo, scilicet Ecclesiastico in Clericum, Seculari in Laicum, ut juris esse censuerit, animadvertere liceat.

Ordo servãdus in extrahendis Reis a loco Immuni.

Et in iisdem tradendis Curiæ Ecclesiasticæ, sive Laicæ.

§. 6. Quoties autem de jam bannito, aut in contumaciam damnato ex causa Homicidii superius excepti, sive Laico, sive Ecclesiastico agetur, quilibet Judex Ecclesiasticus, ut præfertur, competens, ad illius, Laici nimirum, instante Curia Seculari, & Clerici, ex Officio, extractionem ab Ecclesia, locove immuni, cum interventu quoque personæ Ecclesiasticæ ab Episcopo deputandæ, ac traditionem suo respective Judici, sicut mox dispositum est, faciendam procedat: solamque sententiæ contumacialis, & actorum, quibus illa fundatur, exhibitionem ad hoc sufficere decernimus, ut dictus Judex Ecclesiasticus ex illorum inspectione

Quid in extractione, & traditione banniti, & damnati in contumaciã.

dumtaxat agnito, num iſtiuſmodi Sententia contumacialis legitime, juſteque prolata ſit ad formam Conſtitutionum Apoſtolicarum, pronunciare, & declarare queat, & debeat, an bannitus, & in contumaciam damnatus conſignandus veniat, nec ne? exactis pariter, & receptis, quatenus conſignetur, à Judice Seculari juramento, ſi delinquens ſit Laicus, ab Eccleſiaſtico verò, ſi fuerit Clericus, promiſſione, ipſum, ut ſupra, reſtituendi Eccleſiæ, locove immuni, ſub antedicta pœna excommunicationis, ſi extractus in ſuis ſimiliter defenſionibus ei ad præſcriptum prædictarum Conſtitutionum Apoſtolicarum competentibus, nullitatem, & injuſtitiam contumacialis Sententiæ prædictæ oſtenderit, & ſceleris indicia diluerit; quod ſi id præſtare nequiverit, & ex eiſdem Sententia, & actis rite, & recte geſtis, reus repertus fuerit, Judex ejus competens Sententiam exequi, & quando aliquem in pœna irrogata exceſſum deprehenderit, etiam moderari valeat; ita quod quæcumque declaratio à prædicto Judice Eccleſiaſtico facta in judicio Eccleſiaſticæ Immunitatis ſuper conſignatione banniti, & in contumaciam damnati, ejuſque denegatione, nullatenus deſervire, & à nemine allegari poſſit in alio diverſo ac ſeparato judicio, in quo ſcilicet de præfatæ Sententiæ contumacialis executione poſtmodum diſputari contingeret, ad quem effectum dicta declaratio Judicis Eccleſiaſtici perinde habeatur, ac ſi non emanaſſet, nec ullus exinde ſcrupulus animo Judicis competentis, in cognoſcenda & definienda validitate, ſeu nullitate, juſtitia, ſeu injuſtitia ejuſdem Sententiæ contumacialis, ingeratur.

Decreta Judicis Eccleſiaſtici ſuper competentia Immunitatis, non ſuffragari in judicio ſuper executione Sententiæ contumacialis.

Pontifex præinſerta confirmat, & extendit ad Ditionem Reip. Lucanæ.

§. 7. Quoniam autem Dilecti Filii Senatus, & Reſpublica Lucana Nobis nuper humiliter ſupplicari fecerunt, ut diſpoſitionem prædictæ Conſtitutionis Clementis Prædeceſſoris prædicti ſuperius inſertam, ad Dominium, & ditiones eidem Reipublicæ ſubjectas, in quibus homicidia quoque frequentiſſima ſunt, extendere, & ampliare de benignitate Apoſtolica dignaremur: Nos igitur ipſos Senatum, & Rempublicam ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à Jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium tantum conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, & ad tam exitiale homicidiorum flagitium, quantum cum Domino poſſumus, propulſandum, exterminandumque advigilantes, prædictam Conſtitutionem pro univerſa, ut præmittitur, S. R. E. prædictæ ditione à laudato Clemente Prædeceſſore factam, quoad præinſerta in his præſentibus literis, reſpective, ad dominium, & ditiones prædictas ejuſdem Reipublicæ, Apoſtolica auctoritate, motu proprio, tenore præſentium extendimus, & ampliamus, atque deinceps omnino, ac inviolabiliter obſervari præcipimus, & mandamus.

Cum facultate procedendi juxta ſtatuta localia.

§. 8. Volumus tamen, ut veluti alias idem Clemens Prædeceſſor voluit, & decrevit, ut in Noſtra ditione Eccleſiaſtica tum extractus in ſuis defenſionibus, quæ ad tramites Juris, & *Apoſtolicarum Ordinationum* ei competunt, eluat, & diluat indicia; tum ut ſola Sententiæ contumacialis, & actorum, quibus illa fundatur exhibitio ad hoc ſufficiat, ut Judex Eccleſiaſticus, ex illorum inſpectione dumtaxat agnito, num Sententia contumacialis legitime, juſteque prolata ſit ad formam *Conſtitutionum Apoſtolicarum*, pronunciare, & declarare queat, & debeat, an bannitus, & in contumaciam damnatus conſignandus veniat, nec ne; tum denique, ſi extractus in ſuis defenſionibus, ei ad præſcriptum prædictarum *Conſtitutionum Apoſtolicarum* competentibus, nullitatem, & injuſtitiam contumacialis Sententiæ prædictæ oſtenderit, & ſceleris indicia diluerit: ita pariter in Dominio, & ditionibus prædictis, hæc omnia præmiſſa ad diſpoſitionem Juris, & *Statutorum localium dominii, & ditionum hujuſmodi* intelligi debeant.

Numerum, & qualitates Privilegiatorum interim juxta conſuetudines locorum ſervari mandat.

§. 9. Ac inſuper volumus, ut donec, & quouſque ſive per Nos ipſos, ſive per Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes, declaratio hujuſmodi facta non fuerit, ii tantummodo familiares, & Officiales excepti intelligantur, & habeantur, quos de jure, & juxta conſuetudinem loci cujuslibet, uſque ad hanc diem pro familiaribus, & Officialibus habitos, & deputatos eſſe, & haberi, ac deputari ſolitum eſt.

Clauſulæ pro literarum firmitate.

§. 10. Decernentes eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ſemper, & perpetuo firma, valida, & efficacia exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, atque ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, pleniſſime obſervari; ſicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ipſius S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, eorumdemque Cardinalium Congregationes, alioſve quoſlibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros; ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; & ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Cum derogationibus opportunis.

§. 11. Non obſtant. præmiſſis, aliiſque Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, ſtylis, uſibus, & conſuetudinibus etiam immemorabilibus, ac quorumcumque Prædeceſſorum Noſtrorum literis, privilegiis, indultis, & facultatibus quibuſvis etiam dictis Cardinalibus, eorumque Congregationibus, ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, etiam conſiſtorialiter, vel alias in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, exprimerentur, & inſererentur, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Publicationis effectus, & exemplorum auctoritas.

§. 12. Volumus autem ut lapſis vigintiquinque diebus, poſtquam præſentes literæ per dominium, & ditiones prædictas per Ordinarios locorum publicatæ fuerint, omnes & ſingulos in dominio, & ditionibus prædictis exiſtentes perinde arctent, ac ſi unicuique eorum perſonaliter, ac nominatim intimatæ fuiſſent; utque earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in Judicio, & extra adhibeatur,

quæ

quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 24. Jan. 1744. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 24. Januarii MDCCXLIV. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

D. Cardinalis Passionеus.

Similia Indulta eodem ferè exemplo expedita fuerunt pro aliis aliorum Principum, & Rerumpublicarum Ditionibus.

LXXXIX. Decreta super pluribus Disciplinæ Capitibus, pro Incolis Regni Serviæ, & finitimarum Regionum.

Venerabilibus Fratribus, Dilectis Filiis, Archiepiscopis, Episcopis, Parochis, & Universo Clero, & Populo Regni Serviæ, aliarumque finitimarum Regionum.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Sollicitudo Pontificis pro Fidei, ac Disciplinæ integritate, in Servia, & propinquis locis nonnihil collapsa.

INTER omnigenas calamitates, quibus Ecclesiæ Filii sub Infidelium dominatione degentes undique opprimuntur, quibusque omnibus paterna charitate compatimur; non aliæ magis animum nostrum solicitant, atque urgent, quàm quæ sunt ejus generis, unde animabus Christi Sanguine redemptis perditionis occasionem oriri, & Catholicæ Fidei, disciplinæque integritati detrimentum inferri posse veremur. Ex quibus cum illæ, quas in Serviæ Regno sub durissimo Turcarum jugo jamdiù sustinetis, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, multis ex partibus aliàs ad aures nostras pervenerint; tùm verò novissimè, per Venerabilem Fratrem Joannem Baptistam, electum a Nobis, & constitutum Archiepiscopum Scopiæ, distinctiùs expressæ, ac penè ob oculos nostros expositæ, incredibili Nos dolore affecerunt. Licèt enim inter gravissimas vexationes, & persecutiones ab infidelium crudelitate, & schismaticorum odio illatas, assiduam Pastorum istius Regni vigilantiam, ac solicitudinem in proprios greges, firmamque Populorum in Fide, ac pietate constantiam commendare, immò & admirari debuerimus; plures tamen dolendi causas Nobis attulerunt, tùm nunnullorum ex illis infracta, & fluctuans, vel etiam arbitraria, in maximi momenti rebus, agendi ratio; tùm invecta inter pleroſque Fideles, ex alienigenarum consortio, morum, ac disciplinæ corruptela; præsertim verò turpis Christianæ professionis occultatio, ad infidelitatem accedens, qua plures in istis regionibus uti, temporalium damnorum timore, perhibentur.

Commendatur observantia Decretorum Concilii Albani.

§. 1. Debuerant quidem pleraque ex iis, quæ contra Fidei, & morum puritatem inter istarum Ecclesiarum Fideles irrepsisse dicuntur, vel anteverti, vel introducta corrigi, atque emendari, per satis notas Pontificii, & Canonici Juris sanctiones, & per Apostolicæ Sedis Decreta per organum Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum sæpiùs emanata; potissimùm verò per ea, quæ statuta fuerunt in Albano Concilio, quod sub fel. rec. Prædecessore nostro Clemente XI., ab istius Regni Primate, pro universo Clero, & Populo Albaniæ, & Serviæ, indictum, & celebratum fuit. Ideoque prædictas omnes juris Ecclesiastici, & Sedis Apostolicæ leges Vobis omnibus in memoriam revocantes, earumque studium, & observantiam impensè commendantes; prædictum Concilium Albanum vestris præcipuè rebus, ac temporibus accommodatum & opportunum, omnino teneri, ac per omnia observari præcipimus; volentes, ut omnes istius Regni Archiepiscopi, Episcopi, Parochi, & Missionarii, & reliqui Animarum curam habentes, aliquod illius exemplar apud se habeant, atque ad illius normam suos, & Populorum mores exigere studeant, & conformare.

Relati abusus in specie corrigendi per infrascripta Decreta.

§. 2. Attamen, ut graviores abusus ad Fidei, morum, ac rituum integritatem pertinentes, quæ ex istis Regionibus ad nostram notitiam in specie pervenerunt, penitus tollantur, ac perpetuò eliminentur; postquam eosdem accuratè, ac diligenter per nosmetipsos perpendimus, examinavimus; Ea, quæ sequuntur, Decreta, non sine Venerabilium Fratrum nostrorum consilio, perferre, ac vobis denunciare statuimus; quorum dispositiones a vobis omnibus, ad quos attinet, utpotè utiles, ac necessarias, libenter amplectendas esse in Domino confidimus; & nihilominùs auctoritate Apostolica exactissimè impleri, & custodiri mandamus.

Non licere Fidei Professionem ita occultare, ut Mahumetismus simuletur.

§. 3. Ordientes itaque a negociis Fidei, sine qua impossibile est placere Deo; omnibus & singulis istius Regni Fidelibus, qui Ecclesiæ Catholicæ communionem retinere cupiunt, districtè præcipimus, atque jubemus, ut caveant, ne ad occultandam, quum licitum & necesse est aliquando, Christianæ Religionis professionem, aliqua faciant, aut admittant contra Evangelica Præcepta, & Instituta; præsertim verò, quæ protestationem includunt Mahumeticæ sectæ; Ideoque si Circumcisionem susceperint, sciant, quod Christus ipsis, Apostolo attestante, nihil proderit. Nomina Turcica, quorum nec memores esse deberent per labia sua, assumere: Abominanda Infidelium Templa, quæ Moschæas vocant, frequentare: Ecclesiasticorum Jejuniorum dies Carnium esu profanare, & hæc eò fine, ut Mahumetani credantur, prorsus devitent. Hæc enim omnia, etsi Fides Christi in corde teneatur, fieri nequeunt, sine Mahumetis errorum simulatione, sinceritati Christianæ contrariâ, quæ mendacium in re gravissima continet, & virtualem Fidei negationem, maxima cum Dei injuria, proximique scandalo, includit.

Præsertim in judicio.

§. 4. Multò verò magis, quum a publica Potestate interrogantur, illicitum sibi esse sciant Mahumeticæ sectæ se addictos profiteri; sed illud noverint esse tempus, quo eos oportet, sumentes scutum Fidei, non solùm corde credere ad justitiam, sed etiam ore Christum confiteri ad salutem; alioquin si cum coram hominibus negare ausi fuerint, & ipse negabit eos coram Patre suo.

Et in morte.

§. 5. Impius pariter, & illicitus est illorum Serviæ Christianorum abusus, qui, ex hac vita migraturi, cadavera sua Turcarum sepulturis mandari, cum istorum assistentia, & Mahumeticis adhibitis ritibus, permittunt, aut jubent. Etenim si Christum in vita erubescere minimè debent, quantò minùs quum ejusdem tremendo judicio sistendi sunt; ne & ipse eorumdem coram Æterno suo Patre erubescat.

Simulatores a Sacramentis arcendi, & a suffragiis excludendi.

§. 6. Munus itaque Episcoporum, Parochorum, & Missionariorum erit, seriò Christianos illos, qui supradicta, cum ingenti Fidei injuria, nefariè præsumunt, docere & admonere; quod frustra sibi de Christianæ Legis custodia, & zelo, deque Filiorum in eadem educatione blandiantur; quoniam vel in uno istorum deficientes, facti sunt omnium rei: Itaque ipsis apertè denuntient, quod quisquis metu cujuslibet potestatis, vel temporalium amittendorum formidine, Fidem suam prodit, iram Dei super se provocat; seque, nisi resipiscat, ab omni salutis spe extraneum reddit; quoniam magis timet hominem, quàm Deum, & momentanea retinere,

quàm æterna acquirere mavult. Si qui autem obstinati in hujusmodi via impiorum pergere velint, incapaces erunt Sacramentorum in vita, &, si impœnitentes decesserint, suffragiorum post mortem; ad quæ nullus Ecclesiæ Minister illos admittere præsumat; alioquin a proprio Episcopo Canonicis pœnis, ad præscriptum etiam supradicti Albani Concilii, plectendus erit.

Item Mulieres absque Christianæ Religionis exercitio viventes in Turcarum concubernio.

§. 7. Arcendæ pariter a Sacramentis Ecclesiæ sunt illæ Mulieres, quæ nuptiarum nomine in Turcarum contubernium admissæ, celantes Christianæ Religionis professionem, ibi vitam agunt ab omni Religionis exercitio remotam; eisque a Pastoribus denunciandum est, ne salutis æternæ fiduciam collocent in ea Fide, quam, sine operibus mortuam, in corde tantùm utiliter conservare posse, sibi persuadent.

Harum Filii quando baptizari possint, nec ne.

§. 8. Istarum verò Filios, quos Parochis baptizandos exhibent, ubi eorum vitæ periculum imminere videatur, sacro lavacro abluere prædicti Parochi minimè dubitent; admonitis Matribus, ut, si convaluerint, ipsos in Christiana Religione educare sedulò curent. De iis verò, qui validam, ac vivacem corporis constitutionem præseferunt, & nullo superstitioso fine, sed unico salutis obtinendæ voto, ad baptismum a supradictis Matribus offeruntur; quoniam impossibile est singulas rerum circumstantias expendere, quæ suadere possunt, vel eos in Evangelicæ legis, & fidei cultu perseveraturos, vel Christiana educatione ab hujusmodi Matribus fraudatos, Mahumetani Patris impietatem sequuturos esse; perpensis etiam infantilis ætatis periculis, ob quæ tertiam plerumque hominum partem ante completum decennium extingui, ferunt; nihil expressè jubendum censemus; Ecclesiæque Ministros dumtaxat hortamur, ut invocato cum gemitibus lumine Spiritus Sancti, juxta illius ductum, & prudentiæ suæ dictamina se gerant. Quod si eos ad Baptismum admitti posse crediderint, ne omittant Matribus inculcare districtam obligationem, quâ tenentur, hujusmodi Ecclesiæ Filiis, si ad rationis usum pervenerint, notam facere veritatem Dei, eosdemque in disciplina, & correptione Domini educare.

Si baptizentur, eorum educationi consulendū.

Matrimonia juxta Decretum Concilii Trid. celebranda, abrogatis clandestinis aut coram judice contractis.

§. 9. Illud etiam grave, ac permolestum auribus nostris accidit, Concilii Tridentini Decreta de Sacramento Matrimonii ab aliquibus non observari in istis Regionibus, in quibus debitam eorum publicationem jamdiù sequutam fuisse, ipsius Albani Concilii testimonio comprobatur. Itaque omnes istarum partium Fideles supradictis Decretis teneri declarantes, irrita omninò, & nulla esse definimus prætensa Matrimonia, quæ coram solo Turcarum Judice, Caddi dicto, vel etiam absque isto, per solos Sponsos, & non ad prædicti Tridentini Concilii præscriptum contrahuntur. Quique hujusmodi nullas, & clandestinas nuptias contraxerint, & post contractas convivunt, tamquam in illicito concubinatu versantes, (nisi de præterito pœnitentiam agant, & justo Matrimonio in facie Ecclesiæ jungantur,) a Sacramentorum participatione arceri præcipimus.

Non licere Matrimoniū per Procuratores renovare Turcico ritu, nisi sit mere civilis.

§. 10. Matrimonio autem a Fidelibus ritè contracto, eisdem minimè permittimus, ne quidem ob causam Uxorum a Turcarum raptu servandarum, idem coram Caddi per Procuratores Turcico Ritu renovare; nisi tamen Mahumetanus nuptiarum ritus sit mere civilis, & nullam Mahumetis invocationem, aut aliud quodcumque superstitionis genus includat. Etsi enim non per se ipsos, sed per Procuratores id peragant; nunquam tamen illius delicti insontes haberi debent, quod ipsorum auctoritate, vel mandato committitur.

Proclamationes servandæ, ni-

§. 11. Quoad Proclamationes verò a Tridentino Concilio statutas, licèt in Servia minimè usu firmatæ asserantur; quum tamen in prælaudato Concilio Albano Parochis etiam Serviæ præscribantur, ademptâ dispensandi facultate extra urgentis necessitatis occasionem; Nos idem omninò, quum fieri potest, observari præcipimus.

si necessitas contra urgeat.

§. 12. Quod si alicujus Fidelis Uxor ad Turcas confugiat, & cum aliquo ex istis nefarias nuptias contrahere audeat, non licet Viro aliam Uxorem in illius locum ducere; quum Matrimonium, Jure Divino, Conjugibus superstitibus, indissolubile, per hujusmodi Mulieris facinus minimè dissolvatur. Unde, qui in tali casu alteram ducit, mœchatur; & nisi ab ea omnino separetur, a Sacramentis arcendus est.

Matrimonia non dissolvi per Uxoris fugam, & Nuptias ab ea cum Infideli contractas.

§. 13. Et quidem de hujusmodi Mulierum salute, nisi pœnitentiam agant, quid judicandum sit, omnibus patet. De Mulieribus autem Christianis a Turcis per vim raptis, iisdemque violenter, vel in pueritia nuptis, quæ nullo Sacramentalis fidei jure conjunctæ, in illicito concubinatu cum Infidelibus perseverant, idem omnino statuimus, quod in prædicto Concilio Albano decretum fuit; ut scilicet illis Ecclesiæ Sacramenta denegentur; nulla ratione habita, vel prætensæ illarum in Christiana Fide perseverantiæ, vel violentiæ in puerili ætate a Turcis illatæ, vel etiam quod unicæ, aut potioris, & justæ Uxoris loco a Turcis habeantur; quum ista nullum jus tribuant in concubinatu, & fornicatione degentibus, ad percipienda Sacramenta; nullamque Sacerdotibus, ad eadem indignis ministranda, præbeant facultatem.

Mulieres nulliter nuptæ cum Infidelibus, donec in eorum concubinatu permāserint, a Sacramentis arcendæ.

§. 14. Circa dispensationes Matrimoniales, caveant Episcopi, & Missionarii Serviæ, ne facultatibus sibi ab hac Sancta Sede communicatis inconsultè, vel erga immerentes utantur; neve terminos suæ potestatis transiliant. Nullas itaque Dispensationes concedendas esse statuimus illis Christianis occultis, de quibus dictum est, quod Mahumeticos simulent ritus: Etenim isti, quum Christum erubescant, gratiarum Ecclesiæ, quæ Christi sponsa est, indignos se faciunt. Præterea nullas dispensationes concedant in iis casibus, quibus Matrimonia juxta Ritum Ecclesiæ Catholicæ, ut supra dictum est, & validè, & sanctè celebranda non esse præviderint; Tunc enim non Dispensationes, sed Dissipationes, & incontinentiæ fomenta essent, a quibus fidelis prudensque Minister Christi omnimodè abstinere tenetur.

Dispensationes non concedendæ simulatoribus Mahumeticæ sectæ.

§. 15. Specialiter autem advertant, eam facultatem, inter cæteras ipsis communicatas, non reperiri; dispensandi scilicet super impedimento justitiæ publicæ honestatis, proveniente ex matrimonio rato, quod aliàs inter alterutram partem, & alterius consanguineum in primo gradu, intercesserit; sed ante consummationem, vel morte, vel aliter legitimè solutum fuerit. Hoc enim impedimentum fortius est eo, quod ex sponsalibus oritur; idcirco ab hujusmodi dispensatione concedenda abstinere debebunt.

Nec iis, qui Matrimoniū contra Ecclesiæ Ritus contrahere velint.

§. 16. In celebratione nuptiarum observentur tempora ab Ecclesia Catholica præscripta. Quod si infra vetitos dies Mahumetani suas nuptias celebrantes, aliquem ex Fidelibus officii causa invitaverint; quoniam Ecclesiæ præcepta ad eos, qui foris sunt, minimè pertinent; non prohibentur Catholici Serviæ, Christianam modestiam secum ferentes, illis interesse; dummodo fieri possit absque Creatoris injuria, & offensione fidelium, & Ecclesiæ Dei; & nulla in Turcarum nuptiis Mahumetis invocatio, nullique superstitiosi ritus intercedant, quibus invitati, ore, vel opere jungi debeant, & consentire. Quæ tamen Infidelium consortia, & profana convivia, si, quantum poterunt, devitare curaverint, multa sanè animarum pericula præcavebunt.

Declaratio super Dispēs. quoad impediment. just. publ. hon. ex Matrim. rato non consumm.

De nuptiarum celebrādarum temporibus, & assistētia nuptiis Infidelium.

§. 17. Quod pertinet ad cognationem spirituа-

Cognatio spiritualis

lem;

non extendatur ultra casus, & gradus a Conc. Trid. præfinitos.

lem; sapientissima Tridentini Concilii Decreta, quacumque in contrarium consuetudine minimè obstante, in Servia omnino observari mandamus. Itaque nec eam, quæ oritur ex Sacramentis Baptismi, & Confirmationis, ultra personas, & gradus ab eodem Concilio præfinita, extendi permittimus; nullam verò spiritualem cognationem aliunde oriri, & in specie ex assistentia matrimonio præstita, etiam ad contrahentium invitationem, sicuti nec inter eos, a quibus capilli pueris primò tondentur, expressè declaramus. Urget enim ratio prædicti Conciliaris Decreti; ne scilicet propter multitudinem prohibitionum, contingat sæpius, in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus vel cum peccato perseveretur, vel quæ cum scandalo dirimi debeant. Quod cum sapienter statutum fuerit circa ea spiritualis cognationis genera, quæ jam in Ecclesia recepta erant; multò majori ratione obtinere debet in aliis hujusmodi speciebus, quæ in Ecclesia Catholica ignotæ, infectum a schismaticis principium habent, quorum est alligare hominibus onera gravia, & importabilia, digito autem suo ea non movere. Itaque & istorum scandalum, si quod acceperint ex hujus Decreti inter Fideles observantia, securè contemnendum est.

Romani Missalis, Ritualis, ac Cœremonialis usus retinendus.

§. 18. De Sacris autem Ritibus, in quibus istarum Regionum Ecclesiæ, Romanam hanc, reliquarum omnium Matrem, & Magistram, in speculum sibi, & exemplum proponentes, non alio quàm Romano Missali, Rituali, ac Cœremoniali uti perhibentur; hortamur Venerabiles Fratres Archiepiscopos, & Episcopos, ut nihil in hujusmodi tuta, ac laudabili consuetudine immutari, & tam in Sacrorum celebratione, & Sacramentorum administratione, quàm in Benedictionibus, & Exorcismis, non aliis quibuscumque aliunde petitis Ritibus, Cœremoniis, & precationibus, quocumque prætextu, aditum reserari permittant.

Rejectis ritibus, & precationibus aliunde petitis.

Cœremoniæ Baptismi non omittantur, vel citò suppleantur.

§. 19. Videant autem, ne fortè inanes, aut leves timendi causæ illæ sint, quæ passim afferuntur, pro omittendis in Baptismatis administratione cœremoniis a Rituali Romano præscriptis; quas etiam, quum ex veris, gravibusque causis prætermitti contingat, primo quoque tempore suppleri curabunt. Neque enim sine gravi peccato negliguntur tam magni ponderis, tantæque antiquitatis Ritus, atque ad reverentiam Sacramento conciliandam maximè necessarii.

Aqua Baptisterii juxta Ritum Romanum benedicatur, & in Baptismo adhibeatur.

§. 20. Curandum est etiam, ne extra casum necessitatis, justique timoris ab Infidelibus incussi, communis, & naturalis Aqua, vel etiam ea, quæ pro lustrationibus benedicitur, in Baptismi administratione adhibeatur; ac temerè omittatur usus Aquæ ad hunc præcisè effectum benedictæ juxta præscriptum Ritualis Romani. Vix enim sine maxima incuria, vel inani timore (juxta sensum etiam Albani Concilii) evenire potest, ut in Ecclesiis Parochialibus, ubi illæ existunt, Baptismales Fontes, statutis temporibus, & ritibus non benedicantur, aut Sacrorum Oleorum ad hoc sufficiens copia non suppetat.

Comunionis in Paschate sumendæ cõmodum Fidelibus suppetat.

§. 21. Invigilent etiam, pro pastoralis muneris implemento, ne Fidelibus quocumque in loco degentibus Sacerdotes Catholici desint, qui ipsis in Paschatis solemniis Sacrosanctam Eucharistiam ministrare possint: tum ut Lateranensis Concilii pro omnibus utriusque sexus Fidelibus Decretum observetur; tum ut in communi totius Ecclesiæ de Resurrectione Domini lætitia, hoc vivifico pabulo, quod symbolum quoque unitatis est, Ecclesiæ Filii roborentur, ac nutriantur. Quod si propter locorum, & temporum infelicitatem eveniat, ut infra duas Hebdomadas, quæ a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis intercurrunt, nullatenus id fieri possit; tunc, ut eidem præcepto, vel in Quadragesima, vel in solemniis Pentecostes, præviisque diebus, juxta proprii Sacerdotis consilium, a Populis istarum Serviæ regionum satisfieri valeat, harum Litterarum tenore concedimus, & indulgemus.

Dispensatur quoad tempus, pro casibus necessitatis.

Eucharistia Infirmis ministretur.

§. 22. Dolenter verò nimis accepimus, vel adeo desertas, & ruinosas esse istarum Regionum Ecclesias, vel adeo insolescere Infidelium furorem, ut Sanctissima Eucharistia neque decenter, neque tutò, ut par est, asservari possit; unde eveniat, ut plerique Fideles Infirmi, absque salutari Viatico, naturæ debitum solvant. Porro gravissimo huic malo, quantum fieri potest, occurri, & provideri debet. Quamobrem Infirmorum notitia per Parochos anxiâ diligentiâ est inquirenda, non tantùm pro iisdem Pœnitentiæ Sacramento expurgandis, Christianisque monitis, ac spiritualibus consolationibus juvandis, ac sublevandis; verùm etiam, ut Sanctissimo Christi Corpore reficiantur, atque ad extremum agonem subeundum muniantur. Itaque ubi alicui ex Fidelibus mortis periculum instare perspiciant, prædictum Sacramentum Eucharistiæ quamprimum ipsi ministrent; & si quidem sine periculo possint, ab Ecclesia sumptum, si aliqua ibi extiterit, ad Infirmi domum deferre debent; cum extra summum necessitatis casum, apud Infirmos, in Ædibus non Sacratis, Missam celebrare non liceat.

Missa extra Ecclesias non celebretur, absque extrema necessitate.

Ritus deferendi sacram Eucharistiã.

§. 23. Dum autem Sacerdos tantum Sacramentum ad Infirmos defert, Decreta in Albano Concilio promulgata adamussim observet, quibus præcipitur, ut indutus Superpelliceo, Stolâque utrique humero circumseptâ, & præcedente uno saltem lumine, Hymnos, & Psalmos submissa voce recitans, in Sacra Pixide, vel in Calice mundo, velamine cooperto, ambabus manibus illud ante pectus tenens, devotè deferat. At ubi (sicut ibidem additur) Turcarum vis prævalet, & iniquitas; Sacerdos Stolam semper habeat propriis coopertam vestibus; in sacculo, seu bursa Pixidem recondat, quam per funiculos collo appensam in sinu reponat; & nunquam solus procedat, sed uno saltem Fideli, in defectu Clerici, associetur.

Superstitiosi ritus in sepeliendis cadaveribus devitentur.

§. 24. Denique circa sepelienda Fidelium Cadavera, omnes Turcarum superstitiones devitentur; a quibus profectò impuram originem trahunt superstitiosi quidam ritus, veluti lotiones, quæ incenso Thure, & certarum precum recitatione, quæ a Catholica improbantur Ecclesia, peraguntur. Itaque abstinentes, quantum poterunt, ab omni specie mala, & infidelium imitatione, discant istarum Regionum Populi, nihil in hujusmodi Ritibus contineri, quod necessarium sit ad Defunctorum salutem, atque suffragium. Turcarum verò dicteria, & cachinnos, inanesque schismaticorum sermones, pro nihilo habeant.

Relaxationes, & dispensationes non temerè, nec levi de causa adhibendæ.

§. 25. In æstimandis autem periculis, quorum interventu in supra enunciatis rerum generibus Ecclesiasticæ disciplinæ rigorem relaxari posse declaravimus, universos istarum regionum Fideles, præcipuè verò Animarum Pastores monemus, itidemque rogamus, ut abjectos animos Christiana virtute erigentes, quid verè timendum sit, quid contemnendum, examinent; & non in angustia, & metu terrenarum potestatum, sed in amplitudine charitatis, & ardore dilectionis, quæ foras mittit timorem, Dei, & Ecclesiæ præcepta observent, & Animarum Curam administrent. Quod si solam Turcarum insultantium formidinem, aut levium incommodorum periculum, ad transgredienda Christianæ professionis instituta, vel ad negligendum Animarum sibi creditarum regimen, justam sibi causam esse judicaverint; verè de

ipsis dici porerit, quod ibi trepidaverunt timore, ubi non erat timor. Idcircò Venerabiles Fratres Archiepiscopos, & Episcopos, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesias istas gravissimarum calamitatum cumulo vexatas, hortamur in Domino, & obsecramus, ut inanes hujusmodi timores, ex inferiorum Ecclesiæ Ministrorum, omniumque Fidelium pectoribus excutiant, eosque erigant, atque excitent; ut calcatis æque mundi blanditiis, atque terroribus, per arduam, angustamque semitam, Christum Ecclesiæ Caput, ad sanctificationis fastigium invitantem, constanter sequantur.

ut eos a pernicioso consilio deterreat.

Beneficium conservatæ Religionis magni æstimandum.

§. 26. Agnoscant porrò singularem in ipsos Dei nostri misericordiam, qui dum, terribili judicio, in aliis Regionibus Infidelium dominationi subjectis Christianam Religionem penitùs conculcari, & extingui permisit; in isto tamen Serviæ Regno veritatis suæ lumen vigere voluit, quo respicientes homines in angustiis, & tribulationibus constituti, & consolationem acciperent in hac vita, & ad meliorem, ac beatiorem aliam assequendam perducerentur.

Et summa cura custodiendum.

§. 27. Itaque, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, cogitate etiam, atque etiam, & præcavete, ne per ingrati animi vitium, Divinæ erga vos pietatis fluenta siccentur; & auferatur a vobis Regnum Dei, cujus legibus obtemperare, & rectè constitutos mores servare contempseritis.

Præceptum, & adhortatio pro præmissorum implemento.

§. 28. Quod si supra exposita Decreta, quibus vestram agendi disciplinam ad sanctissimarum Ecclesiæ legum puritatem cupimus revocare, quæque vobis omninò exequenda per has Literas nostras auctoritate Apostolica denunciamus, gravia vobis videbuntur, & importabilia; videte ne ad leve Christi onus, ac suave ipsius legis jugum, eam gravitatem, & molestiam vestra opinione transferatis, quæ ex superaddita temporalium bonorum, vel retinendorum solicitudine, vel acquirendorum cupiditate proficiscitur. Hæc si abjeceritis, & mundi servitutem cum ea, quam Christo professi estis, minimè conciliandam esse duxeritis; profectò levia vobis omnia, & expedita in Christianæ legis observantia videbuntur. Fidelis est autem Deus, qui non patietur vos ab infidelibus vexari, ac tentari supra id, quod potestis; sed faciet etiam ex tentatione proventum; & momentanea tribulationum vestrarum æterno gloriæ cumulo abundè rependet. Quod ab ipso Patre misericordiarum, & Deo totius consolationis vobis ex animo adprecantes, Apostolicam Benedictionem vobis omnibus amanter impertimur.

Dat. die 2. Febr. 1744.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 2. Februarii Anno Domini MDCCXLIV. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

XC.

Sæcularizatio aliquot Ecclesiarum Germaniæ, aut earumdem reddituum imminutio a quibusdam proposita, reprobatur, & nunquam toleranda edicitur; cum admonitione ad Germanorum Antistites.

Dilecto Filio Nostro Josepho Tit. S. Petri in Monte Aureo Presbytero S. R. E. Cardinali de Lambergh nuncupato.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili noster, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Pontifex cum Principibus Catholicis, agit,

UT primum Nobis compertum est, quod ad præsentem rerum in Germania statum componendum, pacemque in ea stabiliendam, proponeretur, aut aliquos ex Episcopatibus maxime insignibus in secularem potestatem redigere, aut illos Principatibus, qui cum eis conjuncti sunt, vel conspicua bonorum parte, spoliare; idemque perficere in pinguioribus redditibus, qui ad Abbatias, aut Canonicatus, aliasque Ecclesiasticas Dignitates jure pertinent; ut nimirum per hujusmodi bonorum opulentiam augeretur Principum Secularium temporale dominium, Ærarium, opesque amplificarentur: statim, Antecessorum Nostrorum exemplo, qui novis, ac perniciosis ejusmodi rebus summis viribus adversati sunt; cum superiori sæculo in Germania duo Metropolites, & Episcopatus sex deleti sunt, in alio autem deformis illa inter Catholicos, & Protestantes alterna successio constituta est; non omisimus per literas, etiam manu nostra conscriptas, Principes, quibus id magni interesse poterat, aut qui ad rem istam, de qua consultari dicebatur, opem suam conferre valebant, graviter commonere de imminenti Catholicæ Religionis in Germania periculo, de præclaro hæreticæ pravitatis triumpho, summaque rei Ecclesiasticæ calamitate: quæ quidem foret omnino maxima, si Episcopatus, insignesque Abbatiæ, sæculari Principatu cum eis conjuncto, præclarissimis juribus, spectabilibus honorificentiis spoliarentur; aut in profanos usus Ecclesiæ patrimonia converterentur, aut imminuerentur illis opes, quarum possessionem per non intermissam tot sæculorum memoriam Episcopi Catholici integre sancteque servarunt, atque ea bona, quæ Ecclesiis summa pietate, ac liberalitate a Majoribus donata fuerant, nunc per abusum maxime reprehendendum, in sumptus, & propria commoda usurparentur. Curavimus quoque, ut hæc ipsa Principibus sedulo inculcarentur ab Apostolicis Nuntiis, qui apud illos sunt. At vero, ut de eorum pietate, ac Religione, sicuti par est, publice constet, profecto Nos, tum ex ipsorum responsis ad literas Nostras, tum Nunciorum Nostrorum literis, aperte cognovimus, eos probe intelexisse non minus gravissimum Catholicæ Religionis damnum, quàm luctuosam rerum perturbationem, quæ consequeretur, si ad aliquid prædictorum aditus recludatur: proinde testati sunt, sibi consilia hujusmodi haudquaquam probari.

Principum Responsa accipit pietati & religioni consentanea.

Profitetur se nullo pacto latorum Ecclesiastici juris imminutionem.

§. 1. Jam planè ex Vobis aliquos de his omnibus certiores fecimus, in responsionibus ad ea, quæ super his ad Nos detulistis; tum etiam hæc ipsa significavimus iis, qui in Urbe negotia vestra agunt, quoties hac de re, sive per se, sive per alios, Nos allocuti sunt. Ut vero unicuique vestrum de Voluntate Nostra omnino constaret, opportunum esse duximus per hoc Breve Apostolicum eam luculenter exponere, quod ad cæteros quoque præclaros Germaniæ Episcopos mittimus, ad universos fortasse, si opus fuerit, mittendum. Nos igitur coram Altissimo, cui rationem de singulis operibus nostris reddituri certe sumus, testamur, Nos pro viribus enixe curaturos, ut omnia & singula Ecclesiarum Germaniæ Principatus, jura, jurisdictiones, honores, bona, sive illa ad Episcopatus, sive ad Abbatias, sive ad Canonicatus, sive ad alias quascunque Ecclesiasticas Dignitates jure pertinent, integra atque intacta permaneant; neque unquam concessuros, aut assensu comprobaturos, adversum hisce quidquam fieri, ulloque modo attentari; cum omnino parati simus sanguinem potius nostrum omnem effundere, quàm pati, ut Ecclesiæ jura, ac libertas violentur, & conscientiæ Nostræ macula per ejusmodi assensum afferatur.

Episcopos monet de ipsorum debi-

§. 2. Pietati quidem vestræ, ac zelo injuriam faceremus, si vel suspicio in Nos caderet,

to, eorumque consilia exquirit.

sententiam vestram cum hac Nostra prorsus non congruere; quasi vero obliti essetis jurisjurandi, quo in auspicando Episcopatu polliciti estis, universa Ecclesiæ vestræ jura, prærogativas, fortunasque, sartas tectasque servare. Equidem Nos animo prospicimus, quantum emolumenti hæresi accederet, si Ecclesiasticos proventus, non dicimus, sæculares fieri, sed tantummodo attenuari, minuique; eoque magis si Principatibus, jurisdictionibus, juribus, honorificentiis, quod Deus avertat, Episcopatum aliquem, aut aliquam Abbatiam spoliari contingeret. Acerbissima enim vulnera, quæ haud dissimili occasione Catholica Religio accepit, argumento nimis certo Nobis sunt, ut eidem multo graviores in posterum auguremur calamitates. At vos, qui loco præsto estis, longe melius, quàm Nos, percipere valetis, quæ pernicioſa vobis, ac tristissima acciderent, si vestra Episcopalis Dignitas insigni Principis auctoritate, viribus, opibusque denudata, impotens, & imbecilla fieret, ad Gregem Vobis commissum tuendum tegendumque ab Hæresi, quæ in propinquis, ac finitimis provinciis longe lateque dominatur. Maxime vero, si animadvertatis, quæ tandem futura sit clarissimi istius Cleri vestri conditio, redditibus ad ipsum pertinentibus imminutis. Cum enim ex selecta totius Germaniæ Nobilitate is componatur, haud difficile est intelligere, in quem statum paulatim prolaberetur; in illum scilicet, in quo fuit sæculo XVI., cum Hæresis in Germaniam, atque inde in alias quoque Provincias grasseretur. Agitur itaque res summa, & periculi plena, quæ curam, operam, ac vigilantiam vestram summopere exposcit. Proinde necesse est, ut sedulo cogitetis, provideque Nobis suggeratis, quid facto opus sit, præter ea, quæ hactenus fecimus. Ad omnia quippe Nos promptos, ac paratos esse intelligetis.

Vanas rationes ab aliquibus jactatas refellit.

§. 3. Imponendus hic esset literis hisce finis; sed Apostolici muneris Nobis impositi onus, de quo Omnipotenti Deo rationem reddere tenemur, exigit, ut nonnulla insuper addamus. Vos equidem non ignoratis, Catholicis Principibus minime deesse laxioris conscientiæ Theologos, & Assentatores, qui ad eorum aures insusurrare non dubitarunt, fieri quidem non posse, ut Ecclesiastica bona in sæcularem statum redigantur; posse tamen ea minui; tum propter illorum abusum, tum propter immoderatum luxum, & sæcularis potius Principis amplitudinem, quàm Episcopi gradum, ac dignitatem; unde fit, ut, aliis Pastorali animarum cura tradita, ipsemet Episcopus sæculi negotiis, & curis sese immisceat. Nos profecto, in Literis manu Nostra ad Principes datis, haud prætermisimus sententiam adeo pernicioſam refutare, atque diluere; tum ratione, tum exemplis ostendendo, absurdum non esse, ut cum Episcopatu unà Principatus conjungatur, idque præsertim in Germania: Neque, ob unius, vel alterius abusum, generale aliquid statui debere, quo Ecclesia vetustissimis, quibus fruitur, juribus exuatur, quove Successoribus in perpetuum adimatur facultas ejusmodi bonis utendi in Ecclesiæ emolumentum, & juxta laudabilem piamque majorum institutionem.

Hortatur Episcopos ne hujusmodi calumniis causam præbeant.

§. 4. Persuasum plane Nobis est, Te non inter eos numerari, qui ita agendo, pravis ejusmodi consiliis occasionem præbuerunt, aut præbent. Neque id inquirimus, an per hos dies quoque in Germania sit, qui sæcularis potius Principis, quàm Episcopi personam gerat, quique Principatu, Templique thesauro, ad sæculi pompam abutatur. Generatim sane loquimur; eò magis, quòd præsentes literas non ad Te unum, sed ad complures alios transmittere decrevimus. Sed libere constanterque dicimus, ut si in Venerabili Episcoporum cœtu, & inter præclaros Germaniæ Præsules in præsens forte existeret, qui istud vitæ genus ageret, is animæ suæ consulat, talem vivendi rationem corrigat, emendatæque vitæ institutione scandalum de medio tollat, atque ita os obstruat iis, qui loquuntur mendacium, quique argumentis quidem falsis, sed veri speciem præseferentibus, blandiuntur Principibus Sæcularibus, ad ea attentanda, a quibus illi hactenus se alienos esse profitentur. Qui sæcularem magis Principem, quàm Episcopum gerit, is certo sciat, se talis ditionis Principem esse, eò quòd Episcopus sit talis Diœcesis: Principatum autem non idcirco cum Episcopatu conjungi, quò negligatur cura animarum, sed quò ipsi plenius satisfiat, & Ovile Jesu Christi sibi traditum validiùs ab Hæresi propugnetur. Animadvertat quoque, pios Institutores, non ad luxum, & sæculi pompam fovendam, elargitos fuisse summa liberalitate, ac munificentia pingues Ecclesiæ proventus; sed ut, detractis iis, quæ congruunt quidem cùm Episcopo, tum Principi Viro, non ad propriæ voluntatis libidinem, sed ad Sacrorum Canonum regulam, ita ut omnibus conspicuum sit, quid inter Principem Sæcularem & Episcopum Principem interſit: necnon ut iis detractis, quæ ad utriusque dignitatis gradum, atque onera necessaria sunt; quod reliquuum est, in subsubsidium pauperum, & Ecclesiæ bonum impendatur. Qui ita se gesserit, minime dubitet, quin Altissimus benedictionibus suis eum largissime cumulet, atque unà efficiat, ut in Germania gravissima damna reparentur, quæ ibi superiori memoria illata sunt.

Eademque ab illis invicem suggeri mandat.

§. 5. Hæc, atque alia hujusmodi, animo quidem, & Caritati tuæ præsentia fore non dubitamus; quibus quoque Te opportune usurum speramus, si quando occasio se dederit tibi agendi cum iis, qui forte tam improprie, & inconsiderate viverent. Interea te toto animo complectentes, Apostolica Tibi, Dilecte Fili Noster, Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xv. Feb. MDCCXLIV. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

Dat. die 15. Febr. 1744.

J. Vincentius Luccheſinius.

Similes Litteræ, eodem fere exemplo, ſcriptæ fuerunt ad alios Antiſtites per Germaniam.

XCI.

Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Patavinæ nonnulla Indulta, & Privilegia conceduntur.

Dilecto Filio Noſtro Carolo S. Nicolai in Carcere Tulliano Diacono S. R. E. Cardinali Rezzonico nuncupato.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili noſter, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Veteres Capituli Patavini prærogativæ.

SIMUL, ac Nobis, non humano quidem consilio, sed, ut profecto reputamus, Dei Numine admonitis, in mentem venit te dare Antistitem Patavinæ Ecclesiæ, cogitavimus ejus Cathedrale Canonicorum Collegium aliquo augere decore, quod pro testimonio haberet paterni amoris erga se Nostri. Ita siquidem merita esse videbatur Ecclesia a S. Prosdocimo D. Petri Discipulo fundata, cultaque deinceps a tot successoribus in Divorum numerum adscriptis, Fidentio, Syro, Hilario, Maximo, Bellino, aliisque duobus Beatorum nuncupatione decoratis, Leonino, & Bernardo Maltraverso, nostra pariter ætate a Venerabili Cardinali Gregorio

Barbadico. Ipsum Cathedrale Collegium, unde tres Pontifices maximi, Quartus Eugenius, Paulus Secundus, & Octavus Alexander prodierunt ad universum Christi Domini Ovile moderandum, sexdecim præterea S. R. E. Cardinales, quinque Patriarchæ, duodetriginta Archiepiscopi, & Episcopi, pluresque Romanæ Curiæ Præsules, multis jampridem Pontificiæ beneficentiæ argumentis ornatum a Decessoribus Nostris Callisto hujus nominis Secundo, Alexandro Tertio, Urbano Tertio, Innocentio Tertio, Pio Secundo, adeo splendidam sui speciem exhibebat, ut Nos ad se magis magisque honestandum illiceret.

Cardinalis moderni Episcopi laudes.

§. 1. Nec in Te parum momenti fuit ad hujusmodi propositum nostrum confirmandum. Dum enim illi Episcopali auctoritate præes, tuis quoque amplissimis meritis ab Capite in membra derivatis enitet. Nobis quippe ante oculos obversabaris clarus non una Ecclesiasticæ Ditionis Provinciali Præfectura, illustris gesto tot annos summa cum justitiæ, ac sedulitatis laude Romanæ Rotæ magistratu, spectatissimus denique amplissima Cardinalatus Dignitate, quâ decorus Romæ inter præstantiores Collegas mirificam navabas assidue operam piis exercendis institutis, saluberrimis dicendis in Reipublicæ administratione sententiis; simul autem singulari præditus morum gravitate, atque innocentia, edebas magna Christianæ virtutis exempla: cujus illud tum quoque se Nobis obtulit, dum inopinatò vocatus ad gubernandum Patavinum Gregem, anceps hæsisti, an arduo sustinendo oneri pares tibi adessent vires, nec nisi explorata per aliquot dies Dei voluntate, eaque comperta, illud subire voluisti; Statim deinde sacris cœremoniis initiatus, & ad commissas oves progressus, Pastorali cura, & agendi suavitate, Tibi adeo illarum amorem conciliasti, ut susceptum a Nobis Te eligendi consilium eximiis celebrent laudibus; idque apertissimo documento sit, Divino placuisse Pastori, quod Te in partem Pastoralis solicitudinis vocaverimus. Hæc omnia Nobis suaserunt, ut Cathedrale Collegium tuum præcipuis honoribus amplificemus.

Dignitat., & Canonici Patav. creantur Sedis Apost. Notarii.

§. 2. Quocirca motu proprio, nec ad ullius postulatum, & plenitudine Nostræ Potestatis, decernimus, & constituimus, ut perpetuis futuris temporibus Dignitates, & Canonici Patavinæ istius Ecclesiæ, Notarii sint Sedis Apostolicæ, gaudeantque cunctis honoribus, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, gratiis, favoribus, indultis, quibus potiuntur ejusdem Apostolicæ Sedis Notarii de numero Participantium, sine tamen istorum præjudicio. Rursus ut dum in Choro divinas celebrant laudes, utantur per hyemem Suparo, seu Roccheto, & Cappa magna, per æstatem eodem Suparo, & Superpellicio, sicut Vaticanæ Basilicæ Canonicis est in more. Pileum itidem gerant ornatum purpureo torulo, honoraria scilicet rubri coloris fasciola. Insigni præterea Familiæ suæ Protonotariorum Galerum imponant. Dum quoque Sacrosanctum Missæ Sacrificium peragunt, Canonem Missæ adhibeant, & Lychneolum. Hæc omnia tamen concedimus, & concessa esse volumus, salva tua, & Successorum tuorum in omnibus jurisdictione. Nec per ea intendimus ullam Dignitatum, Canonicatuum, & Præbendarum Ecclesiæ Patavinæ, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ per dictæ Ecclesiæ Canonicos, & inibi Dignitates hujusmodi obtinentes pro tempore possideri, seu in quibus, vel ad quæ jus haberi contigerit, reservationem, sive affectionem Nostræ, ac Romanorum Pontificum Successorum Nostrorum, ac Sedi præfatæ collationi, & dispensationi inducere.

Eorum insignia, & habitus Choralis.

Usus Canonis, & lychneoli.

Præservatur Ordinarii jura, quoad collationes.

Pontificiæ benevolentiæ significationes.

§. 3. Tuum modo sit Canonicos ipsos hujus beneficentiæ Nostræ certiores facere, iisque reddere has nostras Litteras in forma Brevis, quæ in Tabulario servatæ, authentico testimonio fidem faciant Paternæ benignitatis, benevolentiæque erga se Nostræ, atque incitamentum præbeant obsecrandi Deum Optimum Maximum, ut Omnipotenti ope sua Nos muniat ad Ecclesiæ Gubernacula difficillimis hisce temporibus moderanda. Quod ut ipse quoque cum illis precari ne desinas, Apostolicam Benedictionem, Dilecte Fili Noster, Tibi, eisdemque Canonicis paterni cordis singulari studio impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIII. Februarii MDCCXLIV. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

Dat. die 22. Febr. 1744.

J. Vincentius Luccheſinis.

XCII.

Antiocheno Patriarchæ Græcorum Melchitarum transmittitur Pallium, Communionis tessera, ac Dignitatis insigne, adjectis mandatis, & conditionibus oportunis.

Venerabili Fratri, Cyrillo Catholico Græco-Melchitarum Antiocheno Patriarchæ.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Patriarchæ Fides, Religio, & in S. Sedem observantia commendantur.

Dum nobiscum animo reputamus, illustrem Antiochenam Græcorum Ecclesiam, jamdiu à Romana Sede funesto Schismate divulsam, & à Patriarchis ea labe infectis gubernatam, nunc tandem Fraternitati Tuæ commissam, in legitimi Pastoris tutela esse, omnibus quidem lætitiis incedimus, diuturni mœroris propemodum obliti, quo ex illa Schismaticorum Antistitum irruptione conficiebamur; incredibili simul gaudio perfundimur, quod Catholici Græci Antiocheni Patriarchæ nomen, repetita longius antiquitatis memoria, Romanis Dypticis tutò adscribi queat. Qua de re maximas habemus, agimusque Deo gratias, eòque magis, quod Nobis in Suprema Ecclesiæ Cathedra, licet immeritò, confidentibus, id felicitatis evenerit; ac possimus, Te Præside, minus timere de illius Gregis parte, quæ ab insidiosis Pseudo-Episcopis circumsessa, deserendæ Orthodoxæ Fidei periculo objiciebatur; contra verò aliqua duci spe, fore ut reliqui in Christi Domini Ovile se restituant. Magnum igitur tuum meritum est, in Orientalem Græcum Patriarchatum veluti postliminio rediisse Catholici Antistitis decus. Ex eo autem æque plurimum apud Nos commendaris, quod ad rem tanti momenti obtinendam Tibi aditum aperueris benè actâ vitâ prius Romæ in Collegio ad Propagandam Fidem instituto, deinde per tuam Nationem Christianis virtutibus palàm asserta vera Dei Religione. Quamobrem à Catholicis Orientalis Diœcesis Episcopis in Antiochena Sede locatus fuisti, in qua per tot annos, veluti bonus Christi Miles, pugnasti adversus Catholicæ veritatis hostes, nullis fractus ærumnis, quibus adhuc oppugnaris. Fideli autem populo multum, ne erraret, providisti, consulta identidem Apostolica Sede, ejusque Decretis ac mandatis morem sedulò gessisti, non sine ingenti tuarum Ovium fructu, & eximia obedientiæ laude. Quin etiam, ut arctius visibili Pastorum Principi Te adhærescere gloriari posses, Sacro ornari Pallio à Pontifice Maximo postulasti; ablegato idcirco Romam Dilecto Filio Joanne Aminione Sacerdote, qui prudenti, & grata agendi sedulitate utilem Tibi navavit operam suam. Nihil denique prætermisisti, in quo tua pietas, sincera fides, insignis erga Romanam Sedem observantia non eluceſceret.

Pallium ipſi tranſmittitur.

§. 1. His auctus meritis, omnia spondere Tibi poteris de Nostra benignitate, & si adhuc Pallii

donum

donum dilatum fuit, scito, id consultò evenisse, ut quò diuturniùs optatum, eò jucundiùs acciperes. Nunc autem non amplius cunctandum rati, quin assiduis tuis precibus, nuper etiam in Consistorio ab eodem Ablegato Tuo renovatis, annueremus, libentissimè Tibi transmittimus Pallium ipsum, desumptum è Corpore Divi Petri, in quo plenitudo Pontificalis officii continetur, quod Tibi tradet nostro nomine Venerabilis Frater Episcopus Babylonis, aut alius ab ipso substitutus; dummodò prius coram eorum altero emiseris Catholicæ Fidei professionem, juxta formulam præscriptam à fel. rec. Urbano VIII. Decessore Nostro, ac solenni jurejurando pollicitus fueris fidelitatem Nobis, & Apostolicæ Sedi, adhibita verborum formula Ablegato Tuo consignata, quæ cum his literis reddita Tibi erit; simulque juratus promiseris, Te accuratissimè, & qua par est obedientia observaturum quicquid à Nobis sancitum fuit in encyclica Epistola ad Venerabiles Fratres Patriarcham Antiochenum Græcorum Melchitarum, & ad omnes hujus Ritus Catholicos Episcopos huic Patriarchæ subjectos, data 24. Decembr. Anni proximè elapsi 1743. quæ incipit: *Demandatam cœlitus*; cujus exemplar cum Nostris hisce literis ad Te perveniet.

Fidei professio, juramentum fidelitatis, & de observandis recentibus Mandatis Apostolicis, eidem præscribitur.

§. 2. Utere deinde hoc venerabili dono, eoque in tuæ Gentis oculis posito, excita illius memoriam ad retinendam, aut amplectendam fidem, ab Apostolorum Principe æque Nobis, ac sibi traditam; unde veluti quadam cognatione illecti, atque excitati, ad Nos revertantur, aut Nobiscum perseverent, quotquot in tuo Patriarchatu Sacro Baptismate initiati sunt. In istiusmodi operam ut omnes intendas Pastoralis vigilantiæ curas, quod hactenus fecisti, pro paterna solicitudine Te adhortamur; plurimam à Nobis gratiam quotidie magis initurus; cujus pro pignore, munusculum ad rerum Sacrarum usum accipies, Ablegato tuo consignatum, atque Apostolicam Benedictionem, quam Fraternitati Tuæ peramanter impertimur.

Pallii usus ad dignitatis decus, & religionis excitamentum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die xxix. Februarii MDCCXLIV. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

J. Vincentius Luccheſinius.

Dat. die 29. Febr. 1744.

Acta Consistorialia Pro Concessione Pallii Patriarchæ Antiocheno Græco-Melchitarum.

In Consistorio Secreto habito die 3. Februarii 1744.

ARGUMENTUM.

Seraphinus Tanàs, qui, juxtà Græcorum morem, electus Patriarcha Antiochenus Græco-Melchitarum, Cyrilli nomen assumpserat, & jam a Sancta Sede Apostolica Electionis confirmationem obtinuerat, per Johannem Aminionem Sacerdotem ejusdem Ritus Procuratorem specialiter deputatum Pallii honorem instanter, atque humiliter postulavit. Itaque in Aulam Consistorialem, in qua Prælati, Nobiles plurimi, ac Collegiorum tam de Propaganda Fide, quàm Græcorum Alumni jam frequentissimi convenerant, antequam fores Consistorii de more clauderentur, præcedentibus ad arcendum populum duobus ex servientibus armorum, qui & Mazzerii vocitantur, ab uno ex DD. Cœremoniarum Magistris D. Thomas Franciscus Scaramutius Advocatus Consistorialis, & præfatus Electi Patriarchæ Cyrilli Procurator introducti fuere, & è regione Pontificiæ Sedis flexis genibus antedictus D. Scaramutius Sanctitatem Suam sic fuit allocutus.

BEATISSIME PATER.

AD Patriarchatum Antiochenum, qui a pluribus sæculis a Sanctæ Sedis unione desciverat, electus juxtà Græcorum morem fuit sub anno millesimo septingentesimo vigesimo quarto R. P. Seraphinus Tanàs, qui Cyrilli nomen assumpsit, pietate, bonisque moribus, ac scientiis imbutus apud Collegium Urbanum de Propaganda Fide, cui inter Alumnos diù fuit adscriptus. Romano Pontifici B. Petri Successori obedientiam præstiturus, promptè ablegavit ad Sa. mem. Benedictum XIII. Joannem Amenionem Sacerdotem ejusdem Ritus Græco-Melchitarum; & Alumnum anteà ejusdem Collegii, cum speciali mandato, ut suæ confirmationem Electionis a Sancta Sede, & a Summo Pontifice, a quo omnis Ecclesiastica potestas descendit, humiliter postularet, & pro concessione Pallii suo Nomine deprecaretur. Acta Electionis talia comperta fuere, ut confirmatione digna visa fuerit Electio. Sed ut certiora de perfecta unione, & obedientia erga Sanctam Sedem a Cyrillo haberentur testimonia, non priùs confirmationis actus probato Religioso Viro delegatus, publici juris factus est, quàm idem Patriarcha Fidei Catholicæ professionem juxtà præscriptam formam emitteret, ac mandatis Sanctæ Sedis parere jurejurando adfirmaret. Æquo libentique animo omnia implevit Cyrillus, & licet commissas sibi Gentes ad obsequium, & unionem Sanctæ Sedis alacriùs excitans, persequutionem a schismaticis passus sit, adhuc vigilis Pastoris curas gerens, & novum sinceræ fidei erga Sanctam Sedem documentum exhibens, dubitationes in sui Gregis regimine exortas, ejus judicio submisit. Earum tamen discussio assumi non potuit ob superventam Apostolicæ Sedis vacationem. Reservatum sanè erat, Deo Optimo Maximo sic disponente, hujus operis complementum Tibi, Beatissime Pater, qui summo zelo duce, & omnigenâ sapientiâ comite, ab illa die, quâ ad supremam hanc Cathedram evectus fuisti, Catholicæ Fidei ubique servandæ studuisti, & in orbem totum diffundendæ. Idcirco Sanctitas Vestra dubitationes a Patriarcha exhibitas coram se discussit, ac maturâ deliberatione composuit, prout in Litteris, quas ad eundem Patriarcham, eique suffraganeos Episcopos Græco-Melchitarum Ecclesiarum scribere dignata est, disertissimè explicavit. Plenè sic unione cum Sancta Romana Ecclesia constituta, Cyrilli Procurator spondens, quod ille Sanctitatis Vestræ mandatis erit omnimodè pariturus, resumpsit intermissam Pallii postulationem; quæ cum non nisi in hoc loco, ubi auctoritate Sanctitatis Vestræ graviora negotia peraguntur, tractari possit, ideò supplicatio ista nunc reverenter exponitur, petitque Cyrillus Patriarcha Antiochenus, quo par est, obsequio, totaque animi submissione, Pallium, quod è Corpore Divi Petri sumitur, & in quo Pastoralis Officii plenitudo continetur, spemque fovet, ut voti compos fieri mereatur, quia Antiochenæ Ecclesiæ prærogativæ illi viam sternunt amplissimam, ac tali honore ipse Cyrillus se dignum exhibet, dum erga Sanctam Sedem semper fuit obsequentissimus. Decens propterea videtur, quod Eum Sanctitas Vestra hoc dignetur cumulare beneficio, pro quo idem Joannes Aminion hic præsens Orator legitimo suffultus mandato, supplicat instanter, instantiùs, & instantissimè.

Venerabiles Fratres.

MAGNUS Pontifex Innocentius Primus in Epistola ad Alexandrum Antiochenum, nunquam futurum affirmavit, ut Sedes Antiochena Romanæ cederet, *nisi quod illa in transitu meruit, ista susceptum, & apud se consummatum gaudet.* Primis quidem temporibus eam Sedem occuparunt Episcopi Sanctitate clarissimi, Evodius, Ignatius Martyr, Meletius, & Flavianus.

vianus. At verò sæculo quinto vergente, dilacerato per Nestorii, & Eutychetis hæreses Oriente, Antiochena Ecclesia turpiter deformata est: quippe quæ divisa fuit inter eos, qui Concilii Chalcedonensis definitionibus se se opposuerunt, quique adhuc per hos dies Jacobitarum nomine subsistunt; & inter illos, qui è contrario Concilii dogmata ac decreta venerantes, Marciani Imperatoris edictis obsequentes fuerunt, atque hinc Melchitæ, hoc est Regii, nuncupati sunt. Cùm verò subinde Antiochenam Ecclesiam Patriarchæ hæreticâ pravitate infecti invasissent, omnem lapidem Patriarchæ Constantinopolitani moverunt, ut illam sibi subjicerent; maximè verò postquam Oecumenici titulum sibimet arrogarunt: Neque id frustra. Nam occupatâ sæculo septimo Syriâ unà cum proximis Provinciis a Saracenis, & inde sæculo decimo ab Imperatore Nicephoro Phoca ex eorum manibus ereptâ, in Græcorum Imperatorum potestatem Antiochia devenit: proinde Antiocheni Patriarchæ a Constantinopolitano selecti, ordinatique sunt; atque ita Melchitæ Græcorum schismatici se se immiscentes, Melchitæ Græci mox appellati sunt.

Post hæc, ineunte sæculo undecimo, Petrus III. Patriarcha Antiochenus, de more Antecessorum suorum, S. Leoni IX. Romano Pontifici se ad Patriarchatus dignitatem fuisse promotum significavit, in ea petens ab illo confirmari, sicuti revera confirmatus est, à schismate hac ratione secedens. Dorotheus I. cum Ecclesia Romana in Concilio Oecumenico Florentino se se conjunxit. Cum autem idem Patriarchatus rursus esset in schismatis tenebras delapsus, nulla resipiscentiæ lux affulsit, nisi labente sæculo decimo septimo, ad quam iter primò stravit Euthymius Melchita Tyri, & Sidonis Archiepiscopus: deinde Athanasius Patriarcha, quique ei Primus successit Cyrillus, transmissâ ad hanc Sanctam Sedem Fidei professione: cui Sancta Sedes penitus non acquievit, proinde nec Pallii dignitatem illis concedere opportunum judicavit.

Unus id temporis Patriarcha Cyrillus alter est, qui præsenti sæculo ad Patriarchatum evectus, electionis suæ a Sancta Sede confirmationem obtinuit, cùm suæ erga hanc Sanctam Sedem obedientiæ signa minimè dubia dederit, fortissimumque se gesserit in ea asserenda adversùs Sylvestrum schismaticum, qui Sedem Patriarchalem invasit; quamobrem in Monte Libano exulare cogitur. Præest insuper Cyrillus noster genti, quæ hodie Catholicos ingenti numero complectitur, quæque a decem Episcopis, qui ipsum tamquam legitimum Patriarcham venerantur & colunt, providè gubernatur. Atque in Melchitis hisce verè Orthodoxis Venerabiles Antiochenæ Ecclesiæ reliquiæ, jampridem consepultæ, reviviscunt. Huic itaque venerando viro, huic præclaro Orthodoxæ Fidei propugnatori Nos in hoc ipso Consistorio honorem Pallii de Corpore Beati Petri sumpti, in quo Pastoralis Officii plenitudo continetur, postquam Orthodoxæ Fidei professionem coram eo, cui id delegabimus, emiserit, libenter impertimur; ut factis comprobemus id, quod Leo IX. dixit Petro III. Antiochiæ Patriarchæ respondens: „ *Maxima Mater, Romana scilicet „ ac prima Sedes, tam dilectæ sibi Filiæ, immo „ Consociæ, nusquam, & nunquam deerit.*

Peractâ Oratione Pontifex, benedictione signo Crucis eis impertita, dimisit, atque etiam omnibus aliis simul exclusis Aulæ Consistorialis fores de more clausæ fuerunt, & Sanctissimus cum DD. Cardinalibus solus remansit, ut quæ in Consistorio Secreto peragenda erant, absolveret; Sicque Antiochenæ Ecclesiæ Negotio, quoad Consistorium attinet, completo, quoniam laudati Patriarchæ Cyrilli Procurator desiderio flagrabat pro singulari impertito beneficio Sanctitati Suæ ejusdem Patriarchæ nomine gratias saltem privatim reddere, cum in publico id facere ei non licuerit, ideo post Consistorium, voti compos a Pontifice perhumaniter effectus in intimo suo Cubiculo, familiaribus tantùm admissis, in hunc modum verba fecit.

Est sanè, Beatissime Pater, cur hodie Antiochenus meus electus Patriarcha Cyrillus III. & immortaliter gaudeat, & glorietur in Domino, & gratias amplissimas Tibi non agat modò, sed referat. Pallium Patriarchale, tamdiu ab illo desideratum, ac per tria & ultra lustra sine intermissione quæsitum, en tandem a Te, & per Te hodierno die summa cum celebritate consequitur; Causæ quamplurimæ, quæ ad Spirituale totius Patriarchatus sui regimen spectabant, & quæ nunquam tot annorum cursu ex omni parte expediri potuere, a Te felicissimè expeditæ: omnia Rituum dissidia, quæ universam Græcorum Gentem exagitabant, & quæ nunquam hactenus componi valuerunt, a Te sapientissimè composita, Patriarcha tandem, exul, afflictus, Patria, Domo, bonis cunctis, expoliatus, undequaque vitæ periculis circumseptus, & ab omnibus destitutus, ita adjutus est a Te, ita defensus, & beneficiis, atque honoribus cumulatus, ut in Te uno invenerit, & Julium I., qui Sanctissimum Athanasium in Patriarchalem Sedem, è qua Arianorum fraudibus, ac perfidia dejectus fuerat, restituit; & Paschalem II. qui *nullo modo Antiochenæ Sedis dignitatem imminui passus est;* & Leonem IX., qui conatibus omnibus tutatus est honorem, *quem Antiochenæ Ecclesiæ reliquerunt omnia Sanctorum Patrum Concilia.* Quantum autem ponderis accedit his omnibus, si pensetur, facta hæc esse a Te eo tempore, in quo publicæ, gravissimæque totius Orbis Christiani calamitates, & curæ sollicitum Te semper distentumque habent, ac momentis singulis agitatum? Tanta hæc profectò sunt, ut Cyrillus ab his potissimum excitatus, glorietur ad instar Apostoli in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis, pro Christo, & Sede Apostolica toleratis, paratusque sit ad majora in dies ex hac ipsa de causa toleranda. Quid autem dicam de Decretis, a Sanctitate Tua nuper publicatis? Sicut sexcenti Chalcedonenses Concilii Patres, auditis Leonis literis, exclamarunt: *Petrus per os Leonis loquutus est*; ita Cyrillus cum suis Episcopis, acceptis literis Tuis, exclamabit: *Petrus per os Benedicti loquutus est.* Filius scilicet ille est obsequentissimus Sanctæ Sedis a tenerrimis etiam unguiculis: In hac enim Urbe educatus, in hac sacris literis imbutus fuit, & in hac se totum Deo, & Sedi Apostolicæ consecravit, in Pontificio nimirum Collegio de Progaganda Fide, ubi per integrum decennium ad pietatis, & literarum studia totus incubuit. Hi sunt, Pater Sanctissime, genuini Cyrilli sensus; hæ totius Melchitarum Gentis, a Te in pristinum splendorem suum restitutæ, gratæ æternumque memores significationes, quas in hoc amplissimo Orbis terrarum, augustissimoque Consessu, omnium nomine Tibi contestor. Et quoniam pauperies nostra, debitas Apostolicæ Tuæ, qua nos complecteris, charitati, grates referre non potest; vices saltem referet Fides, Obedientia, Veneratio, Amor, Tuorumque in nos beneficiorum immortalis memoria. Augebitur scilicet in nobis omnibus, Religionis Catholicæ propagandæ studium, & indefessus erit in omnibus labor, ac vigilantia in extirpandis erroribus, in

Breviar. Roman. die 2. Maji. Baron. ad ann. 1113. Tom. 3. Epist. Roman. Pontific. Epist. 5.

Eccle-

Ecclesiasticâ disciplina restituenda, & in Sedis Apostolicæ juribus defendendis. Prædicabitur à Nobis nomen Tuum in sæcula, requiretur à generatione in generationem; Sapientiam Tuam enarrabunt Gentes, & laudes Tuas enunerabit Orientalis Ecclesia.

XCIII. Contra Surripientes, vel asportantes, aut apud se retinentes Sacras Hostias, vel Particulas consecratas.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. AB Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, in quo Salvator Noster, & Dominus JESUS-CHRISTUS se ipsum nobis, tamquam gratiarum omnium fontem uberrimum, atque pretiosum æternæ gloriæ pignus, amandum, atque fruendum exhibere ineffabili benignitate dignatur; cui curvari convenit omne genu, omnesque gentes, & populos, & linguas perenne adorationis, & honoris tributum offerre; sceleratorum Hominum audaciam, multòque magis sacrilegas impiarum manus arcendas esse, in primisque à Nobis Apostolicæ auctoritatis clypeo, ac districto pœnarum gladio, quantum cum Domino possumus, longiùs propulsandas, tum ipso ministerii Nostri Officio, tum etiam Prædecessorum nostrorum exemplis admonemur.

Epitome Constitutionis Innoc. XI. §. 1. Et sanè, cum aliàs Ven. mem. Prædecessor Noster Innocentius Papa XI. per suam Constitutionem datam IV. Idus Martii Anno Incarnationis Dominicæ MDCLXXVI., statuerit, ut omnes, & singuli utriusque sexus, qui de execrabili furto Hostiæ consecratæ, sive unius, vel plurium Particularum consecratarum, cum sacra Pyxide, vel sine illa, legitimè, & judicialiter confessi, aut convicti fuerint, quive propria malitia, vel de alterius mandato, Hostiam ejusmodi, sive unam, vel plures Particulas consecratas, ad malum finem, apud se retinere, vel aliò transferre, seu asportare præsumpserint, condignis pœnis, & animadversionibus pro facinoris atrocitate plectantur, & pro prima etiam vice Curiæ sæculari tradantur; non obstanti minori ætate, dummodo vigesimum annum attigerint; easdemque pœnas constituerit etiam contra Mandantes: Immediatus illius Successor fel. pariter rec. Alexander Papa VIII., æquali zelo ad tam nefarium scelus eliminandum armatus, prædictam Innocentii XI. Constitutionem confirmavit, per aliam in simili forma datam XI. Kalendas Januarii Anni MDCXC.; in qua etiam illud addidit, ut sub antedictæ Constitutionis dispositione intelligi deberent comprehensæ omnes, & singulæ personæ tam Sæculares, quàm Ecclesiasticæ, etiam Regulares, cujuscumque dignitatis, status, gradus, Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti, quibuscumque privilegiis, exemptionibus, & Indultis munitæ, & quavis speciali nota, aut individuatione dignæ, nulla prorsus excepta; easque omnes, siquas atrocissimi hujus criminis, quocumque modo, etiam sine qualitate furti, per se ipsas, vel per alios quoscumque, aut de alterius mandato, commissi, reas esse constaret, omnibus, & singulis pœnis tum antiquis, tum in dicta Innocentii XI. Constitutione innovatis, etiam, quoad Ecclesiasticos, degradationis realis, & traditionis brachio sæculari, omninò & irremissibiliter obnoxias fuisse & esse, atque in posterum fore, declaravit.

Epitome Constitutionis Alex. VIII.

Confirmatio prædictarum Constitutionum. §. 2. Nos igitur, quibus horrendæ hujusmodi impietatis magis magisque præcavendæ non minor cura pectori insidet, supradictas Prædecessorum nostrorum Innocentii XI., & Alexandri VIII. Constitutiones (quarum tenores, ac si de verbo ad verbum præsentibus insertæ forent, haberi volumus), atque omnes, & singulas dispositiones, ordinationes, declarationes, & extensiones in illis contentas, prout jacent, Motu proprio, & ex certa scientia, & deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac Nostra perpetuò valitura Constitutione confirmamus, approbamus, & innovamus, easque inviolabiliter, & inconcussè servari volumus, & mandamus.

Referuntur causæ novarum declarationum. §. 3. Cum autem, sicut Nos ipsi pluries agnovimus, dum adhuc in minoribus existentes, in Romana, atque universali Inquisitione Consultoris munere fungebamur, in hujusmodi Causarum tractationibus, quæ coram Sacro prædictæ Inquisitionis Tribunali agitantur, hæ plerumque exceptiones à Reis, atque Reorum Advocatis proponi soleant; quod scilicet subreptarum Particularum, sive Hostiarum consecratio, & surripientium, sive asportantium, vel respectivè retinentium intentio ad malum finem directa, minimè à Fisco probentur; & propter hujusmodi exceptiones, & deficientes in Fisco probationes ad easdem repellendas, hujus generis causas in longum protrahi contingat, atque etiam ipsi aliquando Rei delictorum suorum impunitatem, aut pœnarum minorationem pessimo exemplo obtinere tentaverint; Cumque super relevantia istarum exceptionum, quæ ex prædictarum Innocentii XI., & Alexandri VIII. Constitutionum contextu oriri asseruntur, & super eo, an ipsis Reis, vel Fisco potiùs incumbat onus conficiendi probationes pro supradictis exceptionibus fundandis, vel respectivè destruendis, novam aliquam declarationem Pontificia auctoritate suffultam memoratis Constitutionibus adjungi desideraretur: Idcirco Nos, volentes omnia sacrilegis Hominibus adimere subterfugia, per quæ condignas tantæ impietatis pœnas declinare, vel earum minorationem, & relaxationem prætendere, vel obtinere possent, motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus, atque etiam Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum à Sancta Sede specialiter deputatorum sensui, & consilio Nobis aliàs super hac re insinuato inhærentes, ea quæ sequuntur opportunè statuenda, & declaranda censuimus.

De probatione Consecrationis. §. 4. Quoties igitur per legitimas probationes constiterit, vel Hostiam, vel Particulas à Reo subreptas, sive alio modo asportatas, atque retentas, in Sacro prius Repositorio, seu Tabernaculo, vel in Sacra Pyxide, aut Ostensorio asservatas, indeque sacrilego ausu extractas, atque asportatas fuisse; vel eidem Reo constituto, aut alteri personæ, in actu Communionis à Sacerdote traditas, deindeque vel in eodem Communionis actu, vel post illum, ab ipso sumente ex proprio ore extractas fuisse; tunc satis, & abundè fundatam præsumptionem Fisco suppetere declaramus, pro asserenda earumdem Hostiarum, seu Particularum consecratione; ad quam excludendam nonnisi claras, & concludentes in contrarium probationes admitti debere decernimus; quarum perficiendarum onus ad ipsum Reum pertinere dubitandum non est, ac ne in posterum dubitari contingat, præsentis declarationis tenore statuimus.

De probatione pravæ intentionis. §. 5. Inutiliter etiam à Reis, vel ab eorum Defensoribus proponeretur exceptio non probatæ pravæ intentionis abutendi Sacramento ad malum, vel sacrilegum finem, nisi concludentibus, & juridicis probationibus, adstruendis pariter ab ipsis Reis, in quos tale onus præ-

sentis declarationis vigore expresè refundimus, hujusmodi exceptio constabilita fuerit, & justa, aut excusabilis ratio asportationis, aut retentionis Sacramenti, plenè comprobetur. Aliàs etenim Fisco semper assistet valida, & legitima præsumptio de intentionis pravitate, quotiescumque probaverit ipsam Sacræ Hostiæ, vel Particulæ subreptionem, asportationem, aut retentionem; absque eo quod, super malo, vel sacrilego fine, speciales probationes debeat cumulare. Itaque neque istam, neque aliam superius memoratam exceptionem, ubi sufficienter, ut supra, probatæ non fuerint, impiis tanti Sacramenti violatoribus ullatenus suffragari volumus, quo minus omnibus, & singulis pœnis, etiam pro prima vice traditionis brachio Sæculari, & quoad Ecclesiasticos, degradationis realis, & traditionis pariter pro prima vice brachio Sæculari, in præfatis, & antiquioribus Prædecessorum Nostrorum, & juris sanctionibus, contra hujusmodi nunquam satis detestandi facinoris Reos juste, ac sapienter constitutis, subjiciantur, & cum effectu plectantur, & puniantur.

Clausulæ. §. 6. Decernentes præsentes Nostras Litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quilibet in præmissis, seu eorum aliquo, jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, Ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis existant, sive alias specifica, & individua mentione, & expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, neque causæ propter quas eædem præsentes emanaverint, adductæ, verificatæ, vel sufficienter, aut ullo modo justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, ac formali, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut etiam motu pari, & de Apostolicæ potestatis plenitudine simili concesso, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentes semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari.

Decreta. §. 7. Sicque, & non aliter in præmissis censeri, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis prædictæ Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, ac potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogationes. §. 8. Non obstantibus, quatenùs opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, exemptionibus, & Indultis, etiam in corpore juris clausis, aut Literis Apostolicis quibusvis Personis, Collegiis, Locis, Ordinibus, etiam Militaribus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis, etiam Societatis Jesu, & Sancti Joannis Hierosolymitani, aliisve quibuslibet specifica, & individua mentione dignis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam clausulis, & Decretis, etiam irritantibus in genere, vel in specie, etiam motu simili, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, seu consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & individua mentio, seu quævis alia expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas, causas, & occasiones præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & exactissimè servatis, & specificatis respectivè habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad præmissorum effectum plenissimè, & ampliſſimè motu pari derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Publicationis effectus. §. 9. Volumus insuper, & eadem auctoritate prædicta mandamus, ut eædem præsentes, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam facilius deducantur, nec quisquam de eis ignorantiam prætendere valeat, ipsas præsentes, seu earum transumpta, ad Valvas Ecclesiæ S. Joannis in Laterano, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, & in Acie Campi Floræ per aliquem ex Cursoribus Nostris, ut moris est, publicari, & affigi: Sicque publicatas, & affixas, omnes, & singulos, quos concernunt, seu concernent in futurum, perinde afficere, & arctare, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

Exemplorum auctoritas. §. 10. Utque earumdem præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio. §. 11. Nulli ergo omnino Hominum liceat paginam hanc Nostrarum confirmationis, approbationis, innovationis, voluntatis, mandati, statuti, decreti, declarationis, ampliationis, & extensionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 1. Mart. 1744. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo quarto, tertio nonas Martii, Pontificatus Nostri Anno Quarto.

D. Card. Passionеus. J. Datarius.

Visa de Curia.

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

Loco ✠ Plumbi.

Public. die 12. ejusdem Mensis, & Anni.

XCIV.

Revocatio Communicationis Indulgentiarum inter Confratres Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo, & Tertiarios S. Francisci, aliàs à Clemente XII. concessæ.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

ROMANUS Pontifex, Pacis, Justitiæque præcipuus Auctor, & Conservator, nonnumquam ad importunorum petentium instantiam ad quasdam concedendas gratias deflectitur, quas postmodum, rationabilibus suadentibus causis, præsertim cum in divini cultus detrimentum cedere comperit, revocat, cassat, & annullat, ac alias ad æquitatis, & justitiæ præfatæ semitas reducit, prout rerum, & temporum, ac personarum, & locorum conditionibus, & qualitatibus diligenter pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

Communicatio Indulgentiarum à Clem. XII. concessa.

§. 1. Nuper pro parte Dilecti Filii Vincentii à Conceptione Fratris expresse professi, ac Prioris Generalis Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupatorum Congregationis Hispaniæ, Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpositorum exposito, quod alias fel. rec. Clemens Papa XII. Prædecessor Noster per quasdam suas in simili forma Brevis die XIII. Martii MDCCXXXVI. expeditas Literas, instante Dilecto quoque Filio Bonaventura à Ferraria tunc temporis Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum, tendentibus etiam in id precibus Dilecti pariter Filii Ludovici Benzoni Prioris Generalis tunc pariter existentis Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, concesserat, ut omnes utriusque sexus Christifideles ubicumque existentes, tam intra, quam extra claustra degentes, etiam conjugati, qui sub Regula Tertii Ordinis ejusdem Sancti Francisci militant, & sub jurisdictione pro tempore existentis Ministri Generalis secundodicti Ordinis reperiuntur, omnibus & quibuscumque Indulgentiis, & peccatorum remissionibus, ac pœnitentiarum relaxationibus ab hac Sancta Apostolica Sede concessis, & concedendis, & quibus Confratres, & Consorores Confraternitatum sub invocatione Beatæ Mariæ de Monte Carmelo quædam sibi injuncta opera adimplentes gaudent, gaudere possent, & aliàs, prout in ipsius Clementis Prædecessoris Literis, quarum tenorem præsentibus pro expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

Quæstiones exortæ super concessionis intelligentia.

§. 2. Et in eadem expositione subjuncto, quod, occasione promulgandi communicationem, seu concessionem Indulgentiarum hujusmodi, multæ, in Hispaniarum præsertim Regnis, obortæ dissensiones, multaque jurgia ex eo excitata fuerant, & in posterum excitari poterant, quippè quia Fratres Capuccini prædicti ab adimplemento piorum operum Confratribus, & Consororibus Confraternitatum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo hujusmodi pro assequendis Indulgentiis illis concessis injunctorum proprios Tertiarios absolutos esse divulgabant; ideoque cultus erga Gloriosissimam Dei Genitricem Mariam de Monte Carmelo, ipsiusque celebres Confraternitates, necessariò minui videbatur; ac propterea ad hujusmodi tollenda inconvenientia, ac jurgia deinceps eventura, dissensionesque componendas, præfatus Vincentius Procurator Generalis plurimum desiderabat, ut vel prædictæ Clementis Prædecessoris Literæ revocarentur, vel illæ saltem moderarentur, vel opera pia Confratribus, & Consororibus Confraternitatum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, ad effectum consequendi Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes injuncta, Tertiariis etiam dicti Ordinis S. Francisci injungerentur.

Congregat. Indulgent. consilium pro ejusdem concessionis revocatione.

§. 3. Eadem Cardinalium Congregatio, audito prius Dilecto quoque Filio Sigismundo à Ferraria moderno secundo-dicti Ordinis Fratrum Capuccinorum Procuratore Generali, qui prædictarum Literarum potiùs revocationi, quàm novæ cujuscumque oneris piorum operum impositioni adhæret, juribusque ab utraque parte deductis diligenter perpensis, die XIX. Decembris proxime præteriti censuit, Nobis esse supplicandum pro revocatione supradictarum Clementis Prædecessoris Literarum. Nobis propterea dictus Vincentius Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Cui Pontifex adhærendo, eam revocat, irritat &c.

§. 4. Nos igitur ipsum Vincentium Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præfatæ Cardinalium Indulgentiis, & Sacris Reliquiis Præpositorum consilio, memoratas Clementis Prædecessoris Literas, communicationem Indulgentiarum, Confratribus, & Consororibus Beatæ Mariæ de Monte Carmelo concessarum, & concedendarum, ad favorem Tertiariorum Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum continentes, cum omnibus, & singulis in dictis literis contentis, & inde secutis quibuscumque, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, revocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque & effectu penitùs & omnino vacuamus, ac vacuatas esse volumus & decernimus; Decretumque memoratæ Congregationis Cardinalium die XIX. Decembris proximè præteriti, ut præfertur, editum, & à Nobis die II. Januarii nuper elapsi, prævia illius relatione per memoratæ Congregationis Cardinalium Secretarium facta, approbatum, auctoritate, & tenore præfatis, quatenus opus sit, de novo approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

Cum clausulis, & Decretis opportunis.

§. 5. Decernentes ipsas præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, plenissimè suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac, quatenus opus sit, Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula *de jure quæsito non tollendo*, ac dictorum Ordinum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum

effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod earumdem Literarum Transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 12. Mart. 1744.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XII. Martii MDCCXLIV. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

D. Cardinalis Passionеus.

XCV. Facultates Majoris Pœnitentiarii, & Officii Pœnitentiariæ.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Christianæ Religionis spiritus, & disciplina circa lapsos.

PASTOR bonus Christus Dominus ad quærendam Ovem, quæ perierat, a Patre missus, quum ea reperta, atque humeris suis imposita, in Cœlum reversus fuerit, Vicarios operis sui, quibus universi gregis pretio magno sibi coëmpti regimen credidit, exemplis præceptisque suis instructos reliquit, ut & commissas Oves intra moderatæ disciplinæ septa coërcere, & continere omni studio satagerent; & si quas fortè, amore pravæ libertatis abreptas, procul a via salutis licentius aberrare contingeret, eas ad bonam frugem, & ad debita justitiæ officia revocare, ostensa potissimùm ac proposita venia, misericorditer niterentur. Hæc autem Summi Pastorum Principis documenta præ oculis habentes Prædecessores Nostri Romani Pontifices, quemadmodum atrociora quædam, & graviora crimina severè notanda, ac districtè vindicanda duxerunt, latis contra eorum auctores Censuris, aliisque Ecclesiasticis pœnis, quarum absolutionem, seu relaxationem, pro suprema potestate in universa Ecclesia sibi concessa, suo peculiari judicio reservarunt, ne scilicet impunitas peccandi delinquentium excitaret audaciam, ita, ne contrà nimia obtinendæ veniæ difficultas pœnitentes ad desperationem propelleret, opportuna reversis ad cor offerre, atque admovere remedia, memores Christi charitatis, & misericordiæ, nullo unquam tempore prætermiserunt.

Officii Pœnitentiariæ institutum, & utilitas.

§. 1. Ideo, præter alia plura pro variis causarum generibus constituta Romanæ Curiæ Tribunalia, voluerunt imprimis jam inde a vetustissimis usque temporibus extare in ea, & nunquam defecturum perpetuò conservari, instar fontis patentis Domui David in ablutionem peccatoris, Apostolicæ Pœnitentiariæ Officium, ad quod universi Fideles ex omni Christiani Orbis regione pro suis quisque spiritalibus morbis quamlibet occultis, sivè per se, sive per arcanas literas, propriis etiam suppressis nominibus, tutò confugere possent, & convenientem vulneribus medicinam, secreta & gratuita curatione (qualis ab omnibus optanda foret) protinus consequerentur. Cujus tam præclari, tamque salutaris instituti ratio Romanis pro tempore Pontificibus magnopere cordi fuit; tantamque ex hujus Officii ministerio in Ecclesiæ administratione utilitatem experti sunt; ut olim eidem Officio non modò causas ad interius pœnitentiæ forum, sed alias etiam complures ad gratiam, & justitiam externi fori pertinentes, expediendas committere non dubitaverint.

S. Pius V. veteris Pœnitentiariæ formâ suppressâ, novâ instituit.

§. 2. Sed sancto, ac salubri consilio Vener. mem. Prædecessor noster Sanctus Pius Papa V. animadvertens hujusmodi negotiorum, atque curarum cumulum, aliorum Tribunalium instituto magis convenientium, Pœnitentiariæ Officium dumtaxat onerare, ac sedulum illud, atque assiduum studium aliis negotiis ad animarum salutem pertinentibus præcipuè tribuendum, imminuere posse; quod jam fel. record. Pius pariter Papa IV. ex parte facere aggressus fuerat, id ulterius promovere, ac perficere magna cum laude decrevit: ideoque, Anno Pontificatus sui IV. Incarnationis Dominicæ MDLXIX. quarto Kalendas Maji, edita Constitutione, quæ incipit *In omnibus*, veterem Pœnitentiariæ formam suppressit, atque abolevit, novamque de integro excitavit; multisque provide, ac sapienter constitutis circa Majoris Pœnitentiarii, ejusque Officialium electionem, qualitates, certum numerum, functiones, stipendium, & secreti custodiam; eas dumtaxat facultates Officio Pœnitentiariæ concessit, ac deinceps competere voluit, quas novo ejusdem statui magis congruere judicavit.

Innoc. XII. facultates plenius ordinavit.

§. 3. Has verò facultates cum a sequentibus Romanis Pontificibus fermè singulis ampliari, aut immutari, aut explicari, quà Literis Apostolicis, quà vivæ vocis oraculis, sæpè contigerit; cumque hujusmodi Literarum, atque oraculorum multiplicitas, & varietas pluribus in rebus non minimas dubitationis causas afferrent; placuit Innocentio XII. pariter Prædecessori Nostro unum ex ipsis delectum, unamque summam, & compilationem efformare, quam publicavit per suam Constitutionem, quæ incipit: *Romanus Pontifex*, datam anno Incarnationis Dominicæ MDCXCII. tertio nonas Aprilis.

Causæ edendi præsentem Constitutionem.

§. 4. In qua tamen Constitutione quum idem Innocentius Pontifex Maximus aliqua facultatum capita in aliud tempus ordinanda distulerit, circa quæ nulla in hunc usque diem emanavit provisio; & cum nonnulla de cætero in eadem Constitutione disposita, majori quadam luce indigere, usu & experientia compertum fuerit; & non pauca præterea accesserint circa Apostolicæ Pœnitentiariæ facultates sequentium Pontificum decreta; & præsertim Constitutio fel. record. Clementis XII. immediati Prædecessoris Nostri, quæ incipit: *Apostolatus Officium*, Anno MDCCXXXII. quarto nonas Octobris edita; Idcircò, quod olim Nos ipsi sæpè optavimus, dum in minoribus existentes munus Doctoris Decretorum in eadem Pœnitentiaria exerceremus, ut huic scilicet operi denuò manus admoveretur; id ipsum a pluribus aliis sæpius optatum fuisse cognovimus. Postquam ergo Divinæ Providentiæ, cujus inscrutabilia sunt consilia, ita placitum fuit, ut immerentes Nos, & planè inopinantes ad summum Pontificatum proveheret, statim intelleximus, præfatis justis desideriis a Nobis potissimum esse satisfaciendum.

Incipit dispositiva.

§. 5. Quocirca re diù & maturè discussâ, multisque desuper consultationibus habitis, & omnes Prædecessorum Nostrorum Constitutiones, seu Literas quaslibet, atque omnia vivæ vocis oracula ipsius Pœnitentiariæ Officium quomodocumque concernentes, seu concernentia, præ oculis habentes; Salva semper Majoris Pœnitentiarii facultate Romanum Pontificem consulendi in quibusvis particularibus casibus, etiam per præsentes nostras Literas non concessis, immò prohibitis, seu reservatis, & exceptis; itaut ipsi Majori Pœnitentiario de Romani Pontificis speciali mandato, vivæ vocis oraculo desuper sibi facto, procedere asserenti, indubia fides debeat adhiberi; Motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, infrascriptas facultates eidem Pœnitentiariæ, & Majori Pœnitentiario de cætero competere, ac in illa, & ab illo in hunc, qui sequitur, modum

Major Pœnitentiarius potest consulere Papam etiam in prohibitis: & ei de V. V. O. asserenti, fides habenda.

exer-

I. Facultates absolvendi à peccatis, & censuris.

exerceri posse, hac Nostra perpetuò valitura Constitutione statuimus, atque decernimus.

§. 6. Concedimus itaque Nostro, & pro tempore existenti Majori Pœnitentiario, ut omnes, & singulos cujuscumque qualitatis, dignitatis, & gradus, Ecclesiasticos Sæculares, & cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti Regulares, necnon Laicos quoscumque utriusque sexus, tàm præsentes, quàm absentes, ab omnibus, & quibuscumque culpis, criminibus, & excessibus, quantumcumque gravibus, & atrocibus, tàm publicis, quam occultis, quandocumque, & quomodocumque commissis, & perpetratis, necnon ab omnibus Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, aliisque censuris, & pœnis Ecclesiasticis, præmissorum criminum occasione latis, & per illos incursis, etiam in casibus, nedum Ordinariis, & Regularibus Superioribus, sed etiam Nobis, & Sanctæ Sedi specialiter, ac etiam per Literas, quæ die Cœnæ Domini quotannis promulgantur, reservatis; injunctâ semper iisdem pro modo culpæ pœnitentiâ salutari, & aliis, quæ de jure injungenda fuerint, absolvere, & absolvi mandare possit, & valeat: Regulares nimirum à culpis, & censuris præmissis in utroque Foro; Ecclesiasticos verò Sæculares, necnon Laicos, à prædictis culpis, & censuris in Foro Conscientiæ tantùm; Eosdem verò Ecclesiasticos Sæculares, necnon Laicos, tunc in utroque Foro absolvere, & absolvi mandare possit, quando agitur de censuris publicis latis a Jure, præsertim Sedi Apostolicæ reservatis, etiam nominatim declaratis, vel si agatur de latis nominatim ab homine, tunc quando Delegati, vel alterius Judicis, a quo latæ fuerunt, Jurisdictio expiraverit; seu quando absolutio per eosdem Judices, aut alios, ad Romanum Pontificem, & ad dictam Sanctam Sedem remissa fuerit; seu quando sic Censurâ ligati legitimè impediuntur, quo minus præsentiam Judicum, vel illorum, qui eos sic ligarunt, aut alium, seu alios, quos de jure deberent, adire possint.

Etiam pro utroque Foro Regulares, & interdum quoque Sæculares.

§. 7. Ita tamen, ut ab ejusmodi Censuris ab homine latis, vel declaratis in utroque Foro, ut præfertur, absoluti, vel qui absolvendi remittentur Judici, coram quo Censurarum causa pendet, in suis congruis casibus respectivè judicato paruerint, & Patri satisfecerint, vel quamprimum potuerint, pareant, & satisfaciant, alioquin in easdem Censuras reincidant. Renuente verò altera Parte satisfactionem Reo oblatam, & in Sententiis, seu Decretis minimè expressam, accipere; possit Major Pœnitentiarius pro sua prudentia convenientem satisfactionem arbitrari, & respectivè supradicti Judicis conscientiæ remittere, ut ejusmodi pariter arbitretur; illâque per Reum oblatâ, ac per aliam partem irrationabiliter recusatâ, valeat, adhuc firma remanente hujusmodi oblatione, ad absolutionem procedere, & ab alio procedi mandare.

Sed judicato parendum, & satisfaciendū parti.

§. 8. Romam quoque advenientes, ibique Sacra loca visitaturos, ab omnibus per quemcumque Judicem, vel aliàs quomodocumque, non tamen in Romana Curia nominatim promulgatis, vel, si alibi promulgatæ fuerint, in eadem Curia notoriis, Censuris, ad effectum dumtaxat, ut Indulgentias, sacra eadem Urbis loca piè ac religiosè invisentibus concessas, liberè & licitè consequi valeant, absolvere, & absolvi mandare possit; itaut elapso congruo tempore ab ipsa Pœnitentiaria ad effectum prædictæ visitationis præfiniendo, iisdem, quibus antea, Censuris teneantur. Eos verò, qui Censuris ab homine nominatim ligati, pro absolutione Romam advenerint, sed pro illa obtinenda fuerint ad proprios Judices remissi, & probabile mortis periculum in itinere pertimescant, poterit Major Pœnitentiarius, ad congruum tempus, ab ipso pro hujusmodi itineris confectione arbitrandum, in Foro conscientiæ tantùm absolvere, & absolvi mandare; cum reincidentia, statim ac itineris terminum attigerint.

Absolvendi à Censuris pro lucrādis Indulgentiis in Urbe.

§. 9. Hæreticos occultos, qui nemini, & cum nemine suas hæreses communicaverint, possit idem Major Pœnitentiarius in Foro conscientiæ tantùm, absque alia abjuratione coram Ordinario, vel Inquisitore facienda, absolvere, vel absolvi mandare: quod pariter ipsi liceat, quando prædicti Hæretici occulti aliquos actus extrinsecos fecerint, ex quibus dignosci potuissent pro hæreticis; dummodo eosdem actus, quamvis de sua natura noscibiles, seu ad notitiam deducibiles, nullus, quem ipsi sciant, aut credant, notaverit, vel adverterit.

Absolvet ab hæresi occulta.

§. 10. Publicos verò Hæreticos, seu Apostatas a Fide Catholica, in Foro conscientiæ tantum, absolvere, seu absolvi, mandare possit, in iis dumtaxat casibus, in quibus necesse non est complices denunciare; quando nimirum hujusmodi complices, aut mortui sunt, aut in regionibus palam infectis existunt, & in illis degunt; non tamen quando complices in illis Regionibus viverent, in quibus Inquisitionis Sancti Officii auctoritas viget.

Et quando a publica.

§. 11. Principes porrò, & alios jus Imperii, etiam Vicario nomine, habentes, ac Dominia, & Respublicas, seu Personas illorum, & illarum administrationem habentes; vel habere solitas, necnon Episcopos, & alios Superiores Prælatos, in casibus publicis, qui in præfatis Literis, die Cœnæ Domini legi consuetis, continentur, etiamsi Romanus Pontifex propter infirmitatem, vel aliam causam ita fuisset impeditus, ut celeriter consuli non posset, absolvere, & absolvi mandare nullatenus valeat.

Censuræ excepæ. 1. Censuræ public. Bul. Cœn. quoad Principes, Prælatos &c.

§. 12. Minusque possit, etiam in occultis, etiam in Foro conscientiæ tantum, absolvere, vel absolvi mandare S. R. E. Cardinales, aut alios cujuscumque qualitatis, status, gradus, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, qui, vivente Romano Pontifice, de alio quopiam in ejus locum post ipsius mortem eligendo, vel excludendo tractaverint, suffragia inierint, ambitusve, aut pactiones fecerint; vel, Sede Apostolica vacante, in censuras, seu pœnas in Literis fel. record. Gregorii Papæ XV., & Urbani VIII. Prædecessorum Nostrorum super electione Romani Pontificis pro tempore faciendā, XVII. Kal. Septembris Anno Incarnationis Dominicæ MDCXXI., & V. Kalendas Februarii Anno ejusdem Incarnationis MDCXXV. respectivè emanatis, contentas, quomodolibet inciderint; præterquam si absolvi peterent, Sede Apostolica adhuc vacante; tunc enim absolvi poterunt modo inferius præscribendo pro tempore vacantis ejusdem Sedis.

2. Censur. circa electionem Romani Pontificis.

§. 13. Nec pariter possit, etiam in occultis, etiam in Foro conscientiæ tantum, eos cujuscunque qualitatis, status, dignitatis, præeminentiæ, & conditionis fuerint, absolvere, & absolvi mandare, qui Astrologia judiciaria, vel per se, vel per alios, de statu Reipublicæ Christianæ, sive de vita, aut morte Romani Pontificis pro tempore existentis inquirentes, ejusdem Urbani VIII. Pont. Max. Literis, pridie Kalendas Aprilis Anno ejusdem Incarnationis MDCXXXI contra prædicta perpetrantes editis, contravenerint.

3. Censur. cōtra inquiren. per astrolog. &c.

§. 14. Nec similiter valeat in casibus publicis, etiam in judicium non deductis, violatæ Immunitatis, seu libertatis Ecclesiasticæ, ullatenus absolvere, seu absolvi mandare.

4. Censur. contra publ. violationem Immun., seu liber. Eccesiast.

§. 15. Super quacumque Irregularitate, & inhabilitate ex quocunque delicto, etiam homicidio voluntario, & ex quocunque defectu proveniente, possit idem Major Pœnitentiarius, in casibus tamen occultis, & in Foro conscientiæ tantum,

II. Facultates dispensandi super Irregular. &c., in occultis.

& prævia in gravioribus casibus maturâ discussione in Signatura Pœnitentiariæ agenda, dispensare, vel dispensari mandare, tam cum Laicis, quam cum Ecclesiasticis Sæcularibus, & Regularibus, cum quibus expediens videbitur, ad hoc ut Ordinibus initiari, vel respectivè in susceptis, etiam in Sacris, & Presbyteratus Ordinibus ministrare, & ad Superiores ascendere, ac Dignitates, etiam Cathedrales, & Metropolitanas, & quæcunque Beneficia Ecclesiastica, quandocunque ante dispensationem alioquin canonicè obtentas, vel obtenta, retinere, necnon ut hujusmodi Beneficia, & Dignitates (exceptis quando agitur de homicidio voluntario, vel alio gravissimo excessu, Ecclesiis Cathedralibus, & Metropolitanis) etiam post delictum assequi valeant.

Etiam cum Hæreticis, & Apostatis a Fide.

§. 16. Item cum Hæreticis, & Apostatis a Fide Catholica, quando hæresis, & apostasia hujusmodi, si de Sæcularibus agitur, nullatenus est propalata, & quando casus gravitas non suadet, Pœnitentes ad Sac. Inquisitionem remittendos esse, super quacumque Irregularitate, Inhabilitate, & Infamia exinde contracta, tàm ad Ordines, sive susceptos, sive suscipiendos, quàm ad Beneficia, dispensare, & dispensari mandare possit, & valeat.

Et in publicis cum homicidis &c. ad effectum ingrediendi Relig.

§. 17. Cum Homicidis, Bannitis, aliisque criminosis, ut in Religionem recipi, & in ea Professionem emittere licitè possint, atque ut etiam qui homicidia voluntaria commiserint, aliquam ex approbatis Religionibus, tanquam Clerici, ingredi, in eâque profiteri valeant, in utroque Foro dispensare, seu dispensari mandare possit; ea tamen lege, quando sic oportere videbitur, ut Fiscum, & Partem prius concordaverint; & insuper cavendo, ne tempore Novitiatus Sacros Ordines suscipiant, aut ad Superiores ascendant; sed id eis minime liceat, nisi post Professionem emissam. Ut autem in iis Ordinibus, quos antea susceperissent, etiam tempore Novitiatus ministrare possint, quoties aliqua rationabilis causa id postulaverit, dispensare & dispensari mandare possit; adjecta tunc clausula: *Ut si forte in Religione non perseveraverint, seu ad sæculum redierint, ipso facto suspensi, etiam ab hujusmodi Ordinum antea susceptorum exercitio, remaneant.*

Et cum male promotis, in occultis.

§. 18. Cum malè promotis quibuscumque ad Ordines, in casibus tamen occultis, dispensare, vel dispensari mandare valeat; & signanter, accedente legitima causa, dispenset, vel dispensari mandet cum Promotis per saltum, in casibus similiter occultis, ad effectum scilicet, ut omissos Ordines secretè recipiant a quolibet Catholico Antistite Gratiam & communionem cum Sede Apostolica habente, extra tempora, & non servatis Interstitiis, & absque Dimissoriis; non tamen, ut plures Ordines Sacros eodem die recipiant.

Etiam in casu Simon. cũ Episcop. cõmissæ.

§. 19. Cum promotis ad Sacros Ordines, qui Simoniam cum Episcopis promoventibus commiserint, dispensare & dispensari mandare possit, in occultis dumtaxat, & in Foro conscientiæ tantum, cum clausula *monitis monendis*, & injuncta gravi pœnitentia, ac re præsertim in Signatura discussa.

III. Facultates in Beneficialibus, convalidandi titulos. Excepto casu dilatæ cõsecr. Episc.

§. 20. Titulos Beneficiorum cum occulta inhabilitate, vel alio occulto vitio, etiam in concursu, male obtentorum, convalidares, vel convalidari mandare valeat.

§. 21. Verum a convalidatione Titulorum, & condonatione fructuum abstineat quoad illos, qui de Ecclesiis Cathedralibus provisi, munus Consecrationis infra præfinitum tempus non susceperint.

Et excepto casu Simon. realis scienter contracta.

§. 22. Cum verò agitur de Simonia reali scienter contracta, & de Beneficiis, super quibus eadem contracta fuit, abstineat a dispensationibus, seu convalidationibus Titulorum, etiam in foro conscientiæ tantum, etiam in casibus occultis; nisi fortè prædicta Simonia contracta fuerit ignoranter ignorantia facti, vel juris, & Orator de illa certior factus, quàm primum commodè potuerit, dispensationem petierit. Idemque intelligatur de Pensionibus, super quibus Simonia realis scienter contracta, & commissa fuerit.

Condonandi quandoque partem pretii Simon.

§. 23. Abstineat a condonatione pretii simoniaci, quando in Ecclesiam læsam, vel pauperes erogari debet; præter quàm si delinquentium paupertas, & qualitas suadeant, aliquam ejus partem ipsis remitti, aut condonari posse; residuo semper in Ecclesiam, vel alios pauperes erogando.

Cõdonandi, vel componendi quoad fructus male perc., in occultis.

§. 24. A compositione pariter, & condonatione fructuum Beneficialium, & Episcopalium Ecclesiarum, ac etiam distributionum quarumcumque, quovis modo malè perceptorum, in casibus non occultis, abstineat. In occultis verò, possit cum Gallis, Belgis, Germanis, Polonis, & ulterioribus, componere, vel etiam condonare; injuncta eisdem Pœnitentibus erogatione eleemosynæ, ipsius Majoris Pœnitentiarii, vel Confessarii ab ipso deputandi arbitrio limitandæ. Cum reliquis autem, videlicet Italis, Hispanis, Lusitanis, & adjacentium Insularum Personis, discretè compositionem concedere, & ea mediante fructus condonare valeat; pecuniis exindè redactis arbitrio Nostro, & Successorum nostrorum pro tempore erogandis. Pauperibus autem, quorum inopia compositionem non admittit, possit condonare, injuncta pro eorum viribus eleemosyna modo suprædicto. Porrò quæ hic ordinantur, sine præjudicio illorum, quibus distributiones accrescere, vel non decrescere debent, sint, & censeantur ordinata.

IV. Facultates circa onera restituendi. Super male ablatis incertis.

§. 25. Quoad malè ablata, vel retenta, quando domini incerti sunt, & casus occulti, partem aliquam delinquentibus pauperibus, si, eorum qualitate, & necessitate pensatis, ita videbitur, remittere, seu condonare, vel remitti, seu condonari mandare possit; residuum verò pauperibus distribui, vel in pia opera erogari, & quidem, si fieri potest, in locis, ubi illa ablata, extorta, vel usurpata sunt, mandare debet.

Et super muneribus acceptis a Regular.

§. 26. Accipientes munera a Regularibus, exceptis rerum medicinalium, seu devotionis muneribus, ultra valorem decem scutorum monetæ, contra præscriptum a Prædecessoribus Nostris Clemente VIII., & Urbano pariter VIII. in suis Constitutionibus, XIII. Kalendas Julii Anni MDXCIV., & XVI. Kalendas Novembris Anni MDCXL. respectivè editis, non absolvat, nisi facta restitutione; vel, si eam de præsenti nequeant adimplere, cum obligatione eandem, quamprimum poterunt, faciendi. Qui verò infra prædictum valorem ejusmodi munera acceperint, eos, injuncta arbitrio ipsius Majoris Pœnitentiarii, seu Confessarii per eum eligendi, eleemosyna, quæ in beneficium Religionis, seu Conventus, cui de jure facienda esset restitutio, si cautè fieri possit, erogetur, absolvere, seu absolvi mandare possit.

Et super dote, cum non Virgine.

§. 27. Cum Puellis, quæ Virgines non sunt, & subsidia Dotalia petunt, seu jam obtinuerunt a Confraternitatibus, aut aliis Locis, vel Dispensatoribus piis, quibus injunctum est, ut illas Virginibus tantum dent, seu distribuant; in occultis, & in Foro conscientiæ tantum, quatenus illæ in posterum honestè vivant, facultatem habeat dispensandi. Necnon dispensare possit, in occultis pariter, & in Foro conscientiæ tantum, cum Virginibus, quæ petunt, vel obtinuerunt ingredi, vel jam ingressæ sunt in Conventus, seu Monasteria destinata pro Mulieribus ad bonam frugem traductis, ad effectum ea licitè ingrediendi, seu in eis remanendi, ac

Et cum Virgine super ingressu in Monaster. Convertit.

profitendi, & Officia quæcumque suscipiendi, & exercendi.

V. Facultas Relaxandi juramenti.

§. 28. Juramenta quæcumque, in quibus exploratum sit nullum cujusquam agi præjudicium, facultatem habeat in Foro conscientiæ dumtaxat relaxandi.

Commutandi dispensando Vota simpl. etiam reserv.

§. 29. Vota simplicia quæcumque quomodolibet emissa, tametsi privato juramento confirmata, etiam Religionis, Castitatis, Visitationis Sepulchri Dominici, aut Sacrorum Liminum Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli de Urbe, aut Sepulchri S. Jacobi de Compostella, possit idem Major Pœnitentiarius in alia pietatis opera dispensando commutare; etiam ad effectum contrahendi Matrimonium, cum agitur de voto castitatis, aliisve ex se Matrimonium illicitum reddentibus; item Votorum implementum differre, & ab illorum transgressionibus absolvere; & respectivè dispensando commutari, differri, & absolvi mandare; consideratis causis talium commutationum, dilationum, aut absolutionum, & adjectis clausulis, quas apponere, iisque injunctis, quæ injungere hactenus in hujusmodi casibus Pœnitentiaria laudabiliter consuevit.

Dispensandi commutando Hor. Can.

§. 30. Super recitatione Divini Officii, seu Horarum Canonicarum, propter aliquam impossibilitatem, seu moralem difficultatem, dispensandi, cum commutatione in alias preces, vel orationes, vel alia pia opera, earumque seu eorum injunctione, habeat facultatem.

VI. Facultates speciales pro Regular. Super Irreg., inhabil. &c.

§. 31. Cum Regularibus autem super Irregularitate, tam ex defectu, quam ex quocumque delicto quandocumque perpetrato, quomodolibet contracta, ut eadem Irregularitate, aut quavis inhabilitate, aliisve defectibus quibuscumque non obstantibus, susceptis Ordinibus, & eorum Privilegiis uti, ac in illis, etiam in Altaris ministerio ministrare, & Ordines non susceptos suscipere, ac in iisdem pariter ministrare, necnon quæcumque, quotcumque, & qualiacumque suorum Ordinum, & Congregationum, alioquin canonicè obtenta, Officia, Beneficia regularia, munia, præeminentias, dignitates, & prælaturas, etiam majores, & principales, retinere, & exercere, nec non eadem, seu easdem, ad quæ, seu quas in futurum canonicè, & juxta eorumdem Ordinum, & Congregationum regularia Instituta, eligentur, vel aliter assumentur, recipere, assequi, gerere, ac liberè, & licitè exercere valeant, dispensare, eosque in pristinum, & ad eum, in quo ante præmissa quomodolibet erant, statum, & ad vocem activam, & passivam restituere, reponere, & plenariè reintegrare, & pœnas illis gratiosè remittere, & condonare; (non tamen habilitare ad Generalatum, quando agitur de publico natalium defectu); necnon pro majori absolutionum, & dispensationem prædictarum firmitate, quibusvis Constitutionibus, Ordinationibus, Statutis, & Privilegiis quomodolibet obstantibus sufficienter derogare, præfatus Major Pœnitentiarius possit, & valeat.

Etiam in publicis.

§. 32. Volumus tamen, ut in hujusmodi casibus, qui occulti fuerint, in Foro conscientiæ tantum, in publicis verò casibus in utroque Foro, auditis tamen Superioribus, & matura circumspectione semper adhibita, cum iisdem Regularibus, ut præfertur, dispenset, vel dispensari mandet.

Super Apostatis, vel fugitivis.

§. 33. Quoad Apostatas, vel fugitivos Regulares, ad Apostolicam Pœnitentiariam recurrentes, servetur laudabilis ejusdem praxis, ut scilicet Major Pœnitentiarius, audito prius, si in Urbe adsit, Ordinis Superiore, seu Procuratore Generali, injungat Apostatæ; seu fugitivo, intra tempus arbitrio ipsius Majoris Pœnitentiarii taxandum, reditum ad proprium Ordinem: Interim verò, si expediat, a censuris eundem absolvere, vel absolvi mandare possit, cum reincidentia si intra dictum tempus minime redierit, (dilatâ tamen usque ad actualem reditum dispensatione super Irregularitate, si fortè eam insuper contraxisset): & alias præterea pœnas, sive de jure communi, sive ex Statutis Ordinum, propter Apostasiam, seu fugam inflictas, discretè moderari, commutare, vel etiam, juxta peculiares circumstantias, condonare possit. Si verò casus ejusmodi sit, ut, re præsertim in Signatura discussa, censeatur expedire, quod absque reditu ad proprium, transitus eidem ad alium Ordinem concedatur; possit Major Pœnitentiarius istud etiam concedere, adhibitis tamen iis cautionibus, quas ad refrenandam vagandi licentiam necessarias, seu opportunas judicaverit; necnon illa præ oculis habendo, quæ infrà circa transitum disponentur. Nemini autem Regulari quacumque de causa permittere valeat, ut in habitu Sæculari, seu Clerici Sæcularis, in perpetuum extra Claustra vivere possit.

Super transitu ab uno ad alium Ordinem.

§. 34. Quoad transitum verò de una ad aliam Religionem, non solum valeat illum concedere à laxiori ad arctiorem, juxta *Cap. Licet de Regular.*, verum etiam ad æqualem, & ab arctiori ad laxiorem; ob justas tamen, & graves respectivè causas ab eodem Majori Pœnitentiario probandas; audito prius Superiore Ordinis, à quo, & cum consensu Superioris Ordinis, ad quem faciendus est transitus. Pro majori autem transitus firmitate, in his omnibus casibus possit idem Major Pœnitentiarius Statutis & Privilegiis Apostolicis quomodolibet obstantibus opportunè derogare.

Ordines excepti.

§. 35. Verùm abstineat ab hujusmodi transitu concedendo ad alias Religiones, seu Ordines, præter quàm ad illas, seu illos, in quibus claustralis, & regularis observantia vigere dignoscatur; quod si de tali claustrali, & regulari observantia ullatenus dubitetur, exquirenda erit authentica Ordinarii attestatio. Abstineat pariter a transitu prædicto concedendo ad Ordines Hospitalares, & Militares, quamvis in istis claustralis, & regularis observantia vigeret, nisi fortè ad Ordinem S. Joannis de Deo. Neque item eundem transitum concedat ad Ordinem Sancti Benedicti antiquioris Observantiæ, aut ad alias consimiles Congregationes, cujuscumque Ordinis fuerint.

Super simili transitu Monialium.

§. 36. Concedere itidem possit transitum ab uno Monasterio ad aliud, Monialibus tantum ultra Montes existentibus, legitimâ concurrente causâ, in Signatura discutienda & approbanda; committendo tamen facultatem hujusmodi transitus admittendi, & exequendi, arbitrio Ordinarii, cum clausulis opportunis pro casuum varietate.

Super Cens. defectibus &c. earumdem Monialium.

§. 37. Quo verò ad censuras, seu pœnas, in quas Moniales incurrere, & peccata reservata, quæ ab eisdem committi contigerit, etiam in casibus violatæ clausuræ, qui tamen casus occulti fuerint, vel ubi agatur de aliquo occulto defectu dispensando, possit idem Major Pœnitentiarius præfatis Monialibus Confessarium cum opportunis facultatibus concedere.

Quid super publ. violatione Clausuræ Monial.

§. 38. In casibus verò publicis Clausuræ à Monialibus prædictis, vel ab aliis quibuscumque personis, ad malum finem violatæ, delinquentes non absolvat, nec absolvi mandet, nisi pro ipsis Episcopi, seu Ordinarii supplicaverint, & casus ad Congregationem S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositam deducti non fuerint.

VII. Facultates in Matrimonialibus. De contrahendo; super impedimen. impedien.

§. 39. In Matrimoniis contrahendis possit idem Major Pœnitentiarius, in Foro conscientiæ tantum, super impedimentis occultis, quæ Matrimonium non dirimunt, dispensare, vel dispensari mandare; itemque super omissione

denunciationum, etiam ad effectum contrahendi secretò; in quo serventur, quando agitur de Matrimoniis *Conscientiæ* nuncupatis, Literæ à Nobis datæ ad omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & Episcopos sub die 17. Novembris anni 1741. per ea verba incipientes: *Satis vobis compertum.* At à dispensationibus concedendis super quocumque impedimento ex quovis gradu, sive consanguinitatis, sive affinitatis ex copula licita, seu ex cognatione spirituali proveniente, etiam in Foro conscientiæ tantùm, tametsi impedimentum sit occultum, & periculum scandalorum immineat, in iisdem Matrimoniis contrahendis abstineat.

Non tamen dirimen., cognat. carn. vel spirit.

§. 40. In contractis verò Matrimoniis, à dispensatione, seu Matrimonii revalidatione in gradibus primo & secundo, seu secundo tantùm, consanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita, etiam in occultis, pariter abstineat; præterquam si in secundo tantùm gradu prædicto impedimentum saltem per decennium duraverit occultum, & Oratores simul publicè contraxerint, & convixerint, & uti Conjuges legitimi reputati fuerint. In tertio autem, & quarto gradibus occultis, in contractis possit dispensare; atque etiam in iisdem tertio, & quarto gradibus publicis, possit revalidare Matrimonia, ex causa subreptionis, & obreptionis occultæ Literarum Apostolicarum nulliter contracta; præterquam si falsitas consistat in narratione præcedentis copulæ, quæ antea revera non intercesserat.

De contracto in quibus dispensare valeat.

§. 41. Quod si aliqui Oratores obtinuerint à Nostra Dataria dispensationem super gradu prohibito in primo & secundo, vel in secundo tantùm, ac etiam in tertio, vel quarto, cum reticentia copulæ inter eos sequutæ, quam sine honoris detrimento detegere non valeant; & ratione hujusmodi reticentiæ petant dispensationem pro Matrimonio contrahendo, seu revalidationem Matrimonii contracti; possit idem Major Pœnitentiarius, si copula sit adhuc secreta, hujusmodi dispensationem, seu respectivè revalidationem in Foro conscientiæ tantùm concedere; factâ, quando agitur de primo & secundo, vel secundo tantùm gradu, compositione quinquaginta ducatorum auri de Camera ad Datariam transmittendorum, ad effectum (ut inconcussi moris est) erogandi in eleemosynas; nisi prior gratia expedita fuisset in forma pauperum; quo casu etiam hæc gratia similiter absque ulla compositione expediatur.

Revalidat dispens. Datariæ in casu reticitæ cop.

§. 42. Si qui verò Oratores, obtenta dispensatione à Dataria super impedimento primi & secundi, sive secundi dumtaxat gradus Consanguinitatis, seu Affinitatis, cum expressione quidem carnalis copulæ, sed tacita occulta, & malitiosa intentione in ipsa copula habita ad facilius obtinendam dispensationem, pro revalidatione hujusmodi dispensationis ad dictam Pœnitentiariam recurrant, possit idem Major Pœnitentiarius desuper absolutè dispensare cum miserabilibus personis explicitè affirmantibus se, uti tales, & sub illa expressa qualitate, & forma miserabilium, dispensationes à Dataria obtinuisse: Cum iis verò, qui non tamquam pauperes, sed uti ex honestis familiis, sive uti nobiles, sive uti illustres, ab eadem Dataria similiter dispensati fuerint, non dispenset, nisi soluta prius in Dataria, ad effectum pariter erogandi in eleemosynas, taxa definienda arbitrio ejusdem Majoris Pœnitentiarii, pensatis circumstantiis cujuscumque casus, & respectu habito ad præjudicium componendæ, & ad vires supplicantium. Si tamen isti pauperes essent, itaut verè & realiter integram summam taxatam, vel aliquam ejus partem solvere non possent, præfatus Major Pœnitentiarius opportunè in hoc casu provideat, facto verbo, si peculiaris difficultas id postulet, cum Sanctissimo.

Et in casu reticitæ intentionis facilius impetrandi dispens.

§. 43. Super impedimento occulto affinitatis ex copula illicita, seu ex actu fornicario proveniente, quotiescumque adsit rationabilis causa, licèt periculum revelationis, seu scandalorum non immineret, vel non adesset, in matrimoniis tam contractis, quàm contrahendis, in Foro conscientiæ dispensare, & dispensari mandare possit, & valeat.

Super affin. ex copul. illic.

§. 44. Super occulto impedimento criminis adulterii, si fuerit cum fide data dumtaxat, neutro machinante, commissum, possit tam in contrahendis, quàm in contractis matrimoniis dispensare. Si verò crimen hujusmodi fuisset, utroque, vel altero machinante, patratum, possit in occultis pariter dispensationem concedere; rarò tamen, & quando necessitas postulaverit, ratione alicujus gravis imminentis periculi, quod prudentiâ Majoris Pœnitentiarii, re præsertim discussa in Congregatione, vel Signatura, arbitrandum erit.

Super impe. dim. criminis.

§. 45. Declaramus præterea, quod facultates præfatæ à Nobis Majori Pœnitentiario, & ejusdem Pœnitentiariæ Officio concessæ circa dispensationes Matrimoniales, locum habeant, etiamsi gradus, & impedimenta hujusmodi multiplicia sint, quacumque, & quantacumque multiplicitate; Volentes, in Literis hujusmodi dispensationum matrimonialium, posse Prolem, ubi opus erit, sive suscipiendam, non tamen in adulterio conceptam, in Foro conscientiæ tantùm, legitimam decernere; necnon apponi clausulam: *Nullis &c.*, prout in hujusmodi materiis hactenus ipsa Pœnitentiaria servare consuevit.

Non obstante in prædictis multiplicitate grad., & impedim.

Legitimare potest Prolem.

§. 46. Ulterius super casibus quibusvis occulti impedimenti ad petendum licitè debitum dispensare, aut dispensari mandare possit, & valeat.

Dispensare potest ad petendum deb.

§. 47. Facultates Pœnitentiariis minoribus ordinariis trium Basilicarum Urbis, aliisque extraordinariis, quorum deputatio pertinet ad prædictum Majorem Pœnitentiarium, possit idem ad libitum concedere, & restringere. Fratres vero Minores Cappuccinos in Confessarios nullatenus deputet in illis Regionibus, in quibus iidem Confessionibus audiendis operam dare non solent.

VIII. Dat pro libito facult. Minoribus Pœnit.

Ubi Cappuccinos nō deputat in Confessarios.

§. 48. Dubia omnia in materia peccatorum, seu Forum pœnitentiale alias quomodolibet concernentia, cum consilio Doctorum, & Theologorum suorum, valeat declarare.

Declarat Dubia.

§. 49. Commissiones vero Majoris Pœnitentiarii non expirent, etiamsi committens, illis nondum præsentatis, & re integra, desinat quomodocumque Pœnitentiarius existere. Idemque intelligi volumus de illis commissionibus, quas Majori Pœnitentiario absente, vel ex aliqua justa causa impedito, alterius Pro-Pœnitentiarii ad tempus subrogati nomine expeditas, elapso hujusmodi subrogationis termino, præsentari contigerit.

Commissio Major. Pœnitentiar. durat etiam cessante Offic.

§. 50. Omnibus denique Christifidelibus, qui ex veteri, & laudabili instituto Pœnitentiarium Majorem, munere suo statutis diebus Hebdomadæ Majoris in tribus Urbis Basilicis solemni Ritu fungentem, piè reverenterque adierint, seseque pœnitentiali virga tangendos submiserint, centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxandi perpetuam facultatem eidem Majori Pœnitentiario confirmamus, &, quatenus opus sit, de novo concedimus.

Concedit Indulg. in tactu virgæ &c.

§. 51. Sede Apostolica vacante, quoniam Animarum saluti, quæ omni tempore periclitatur, nunquam non est subveniendum, unde meritò Prædecessores Nostri Officium Pœnitentiariæ etiam post obitum Pontificis continuare jusserunt; Volumus, & decernimus, ut Major Pœnitentiarius (cujus facultas dicto tempore

IX. Facultates Sede Apost. vac. Pro foro conscientiæ, quoad absolvendum.

non

non expirat, sed tantummodo non habet exercitium extra Conclave), seu ejus Officiales, facere & expedire valeant quæcumque ad Forum conscientiæ pertinent. Ideo absolvere, seu absolvi mandare in dicto conscientiæ Foro valeant ab iis quoque censuris, a quibus alias vivente Pontifice adempta etiam Majori Pœnitentiario, & Pœnitentiariæ Officio, absolvendi facultas reperitur: Hac tamen lege (quemadmodum fel. record. Prædecessor Noster Clemens Papa XII., lata Constitutione, quæ incipit: *Apostolatus Officium*, ad consulendum simul animarum Fidelium saluti, & disciplinæ Ecclesiasticæ conservationi, provide cavit), quod nempe in hujusmodi censuris, ad tempus dumtaxat, & cum reincidentia in easdem, servatis alias servandis, absolutio concedatur; itaut qui fuerint absoluti, ad novum Pontificem intra terminum pro Locorum distantia definiendum, recurrere pro eadem causa teneantur; neque liceat Pœnitentiario Majori, ejusque Officialibus, præfixum terminum post Pontificis electionem ampliare, vel prorogare.

Et quoad dispensandum.

§. 52. Præterea concedimus, ut, si quando aliquod gravius Animæ periculum immineat, cui celeriter occurrendum videatur, re in Signatura diligenter examinata, & Majori quoque Pœnitentiario, si in Conclavi degat, pro materiæ gravitate consulto, & approbante, dispensare, aut dispensari mandare pro eodem Foro conscientiæ, valeant; super illis etiam, super quibus aliàs vivente Pontifice inhibita sit Majori Pœnitentiario, & Pœnitentiariæ dispensandi facultas; Ita tamen, ut Oratores, sicuti superius dictum est, ad novum Pontificem post ejus electionem similiter debeant recurrere; aliisque appositis clausulis pro casus natura necessariis, & opportunis.

Pro Foro externo conquiescit.

§. 53. Pro Foro verò externo, eâdem Sede Apostolica vacante, eorum Officium penitus conquiescat; itaut à quibuscumque matrimonialibus, & aliis dispensationibus, & absolutionibus, ac declarationibus, necnon quibusvis aliis expeditionibus forum fori mixtim, vel separatim quomodolibet respicientibus, omnino abstineant.

Præterquam quoad Regulares.

§. 54. Attamen concedimus, ut dicta Sede vacante, pro Foro externo facere & expedire valeant, quæ ad Regularium, & præsertim Apostatarum, & fugitivorum remedium, in superioribus facultatibus concessa sunt. Necnon ut Monialibus Confessarios extra ordinem valeant deputare, si eos ex aliqua rationabili causa petierint, pro earum libitu, inter approbatos ab Ordinario ad audiendas Monialium Confessiones, eligendos.

Et quoad Moniales pro eligendo Confess.

Et quoad omnes pro absol. ad reinc. a Cens. publ.

§. 55. Et demum, ut illos, qui in aliquam censuram Sedi Apostolicæ reservatam, etiam ob violatam Ecclesiasticam Libertatem, vel Immunitatem publicè incurrerint, vel incurrisse declarati fuerint, & verè ac sincerè pœnitentes, & novi Pontificis, ad quem post electionem recurrere debebunt, mandatis obtemperare parati, beneficium absolutionis sibi ulterius non differri enixè deprecentur, absolvere, cum reincidentia, quemadmodum in superioribus dictum est, vel absolvi mandare possint.

X. Clausulæ, & Decreta.

§. 56. Decernentes præsentes Literas, etiam ex eo, quod Major Pœnitentiarius, ac præfatæ Pœnitentiariæ Regens, & Officiales prædicti, ac alii quicumque in præmissis quomodolibet interesse habentes, seu habere prætendentes, eisdem præmissis non consenserint, aut vocati, seu auditi non fuerint, aliâque quavis de causa, quantumvis legitima, & juridica, de ullo subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis Nostræ, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, retractari, in jus, vel controversiam revocari nullatenùs posse; sed semper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces existere, & à Majori Pœnitentiario, Regente, cæterisque Pœnitentiariæ Officialibus prædictis, aliisque, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, ubique judicari, & definiri debere: irritum quoque, & inane quidquid secus super omnibus, & singulis præmissis, vel circa ea, à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogationes opportunæ.

§. 57. Non obstantibus præmissis, & aliis quibuscumque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & dictæ Pœnitentiariæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus quibuscumque, ac quibusvis vivæ vocis oraculis, privilegiis, indultis, & Literis Apostolicis, ejusdem Pœnitentiariæ Officio, illiusque Majori Pœnitentiario, ac Officialibus, & Ministris, & quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis in genere, vel in specie, etiam Motu proprio, & aliàs quomodolibet per Prædecessores Nostros Romanos Pontifices, ac etiam per Nos ipsos concessis, innovatis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, iisdem præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, ad effectum præsentium, illis aliàs in suo robore permansuris, harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio.

§. 58. Nulli ergo omninò hominum liceat, paginam hanc nostrarum compilationis, concessionum, prohibitionum, decretorum, statuti, voluntatis, declarationis, confirmationis, derogationis, aliorumque præmissorum infringere, seu ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 13. Apr. 1744.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimoquarto, Idibus Aprilis, Pontificatus Nostri Anno Quarto.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

Visa de Curia.

J. C. Boschi.

L. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicat. die 27. ejusdem mensis, & anni.

De

De Pœnitentiariæ Apostolicæ Officialibus, eorumque muneribus.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Procœmium.

IN Apostolicæ Pœnitentiariæ Officio, per quod Romanus Pontifex concessam sibi divinitùs in B. Petro Apostolorum Principe supremam ligandi, atque solvendi potestatem, maximo Ecclesiæ universæ fructu, in promovenda Fidelium salute indesinenter exercet, rectissimam undequaque agendi rationem constabilire, eandemque, quantum in Domino possumus, perpetuis etiam futuris temporibus inviolabilem commendare cupientes; postquam per alias Nostras Apostolicas Literas, hac ipsa die datas, quarum initium est: *Pastor bonus*, facultates Nostri Majoris Pœnitentiarii, ejusdemque Officii Pœnitentiariæ constituimus, ampliavimus, commodiusque digessimus; Nostras quoque partes esse judicavimus ad ea similiter recognoscenda, quæ Ministros Nostros in eodem Pœnitentiariæ Officio laborantes respiciunt, ad eorum videlicet numerum, qualitates, electionem, munera, onera, emolumenta, perfectiùs, stabiliùsque ordinanda, mentis Nostræ aciem eò utiliùs convertere, quò majus intelligimus inesse momentum in optimo delectu, atque ordine Ministrorum, ut rectus ille, atque proficuus concessarum facultatum usus asseratur, ad quem potissimùm studia nostra, cogitationesque feruntur.

Confirmatur Constitutio S. Pii V. incipien. In omnibus.

§. 1. Quamquam enim recolendæ memoriæ Prædecessor Noster S. Pius Papa V. in ipsa erectione hodiernæ Pœnitentiariæ, quam, vetere suppressâ extinctâque, novam ipse constituit, multa & sanè præcipua de futuris ejusdem Ministris, seu Officialibus, sapienter decreverit per suam Constitutionem, quæ incipit: *In omnibus*, datam XV. Kalendas Junias Anno MDLXIX., quam proinde Nos quoque firmam esse volumus, atque decernimus, præter quam in iis, in quibus eandem præsentibus nostris Literis constiterit adversari; Nonnulla tamen lapsu duorum fermè Seculorum circa illa immutari debuerunt, variis de causis per alios Romanos Pontifices pariter Prædecessores nostros cognitis & approbatis: Quarum approbationum ne vel memoriam excidere, vel fidem vacillare contingat, neve, si ignorentur, eveniat, ut hujusmodi immutationes in exemplum trahantur aliarum forsitan privato arbitrio deinceps inducendarum; idcirco necessarium & opportunum duximus omnia & singula jam prius a Nobis perpensa, atque recognita, & sicubi opus fuit, correcta, seu in melius commutata, Literis Nostris explicatè tradere, atque Apostolica auctoritate sancita, ac roborata, in omnium notitiam, inviolabiliter in posterum servanda, deducere. Motu itaque proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine infrascriptas ordinationes circa Ministros, seu Officiales Apostolicæ Nostræ Pœnitentiariæ, necnon circa ejusdem œconomicum statum, & regimen constituimus, & in futurum observari decernimus, & mandamus.

Causæ præsentis Constitutionis.

Numerus, & genera Officialium Offic. Pœnitentiariæ constituentium.

§. 2. Numerum quidem, & genera hujusmodi Officialium eodem ferè loco retineri volumus, ac primitùs fuere a memorato S. Pio constituta; uno dumtaxat & altero, non ad novum genus Officii, sed ad Officialium numerum adjuncto. Itaque hi, & non alii, Officium Pœnitentiariæ constituent: videlicet Major Pœnitentiarius, Regens, Theologus, Datarius, Canonista, Corrector, Sigillator, Procuratores, seu Secretarii tres, & Scriptores ordinarii itidem tres; uno nimirum Procuratore, & Scriptore uno, jam usque a primordiis recentioris Pœnitentiariæ, propter adauctam in dies negotiorum, & supplicantium multitudinem, ultra priorem numerum in prædicta Beati Pii Constitutione præfinitum, inductis.

§. 3. Major Pœnitentiarius unus sit ex S. R. E. Cardinalibus, Presbyter, idemque Magister in Theologia, seu Decretorum Doctor; atque a solo Romano Pontifice eligetur per literas, ut hactenus moris fuit, in forma Brevis. Suum autem munus per se ipsum exercere debebit. Sed si ex causa legitima, a Romano Pontifice admissa, absens, seu impeditus fuerit; ipsemet unum alium e S. R. E. Cardinalibus, prædictis qualitatibus insignitum, sibi Pro-Pœnitentiarium subrogabit; qui interim hoc munus pariter per seipsum prosequatur, Literasque, non Pœnitentiarii subrogantis, sed suo proprio nomine jubeat expediri.

Cardinalis Majoris Pœnitentiarii a solo Pontifice eligendi, qualitates.

Eidem impedito, vel absenti, facultas tribuitur sibi subrogãdi Pro-Pœnitentiarium.

§. 4. Quod si contigerit, ut Major Pœnitentiarius tempore vacantis Pontificiæ Sedis e vita discesserit; tunc a majore numero Cardinalium in Conclavi degentium, vel ante conclavis ingressum in Congregatione generali convenientium, eligendus erit per secreta suffragia alius Cardinalis Pro-Pœnitentiarius ad ejusdem Sedis vacantis tempus; prout evenisse meminimus, Sede vacante per obitum fel. mem. Benedicti Papæ XIII., in personam Venerabilis Fratris Nostri Vincentii Episcopi Prænestini, tunc Tituli S. Honuphrii S. R. E. Presbyteri Cardinalis Petra nuncupati, cum illustri totius Collegii S. R. E. Cardinalium de illius integritate, ac doctrina testimonio, quod deinde judicio suo comprobavit felic. pariter record. Clemens Papa XII. Prædecessor Noster; eandemque electionis formam pro simili eventu Pontificiæ Sedis vacantis distinctius postea constituit, atque in futurum servari mandavit in sua Constitutione, quæ incipit: *Apostolatus Officium*, data IV. nonas Octobris Anno MDCCXXXII., in qua plures ordinationes circa res eadem Sede vacante agendas complexus est, cuique subscriptio S. R. E. Cardinalium, ac de eadem servanda juramentum accessit.

Ratio eligendi Card. Pro-Pœnitentiarium eveniente obitu Majoris Pœnitentiarii Sede Apost. Vacante.

Præcipua munera a Majori Pœnitentiario obeunda.

§. 5. Præcipuum verò Majoris Pœnitentiarii munus in recto, ac prudenti exercitio facultatum sibi concessarum, atque aliis supradictis Literis nostris comprehensarum, positum est. Sed est quoque ejus muneris, quatuor diebus Majoris Hebdomadæ, Dominica quidem Palmarum in Basilica S. Joannis in Laterano, Feria verò quarta in Basilica S. Mariæ Majoris, & quinta, & sexta Feriis in Basilica S. Petri Vaticana, Fidelium Confessiones in Sede ad id constituta excipere, necnon capita piè sese submittentium Virga Pœnitentiali tangere, Indulgentias eisdem juxta facultatem in prædictis aliis Nostris Literis contentam impertiendo; præsentibus interim, & per sua sedilia dispositis Pœnitentiariæ Officialibus. Præterea tribus anni diebus, quibus maximè ad pœnitentiam Fideles excitantur, videlicet Feria quarta Cinerum (qua die ipse cineres capiti Summi Pontificis, Cardinalium, cæterorumque assistentium inspergit) & manè Feriæ sextæ in Parasceve, & diei Commemorationis Fidelium Defunctorum, solemni ritu rem Divinam in Pontificia Cappella peragere. Ad hæc Romano Pontifici in supremo vitæ agone constituto, ad spiritualem eidem in tali articulo ferendam opem, assistere.

Minores Pœnitentiarios in tribus Basilicis Urbis, in Ecclesia

§. 6. Ad eundem pertinet minores Pœnitentiarios Ordinarios a se ipso, & a Congregatione, seu Signatura Pœnitentiariæ prius examinatos & approbatos, alioquin ad officium minimè

admit-

Lauretana, ac pro Anni Sancti tempore in Basilica S. Pauli, aliisque Urbis Ecclesiis deputat.

admittendos, in tribus Urbis Basilicis constituere, & deputare, eisque facultates pro sua prudentia, vel majores, vel minores concedere; qui postquam admissi fuerint, non poterunt sine ejusdem Majoris Pœnitentiarii licentia ab officio dimitti, seu ab ejusdem exercitio discedere. Idemque intelligi volumus quoad Minores Pœnitentiarios Lauretanos, quorum examen valeat idem in absentia etiam Episcopis in Partibus sibi benevisis committere. Quin etiam poterit certum numerum extraordinariorum Pœnitentiariorum pro Basilica S. Petri eligere, atque in ea constituere, ut consuetis anni cujusque diebus, quibus major esse solet Pœnitentium concursus, eorum audiendis Confessionibus præsto sint. Atque insuper pro recurrentis Anni Sancti tempore suos quoque pro Basilica Sancti Pauli extra muros Pœnitentiarios designare; aliosque etiam, eodem anno durante, similibus facultaribus munitos, sive in nominatis Basilicis, sive in cœteris tam Sæcularium, quàm Regularium Urbis Ecclesiis, prout magis expedire visum fuerit, pro magna Fidelium tunc confluentium copia, extra ordinem multiplicare. Demum per idem tempus Virum providum ac peritum deputare possit, qui frequens adeat supradictos Pœnitentiarios in quatuor majoribus Basilicis laborantes, ut libellos supplices pro peculiaribus Pœnitentium necessitatibus forte offerendos ab eis recipiat, eorumque celerem apud Pœnitentiariam expeditionem sedulo curet, & ad Pœnitentiarios prædictos quamprimum referat, aliaque gerat, quæ Major ipse Pœnitentiarius pro recto rerum ordine gerenda mandaverit.

Idem 44. Viros quotannis ad peragenda Exercitia Spiritualia in domo Missionis destinare potest.

§. 7. Ad ejusdem Majoris Pœnitentiarii munus pariter spectabit personas seu Sæculares, seu Regulares, quibus id expedire judicaverit, ad peragenda Exercitia Spiritualia in Domo Missionis, prope Curiam Innocentianam sitâ, destinare; pro jure scilicet, quod idem Major Pœnitentiarius habet, nominandi quolibet anno quadraginta quatuor Viros in dicta Domo per congruum ejusmodi Exercitiorum tempus gratis sustentandos; quem ad finem eidem Domui assignata reperiuntur annua scuta centum monetæ Romanæ, partim ex bonis propriis per memoratum Venerabilem Fratrem Nostrum Vincentium Episcopum Prænestinum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Petra nuncupatum hodiernum Majorem Pœnitentiarium, laudabili piæ liberalitatis exemplo, in adeo proficuum opus attributis; partim ex superfluis Pœnitentiariæ proventibus, usque ad primam vacationem Officii Sigillatoris; ac post hujusmodi vacationem, ex emolumentis futuri pro tempore Sigillatoris in perpetuum persolvenda; prout statutum fuit per Literas fel. record. Clementis Papæ XII. Prædecessoris Nostri Motu proprio exaratas sub die 14. Februarii Anni MDCCXXXII. quas quidem Literas cum omnibus ordinationibus, conditionibus, & clausulis in eisdem appositis, approbamus, & confirmamus, ac perpetuis futuris temporibus observari jubemus.

Assignatio 100. scutorum auri quolibet Mense Majori Pœnitentiario confirmatur.

Reliqua autem Majoris Pœnitentiarii munera, atque onera iisdem adnexa cum ex alteris Literis Nostris, in quibus ejusdem, & Pœnitentiariæ Nostræ facultates complexi sumus, tum ex iis, quæ in præsentibus subjicientur, dignosci poterunt.

§. 8. Emolumenta verò ejusdem, quæ varia pro variis fuere temporibus, cum demum per fel. mem. Innocentium Papam XII., atque iterum per similis record. Clementem Papam XI. Prædecessores Nostros, constituta sint scuta auri centum pro quolibet mense; Nos etiam eorum assignationem ratam esse volumus, & quatenus opus sit, eadem de novo concedimus, & attribuimus.

§. 9. Sed præterea per supra memoratum Clementem Papam XII. assignata fuerunt eidem Majori Pœnitentiario e superfluis Pœnitentiariæ emolumentis annua scuta monetæ ducenta, erogan da in Pauperes ad eamdem Pœnitentiariam, seu Majorem Pœnitentiarium, pro negociis ad Pœnitentiariam spectantibus recurrentes; cum declaratione, quod hujusmodi eleemosynæ inter impensas, & onera Pœnitentiariæ connumerentur; reservata insuper Majori Pœnitentiario facultate adeundi Summum Pontificem in casibus particularibus, in quibus major summa pro hujusmodi eleemosynis requireretur. Quam assignationem, declarationem, ac reservationem, una cum derogatione applicationis prædictorum superfluorum per Innocentium Papam XII. factæ Hospitio Apostolico Pauperum S. Michaëlis de Urbe, Motu proprio prædicti Clementis Papæ XII. die 12. Maji Anni MDCCXXXII. roboratas; Nos itidem approbamus, & confirmamus, & quatenus opus sit, præsentium tenore denuo concedimus, & constituimus.

Alia assignatio 200. scutorum mon. e superfluis Pœnitentiariæ emolumentis, in Pauperes pro negociis Pœnitentiariæ recurrentes erogan., eidem asseritur.

§. 10. Officialium autem post Majorem Pœnitentiarium superius enumeratorum hæ potissimum qualitates erunt. Regens, Datarius, Theologus, & Decretorum Doctor eligentur Viri eximia doctrina præstantes, casuumque conscientiæ periti. Corrector sit in Decretis, stilo, cæterisque Pœnitentiariæ rebus diligenter versatus, & instructus. Sigillator probatæ fidei, & uti id munus postulat, omnium Officii expeditionum peritus. Procuratores quoque, & Scriptores, vitâ, moribusque integris ornati, & ad suum quisque officium exercendum idonei. Ad hæc omnes prædicti Officii Pœnitentiariæ Ministri, etiam Procuratores, & Scriptores, sint Presbyteri, vel certe in aliquo ex Sacris Ordinibus constituti.

Qualitates in aliis Officialibus requisitæ.

§. 11. In electione prædictorum Officialium hæc ratio, & methodus servanda erit. Regens, Theologus, Datarius, Decretorum Doctor, Corrector, & Sigilator, Majoris Pœnitentiarii cura, & solicitudine delecti, ac Romano Pontifici ab eodem præsentati, ubi Pontificiam confirmationem obtinere meruerint, Literis Patentibus ipsius Majoris Pœnitentiarii, electionis, & confirmationis hujusmodi testibus, cum subscriptione alicujus Secretarii expeditis, ad suum quisque officium admittantur. Ad Procuratorum verò, & Scriptorum officia ab eodem Majori Pœnitentiario non alii eligantur, & recipiantur, quàm qui prius, indicto publicè Concursu, & mora sex dierum interposita, a Regente, & Correctore super vita, moribus, ætate, scientia, cæterisque requisitis qualitatibus diligenter examinati, & comprobati fuerint; alioquin omnes prædictorum Officiorum concessiones, etiamsi a Romano Pontifice ex aliqua causa aliter factæ fuerint, pro irritis habeantur. Qui autem ritè juxta præscriptam formam electi fuerint, suis pariter patentibus Literis a Majori Pœnitentiario muniantur, atque ad exercenda propria munera, singulis inferius designanda, admittantur.

Methodus servanda in electione, & receptione prædictorum Officialium.

§. 12. Regentis porro munus, quod ex inveterata consuetudine uni ex Pontificiis Cappellanis Caesarum Palatii Apostolici Auditoribus committi solet, in eo situm est, ut negotia universa, eâ, qua decet puritate & diligentia, dirigi studeat & expediri; proindeque petitiones, casusque omnes ad Pœnitentiariæ Officium deductos in primis diligenter examinet; quæque perspicua sint, & secundum communem in eodem Officio cursum, absque difficultate expediri consueverunt, eadem expediri jubeat; cum nullius omnino negotii, quantumvis ordinarii, vel clari, expeditionem, sine prævia ipsius Regentis recognitione, & approbatione Procuratoribus liceat incipere. Quæ verò dubia,

Munus Regentis designatur.

vel

vel obscura, vel aliqua difficultate involuta conspexerit, ea Regens ipse ad Majorem Pœnitentiarium referat, ut diligentius examinentur, ac demum in ejus Signatura proposita decidantur. Ut verò primi generis, quæ diximus, explicatiora negotia quam celerrimè conficiantur, idem Regens singulis Hebdomadis Procuratoribus apud se convenire jussis, ac precibus recurrentium consideratis, suoque ad singulas conveniente rescripto subnotato, ab iisdem Procuratoribus absque longiori mora expediri mandet.

Munus Correctoris.

§. 13. Corrector, ut expeditiones apto & convenienti stylo conscriptæ, sanæ, & integræ emittantur, earum schedulas, sive Minutas, seu Supplicationes a Procuratoribus confectas diligenter recognoscat, examinet, & corrigat, etiam, quoad fieri poterit, antequam Literæ partibus tradendæ scribantur, quo nimirum Literæ ipsæ integræ & mundæ, ac lituris, rasurisque prorsus carentes expediantur.

Munus Datarii.

§. 14. Datarius in calce supplicationum Datam loci, diei, mensis, & anni, tam Æræ Christianæ, quam Pontificatus, adscribat; vel Romano Pontifice demortuo, notam Sedis vacantis apponat.

Munus Theologi Consultoris.

§. 15. Theologus Consultor, quod quidem munus uni ex Presbyteris Societatis Jesu diuturna nec interrupta successione commendari consuevit, super petitionibus & casibus magis arduis & implexis, qui ad ipsum a Majori Pœnitentiario, vel Regente, maturius considerandi & examinandi remittentur, adhibito diligenti studio, judicium suum, etiam in scriptis, si hoc ab ipso requiratur, aperiet.

Munus Consultoris Canonistæ.

§. 16. Canonista item Consultor, seu Decretorum Doctor, similiter a Majori Pœnitentiario, vel Regente requisitus, suum pariter consilium super casibus ad se remissis, post accuratum examen, etiam scripto, ubi id ab eo postuletur, proferre debebit.

Munus & onera Sigillatoris.

§. 17. Sigillator Literas eatenus recognoscat, ut manus requisitæ illis appositæ sint, & earum Datæ cum libello supplicationis concordent; deinde ipsas sigillo Pœnitentiariæ obsignet, ac demum obsignatas, & in totum gratis expeditas, Procuratoribus remittat. Insuper memoratus Sanctus Pius Papa V. in sua Constitutione, quæ incipit: *In earum rerum commutatione*, data XIV. Kalendas Junias Anno MDLXIX., in qua vetera Collegia Scriptorum, & Procuratorum Literarum Pœnitentiariæ a se ipso suppressa ad Cancellariam Apostolicam, sub nova denominatione Scriptorum, & Procuratorum Literarum Apostolicarum Minoris Gratiæ, traduxit, ad eundem Sigillatorem pertinere voluit peculiarem curam omnium expeditionum, quæ per duo prædicta Collegia fierent, atque proventuum Pœnitentiariæ ex hujusmodi expeditionibus percipiendorum exactionem, & administrationem; compilationem quoque, & asservationem Regestorum, tam omnium Supplicationum ad materias Minoris Gratiæ spectantium, quam Literarum Apostolicarum super eis conficiendarum; quemadmodum etiam in altera supracitata Constitutione super nova erectione Officii Pœnitentiariæ edita, eidem Sigillatori aliorum omnium Documentorum & Scripturarum ad ipsam Pœnitentiariam pertinentium custodiam demandavit, ejusdemque fidei & periculo commisit. Quæ licet ex magna parte non jam per se ipsum, sed per Pro-Sigillatorem exercere, immutata etiam aliquatenus agendi methodo, jampridem ei concessum fuerit; ipsius tamen Sigillatoris erit invigilare, & dare operam, ut omnia quæque per dictum Pro-Sigillatorem exercenda, quæ cujusmodi sint, inferius statuemus, rectè ac fideliter ab eodem administrentur.

Munus Procuratorum.

§. 18. Procuratores, seu Secretarii, inter quos materiæ justa partitione dividendæ erunt, commissa sibi quisque negotia sedulo diligenterque prosequantur. Libellos supplices, literasque a recurrentibus missas integre percurrant, attenteque perpendant, earumque compendia, cum ita res feret, fideliter conficiant. Cuncta verò ad Majorem Pœnitentiarium, vel Regentem referant, nihilque penitus responsi scribere aggrediantur, absque alterutrius mandato. Quo recepto, antequam ad expeditionem Literarum partibus tradendarum quoquo modo procedant, Supplicationes seu Minutas super materiis, ubi illis opus erit, per extensum exarare debeant, a Correctore recognoscendas. In expeditionibus autem quibuslibet extendendis, exacta uniformitas sensuum, & clausularum, quoad fieri poterit, a singulis observetur. Quamobrem summopere conducet formulas habere præ manibus suo quamque generi petitionum accommodatas, & a Majori Pœnitentiario, cum consilio sex majorum Officialium superius memoratorum, prius comprobatas; a quibus, nisi ex gravi causa per Majorem Pœnitentiarium, vel Regentem admissa, nullatenus recedere supradictis Procuratoribus liceat.

Munus Scriptorum.

§. 19. Scriptores demum, æqua scribendarum rerum divisione inter eos facta, charactere puro, claro, & minime deformi, & in iis, in quibus id moris est, Antiquo, sive, ut ajunt, Bullatico, eodem tamen quammaxime intelligibili, demandatas sibi Litteras accurate, integreque describant, lituraque quaslibet aut rasuras perdiligenter caveant. Iidem in libros seu regesta referant, quæ ipsis dabuntur eò referenda; videlicet Oracula, si qua emanarint, Romanorum Pontificum; Decreta, & Instructiones Majoris Pœnitentiarii, & Signaturæ, regimen secretæ Pœnitentiariæ concernentia; resolutiones aliquot exemplares casus alicujus rarioris, & implexioris; Supplicationes super dispensationibus, præsertim matrimonialibus, a communi cursu recedentibus, seu pro foro etiam externo de speciali Romani Pontificis mandato concessis; & si quid aliud extraordinarium & singulare, memoriâque dignum, ita conservandum videbitur.

Officiales prædicti Officia sua per se ipsos exercere debent.

Ratio supplendi vices Officialis absentis, vel legitimè impediti.

§. 20. Omnes verò Officiales supradicti Officia sua per se ipsos maxima diligentia, & fidelitate exerceant. Soli autem præsentes, & actu exercentes, fructus & emolumenta percipiant; nisi forte aliquis eorum ex justa causa absens, seu legitime impeditus existat. Quod si aliquis ex majoribus Officialibus hujusmodi impedimento detentus, vel absens fuerit, alter Officialis propinquior, juxta Sessionis in Signatura ordinem, suppleat impediti, seu absentis vices, ita exempli gratia subscribendo: *Pro D. Regente N. Datarius*: Si autem aliquis ex Procuratoribus, aut Scriptoribus, legitimè, ut supra, impeditus, vel absens fuerit, possit Major Pœnitentiarius, durante legitima absentiæ, vel impedimenti causa, alium aliquem in ejus locum assumere, seu subrogare, præstito solito juramento, & cum iisdem obligationibus, quibus alii Procuratores, & Scriptores titulati obstringuntur.

De Signatura Pœnitentiariæ, interessentia Officialium, methodoque in ea servanda.

§. 21. In Signatura Pœnitentiariæ, quæ alternis fere Hebdomadis, die per Majorem Pœnitentiarium designanda, haberi solet, interesse debent, ipso Majori Pœnitentiario præsidente, omnes prædicti Officiales, Scriptoribus exceptis. In ea verò, singulis Procuratoribus demandatas sibi petitiones referentibus, casibusque præsertim dubiis reliquorum sex Officialium consultatione discussis, & examinatis, & cum maturo omnium judicio decisis, congruum Rescriptum a Regente propria manu breviter unicuique petitioni subjicietur, latius deinde a Procuratoribus explanandum.

Expeditiones omnes secretò, & gratis fiant.

§. 22. Secreto potissimum, & gratis, quæ laus est maximè propria hujus Officii, negotia quæcumque in eo expedienda esse, omnes & singuli

guli prædicti Officiales intelligant. Itaque super rigorosa utriusque capitis observantia sancte jurabunt, juxta præscriptam formulam, quæ est: *Ego N. Regens ab hac hora in antea ero fidelis, & obediens Beato Petro, & Domino Nostro Papæ, ejusque Successoribus canonicè intrantibus: Officium meum fideliter exercebo, & gratis; ejusque ratione nihil ab aliquibus, etiam sponte oblatum, vel donatum, accipiam, præter quam salarium mihi constitutum: Secreta Sacræ Pœnitentiariæ, & occultos casus, ac personas, de quibus in ea tractabitur, nunquam cuiquam extra Officium revelabo, & ita juro ad Sacrosancta Dei Evangelia.* Quod juramentum unusquisque, cùm primùm ad suum munus exercendum admittetur, in manibus Majoris Pœnitentiarii præstare debebit; atque insuper omnes, singulis annis, in prima cujusque anni Signatura iterabunt. Qui autem juratum secretum violaverint, non levius punientur, quàm Presbyteri Confessiones peccatorum prodentes. Qui verò, contra alteram juramenti partem, aliquid vel minimum a partibus, aut aliis, sive celerioris expeditionis, sive extraordinarii laboris in procurando, aut scribendo, aut recognoscendo, aut examinando, sive alio quocumque titulo, aut colore, acceperint, officio suo privati ipso facto censeantur, & excommunicationis sententia innodati, cujus nequeant absolutionem ab alio, quàm a Romano Pontifice, extra mortis articulum, obtinere. At si hujusmodi crimen admisisse convicti fuerint, præter censuras & pœnas contra talia admittentes superiùs, aut aliàs quomodocumque propositas, non solum officiorum suorum privationem incurrant, sed ad futura etiam inhabiles, & infames reputentur, prout Nos illos ipso facto privatos, inhabiles, & infames harum etiam tenore declaramus.

Forma juramenti ab unoquoque Officialium præstandi, & singulis annis iterandi.

Pœnæ, quibus subjiciuntur Officiales juramento contravenientes.

§. 23. Caveant præterea, ne in Officiorum suorum exercitio cum fraude, aut dolo, aut ullius generis captione se gerant, neve ipsi Partibus quicquam dolosè, & fraudulenter suggerant, quò facilius optata impetrare possint. Sed petitiones dumtaxat justas, rationabiles, & honestas proponant. Quod si dolum, aut fraudem feciſse convicti fuerint, eodem modo, ac de accipientibus munera superius constituimus, ultra pœnas alias talibus indictas, privationem Officiorum, inhabilitatem, & infamiam pariter incurrant.

Indicuntur pœnæ Officialibus dolosis.

§. 24. Officia omnia memorata perpetua sint, durante obtinentium vita; neque, secluso casu legitimæ privationis, cujus occasionem, & causam perpetuò abesse vehementer optamus, & in Domino confidimus, aliter vacare censeantur, quam per liberam puramque ipsorum dimissionem, vel per promotionem ad Cardinalatum, aut Episcopatum residendi onus afferentem, vel per translationem ad aliud ejusdem Pœnitentiariæ officium. Omnium verò prædictorum Officiorum in ipso Pœnitentiariæ Officio constitutorum venditionem, aut quamvis aliam dispositionem ad tacitam, vel expressam ea dimittentium voluntatem, districtè prohibemus. Sed illa omnia probis, & peritis Viris, gratis omnino, & sine ulla dimittentium, aut aliorum quorumcumque gratia, & acceptione concedantur. Quod si secus factum fuerit, quæcumque concessiones de illis pro tempore factæ, irritæ sint, ac nullius roboris, vel momenti.

De perpetuitate Officiorum ad vitam illa obtinentium, & de modis eorum vacationis.

Prohibetur eorumdem Officiorum venditio, & quævis dispositio ad obtinentium voluntatem.

§. 25. Cum autem æquum non sit, Officiales hosce haud mediocriter laboraturos, congruis honorariis destitui; emolumenta iisdem a Prædecessoribus Nostris Romanis Pontificibus jamdiu constituta omninò salva, ac firma esse volumus, & mandamus. Singulis proinde Officialibus prædictis pendantur in singulos menses auri scuta, Regenti quidem vigintiquinque; Datario verò, & Correctori, ac Sigillatori quindecim, addito eidem Sigillatori proventu è qualibet Bulla per Collegia Minoris Gratiæ expediri solita, inferius explicando; Theologo autem, & Canonistæ decem; Procuratorum cuique duodecim, & unicuique Scriptori sex. Tribuantur præterea omnibus charta, atramentum, cera, capsula, cordulæ, aliaque id genus hactenus submini strari consueta.

Emolumenta singulis Officialibus constituta.

§. 26. Si quando eveniat, ut aliquis è sex Majoribus Officialibus absens a Curia de mandato Romani Pontificis in Sedis Apostolicæ obsequio alibi occupetur, pergat, ut moris fuit, sua emolumenta percipere. Interim verò Major Pœnitentiarius, facto verbo cum ipso Pontifice, alium aliquem ei substituere poterit, servatis debitis formis, & conditionibus; atque huic ita substituto conveniens aliquod emolumentum è Pœnitentiariæ proventibus assignare. Simili autem Substituto Procuratoris, vel Scriptoris quavis ex causa legitimè impediti, par emolumentum obveniat, ac titulato ipsi Procuratori, sive Scriptori. Cum verò aliquod vel Procuratoris, vel Scriptoris officium per aliquod tempus vacare contigerit, reliquis, quibus interea labor accrescit, æquum est, ut simul pro rata parte proventus vacantis accrescant.

Officialis de Mandato Pontificis absens sua emolumenta percipit; Substituto aliter consulitur.

Vacante Procuratoris, vel Scriptoris Officio, proventus vacantis reliquis accrescunt.

§. 27. Extraordinarios porro Scriptores liceat Majori Pœnitentiario, pro excedente nonnunquam expeditionum multiplicitate, assumere; dummodo supradictis qualitatibus, quas pro Ordinariis requiri decrevimus, minimè careant, ac juramentum ipsis Ordinariis præscriptum præstent. E re tamen Pœnitentiariæ erit, ne hujusmodi nimis multi admittantur, utque convenientia demandatis laboribus subsidia, quæ prudenti ejusdem Majoris Pœnitentiarii arbitrio taxanda relinquimus, eisdem persolvantur.

Major Pœnitentiarius potest interdum Scriptores extraordinarios assumere.

§. 28. Post recensitos demum Officiales, ordinationesque circa eorum singulos hucusque statutas, mentio facienda est de Ministro illo, qui Pœnitentiariæ Cappellanus nuncupari solitus, in ejusdem ministerium serius adscitus est. Is itidem aut Presbyter, aut in Sacro aliquo Ordine constitutus, a Majori Pœnitentiario eligi, atque Aulæ, in qua Signatura Pœnitentiariæ habetur, Janitorem agere, ideoque & cæteris impositum juramentum præstare debebit. Dies etiam, & horas tam Signaturæ ipsius, quàm aliarum omnium Pœnitentiariæ functionum, a Majori Pœnitentiario præfinitas, datis ad singulos Officiales schedulis, indicet, & curam indicendorum concursuum pro electionibus Procuratorum, & Scriptorum exercebit. Quod quidem Nos munus, adnexumque eidem emolumentum scutorum auri trium in singulos menses, auctoritate Nostra comprobamus, & confirmamus; & quatenus opus sit, de novo erigimus, concedimus, & constituimus.

Qualitates, onera, & emolumentum Cappellani Pœnitentiariæ, à Majori Pœnitentiario deputandi.

§. 29. Ad œconomicum nunc Pœnitentiariæ statum curam Nostram intendentes, in primis, quod fœpedictus Sanctus Pius Papa V. decrevit in supracitata Constitutione, quæ incipit, *In earum rerum commutatione*, ut scilicet emolumenta ejusdem Officii Pœnitentiariæ, inter Majorem Pœnitentiarium, ejusque Officiales, juxtà præscriptam formam distribuenda, ex expeditionibus Collegiorum Minoris Gratiæ perciperentur; id ipsum cum limitatione inferius danda, adprobamus, & confirmamus: supramemoratum Pœnitentiariæ Sigillatorem ab onere administrandi hujusmodi emolumenta, quod ipsi potissimum in eadem Constitutione impositum fuit, minimè liberantes; non obstante quacumque in contrarium consuetudine antehac introducta, & per quantumvis longum temporis spatium servata, vel etiam Prædecessorum Nostrorum auctoritate, aut expressa, seu etiam scripta dispositione comprobata. Cui Sigillatori nihilominus permittimus, ut, sicuti deinceps in morem inductum fuit, hujusmodi munus possit

Perceptio emolumentorum Pœnitentiariæ ex expedition. Colleg Min. Gratiæ à S. Pio V. statuta confirmatur.

Sigillator ab administratione dictor. emolumentor. non absolvitur; potest tamen eam per Pro-Sigillatorem exercere.

per alium, ideſt, per Pro-Sigillatorem, modo tamen, & forma inferius exprimendis, exercere.

Qualitates, & munera Pro-Sigillatoris.

§. 30. Pro-Sigillator igitur a Majori Pœnitentiario eligetur, Vir celebs, & Prima ſaltem Tonſura inſignitus, ætate matura, morum probitate, ſcientiaque ad ſuum obeundum munus neceſſaria prædituſ, quique bona in Urbe habeat, vel idoneam cautionem, ſeu fidejuſſionem exhibeat, ut ſi quod ejus culpa damnum Pœnitentiariæ obvenerit, haud deſit unde reſarciri queat. Duplex porrò erit hujuſmodi Pro-Sigillatoris munus, alterum nempe Exactoris, & adminiſtratoris Proventuum Pœnitentiariæ; & alterum Regiſtratoris non unius generis rerum, quæ infra exprimentur: Eaque munera, ſub Sigillatoris directione, & cum ea, qua par eſt, fide & diligentia exercebit, ſequenti ratione.

Ejuſdem onera,

§. 31. In omnibus expeditionibus, quæ per prædicta Collegia Scriptorum, & Procuratorum Minoris Gratiæ fiunt, tam Supplicationes a Procuratoribus confectas, quàm Bullas deſuper exaratas capiet, illas quidem in Cancellaria, has verò in Bullaria poſt ſubjectum Plumbum. Deinde, cum utraſque Domi ſuæ inter ſeſe accuratè contulerit, Supplicationes apud ſe retinebit, Archivio inde inferendas; omnes verò Bullas in particulari libro, *a Taxis* nuncupato, ſub ſui quamque Procuratoris nomine adnotari, tum eaſdem in Regeſto quamciriſſimè, ne expeditiones retardentur, deſcribi, atque ita regeſtratas ad exemplum de more conferri curabit; & proprio nomine ſingulis Bullis ſubſcripto, eas tradet ſupradictorum Collegiorum Depoſitario, cui ab Expeditoribus emolumenta legitimè taxata perſolventur. Poſt hæc idem Pro-Sigillator, cujuſque menſis dimidio, rationes ſeù computa habebit cum unoquoque Minoris Gratiæ Procuratore, ſuper Bullis ejuſdem Procuratoris cura in proximo ſuperiori Menſe expeditis; ad hoc, ut quilibet Procurator prædicto Depoſitario ſuum dirigat mandatum ſolvendi portionem ad Pœnitentiariam ſpectantem, juxta Taxas a Prædeceſſoribus Noſtris adprobatas.

Ratio exigẽdi, deponẽdi, & ſolvendi pecunias Pœnitentiariæ.

§. 32. Depoſitarius autem hujuſmodi ſolutionem in hunc modum explebit: Diriget nempè mandatum, ſeu Ordinem ad Proviſores Montis Pietatis (in quo quidem Monte tota ſumma Pœnitentiariæ debita deponenda erit), ut ii eandem ſummam Pro-Sigillatori ſolvant, ad effectum, in ipſo ſemper Ordinis contextu exprimendum, ut hic eam ipſam ibidem relinquat ad creditum Pœnitentiariæ, & ad diſpoſitionem Majoris Pœnitentiarii. Quem quidem Ordinem Pro-Sigillator re ipſa transferet ad dictum creditum, & diſpoſitionem, alioquin de damno tenebitur. Poſtea Major Pœnitentiarius ſua mandata, ſeu Ordines conficiet de ſummis ex prædicto Depoſito ſolvendis, tam pro honorario Officialium, ſeu Miniſtrorum, quàm pro aliis quibuſcumque ejuſdem Pœnitentiariæ oneribus, & expenſis. Hunc enim modum exigendi, deponendi, & ſolvendi præſcriptum a fel. rec. Clemente Papa XII. Prædeceſſore Noſtro per ſuum Chirographum editum die 11. Februarii Anni MDCCXXXVI., Nos quoque adprobamus, & confirmamus, atque in poſterum inconcuſsè ſervari volumus, & mandamus.

Applicatio ſuperfluorũ Pœnitentiariæ ab Innocentio XII. facta Hoſpitio Pauperũ Invalidorum innovatur.

§. 33. Neque hic omittendum ducimus, quod, deductis a prædicta ſumma ex expeditionibus Collegiorum Minoris Gratiæ redigenda, atque in Monte Pietatis deponenda, emolumentis, atque honorariis prædicto Noſtro pro tempore Majori Pœnitentiario, atque Officialibus, cæteriſque Miniſtris Pœnitentiariæ perſolvendis, aliiſque expenſis, & oneribus in eadem Pœnitentiaria occurrentibus, & prudenti Majoris Pœnitentiarii arbitrio determinandis, quidquid reliquum ex dicta ſumma erit, id totum & integrum cedere omnino debet Hoſpitio Pauperum Invalidorum S. Michaëlis de Urbe, juxta applicationem eidem Hoſpitio factam per fel. record. Innocentium Papam XII., data Conſtitutione ſub die 111. Kalendas Junii Anni MDCXCIII., quam applicationem ab aliis Prædeceſſoribus Noſtris confirmatam, Nos quoque firmam, & ratam eſſe volumus, & mandamus, & quatenus opus ſit, iterum auctoritate Noſtra ſtatuimus, & innovamus.

Pro-Sigillator è qualibet Bulla Min. Gr. ob. 8. Sigillatori exigat, ex quibus in menſem ſc. 22. ſibi, & duobus Regiſtratorib. Ord. detrahat.

§. 34. Ad reliqua verò ſupradicti Pro-Sigillatoris Officia redeuntes, ſtatuimus, ut ultra prædictam ſummam ipſi Pœnitentiariæ Officio aſſignatam & debitam, ex iiſdem expeditionibus Minoris Gratiæ exigat, nomine Peculiari Sigillatoris, & pro ipſo Sigillatore, obolos octo è qualibet Bulla. Ex quo Sigillatoris ſpeciali proventu detrahet quolibet menſe ſcuta monetæ vigintiduo, pro mercede perſolvenda Regiſtratoribus, ſeu Reviſoribus, ſub ipſo Pro-Sigillatore laborantibus; qui eſſe quatuor ſolent, Ordinarii duo, totidemque adjuncti: Et primis quidem duobus, a Majori Pœnitentiario deputatis, ſolventur in ſingulos menſes ſcuta duodecim; reliqua decem relinquentur ipſimet Pro-Sigillatori, quà Regiſtrator etiam eſt, ut ſuperius innuimus, ad hoc, ut pro ſuo libito de duobus aliis adjunctis provideat.

Regeſta a Pro-Sigillatore conficienda, & ſervanda.

§. 35. Præter Regeſta vero ſupradicta, ſeu Libros ad expeditiones Minoris Gratiæ pertinentes, idem Pro-Sigillator Regeſtum, ſeu Regeſta alia ſervabit, in quæ referentur Suprema Romanorum Pontificum, aliaque Majoris Pœnitentiarii, & Signaturæ Decreta, necnon omnia quæcumque Inſtrumenta, vel Documenta, ſtatum Æconomicum Pœnitentiariæ concernentia. Literæ item Patentes Majoris Pœnitentiarii de Officialium, aliorumque Miniſtrorum electione; denique alia quælibet ad publicum Pœnitentiariæ regimen, & ſtatum ſpectantia; veluti Bullæ Inſtitutionis, Reformationis, Facultatum, Officialium, aliorumque hujuſmodi, Brevia item electionis Majoris Pœnitentiarii, Chirographa, atque alia his ſimilia. Quorum omnium ſua ſub cura, & cum periculo ſuo conſervandorum, ne quid lapſu temporis pereat, neglectumve jaceat, authenticum Inventarium, ac Regeſtum conficere teneatur; cui quidquid poſtea additum, ſtatutum, conceſſum, ſeu vetitum erit, id totum qualecumque quamprimum adſcribatur: & ſic deinceps hæc omnia in futurorum Pro-Sigillatorum fidem, cum eiſdem conditionibus & periculis, deponantur.

Emolumenta tam certa, quàm incerta Pro-Sigillatoris.

§. 36. Jam verò emolumenta Pro-Sigillatoris erunt, primò annua ſcuta monetæ quadraginta, eidem ſolvenda a Pœnitentiaria, intuitu Domus conducendæ pro ſervandis Regeſtis, ſeu Libris ſupradictis. Idem conſuetæ olei pro alendis luminibus in ſingulos menſes menſuræ. Tum ſupradicta menſtrua penſio, eidem, tamquam Regiſtratori, a Sigillatore de propriis proventibus perſolvenda. Demum varia quædam ipſi obvenientia è Minoris Gratiæ expeditionibus, ſive illarum occaſione, quæ in ſummam certam redigi nequeunt; in quibus tamen percipiendis non ei licebit excedere menſuram per legitimas taxas, & per probatum Curiæ ſtylum pro ſingulis actibus, ſeu corrigendi, ſeu ſumpta, ut vocant, tradendi, ſeu aliis, ſiqui ſunt, præſcriptam, & definitam. Prædictis autem emolumentis futuri quilibet Pro-Sigillatores contenti eſſe debebunt, quibuſcumque in contrarium non obſtantibus.

Cura, & adminiſtratio Archivi.

§. 37. Archivum porro Pœnitentiariæ, quod Prædeceſſorum noſtrorum providentiâ in Apoſtolicis noſtris Ædibus Vaticanis collocatum reperitur, cujuſque præcipuam curam, inhærentes ſæpememoratis diſpoſitionibus S. Pii Papæ V., inter munera Sigillatoris ſuperius connumeravimus, ita ipſius Sigillatoris ſtudio, & vigilantia adminiſtrabitur, ut ea quidem, quæ vel

ad expeditiones Minoris Gratiæ, vel ad publicum Pœnitentiariæ ſtatum, & regimen pertinent, quæque a Pro-Sigillatore, ut ſupra, aſſervari, ſeu reſpectivè deſcribi, & regeſtari debere decrevimus, poſſit eidem Pro-Sigillatori in Archivo prædicto diſponenda, & conſervanda committere: hic autem demandatum ſibi munus, ea qua par eſt, diligentia & fide implere teneatur.

De Secretiori Archivo.

§. 38. Quæ verò negotia per Pœnitentiariam ipſam, juxta facultates ſuas ordinarias, vel etiam virtute ſpecialium Oraculorum Romani Pontificis, in particularibus quibuſdam caſibus conceſſorum, per ejuſdem Pœnitentiariæ Procuratores, ſeu Secretarios expediri ſolent; eorum omnium quæcumque conſervari monumenta oportebit, veluti Supplicationes, & alia quæ in ſuperius dictis circa Scriptorum munera attigimus, ea omnia in altera parte ejuſdem Archivi, ſed in Armario, ſeu Armariis clauſis, & obſeratis ſepoſita, conſerventur & cuſtodiantur, ſub cura ſolius Sigillatoris. Qui tamen in hoc uti poterit opera, & auxilio Procuratorum Pœnitentiariæ, quorum etiam alicui dictorum Armariorum clavem dare poterit retinendam. Sedulò autem curare debebit, ut eorum omnium, quæ in hac ſecretiori Archivi parte cuſtodientur, ſuum quoque Inventarium, ac Regeſtum conficiatur; cui ſimiliter, quæ ſupervenerint, adſcribantur.

Sigillator, & Procuratores pro perquiſitionibus in Secretiori Archivo omnè laboré gratis impendant.

§. 39. Sed illud inviolatè ſervari ſtatuimus, ac præcipimus, ut ſi quando contigerit, etiam ad partium, vel aliorum quorumvis inſtantiam, aliquid in prædicta Archivi ſecreta parte, vel ad ſumpta, ſeu duplicata conficienda, vel alia quavis de cauſa requiri, & inveniri oportere, tunc iſtum omnem laborem Sigillator, ſeu Procuratores, gratis omninò impendere debeant; nihilque aut ratione itineris, vel laboris quantumvis extraordinarii, in quærendo, deſcribendo, aut alio quocumque titulo, poſſint a partibus, vel aliis accipere; etiamſi agatur de materiis ad forum externum mixtim, vel ſeparatim pertinentibus; Sacroſanctum enim hoc eſſe volumus, & inviolabile, ut nihil penitùs, quod per Officiales Pœnitentiariæ Noſtræ Apoſtolicæ faciendum eſt, aliter quam gratis fiat.

Cedente, vel decedente quopiam Officiali, Librorum, & Scriptorum Pœnitentiariæ recuperatio Sigillatoris curæ committitur.

§. 40. Ac ne quid deſiderari poſſit, quod ad Archivi ejuſdem perfectionem, utiliumque ſcriptorum conſervationem conducat, opportunè commendamus, atque monemus, ut quotieſcumque evenerit cujuſpiam Officialis Pœnitentiariæ, vel obitus, vel officii dimiſſio, tunc Sigillatori prædicto curæ ſit, vel per ſe, vel per aliquem ex Procuratoribus, ſeu Secretariis, Libros, & ſcripta recuperare, ſi qua ille penès ſe habuerit, vel Pœnitentiariæ propria, vel de rebus ejus ſecretis agentia; ac parum utilibus igni traditis, cætera vel Archivo committere, ſi eo loco digna ſint, vel Succeſſori, alterive Officiali utenda concedere.

De viſitatione Archivi.

§. 41. Et quia publicæ rei vehementer intereſt hujuſmodi Archivorum bonus ſtatus & conſervatio; ideo volumus, ut quotannis vel Major Pœnitentiarius ipſe per ſe, vel Sigillator, prædictum Archivum viſitet, & ſedulo recognoſcat tam partem obſeratis Armariis compoſitam, adhibito etiam, quoad hanc partem inſpiciendam, uno ſaltem è Pœnitentiariæ Procuratoribus; quam partem alteram Pro-Sigillatori commiſſam; viſitando inſuper Scripturas, Libros, Regeſta, aliaque necdum Archivo illata, ſed adhuc penès eundem Pro-Sigillatorem retenta; cujus viſitationis relatio poſtea Majori Pœnitentiario, ſi ipſe per ſe non viſitaverit, fieri quamprimum debeat.

Pontificis adhortatio.

§. 42. Depulſa igitur è Pœnitentiariæ Noſtræ ſaluberrimo Officio confuſione qualibet, aut minus ordinata permixtione functionum, ipſiuſque Officii nitore, ac puritate adverſus cujuſque labis periculum diligentius circummunitis, omnes & ſingulos in eadem Pœnitentiaria laborantes hortamur in Domino, & enixè monemus, ut pro ſe quiſque piam caſtamque mentem ad impoſitum ſibi munus obeundum pro Dei æterni gloria, & Chriſtifidelium ſalute acriter intendant, & pro virili parte conentur, ut cuncta proſpera, & hoc tanto Officio digna ſuccedant, Sedeſque Apoſtolica pro bene geſtis condignæ laudis præconio in ſingulis Chriſtiani Orbis partibus plenius celebretur.

Clauſulæ, & decreta præſervativa.

§. 43. Decernentes præſentes Literas, etiam ex eo quod Major Pœnitentiarius, ac præfatæ Pœnitentiariæ Regens, aliique Officiales, & Miniſtri prædicti, ac alii quicumque in præmiſſis quomodolibet intereſſe habentes, ſeu habere prætendentes, eiſdem præmiſſis non conſenſerint, aut vocati, ſeu auditi non fuerint, aliaque quavis de cauſa quantumvis legitima, & juridica, de ullo ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis Noſtræ, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, retractari, in jus, vel controverſiam revocari, nullatenus poſſe; ſed ſemper, & perpetuo validas, firmas, & efficaces exiſtere, & a Majori Pœnitentiario, Regente, cæteriſque Pœnitentiariæ Officialibus, & Miniſtris prædictis, aliiſque, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari; ſicque per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales etiam de Latere Legatos, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, ubique judicari, & definiri debere; irritum quoque, & inane, quidquid ſecus ſuper omnibus, & ſingulis præmiſſis, vel circa ea, à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogationes.

§. 44. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, Noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ regula *de jure quæſito non tollendo*, necnon duabus præmiſſis S. Pii Papæ V. Prædeceſſoris Noſtri, & aliis quibuſcumque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, & dictæ Pœnitentiariæ etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus quibuſcumque, ac quibuſvis vivæ vocis oraculis, privilegiis, indultis, & Literis Apoſtolicis ejuſdem Pœnitentiariæ Officio, illiuſque Majori Pœnitentiario, ac Officialibus, & Miniſtris, & quibuſvis aliis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, & decretis in genere, vel in ſpecie, etiam Motu proprio, & alias quomodolibet per Prædeceſſores Noſtros Romanos Pontifices, ac etiam per Nos ipſos conceſſis, innovatis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, individua, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitùs omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, iiſdem præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, ad effectum præſentium, illis alias in ſuo robore permanſuris, harum ſerie derogamus.

Sanctio pœnalis.

§. 45. Nulli ergo omnino Hominum liceat paginam hanc Noſtrarum ordinationum, conceſſionum, aſſignationum, taxationum, prohibitionum, mandatorum, decretorum, ſtatuti, voluntatis, approbationum, confirmationum, derogationum, aliorumque præmiſſorum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem

autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 13. Apr. 1744.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimoquarto, Idibus Aprilis, Pontificatus Nostri Anno Quarto.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

VISA DE CURIA.

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicat. die 27. ejusdem Mensis, & Anni.

XCVII.

Contra non promotos ad Sacrum Presbyteratus Ordinem, Missam celebrantes, aut Sacramentales Confessiones excipientes.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a Dignitate Sacerdotii novæ Legis.

SACERDOS in æternum Christus Dominus, dum ipsâ nocte, in qua tradebatur, Apostolis à se ipso delectis consecrandi Corporis sui, ejusdemque offerendi, & ministrandi potestatem concessit: mox eisdem post resurrectionem suam, insufflato Spiritu Sancto, amplissimam peccata remittendi, ac retinendi contulit facultatem; hoc simul exemplo præceptoque suo constituit, & sanxit, ut ea deinceps in universam Ecclesiam potestas atque facultas per legitimam tantummodo Sacerdotum ordinationem transfundi, & propagari deberet; unde, evacuato veteri Levitarum ministerio, & Sacerdotio filiorum Aaron, qui exemplari, & umbræ deserviebant Cœlestium, omnibus quidem adoptionis suæ filiis ad novum Sacerdotium secundum ordinem Melchisedech aditus pateret; sed non alii reipsa ad sublimem fungendum honorem assumerentur, quàm qui à Deo vocati, atque ab Apostolis, seu ab eorum Successoribus, rite instituti atque ordinati fuissent. Quod si, juxta Legem Moysi, accedentes ad Sanctuarium illud manufactum, aut Thuribulum aureum, ab hominibus effictum, manu arripientes, præter eos, qui ex designata Tribu, & Familia originem ducerent, sine ulla miseratione morti deputabantur; quantò magis putandum est deteriora supplicia mereri eos, qui, profani cum sint, adeo præstantiori novæ Legis ministerio se ingerere, atque oblationem, & dispensationem Mysteriorum Dei sibi arrogare præsumpserint; quum præsertim ea nulliter, & irritè celebrantes, puram ipsam Panis, & Vini substantiam publicis adorationis actibus, atque receptis Latriæ protestationibus impiè prosequantur, &, quantum in ipsis est, in idem Idololatriæ crimen fideles Populos, licet ignorantes, inducant. Mendaces verò illi, qui absque legitima auctoritate, in Pœnitentiæ Tribunalibus, tamquam Judices animarum, sedere audent, eamque sibi falsò asserere facultatem, emundandi conscientias hominum ab operibus mortuis, quam æterni fœderis Sponsor Dei Filius nemini se, nisi per Ecclesiasticam Ordinationem, communicaturum promisit, severioribus profecto pœnis plectendi sunt, cum Sacramentum reconciliationis humanæ conculcent, & sanguinem Testamenti, à quo virtus illius omnis promanat, pollutum ducant, confitentibus verò fideliter peccata sua impiam in re gravissima fraudem faciant.

Quod per solam Ordinationē confertur.

Paulus IV., & Sixtus V. omnes Sacerdotalia munia sibi falsò arrogantes a S. Inquisitione Curiæ Sæculari tradi mandarunt.

§. 1. Et quidem gravissima hujusmodi scelera execrantes Romani Pontifices Prædecessores Nostri Paulus IV., & Sixtus V. decreverunt, ut qui ad Presbyteratus Ordinem non promoti, Missarum celebrationem usurpare, & Sacramentum Pœnitentiæ ministrare præsumpserint, a Judicibus Sanctæ Inquisitionis tradi deberent Curiæ Sæculari, debita animadversione puniendi. Eorumque vestigiis per omnia inhærens fel. record. Clemens Papa VIII. etiam Prædecessor Noster, ne circa pœnam hujusmodi delinquentibus irrogandam ullus dubitationi locus superesset, in suis Literis incipientibus: *Et si alias*, datis in forma Brevis apud S. Petrum sub die prima Decembris anni millesimi sexcentesimi primi, distinctius constituit, ut omnes, & singuli, qui, ad Sacerdotium, ut supra, non promoti, reperti fuerint Missarum celebrationem usurpasse, vel Sacramentalem confessionem audisse, a prædictis Judicibus S. Inquisitionis, vel locorum Ordinariis, tamquam Ecclesiæ misericordia indigni, a Foro Ecclesiastico abjiciantur, & ab Ordinibus Ecclesiasticis, si quos habuerint, ritè degradati, statim Curiæ Sæculari tradantur, per Judices Sæculares debitis pœnis plectendi.

Clem. VIII. Idem statuit, etiam si Reus in aliquo Ordine Ecclesiastico constitutus esset, prævia degradatione.

Urban. VIII. extendit præmissis Constitutiones, ut defectus ætatis minime suffragaretur.

§. 2. Et successive rec. pariter mem. Prædecessor Noster Urbanus Papa VIII. per similes Literas datas die vigesimatertia Martii anno millesimo sexcentesimo vigesimo octavo, quarum initium est: *Apostolatus Officium*, supradictas Decessorum dispositiones ita confirmavit, & ampliavit, ut quicumque se præfatis scelleribus obstrinxerint, mandaverit eos privilegio ætatis minoris annis vigintiquinque, nullatenus excusari, dummodo vigesimum annum expleverint, quominus ad normam dictæ Constitutionis Clementinæ, statim Curiæ Sæculari, condignis pœnis afficiendi, tradantur. Quas quidem omnes, & singulas Constitutiones, atque Ordinationes, Apostolica Nostra Auctoritate adprobamus, & confirmamus, & quatenus opus sit, innovamus, atque in posterum ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari præcipimus, earum omnium tenores, ac si præsentibus de verbo ad verbum insertæ forent, pro plene, & sufficienter expressis habentes.

Pontifex cōfirmat præfatas Constitutiones.

§. 3. Quia verò propria nonnunquam experientia cognovimus, dum adhuc in minoribus existentes in Romana atque Universali Inquisitione Consultoris munere fungebamur, ab hujusmodi criminum Reis, seu ab eorum Defensoribus, complures alias exceptiones proponi, quarum prætextu, pœnarum ut supra justè indictarum condonationem, aut saltem minorationem obtinere contendunt; & signanter contra probationes a Fisco adstructas opponi solere, quod aut Testes cumulaverit in sua quemlibet depositione singulares, dum, exempli gratia, unus ex ipsis Reum viderit Sacris se Sacerdotalibus Vestibus induentem, alter eundem ad Altare progredientem, alius verò unam, alius aliam Missæ partem recitantem audierit; aut etiam quod ab eodem Fisco non satis excluſa fuerit promotio Rei ad Ordinem Presbyteratus, juxta prætensum onus, quod ipsi Fisco incumbere contendunt: Ad elevandam verò delicti gravitatem, illud aliquando audivimus allegari, quod Reus integram Missam non celebraverit, sed antequam illam expleret, ab Altari discesserit; vel quod, si unam Missam integrè celebrasse convictus fuerit, id, juxta assertum sensum prædictarum Constitutionum, nequaquam sufficiat ad incurrendas pœnas in eisdem propositas; vel denique, etiamsi plures hujusmodi sacrilegas Missas celebraverit, minime probari possit formam Consecrationis ab eo prolatam fuisse.

Enumerat exceptiones quandoque a Reis opponi solitas.

§. 4. Idcirco Nos, frivola hujusmodi Reorum effugia de medio tollere volentes, re mature a Nobis ipsis, & accurate perpensa, atque

Ad tollenda frivola effugia statuit. I. Quod de-Testium sin-

etiam

Testium singulares, si non ad pœnam, sint sufficientes ad torturam.

etiam audito consilio Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum a Sancta Sede specialiter deputatorum, Motu proprio, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, statuimus primò, & declaramus, quod licèt delictum celebrationis Missæ non satis plene probatum dici possit ad effectum deveniendi ad realem delinquentis traditionem brachio Sæculari, quando Testes inducti in suis quisque depositionibus singulares dignoscuntur; nihilominus indicia per hujusmodi depositiones acquisita satis relevantia judicari debeant, ut Reus tormentis subjiciatur, ad eliciendam veritatem.

II. Fisci intentionem probari ex relatione Ordinarii.

§. 5. Ad dignoscendum autem, utrum Reus in Ordine Presbyteratus revera constitutus fuerit, necne; laudabilem quidem commendamus praxim Tribunalis Sac. Inquisitionis, qua consuevit in hujusmodi casibus exquirere per literas ab Episcopo illius loci, unde Reus originem ducit, vel in quo domicilium habet, an ipse eundem Reum promoverit, sive ad alium Episcopum Literas Dimissoriales pro ejusdem ordinatione direxerit, ut hic deinde requiratur, an ad earum executionem devenerit. Verum ubi, hoc peracto, ex hujusmodi extrajudicialibus Episcoporum Literis constet, minime Reum fuisse promotum; id satis superque esse volumus, ut Fisci intentio probata dicatur; Declarantes, non aliter Fisco incumbere onus probandi non promotionem Rei ad Ordinem Presbyteratus, sed ad ipsum potius Reum pertinere, quatenus contrarium prætendat, suam promotionem ad prædictum Ordinem concludenter ostendere.

Et onus probandi contrarium, Reo incumbere.

III. Ampliat pœnas Constitutionum Apostolicarum contra Celebrantes unius tantum Missæ partem. Dummodo Elevationem peregerint.

§. 6. Sub dispositione vero præsentis Nostræ, necnon præmissarum omnium Constitutionum comprehendi decernimus omnes & singulos, qui, absque Sacerdotali gradu, & ordine, non modo unam Missam celebrare ausi sint, sed etiam unius Missæ partem celebrasse judicialiter fateantur, seu legitime convicti fuerint, dummodo elevationem Hostiæ, vel Calicis, seu utriusque, in Altari peregerint; quamvis de prolatione formæ consecrationis non constet: cum ex hujusmodi verborum prolatione tremendi quidem Sacrificii contemptus, & delinquentis audacia, & crimen augeatur; sed ex eorum reticentia nequaquam imminuatur peccatum idololatriæ, quod per actus adorationis a Celebrante non promoto erga puram Panis, & Vini substantiam exhibitos, admittitur, & in quod Populus etiam fidelis, materialiter saltem, inducitur. Quod si, non peracta Elevatione, Reum ab Altari discessisse probetur, tunc solum concedimus, ut contra ipsum ad mitiorem pœnam deveniatur, arbitrio, & prudentia Judicis Ecclesiastici præfiniendam.

Præmissas exceptiones tam seorsim, quam conjunctim sumptas non suffragari decernit.

§. 7. Omnes denique exceptiones supra expressas, quæ ab hujusmodi Reis, eorumque Defensoribus, in ipsorum excusationem prætendi solent, seu singulatim, seu conjunctim considerentur, nullatenus attendi, seu eisdem Reis suffragari debere statuimus, quominus ad realem eorum traditionem brachio Sæculari, vel, si de Clericis in aliquo Ecclesiastico Ordine constitutis agatur, ad eorum degradationem, & traditionem pariter brachio Sæculari, etiam pro prima vice, procedatur, ad hoc ut condignis tantæ impietatis pœnis a jure, seu aliàs statutis, & comminatis, cum effectu puniantur, & afficiantur.

Quidquid contra non promotos Celebrantes statutū fuit, contra non promotos Confessiones audientes statuitur.

§. 8. Easdemque declarationes, & ordinationes a Nobis contra Celebrantes non promotos hucusque statutas, ad eos etiam extendimus, & pertinere decernimus, qui, cum Sacerdotes non sint, Confessiones Sacramentales audire, & absolutionem pœnitentibus impertiri præsumant; quos pariter eisdem pœnis traditionis brachio Sæculari, seu respective degradationis, & traditionis pariter brachio Sæculari, etiam pro prima vice, subjici debere præcipimus; non obstantibus præmissis exceptionibus, si quas ab hujusmodi Reis ad proprium casum aptabiles, in sui defensionem seu excusationem adduci contingat: Sed unam dumtaxat exceptionem, ad effectum mitigandæ pœnæ, attendi debere mandamus; ubi nimirum concludenter probetur, Absolutionem à Reo minime prolatam fuisse: tunc enim concedimus, ut Judex Ecclesiasticus mitiorem pœnam, pro suo arbitrio & prudentia, delinquenti valeat irrogare.

Excipitur casus non prolatæ absolutionis formæ.

Clausulæ præservativæ.

§. 9. Decernentes præsentes nostras Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quilibet in præmissis, seu eorum aliquo, jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis existant, sive alias specifica, & individua mentione, & expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, neque causæ propter quas eædem præsentes emanaverint, adductæ, verificatæ, vel sufficienter aut ullo modo justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, ac formali, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut etiam Motu pari, & de Apostolicæ potestatis plenitudine simili concesso, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentes semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari.

Aliter judicari prohibetur.

§. 10. Sicque, & non aliter in præmissis censeri, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac contra hæreticam pravitatem Generales Inquisitores, & alios ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis prædictæ Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, ac potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis plenissime derogatur.

§. 11. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula *de jure quæsito non tollendo*, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Concilis editis, generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, exemptionibus, & indultis etiam in corpore juris clausis, aut Literis Apostolicis quibusvis Personis, Collegiis, Locis, Ordinibus, etiam Militaribus, Congregationibus, Societatibus, Institutis, etiam Societatis Jesu, & S. Joannis Hierosolymitani, aliisve quibuslibet specifica, & individua mentione dignis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis & decretis, etiam irritantibus

in genere, vel in ſpecie, etiam motu ſimili, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ſeu conſiſtorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, ac pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, & individua mentio, ſeu quævis alia expreſſio ad id ſervanda foret, illorum tenores, formas, cauſas, & occaſiones præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & exactiſſime ſervatis & ſpecificatis reſpectivè habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ad præmiſſorum effectum pleniſſime, & ampliſſime motu pari derogamus, & derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Publicationi Conſtitutionis in Urbe tribuitur vis perſonalis intimationis omnibus factæ.

§. 12. Volumus inſuper, & eadem auctoritate prædicta mandamus, ut eædem præſentes, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam facilius deducantur, nec quiſquam de eis ignorantiam prætendere valeat, ipſas præſentes, ſeu earum tranſumpta, ad valvas Eccleſiæ S. Joannis in Laterano, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque Generalis Innocentianæ in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ per aliquem ex Curſoribus Noſtris, ut moris eſt publicari, & affigi: ſicque publicatas, & affixas, omnes & ſingulos, quos concernunt, ſeu concernent in futurum, perinde afficere, & arctare, ac ſi unicuique illorum perſonaliter intimatæ, & notificatæ fuiſſent.

Tranſumptis fidem præſtari ſancitur.

§. 13. Utque earumdem præſentium tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, ac ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tam in judicio, quam extra illud, ubique locorum habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Sanctio Pœnalis.

§. 14. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc noſtrarum Confirmationis, Approbationis, Innovationis, Voluntatis, Mandati, Statuti, Decreti, Declarationis, Ampliationis, & Extenſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Dat. die 20. Apr. 1744.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimoquarto, duodecimo Kalendas Maji, Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

D. Card. Paſſioneus.

J. Datarius.

Visa de Curia.

J. C. Boſchi.

L. Eugenius.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Publicat. die 7. Maji ejuſdem anni.

XCVIII. Confirmatio unionis omnium Monaſteriorum Ordinis S. Baſilii Magni Ruthenorum, tam Lithuaniæ, quàm Ruſſiæ, ſeu Poloniæ, in unicam Congregationem duabus Provinciis compoſitam. Accedunt plura Decreta ad ipſius Ordinis regimen pertinentia.

Venerabili Fratri, Athanaſio Szeptychi Archiepiſcopo Metropolitano totius Ruſſiæ; necnon Dilectis Filiis, Proto-Archimandritæ, Archimandritis, Abbatibus, & Monachis Ordinis Sancti Baſilii Magni Ruthenorum.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, & Dilecti Filii, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Pontificis cura in examinandis Propagandæ Fidei negociis.

Inter plures jucunditatis fructus à Nobis abundè perceptos, dum illuſtrium aliquot Prædeceſſorum Noſtrorum morem reſumpſimus, qui Congregationem S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpoſitorum coram ſe ipſis identidem convocare conſueverunt, non mediocre profectò gaudium animo cepimus, dum negotia Nationis Ruthenæ, atque Ordinis Monachorum S. Baſilii ejuſdem Nationis, unà cum Ven. Fratribus Noſtris prædictam Congregationem conſtituentibus, tractavimus, atque diſcuſſimus.

Nationis Ruthenæ laudes a temporibus Clementis VIII. in unione Catholica perſeverantis.

§. 1. Et quidem præclara Nationis Ruthenæ merita Nobis comperta ſunt ex ſacris hiſtoriis, in quibus relatum invenimus, uſque de Anno MCXLVI. Prælatos Ruthenos Concilium Nationale Kioviæ habuiſſe, quò ſe opponerent ſchiſmati per Michaëlem Cerularium Patriarcham Conſtantinopolitanum excitato; deinde aliquos ejuſdem Nationis Metropolitas Apoſtolicæ Sedi obedientiam præſtitiſſe; quam pariter univerſa Gens per ſuos Legatos Innocentio Papæ IV. in Concilio generali Lugdunenſi primo profeſſa fuit: Illuſtrem porrò Iſidorum S. R. E. Cardinalem Ruthenum in Concilio Florentino plurimùm adlaboraſſe pro ſancta unione inter Occidentalem, & Orientalem Eccleſiam ſtabilienda: Denique Michaëlem III. Kiovienſem Metropolitam, conſentientibus reliquis Epiſcopis Ruthenis, in Civitate Bræſtiæ Concilium coëgiſſe, in quo publica iterum Nationis Ruthenæ cum Sede Apoſtolica Unio decreta fuit, ad eamque perficiendam duo Epiſcopi miſſi fuerunt ad ſel. rec. Clementem Papam VIII. Prædeceſſorem Noſtrum, cui datum fuit prædictam Nationem ad Eccleſiæ Romanæ communionem recipere, ejuſque Unionem per Literas Apoſtolicas confirmare.

Elogium Ordinis Monachorum S. Baſilii Magni Ruthen.

§. 2. Eximiis hiſce totius Nationis promeritis jungenda ſunt ea, quæ peculiaria ſunt Ordinis Monachorum S. Baſilii, quorum ſpectabilis cœtus eſt apud ipſam Ruthenorum Nationem, quemque potiſſimùm concernunt ea, quæ in Congregationibus coram Nobis habitis agitata, & conſtituta fuerunt. Hypatius nimirum Metropolita, unus ex Legatis ad Clementem Papam VIII. miſſis, cum intelligeret, nullum aptius fore medium ad Sanctam Unionem fovendam & propagandam, quàm ſi Monachos Baſilianos, quorum unicus apud Ruthenos eſt Monaſticus Ordo, ſibi conjungeret; inſigne ipſorum Monaſterium acquiſivit ſub invocatione Sanctiſſimæ Trinitatis Vilnæ conſtitutum, atque in eo collectos Juvenes Monachos erudiri curavit. Hujus verò Succeſſor Joſeph Velaminus, pluribus ejuſdem Ordinis Monaſteriis, quæ antea ſegregata degebant, ad Unionem redactis, unam ex eis Monachorum Congregationem efformavit, quam de nomine ſupradicti Monaſterii *Congregationem Sanctiſſimæ Trinitatis Unitorum*, nuncupavit: cumque benè noſſet hujuſmodi Unionem, ſeu Congregationem, minime Canonicam eſſe, aut haberi poſſe, abſque auctoritate & beneplacito Sedis Apoſtolicæ, ad hanc ipſam debitum habuit recurſum, atque opportunam ab ea obtinuit approbationem de Anno 1624. ſub Pontificatu ſel. record. Urbani Papæ VIII., cum præcedenti Anno 1623. magnus ille Archiepiſcopus Polocen. Joſaphat Monachus Sancti Baſilii, quem idem Urbanus Anno 1646. Beatorum numero adſcripſit, glorioſum pertuliſſet martyrium, ſibi a ſchiſmaticis in odium Catholicæ Fidei, & Unitatis illatum.

Quorum Congregatio SS. Trinitatis extat a temporibus Urbani VIII.

Reliqua Monasteria in Congregationem unienda decernitur in Concilio Zamosciæ.

§. 3. Monasteriorum Unione, ut præfertur, in unicam Congregationem sic constituta, & cohærenter ad obtentam Apostolicam Confirmationem, prædicta omnia Monasteria sub unius Proto-Archimandritæ directione, & regimine unita fuerunt. Sed quamvis ad eam Congregationem firmiùs stabiliendam, & ampliandam, opportuna deinceps concessa quoque fuerit facultas uniendi ipsi alia Monasteria, quæ se ad eandem adjungere optassent; nonnulla tamen ejusdem Ordinis Monasteria in Diœcesibus Uladimirienſi, Luceorienſi, Chelmenſi, Leopolienſi, & Premislienſi adhuc reliqua erant, quæ & omnino separata ab ea Congregatione, & singula seorsim sine ulla unione videbant. Quamobrem Anno 1720. de mandato recol. memor. Clementis Papæ XI. coactâ in Civitate Zamosciæ Synodo Nationali Ruthena, præsidente in ea bo. me. Hieronymo Archiepiscopo Edessæ, tunc in Regno Poloniæ Sedis Apostolicæ Nuntio, deinde S. R. E. Cardinali, Grimaldo nuncupato, in eâdem decretum fuit, prædicta quoque Monasteria in unam Congregationem uniri debere; eâque de re habendum esse post certum tempus Capitulum Generale sub præsidentia Metropolitani, & cum assistentia Proto-Archimandritæ Congregationis Sanctissimæ Trinitatis, in quo omnia ordinarentur, & constituerentur, quæ ad deliberatam Unionem pertinerent; cum satis compertum haberetur, Ecclesiasticæ Disciplinæ summopere profuturum, si omnia Monasteria, quæ Superioribus Generalibus non subsunt, neque Visitatores Ordinarios habent, in unum Corpus, seu in unam Congregationem redigerentur.

Id quod peractum fuit in Capitulo Gen. habito Leopoli anno 1739.

§. 4. Ad normam hujus Conciliaris Resolutionis, quam ab Innocentio Papa XIII. confirmatam fuisse dici potest, dum is, prævio consilio tum Congregationis S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, cui Nos tunc a secretis operam dabamus, tum alterius, Propagandæ Fidei negotiis præpositæ, Synodum Zamoscianam approbavit, id quod deinde Benedictus Papa XIII. per suas Literas speciales in forma Brevis pariter fecit; coactum fuit Anno 1739. in Civitate Leopolis Capitulum Generale, præsidente Archiepiscopo Metropolitano, & adstante prædicto Congregationis Sanctissimæ Trinitatis Proto-Archimandrita; ac Monasteriorum Unio peracta fuit; & totus Ordo S. Basilii Ruthenorum distinctus remansit in binas Congregationes; cùm præter veterem Congregationem Provinciæ Lithuanæ, Sanctissimæ Trinitatis nuncupatam, nova hæc efformata fuerit Provinciæ Russiæ, seu Poloniæ, sub invocatione Patrocinii Beatissimæ Virginis.

Ex duabus Cõgregationibus unicã conflari statuitur, sub opportunis legibus.

§. 5. Delatâ ad Nos rerum gestarum serie, atque habita coram Nobis Congregatione Ven. Fratrum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum sub die 1. Maji Anni 1742., facilè conjecimus, non levis momenti dissensiones inter veterem, & novam Congregationem oriri posse, nisi opportunis remediis eisdem occurreretur; cum ea jam quæstio excitata esset, utrum scilicet nova Congregatio Polonica proprio & distincto Proto-Archimandritæ subesse deberet, an verò alteri Congregationi Lithuanicæ unienda, & illius Proto-Archimandritæ, tamquam Superiori Generali totius Ordinis Basiliani, subjicienda esset. Proindeque, ad tollendam omnem controversiam, resolutum fuit, quòd ex omnibus utriusque Provinciæ Monasteriis unica efformaretur Congregatio, & cogeretur Capitulum Generale pro electione novi totius Ordinis Proto-Archimandritæ: Huic verò Capitulo præsideret Metropolitanus Russiæ, eidemque interesset Nuntius Apostolicus, vel per se, vel si ipse non posset, per alium ab ipso substituendum; aliaque plura constituta fuerunt, quæ legi possunt in Decretis sub prædicta die emanatis. Atque inter cætera, supradicto Apostolicæ Sedis in Regno Poloniæ Nuntio commendatum fuit, ut inter duas præfatas Provincias Alternativam pro electione Proto-Archimandritæ constitui curaret, cujus Alternativæ initium a Provincia Lithuanica desumeretur.

Quod etiam perficitur in Capit. Gen. Dubni habito, anno 1743.

§. 6. Cumque prædictus Nuntius convocationem Capituli Generalis indixerit in Civitate Dubnensi, de mense Majo Anni 1743., Metropolitano Russiæ in eo præsidente, atque interveniente Episcopo Zenopolitano ab ipso Nuntio subdelegato, in eodem Capitulo, favente Deo, constabilita fuit unica Congregatio, ex duabus præfatis Provinciis composita, sub regimine unius Proto-Archimandritæ; supradicta etiam Alternativa proposita & stabilita fuit, & secundùm eam electus fuit Proto-Archimandrita, atque is ex Lithuaniæ Provincia; electi pariter fuerunt Officiales inferiores, Consultores nimirum, & Secretarii, æquali numero tam ex una, quàm ex alia Provincia; aliæque plures Constitutiones & Resolutiones emanarunt pro felici regimine hujus novæ Congregationis ex duabus Provinciis compositæ.

Confirmatio Apostolica hujusmodi Unionis, Electionis Proto-Archimandr., aliorumque ibidem statutorum.

§. 7. Cum autem pro supradictorum omnium firmitate, Nostrum, ut par erat, Apostolicum beneplacitum reservatum fuerit; Nos verò cum consilio Ven. Fratrum Nostrorum negotiis Propagandæ Fidei præpositorum Nobis procedendum esse censuerimus; convocatis eisdem coram Nobis die trigesimo mensis Martii currentis Anni 1744., omnibusque in eadem Congregatione perpensis, quæ ad prædictum Capitulum Generale Dubni habitum, ad Unionem duarum Congregationum, ad constitutam inter eas Alternativam, atque Electionem Proto-Archimandritæ totius Ordinis ibi peractam pertinerent, libenti porsus animo adducti sumus, ut approbaremus, quemadmodum per præsentes nostras Apostolicas Literas approbamus & confirmamus, tam Capitulum Generale, quàm Unionem, Alternativam, atque Electionem Proto-Archimandritæ, aliorumque Officialium, in eodem Capitulo decretas, & respectivè peractas; quæ omnia ad utilitatem ipsius Ordinis S. Basilii, quem paternæ charitatis affectu prosequimur, salubriter expedire judicavimus, atque adeo judicamus.

Nonnullæ quæstiones judicio San. Sedis reservatæ.

§. 8. Ab approbatione Capituli Generalis, necnon Unionis, Electionis, Alternativæ, aliorumque præmissorum, gradum facimus ad nonnullas Resolutiones, quas in prædicto Capitulo propositas utraque Provincia unanimiter judicio Nostro remisit.

De Titulo Congregationis, & duarum Provinciarum, Lithuaniæ, & Poloniæ.

§. 9. Prima occurrit ea, quæ pertinet ad Titulum Congregationis ex duabus Provinciis compositæ, cum Provincia Lithuaniæ pro conservatione Tituli *SS. Trinitatis Unitorum*, Provincia verò Poloniæ pro nova denominatione *Divinæ Providentiæ*, suum respectivè desiderium significaverint. Nos verò considerantes, Provinciam Lithuaniæ suum jampridem obtinere Titulum *Sanctissimæ Trinitatis*, sicuti Poloniæ Provincia alium habet *Protectionis Beatissimæ Virginis*; duplicis autem generis actus ab eisdem Provinciis exerceri posse, alios nimirum universo Ordini communes, alios verò proprios singularum Provinciarum; opportunè decernendum judicamus, quòd actus communes expediantur sub Titulo *Ordinis Sancti Basilii Magni Ruthenorum*: in actibus verò peculiaribus Provinciæ Lithuaniæ adatur Titulus *Sanctissimæ Trinitatis Unitorum*; atque in iis, qui proprii sint Provinciæ Poloniæ, adjungatur alius *Protectionis Beatissimæ Virginis Mariæ*; & ita utrique Provinciæ suus præcedens Titulus conservetur.

Monasterium Lublinense Provinciæ

§. 10. Altera ex eo ortum habet, quòd Provincia Lithuaniæ Monasterium Lublinense cessit

Polonicæ addicitur.

Provinciæ Poloniæ cum aliquibus conditionibus, & signanter cum eâ, quòd hujusmodi cessio, seu dimissio, eatenus valere debeat, quousque a Sancta Sede decidatur, utrum alia duodecim Monasteria, quæ intra fines Provinciæ Poloniæ constituta esse dicuntur, & quorum possessio est apud Provinciam Lithuaniæ, prædictæ Provinciæ Poloniæ debeant assignari. Verùm in præsenti rerum statu Nos nihil aliud respondere possumus, præterquam supradictam cessionem Monasterii Lublinensis a Nobis approbari. Circa reliqua verò, ulteriores opportunæ facti Informationes a vobis exhibendæ erunt, ut super aliorum duodecim Monasteriorum pertinentia Judicium Nostrum efformare possimus. Equidem in cumulo Scripturarum, quæ Nobis communicatæ fuerunt, de eorum possessione apud Provinciam Lithuaniæ minimè dubitatur. Illud quoque asseritur, nonnulla ex iis fundata fuisse pro Lithuanis. Hæc nimirum facta dilucidanda sunt, recognoscendæ fundationes, explicandæ causæ, propter quas Provincia Poloniæ eorum cessionem nunc sibi deberi contendit; quæ omnia, si libet, intra breve tempus, & absque magna impensa perfici possunt; concordando scilicet factum coram Nostro Nuntio apud Poloniæ Regnum residente, vel coram illius Auditore, seu alio Ministro ab eodem deputando, ad hoc ut deinde ad Nos remittatur veridica relatio, tum facti, tum etiam rationum omnium, quæ coram ipso utrinque deducentur; quibus peractis, minimè cunctabimur opportunam resolutionem proferre.

De pertinentia aliorum 12. Monasteriorum resolutio differtur.

Hospitium in Urbe ad universum Ordinē pertinere decernitur, pro habitatione Procur. Generalis.

§. 11. Tertia concernit Hospitium Procuratoris Generalis ipsius Ordinis, qui in hac Urbe residere debet, necnon Alumnatus, quibus ipsi Rutheni in pluribus Collegiis fruuntur. Illud porrò constat, Urbanum Papam VIII. de Anno 1641., instante ipsa Congregatione de Propaganda Fide, concessisse Monachis Ruthenis Ecclesiam Sanctorum Sergii, & Bacchi; necnon Antonium Cardinalem Barberinum Sancti Honuphrii nuncupatum, ipsius Urbani Fratrem, aream contiguam pro Hospitio fundando comparasse, ibique Ædes extruxisse pro Procuratore Generali, cujus etiam substentationi annuum Legatum a se relictum attribuit. Neque dubium est, quin primæva supradictæ Ecclesiæ concessio, sicut etiam Hospitium, atque Legatum, ad solos spectaverint Monachos Basilianos Ruthenos, qui de eo tempore in Congregationem Sanctissimæ Trinitatis Unitorum coaluerant. Cum verò nuper etiam Monasteria Poloniæ in unum corpus unita fuerint, deindeque ex toto Ordine S. Basilii Ruthenorum unica Congregatio fuerit efformata, quæ ex duabus Provinciis, Lithuana, & Polona, componitur; cumque, juxta leges alternativæ inter ipsas constitutæ, Procurator Generalis modò ex Provincia Lithuana, modò verò ex Provincia Polona eligi debeat; æquitatis ratio postulat, ut in prædicto Hospitio resideat Procurator Generalis etiam tunc, cùm ex Provincia Polona assumetur; quandoquidem Procurator Generalis, sive ex Lithuana, sive ex Polona Provincia electus sit, semper est Procurator Generalis totius Ordinis, & Congregationis ex utrisque Provinciis compositæ.

De sumptibus in Ædes Hospitii erogatis.

§. 12. Quia verò pro eisdem Ædificiis in eum statum, in quo nunc sunt, redigendis, tum plures sumptus erogati fuerunt, tum etiam multum æris alieni contractum, quod adhuc exsolvendum remanet; Nos id, quod expensum fuit, ab eo, quod in posterum solvendum erit, omnino distinguimus; & nullam quidem expensi rationem habendam esse judicamus, vel quia id ex piorum largitionibus collectum extitit, vel quia domicilium illud partim inhabitatum, partim etiam locatum fuit a Procuratore ibi commorante, qui semper hucusque fuit ex Provincia Lithuana; quod autem reliquum est æris alieni, postquam exactè liquidatum fuerit, id pro medietate ab una ex dictis Provinciis, pro alia verò medietate ab altera solvendum esse decernimus.

Alumnatus in Collegiis Pontificiis ad utramq; Provinciam spectare.

§. 13. Quo verò ad Alumnatus; cum duo ex ipsis constituti sint in Collegio Urbano de Propaganda Fide, duo autem in Collegio Græco de Urbe ab Urbano Papa VIII. concessi, alii verò in aliis Collegiis extra Urbem assignati reperiantur, statuimus, quòd hujusmodi Alumnatus ad utramque Provinciam spectare deinceps censeantur, atque inter earundem Alumnos æqualiter dividantur.

De jure passivo Abbatū ad munus Proto-Archimandritæ resolutio differtur.

§. 14. Quarta ex eo originem duxit, quod Abbates utriusque Provinciæ renunciarunt proprio juri passivo, quod habebant in electione Proto-Archimandritæ; id quod locum dedit hujusmodi Resolutioni; quòd nimirum in Proto-Archimandritam eligi deberet simplex Monachus Professus nullo canonico defectu notatus; & viam aperuit remittendi arbitrio Nostro, atque hujus Apostolicæ Sedis judicio, utrùm id, quod in præsenti actum fuit, semper deinceps servari debeat; quod idem est, ac exquirere, an semper in posterum simplex Monachus eligendus sit in Proto-Archimandritam, vel potius aliquis etiam ex Abbatibus ad eandem dignitatem eligi possit. Nos autem plurimùm commendamus religiosam animorum moderationem, cujus illustre specimen Abbates hac occasione præbuerunt. Opportunum quoque censemus pro ipsius Ordinis utilitate, non alium ejusdem regimini præsidere, quàm qui veram ipsius observantiam professus sit; cum sciamus, ab eo potissimùm rectè imperari, qui benè obedire didicerit. Verùm, cum non adhuc satis liqueat id, de quo inferiùs verba faciemus, an scilicet Abbates a jurisdictione Proto-Archimandritæ exempti esse, & Metropolitano immediatè subesse debeant, nondum pariter super hac quæstione sententiam proferri posse judicamus. Siquidem ex unius articuli decisione alterius præjudicium exoritur. Ubi enim Abbates immediatæ Metropolitani jurisdictioni subjiciantur, æquum est, ut excludantur a dignitate Proto-Archimandritæ; ubi verò iidem jurisdictioni Proto-Archimandritæ subesse jubeantur, nimis profectò durum videretur, eosdem in perpetuum ab omni jure passivo, quod ad eam dignitatem habere possent, excludere; cum præsertim in præcedentibus Decretis reperiamus exclusos fuisse ab hujusmodi munere, non quidem Abbates, sed Episcopos, & Metropolitanum.

Excluſis interim Monachis non professis.

Capituli Gener. decreta circa subjectionem Abbatum eidem Proto-Archim., vel potius Metropolitano.

§. 15. Hic igitur occasio se offert differendi de eo, quod paulò ante innuimus; an scilicet Abbates Metropolitano, vel potius Proto-Archimandritæ, immediatè subjecti esse debeant. In vestris porrò Congressibus invenimus propositum, & statutum fuisse, quòd Proto-Archimandrita omnia Monasteria vel per se, vel per alium visitare debeat: sed ubi Monasteria Abbatialia sint, jurisdictionem non exerceat, nisi in personas Monachorum, nunquam verò in ipsos Abbates, qui subjecti esse debent Metropolitano; ita ut, si aliquis Abbas in sui Monasterii regimine gravamen aliquod vel Monasterio, vel Monachis intulisse reperiatur, onus sit Proto-Archimandritæ omnia referre ad Metropolitanum. An verò præcedentia Abbatibus competat supra ipsum Proto-Archimandritam, vel contrà, id judicio Apostolicæ Sedis specialiter a Vobis reservatum fuisse conspicimus.

§. 16. Duplex itaque, ut videtis, decidenda proponitur quæstio; altera scilicet circa immediatam Abbatum subjectionem, vel Proto-Archimandritæ, vel Metropolitano; altera circa eorundem Abbatum præcedentiam supra Proto-Archimandritam. Ducto igitur initio ab ea,

quæ

Proto-Arch. præcedat Abbates in actibus Monasticis. In reliquis servetur solitum.

quæ minorem difficultatem involvit, decernimus, quòd in omnibus actibus Monasticis Proto-Archimandrita præcedat Abbates; cum minimè ferendum sit, in hujusmodi actibus Monasticis, Religiosum ipsi Religionis suæ Capiti anteire; extra verò actus Monasticos, solitum servari præcipimus; itaut, si extra prædictos actus, usus invaluit, quòd Abbas præcedat Proto-Archimandritam, in posterum etiam ad Abbatem præcedentia pertineat; si verò de præterito obtinuit, quòd Proto-Archimandrita Abbatem præcedat, idipsum deinceps servetur. Nec enim absonum Vobis videri debet, quòd unus alterum præcedat in aliquibus circumstantiis, in aliis verò idem alteri præcedentiam concedat. Id enim ante oculos Nostros passim factitari conspicimus. Siquidem inter Canonicos Basilicarum Urbis, quum aliqui sint Episcopali, & Archiepiscopali dignitate insigniti, hi quidem reliquos omnes Canonicos præcedunt; Vicarius autem repræsentans personam Cardinalis Archipresbyteri, qui Basilicæ Caput est, quamvis idem simplex Prælatus sit absque Ordine Episcopali, tamen in Choro, & in omnibus actibus Capitularibus, prædictos Canonicos Episcopos præcedit; extra Chorum verò, & extra actus Capitulares, infra eosdem incedit, & sedet. In Collegio pariter Advocatorum Consistorialium aliquis nonnunquam reperitur Episcopali gradu præfulgens: sedet hic in actibus Collegialibus supra reliquos omnes Advocatos; non vero supra Decanum, quamvis hic plerumque simplex Clericus existat; quia nimirum is est totius Collegii Caput; qui tamen extra Collegium, & extra actus Collegiales, Episcopo, Consistorialis Aulæ Advocato, in omnibus decedit.

Exempla promiscuæ præcedentiæ.

Jurisdictio Proto-Arch. in Abbates utilior recto regimini Ordinis.

§. 17. Ad aliam propositam quæstionem nunc redeuntes, quæ circa immediatam in Abbates jurisdictionem, vel Proto-Archimandritæ, vel Metropolitano adjudicandam versatur; memores Vos esse putamus, in Congregatione apud Nos habita die prima Maji anni 1742. Jurisdictionem Metropolitani supra Monachos admissam fuisse; verumtamen restrictam ad terminos Constitutionum Apostolicarum, & Sacri Concilii Tridentini, ubi jura Metropolitani in Monachos exemptos præfiniuntur; ex quo procul dubio consequitur, Abbates, non quidem Metropolitano, sed Proto-Archimandritæ immediatè subesse debere. Visum est enim, rectum gubernandæ Religionis ordinem minimè subsistere posse, ubi Abbates a Metropolitano, non autem a Proto-Archimandrita immediatè penderent; quum nec imaginaria, nec admodum rara existimari debeat occasio, qua Abbas in sui Monasterii regimine, alicui vel pluribus Monachis gravamen intulisse dicatur, vel etiam reipsa intulerit. Quod quidem gravamen facilè & celeriter emendari poterit, si illius cognitio ad Proto-Archimandritam deferatur; non ita verò, ubi controversiæ in Monasteriis exortæ Metropolitani judicio, & sententiæ reserventur.

Et consentanea Disciplinæ Ecclesiæ Occid., & Conc. Trid. Decretis.

§. 18. Inspectis præterea Ecclesiæ Occidentalis Canonibus, eisdem minimè consentaneum cognovimus exercitium Jurisdictionis Metropoliticæ in ea Monachorum Monasteria, quæ in Diœcesibus Episcoporum Suffraganeorum sita reperiuntur; quandoquidem Monasteria, quæ non habent privilegium exemptionis, & immediatæ subjectionis Sedi Apostolicæ, non quidem Metropolitani, sed Episcoporum localium Jurisdictioni subesse jubentur. Sacrum verò Tridentinum Concilium adeo sollicitum fuit, ne Metropolitani Jurisdictionem exercerent in Suffraganeorum Diœcesibus, ut, præter peculiaris ipsorum Diœcesis visitationem, non aliter Episcoporum Comprovincialium Ecclesias Cathedrales atque Diœceses ab ipsis visitari permiserit, quàm ubi id a Concilio Provinciali eisdem mandatum fuerit.

Canones Ecclesiæ Orientalis Metropolitano non suffragatur.

§. 19. Neque omissa fuit accurata in Orientalis Ecclesiæ leges disquisitio; & quamvis, juxta earumdem præscriptum, agnoverimus, Monasteria, & Monachos Episcopo subesse debere, Patriarchæ autem competere jus Stauropegii, nimirum figendæ Crucis in Monasteriorum fundatione, ex quo sequebatur, ut Monasterium, licèt extra ipsorum peculiarem Diœcesim, in alicujus Episcopi Suffraganei finibus situm esset, ipsi tamen Patriarchæ immediatè subjectum, atque ab Episcoporum localium jurisdictione omninò exemptum remaneret; Attamen hujusmodi Stauropegii jus, quod Patriarchis, ut supra, concessum fuit, nunquam ad Metropolitanos extensum fuisse cognovimus; quinimo sicubi tale quidpiam ab his attentatum fuit, id veluti alieni juris usurpationem habitum fuisse conspeximus. Illud verò potissimùm Nos movit, quod animadvertimus, supradictam Synodum Zamosciæ habitam studiosè quidem curasse, ut Monasteria Ordinis Sancti Basilii Provinciæ Poloniæ in unam Congregationem convenirent; de Proto-Archimandrita autem decrevisse, ut illi subesset, cui eundem subjici debere Apostolica Sedes judicasset. Atque eadem, ubi de Visitatione Monasteriorum, deque pluribus aliis ad disciplinam pertinentibus Decreta edidit, omnia reduxit ad Sacri Concilii Tridentini præscriptum.

Neque Synodi Zamoscien. decreta.

Fundamenta juris a Metropolitano prætensi: ob quæ resolutio differtur.

§. 20. Hæc nimirum in causa fuerunt, cur aliàs a Nobis jus Metropoliticum redactum fuerit ad terminos Apostolicarum Constitutionum Ecclesiæ Occidentalis, & Sacri Tridentini Concilii. Verùm cum deinde oblata Nobis inspexerimus Decreta quædam Congregationis de Propaganda Fide, & quasdam Literas Urbani Papæ VIII. Prædecessoris Nostri, in quibus Metropolitani jura tam in Monachos, quàm in Abbates intacta reservantur; cumque plura Nobis allegata fuerint Acta, tum Synodorum, tum Capitulorum, in quibus prædicta jura Metropolitani admittuntur; Resolutionem quoque Congregationis Concilii legerimus in Causa *Kiovien. Juris visitandi* propositi die 22. Augusti, & resoluta die 12. Septembris Anni 1739., necnon Documenta in eadem Causa exhibita, secundùm quæ comprobatum, & admissum fuit jus Metropolitani Russiæ, qui per suos Delegatos visitari jusserat, quin etiam condemnaverat Abbatem cujusdam Monasterii extra propriam Diœcesim constituti, utpote quod vel in Diœcesi Luceorien., vel in Uladimirienſi situm erat: Idcircò Nos in re tam gravis momenti, quæque ad Metropolitanum attinet non minus Dignitate, quàm virtutibus insignem, cautè, & ad rectissimam justitiæ normam procedere volentes, non adhuc proinde hujusmodi quæstionem, utrum scilicet Abbates debeant, vel Metropolitano, vel Proto-Archimandritæ immediatè subesse, per definitivam resolutionem decidere posse censemus: quod tamen a Nobis, nulla interjecta mora, præstabitur statim ac, vel ipsi invenerimus, vel Nobis aliunde firmiora in utramvis partem decidendi fundamenta suppeditata fuerint.

Firma interim manente jurisdict. Proto-Arch. in Monachos, & bona Monasterior.

§. 21. Interim verò decernimus, ut in Monasteriis Abbatialibus Proto-Archimandrita omne jus habeat in bona Monasterii, atque in personas Monachorum; Metropolitanus autem interiori Monasteriorum regimini nullatenus se ingerat; quoniam advertimus, Metropolitanum ipsum usque de Anno 1686. interius omne Religionis gubernium eidem Religioni, & Proto-Archimandritæ reliquisse, reservatis sibi aliis rebus, quas propriæ Ordinariæ Jurisdictioni competere asseruit. Inter hæc autem, dum Metropolitanus rationum momenta, quæ ab ipso sunt, atque Abbates

Metropolitani verò in personas Abbatum.

similiter ea, quæ ipsorum intentioni favere possunt, majori, qua poterunt, celeritate Nobis indicare curabunt, statuimus, ut Metropolitanus in illius juris, quod in Abbatum personas obtinet, possessione perseveret.

Juramentum Proto-Arch. præsentium dispositionē cōplectatur.

§. 22. Ad reliqua nunc percurrenda, quæ a Vobis in Congressibus Vestris disposita, Nobisque exhibita fuerunt, animum Nostrum intendimus. Et quidem cum a Vobis statutum fuerit, ut Proto-Archimandrita, post electionem suam, Juramentum obedientiæ præstare debeat in manibus Metropolitani, tum suo, tum totius Religionis nomine, tamque erga Sanctam Sedem, quàm erga ipsum Metropolitanum, *secundùm omnia Jura, Constitutiones, & Decreta a Sancta Sede Apostolica lata;* post hujusmodi verba, etiam hæc alia per Vos addenda esse præcipimus, nempè: *Et juxta præscripta in Literis Sanctissimi Domini Nostri &c.* quibus idem Proto-Archimandrita, & Religio manifestè obligetur ad observantiam, & executionem eorum omnium, quæ in hisce Nostris literis continentur.

De regimine Ordinis, defuncto Proto-Archimādrita.

§. 23. Vita functo Proto-Archimandrita, decreveritis, quòd primus Consultor Generalis, ex ea Provincia eligendus, ex qua erat defunctus Proto-Archimandrita, *reget cum scitu Metropolitani Religionem;* deindeque ea subjungitis, quæ intimationem futuri Capituli Generalis pro Successoris electione concernunt. Loco itaque præmissarum vocum: *reget scitu Metropolitani Religionem;* alias hasce substituetis: *reget Religionem, certiorato prius de obitu Proto-Archimandritæ Metropolitano, eique servato debito honore, & reverentia.*

Disciplina Ecclesiæ Orientalis a Monachis inconcusse servanda, sub pœnis &c.

§. 24. Illud verò pro recta Monasteriorum utriusque Provinciæ Lithuanicæ, & Polonicæ disciplina sapienter constituistis; ut Orientalis Ecclesiæ usus, consuetudines, exercitia, Jejunia, Ritus, & Cœremoniæ in eisdem observentur. Quod quidem statutum summopere commendamus; perpendentes, quòd olim, quum ad Kiovienſem Metropolim evectus fuisset de anno 1613. supracitatus Joseph Velaminus Nobilis Lithuanus, in hoc Collegio Græco de Urbe educatus, instetit coram fel. record. Paulo Papa V. Prædecessore Nostro, atque obtinuit declarari per Apostolicas Literas in forma Brevis datas die 10. Aprilis 1615., nullatenus Ruthenis ad communionem Sanctæ Sedis nuper adjunctis impositam esse legem, ut abdicatis propriis Ritibus, Ecclesiæ Latinæ Ritus amplecterentur. Cum autem Nos, elapso proximè anno 1743. sub die 24. Decembris, Epistolam Encyclicam dederimus ad Patriarcham Antiochenum Græcorum Melchitarum, cæterosque Episcopos Catholicos illius Ritus eidem Patriarchæ subjectos, in qua plura disponuntur circa abstinentias & jejunia, aliasque consuetudines Orientalis Ecclesiæ; volumus, ut istius quoque mentionem faciatis, & prædicto Decreto hujusmodi verba addatis: *juxta Epistolam Decretalem SS. Dñi Nostri &c.* quæ fuit a Nobis, ut supra, conscripta; adjecta pœna privationis vocis activæ & passivæ, ipso facto incurrenda, non solum ab iis, qui Ecclesiæ Orientalis usus, consuetudines, Jejunia, Ritus, & Cœremonias transgrediantur, sed etiam ab ipsorum Superioribus, qui dispensationem ab eorum observantia, etiam in casibus particularibus, absque justa & urgente causa, concedere audeant.

Juranda quoque observātia Decretalis SS. D. N., superiùs positæ num. 86.

Alternativa in electione Procuratoris Generalis distinctiùs præscribitur.

§. 25. Inter Officiales Religionis, quòd ad Procuratorem Generalem attinet, optimè in Vestris Constitutionibus decreveritis, ut alternis vicibus ex Lithuanica, & Polonica Provincia eligi deberet. Sed ut ea dispositio magis perspicua reddatur, & nullam in executione difficultatem involvat, in eam, quæ sequitur formam, redigenda erit. *Procurator Generalis in posterum eligatur in Capitulo Generali, & in ejus electione servetur alternativa; itaut, quoties Proto-Archimandrita est ex Provincia Lithuaniæ, Procurator Generalis sit Monachus Professus Provinciæ Poloniæ, & è contra;* Cum autem in Vestro Capitulo Generali, in quo Proto-Archimandritam elegistis ex Provincia Lithuanica, minimè electum fuisse viderimus Procuratorem Generalem, Nos porrò addimus, quòd, pro currenti quadriennio, Proto-Archimandrita cum Consultoribus Generalibus eligat in Procuratorem Generalem Monachum Professum Provinciæ Poloniæ.

Proto-Archimandrita etiam per se ipsum Monasteria visitare possit.

§. 26. Visitationem Monasteriorum utriusque Provinciæ minimè a Vobis neglectam fuisse cognoscimus, quum eadem respectivis ipsarum Provincialibus demandata fuerit. Quo verò ad Proto-Archimandritam, statuistis, ut is visitare nequeat, nisi ubi aliquod Monasterium per Visitationem a Provinciali peractam gravamen aliquod pertulisse dicatur; quo casu etiam decreveristis, ut idem Proto-Archimandrita per se ipsum nequeat visitare, sed per aliquem Consultorem, aut Secretarium suum, sive per alium Visitatorem a se delegandum. Quæ quidem Lex Proto-Archimandritæ dicta, ut nunquam per se ipsum Monasteria visitare valeat, sed etiam in prædictis casibus per alium visitare teneatur, nimium profectò videtur illius dignitati præjudicium inferre. Proindeque supradictam Resolutionem ita corrigeris; ut, ubi in casibus supra expressis Visitationi Proto-Archimandritæ locus sit, possit idem sive per se, sive per alium visitare.

Vocantium numerus pro Capit. Gen. præfinitur.

§. 27. In eisdem demum Constitutionibus capitulariter a Vobis sancitis, de iis etiam, ut par erat, decernere non omisistis, quorum suffragiis tum Proto-Archimandrita, tum etiam Provinciales, Consultores, & Secretarii eligi debent. Verùm nisi in hujusmodi electionibus numerus eorum, qui suffragium ferre debent, statuatur, ut totidem sint ex Provincia Lithuanica, quot erunt ex alia Provincia Polonica; sive, uno verbo, nisi inter utriusque Provinciæ Vocales æqualitas constituatur; nunquam rectè subsistere poterit alternativa in Electione Proto-Archimandritæ, aliorumque inferiorum Officialium a Vobis instituta. Quapropter super hujusmodi Votantium numero ita decernimus; ut in Capitulis Generalibus, quando agitur de Electione Proto-Archimandritæ, suffragium ferre debeant, præter Metropolitanum Capitulo præsidentem, Consultores, Secretarii Generales, Provinciales, atque alii quadraginta Monachi ex una, totidemque ex alia Provincia designati & electi; iidemque omnes vocem activam habeant, ubi agitur de Officialium inferiorum electione, addito eisdem Proto-Archimandritæ, qui jam electus fuerit, suffragio.

Eorum delectus rationē statuere, cōmittitur Episcopo Zenopolitano.

§. 28. Quia verò delectus eorum, quos ex utraque Provincia assumi conveniat, in tanta rerum, & locorum distantia, nequaquam rectè haberi, seu definiri posse videtur; Idcirco mandamus Venerabili Fratri Episcopo Zenopolitano, de cujus zelo & prudentia plurimùm in Domino confidimus, ut unà cum Proto-Archimandrita, Provincialibus, & Consultoribus tam Generalibus, quàm Provincialibus, agat atque expendat, qua potissimùm via ad hujusmodi Vocalium Electionem procedi possit; designatamque quantociùs agendi rationem ad Congregationem de Propaganda Fide examinandam, atque approbandam remittat.

Metropolitani Russiæ laudes.

§. 29. Huic autem Epistolæ Nostræ finem imponere nullo modo possumus, quin debitis laudibus prosequamur Ven. Fratrem Athanasium hodiernum Russiæ Metropolitanum, cujus eximia virtus, atque ardens Religionis Catholicæ studium, sinceraque devotio erga Apostolicam Sedem, & sæpè aliàs, & in harum quoque rerum tractatione luculenter emicuerunt. Hinc est,

ut

Eidem committitur unio Monasteriorum ad paupertatem redact., cum consilio &c.

ut nulli melius, quàm ipsi, demandari posse judicemus gravioris momenti negocium, quod hic subjungimus. Plura nempe Monasteria in Provincia Poloniæ esse novimus ad eam paupertatem redacta, ut vix duos, aut tres Monachos alere possint: In hujusmodi rerum statu, Canonicæ Leges præcipiunt, plurium Monasteriorum Unionem faciendam esse, donec in singulis Monasteriis decem, vel saltem octo Monachi commodè congregari valeant. Ad multa igitur laudabiliter hucusque peracta hoc etiam addat Metropolitanus, (cui Nos idipsum demandamus, omnesque facultates ad hoc necessarias, & opportunas impertimur) ut simul cum Proto-Archimandrita, & Consultoribus Generalibus, necnon Provinciali Poloniæ, ejusdemque Provinciæ Consultorio, ad hujusmodi tenuiorum Monasteriorum unionem peragendam incumbat. Quod sanè proficuum opus ipsius curâ, ut confidimus, rectè perficiendum, ubi relatio deferetur, auctoritate Nostra comprobare, & confirmare non dubitabimus.

Provincia Poloniæ obedientiam præstitit Proto-Archiman. sub conditione.

§. 30. Electionem quidem Proto-Archimandritæ in supramemorato Capitulo jam sequutam, ab utraque Provincia acceptatam fuisse non sine voluptate cognovimus. Verumtamen aliam fuisse vidimus formam, quâ Monachi Provinciæ Lithuaniæ ipsam acceptarunt, ab ea, quâ usi sunt Monachi Provinciæ Poloniæ. Siquidem illi absolutam obedientiam, & subjectionem Proto-Archimandritæ jurarunt; hi verò hujusmodi conditionem apposuerunt: *Si dictus Electus cum expositis ad approbandum Sanctæ Sedi Apostolicæ Constitutionibus approbabitur, neque munus suum exerceat in Provincia Polona, non promulgata a Sancta Sede Apostolica approbatione.*

Pontifex id improbat, & absolutam obedientiam imperat, comminatis canonicis pœnis &c.

§. 31. Et sanè Apostolicæ Sedis dignitati convenientiùs, fortasse a Nobis rescribi potuisset, suspendendo approbationem Capituli, & promptam ante omnia exigendo Provinciæ Poloniæ obedientiam, eique omnino similem, quam Provincia Lithuaniæ electo Proto-Archimandritæ præstiterat. Verùm quum illud Nobis minimè suadere possimus, cunctationem hujusmodi originem ducere ex defectu debitæ observantiæ erga Sanctam hanc Sedem; in qua colenda, & observanda insignes semper se præbuerunt Polonæ Nationis Alumni; libenti animo adducti sumus, ut intentionem saltem eorum, qui ita se gesserant, excusatione dignam Nobiscum reputaremus: Omnique morositate sepposita, totius rei disquisitionem aggressi sumus; Congregationes convocavimus, easdemque coram Nobis haberi voluimus; minimèque obstantibus reliquis negotiis, & perturbationibus, quibus plus æquo undique obruimur, animum ad scribendum appulimus, omnesque Vobis in hac Epistola Resolutiones exposuimus, quas, cum prædictæ Congregationis consilio, maximè opportunas, & necessarias esse judicavimus. Ex quarum resolutionum tenore quum omnes tergiversandi causæ sublatæ sint, minimè dubitamus, quin Provincia Poloniæ id ipsum sequatur, quod jam Lithuana Provincia peregit. Quod si eadem in suscepta obediendi repugnantia perseveraret, non sine magno profectò animi Nostri dolore ad ea Nobis deveniendum esset acriora juris remedia, quæ ab Ecclesiasticis quidem Legibus contra inobedientes districtè constituta sunt, sed quæ nunquam a Nobis adhibenda esse speramus contra Religiosos Viros adeo conspicui Ordinis sectatores, aut contra Nationem, quam tanto pietatis studio diligimus, ob præclara ipsius erga Apostolicam Sedem promerita, quorum, ut recentiora omittamus exempla, jam usque a temporibus Prædecessorum Nostrorum Clementis III., Innocentii IV., & Gregorii XI. eximia & nunquam interitura monumenta extiterunt.

§. 32. Congregationis de Propaganda Fide Præfectus est Venerabilis Frater Noster Vincentius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Petra Episcopus Prænestinus, cujus adeo illustre nomen ubique est, ob multa & proficua Opera ab ipso conscripta, & publicis Typis vulgata. Horum verò negotiorum Relator apud ipsam Congregationem est Venerabilis itidem Frater Noster Petrus Aloysius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Carafa Episcopus Albanensis, qui summa diligentia, ac sedulo studio atque labore, eorum seriem tam scripto, quàm voce digessit, atque explanavit. Hæc Vobis comperta esse voluimus, ut intelligeretis, quàm benè rebus Vestris consultum sit, per hujusmodi laudabilium Fratrum Nostrorum industriam, atque peritiam; quorum profectò operam in iis, quæ agenda remanent, neque defecturam, neque cessaturam esse, Vobis asserere non dubitamus; ut quum pro reliquis pendentium adhuc rerum definitionibus opportuna a Vobis documenta pro animi Nostri instructione transmissa fuerint, iidem statim Nobiscum agere prætermissuri non sint, ut tanti ponderis operi suprema demum manus imponatur. Nos interim Vobis, quos Paternæ dilectionis affectu complectimur, Apostolicam Benedictionem impertimur.

Cardinales, Congregat. Præfectum, & Causæ Relatorem, commendat.

Ac ulteriores providentias promittit.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 2. Maji MDCCXLIV. Pontificatus Nostri Anno IV.

Dat. die 2. Maji 1744.

XCIX.

Declarantur Quæstiones circa jejunii leges a Summo Pontifice instauratas, præpositæ.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Compostellæ.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

SI Fraternitas Tua secum reputabit quot gravissimis & maximis curis propemodum obruamur, quantumque, hoc præsertim difficillimo tempore, prorsus Nos teneat imposita tenuitati nostræ sollicitudo omnium Ecclesiarum, non sanè mirabitur tamdiù sibi procrastinatum fuisse responsum ad eas Literas, quibus Apostolica auctoritate dissolvendas rogasti obortas in Hispania disputationes aliquas, è duabus nostris Epistolis ad omnes Episcopos superioris Anni MDCCXLI. XXX. Maji, & XXII. Augusti, quibus intra legitimos fines coërcuimus invalescentem Ecclesiastici jejunii relaxationem. Potiùs tibi in mentem veniet cogitare de singulari nostro in religiosissimam Hispanam Ecclesiam amore, unde Nos immensa licèt rerum mole fatigatos ad expediendum sibi in omni sua perplexitate salutis iter opem nostram præsto habet,

Pontifex non disceptantium quæstionibus, sed disciplinæ relaxationi obviam ire intendit.

§. 1. Quamquam igitur, dum prænuntiatas Constitutiones edidimus, non aliud propositum Nobis fuerit, ac refrænare paucorum nimis ingenio fidentium Theologorum licentiam, qui opinionum novitate gaudent; nec otium, nec animus Nobis fuerit definire quicquid subtili indagatione deduci possit ex proposita a Nobis jejunandi regula; tamen eximiâ paterna caritate complectimur adeo observantissimos Romanæ Sedis Hispanos, tantique facimus obsecrationes tuas, ut occurrere anxietati vestræ libenter adjecerimus animum, & Nos ipsi quæstiones abs te propositas dirimendas constituerimus. Sic autem se habent.

Propositis tamen Dubiis, ut infra, rescribit.

I. *Utrum, quæ in antedictis nostris literis in forma Brevis de unica comestione, & de epulis non permiscendis, præscribuntur, sub gravi etiam præcepto prohibeantur?*

Respon-

Respondemus: Concedentes facultatem vescendi carnibus tempore vetito, sub gravi teneri easdem facultates non aliter dare, quàm geminis hisce adjectis conditionibus, videlicet unicæ in diem comestionis, & non permiscendarum epularum. Eos verò, qui hujusmodi facultatibus utuntur, sub gravi ad binas ipsas conditiones implendas obligari.

II. *An ii, quibus concessum est vesci carnibus, possint in vespertina refectiuncula, ea quantitate carnis vesci, quæ jejunantibus permittitur?*

Respondemus, non licere; sed opus habere eo cibo, eaque uti potione, quibus utuntur homines jejunantes rectæ meticulosæ conscientiæ.

III. *An qui jejunii tempore vesci carnibus permittuntur, & unica commessatione uti debent, horam jejunantibus præscriptam servare opus habeant?*

Edicimus, observandam iis esse.

IV. *Quænam sint epulæ licitæ, quæ vetantur cum interdictis conjungi?*

Respondemus: Epulas licitas pro iis, quibus permissum est carnes comedere, esse carnes ipsas. Epulas interdictas esse pisces, adeoque utrumque simul adhiberi non posse. Piscibus tamen edendis non interdicuntur ii, quibus datur tantùm facultas adhibendi ova, & lacticinia.

V. *An præceptum de utroque epularum genere non miscendo dies quoque Dominicos Quadragesimales complectatur?*

Affirmatur complecti.

VI. *Utrum hæc lex ad eos quoque pertineat, qui ex Bulla Cruciatæ edere possunt ova, & lacticinia?*

Rescribimus: Nihil in prænunciatis nostris Apostolicis literis statutum esse, quod respiciat gratiosum Cruciatæ Diploma. Quare, qui eo gaudent, illius tenorem strictè, & considerate perpendant, ex ejusque sententia se gerant. Caveant autem, ne inani quapiam excusatione sese solutos esse arbitrentur præscriptis ibi legibus.

VII. *Utrum memorata duo præcepta urgeant extra Quadragesimam?*

Respondetur: urgere extra Quadragesimam utrumque præceptum; illud scilicet unicæ comestionis, cum reliquis legibus in secundo, & tertio ad hæc postulata responso expressis; & alterum non permiscendi epulas licitas cum interdictis, ut in quarto postulato definitum est.

Observatiam Sedi Apost. exhibitam commendat.

§. 2. Habes, Venerabilis Frater, penitùs explicatum quicquid apud vos ex nostris sæpius nuncupatis Apostolicis literis dubitationem attulisse scribis. Qua quidem in re laudavimus consilium tuum interrogandæ supremæ Romanæ Sedis, ut libero, & non vacillanti gressu ad oves sana doctrina imbuendas incedere Pastores queant, in istoque tuo suscepto consilio agnovimus Hispanam religionem, nihil sibi tutum, nisi è Divi Petri Cathedra acceptum, reputantem; qua splendidissima gloria tantum nomen, & incorruptæ Fidei fructum Hispania sibi peperit.

Certam normam demonstrat ad coercendā opinandi licentiam.

§. 3. Cavendum autem vobis est (idque plurimùm ad te pertinet, qui illustris Archiepiscopi, & Inquisitoris geris præcipuum munus) ne in expendendis Apostolicæ Sedis Constitutionibus, pro nimia exhauriendi argumenti sollicitudine, nullus fiat differendi ambigendique modus. Sedula deinde opera conferenda, ut istiusmodi dubia, quæ facile, pro ingeniorum varietate, disputando emergunt, penitùs inter vos dirimantur, ne diuturna unquam disceptatione fluctuent animi; præsertim cùm Constitutiones ipsæ Apostolicæ scopum, quò tendunt, apertè demonstrent, & illuc promptè dirigi possit quicquid dubitando interturbare videatur. Id si animadvertissent, qui de præsenti negocio plura dubitarunt, nodum sibi exsolvissent. Patebat enim nihil aliud Nobis in animo fuisse, quàm cohibere vivida nonnullorum Theologorum ingenia, qui nimiùm sacri jejunii fines prætergressi, & non parum obliti illud ad retinendum in officio corpus divinitùs institutum, hosti huic spiritus infensissimo blandiebantur. Statim siquidem comperissent, quid in propositis quæstionibus constituendum esset; nec tibi molestiam exhibuissent, nec Nobis, quos gravissimæ undique circumstant curæ, non parum temporis occupassent: quod tamen pro singulari nostro in vestram gentem studio, atque amore, libenter impendimus ad rectum vobis iter monstrandum, in posterum simul præcaventes, quomodo in hujusmodi quæstionibus firmare gressus vestros in promptu sit.

§. 4. Reliquum est, Venerabilis Frater, ut tibi, quod facimus ex animo, præcipuæ benevolentiæ nostræ pignus, Apostolicam Benedictionem peramanter impertiamur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 8. Julii MDCCXLIV. Pontificatus Nostri Anno Quarto. Dat. die 8. Julii 1744.

J. Vincentius Luccheſinius.

De Indultis Apostolicis eligendi Confessarium ab Ordinario approbatum, pro absolutione a criminibus, aut censuris reservatis, &c. C.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Apostolica Indulta, quamvis prudenti Romanorum Pontificum dispensatione concessa, ad Christiani Populi profectum, & promovendam animarum salutem plurimum conferre non dubitemus: si tamen eorum interpretatio ingeniorum liberiùs opinantium licentiæ permittatur; unde in sensus a mente, & voluntate concedentium alienos detorqueantur; eadem in Ecclesiasticæ Disciplinæ detrimentum, & ipsorum Fidelium periculum atque perniciem, perverso hominum abusu, traduci posse veremur. Quapropter, pro ea, quam Dei nutu suscepimus, sanctissimarum Ecclesiæ Legum custodia, & flagranti, quo tenemur, studio, de universo Christi grege ad æternæ beatitudinis metam securiùs dirigendo, non solum rectè constitutas a Patribus agendi regulas in dies magis magisque constabilire satagimus; nullam prætermittentes occasionem intemeratæ disciplinæ observantiam Catholicis omnibus præscribendi & commendandi; verum etiam Indultorum ab hac eadem Apostolica Sede benignè concessorum certos indicare limites, & tutam ipsorum formam usumque præfinire, juxta nostram & Prædecessorum nostrorum, quorum auctoritate prodierunt, mentem & voluntatem, opportunum in Domino judicamus. Proœmium. Pontificis cura in præcavendo abusu Indultorum Apostolicorum.

Præsertim quoad facultatem eligendi Confessarium.

§. 1. Sanè hanc providentiam, si quod aliud Indultum, illud in primis postulare videtur, quod Sedes Apostolica, vel cunctis Christifidelibus, per universalis Jubilæi Literas, vel nonnullarum Regionum Incolis, per Bullam, ut appellant *Cruciatæ*, vel certis Universitatibus, aut Sodalium seu Confratrum cœtibus, per specialia privilegia, elargiri quandoque consuevit facultatem eligendi sibi unum quempiam Confessarium ex approbatis ab Ordinario ad Confessionem audiendas, qui eos a culpis, criminibus, & censuris, alioquin reservatis, absolvere valeat: Etenim eo periculosius in usu Indultorum hujus generis erratur, quo gravius in iisdem agitur negotium, Sacramenti nimirum Pœnitentiæ, lapsis post Baptismum ad salutem prorsus necessarii, valida ac legitima administratio, ejusdemque respectivè susceptio.

Innocentius XII. damnat falsas opi-

§. 2. Et quidem fel. record. Prædecessor Noster Innocentius Papa XII. ex delatis ad se nonnul-

niones super hoc inductas.

lorum Episcoporum Regni Portugalliæ tunc temporis existentium, & aliorum timoratæ conscientiæ Virorum, querelis, intelligens opinionem quandam revixisse, cæteroquin per Apostolicas Pauli V., Urbani VIII., & Clementis X. Romanorum Pontificum Prædecessorum suorum Constitutiones, necnon per plura Congregationum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, tam Concilii Tridentini Interpretum, quàm negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositorum, Decreta, dudum damnatam, ac reprobatam; qua opinione freti plerique illarum partium Fideles, Privilegia, & Indulta circa prædictam Confessarii electionem a Sancta Sede concessa & elargita in Literis Apostolicis pro Cruciata Sancta emanatis, quas Bullam vocant, ita intelligenda esse existimabant, ut facultas in Bulla hujusmodi Christifidelibus attributa, confitendi peccata sua cuilibet Confessario per quemcumque Ordinarium ad Confessiones audiendas approbato, & recipiendi ab eo absolutionem, ut præfertur, a quibusvis peccatis atque censuris in prædicta Bulla non exceptis, locum haberet, & habere censeretur, etiamsi Ordinarius præfatus non esset Ordinarius illius loci, in quo Confessiones prædictas excipi contingeret; Hujusmodi opinionem, in Congregationibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, tam eorum, qui tunc temporis Episcoporum & Regularium consultationibus præpositi erant, quàm aliorum adversus hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum a Sede Apostolica specialiter deputatorum, de ipsius mandato ex integro examinatam, iterum censuit proscribendam atque damnandam; sicuti reipsa proscripsit, & damnavit, per Apostolicas in forma Brevis Literas incipien. *Cum sicut*, die decimanona Aprilis anni millesimi septingentesimi, Pontificatus sui anno nono editas; decernens & declarans, prædictam Bullam Cruciatæ, quoad approbationem Confessariorum, nihil novi juris induxisse, nullumque privilegium continere contra formam Concilii Tridentini, & prædictarum Constitutionum Apostolicarum; adeout Confessarii tam Sæculares, quàm Regulares, quicumque illi sint, in vim dictæ Bullæ Cruciatæ a Pœnitentibus ad audiendas Sacramentales eorum Confessiones electi, nullatenus Confessiones hujusmodi audire valeant sine approbatione Ordinarii, & Episcopi Diœcesani loci, in quo ipsi Pœnitentes degunt, & Confessarios eligunt, vel ad excipiendas Confessiones requirunt; nec ad hoc suffragari approbationem semel, vel pluries ab Ordinariis aliorum Locorum, & Diœcesum obtentam, etiamsi Pœnitentes illorum Ordinariorum, qui Confessarios electos approbassent, subditi forent: Subindèque statuit Confessiones aliter in posterum factas & respective auditas, nullas, irritas, & invalidas fore; & Sacerdotibus, qui illas audire præsumpserint, suspensionis pœnam ipso facto incurrendam indixit: Opinionem autem quamcumque contrariam, tamquam falsam, temerariam, scandalosam, & in praxi pernicioſam, damnavit, & reprobavit; eamque potissimum, de qua supra diximus, ullo modo doceri, sustineri, aut ad praxim deduci, prohibuit; sub pœna excommunicationis per contrafacientes ipso facto incurrendæ; prout latius in supradictis Literis continetur.

Mandans Confessarium electum in vim Bullæ Cruciatæ, ab Ordinario Loci approbatum esse debere.

Sub pœna nullitatis absolutionis, aliisque.

§. 3. Has Literas Innocentii Prædecessoris prædicti post aliquot annos sua quoque auctoritate approbavit, confirmavit, & innovavit recol. pariter mem. Innocentius Papa XIII., die decima tertia Maji anni millesimi septingentesimi vigesimi tertii, Pontificatus sui Anno secundo, editis similibus in forma Brevis Literis incipien. *Apostolici Ministerii*, quibus plura complexus est ad Ecclesiasticam disciplinam in Hispaniarum Regnis servandam pertinentia; ac inter alia declaravit, Sacerdotes tam Sæculares, quam Regulares, qui ab Episcopis obtinuerint licentiam audiendi Confessiones, limitatam vel quoad locum, vel quoad tempus, vel quoad genus personarum, non posse Sacramentum Pœnitentiæ administrare extra tempus, vel locum, vel genus personarum ab ipsis Episcopis præscriptum, quocumque privilegio, etiam in vim Bullæ, quæ appellatur Cruciatæ Sanctæ, competente, nullatenus suffragante: Nec non Sacerdotibus prædictis tam Sæcularibus, quàm Regularibus, ad Confessiones excipiendas, vel ex vi prædictæ Bullæ Cruciatæ, vel ex quocumque alio privilegio electis, minime suffragari, quod approbati aliàs fuerint ab Episcopo, qui aliquando loci, in quo Confessiones audiendæ sunt, Ordinarius fuerit, sed talis non amplius existat, vel quia ab humanis excesserit, aut Episcopatui renuntiaverit, vel quia ad aliam Ecclesiam Auctoritate Apostolica translatus reperiatur; sed necessariam omnino esse illius, qui actualiter, & pro tempore Ordinariam Jurisdictionem in ea Diœcesi exerceat, approbationem; hanc tamen sufficere etiam tacitam, eamque tamdiù durare, quamdiù præcedens licentia sive approbatio expresse revocata non fuerit; in quo casu nova de integro approbatio impetranda erit; sicut etiam quando prior approbatio, tempore præfinito elapso, expiraverit.

Innoc. XIII. idem declarat, quoad Confessarios, quorum approbatio limitata sit, vel expiraverit.

Bened. XIII. prædicta omnia confirmat.

§. 4. Cumque san. mem. Benedictus Papa XIII. præfatas Innocentii XIII. Literas, suis aliis Apostolicis Literis incipien. *In supremo Militantis Ecclesiæ Solio*, die vigesima tertia Septembris anni millesimi septingentesimi vigesimi quarti, Pontificatus sui Anno primo datis, earum tenore de verbo ad verbum inserto, pari Auctoritate Apostolica in omnibus, & per omnia perpetuo approbasset, confirmasset, atque innovasset; ipsius quoque Auctoritate corroborata, innovataque noscuntur, quæ de facultate eligendi Confessarium tam ab Innocentio XII., quàm a XIII. decreta, declarataque fuisse commemoravimus.

Causæ præsentis declarationis.

§. 5. Quia vero iidem Prædecessores Nostri Innocentius XII., & XIII. in suis respective Literis, Indultum per Bullam Cruciatæ concessum tantummodo nominatim expresserunt, & ab Innocentio XIII. alterius cujuscumque generis privilegia generatim dumtaxat sunt indicata: Idcirco Nos animo prospicientes, quod, nisi clarius, atque distinctius declaratum fuerit, quænam Privilegia, seu Indulta sub præfatas regulas cadant, & cadere debeant, idem fortasse reprobatarum, ut supra, opinionum offendiculum, ut olim in prædictæ Bullæ Cruciatæ, sic etiam in aliorum ejusdem generis Indultorum interpretatione & usu, subesse facile posset; Et vigili cura animum in id intendentes, ne inimicus homo hujusmodi zizania in agro Dominico ullatenus valeat superseminare, atque ut Fidelium conscientiæ securiùs dirigantur; non modò relata superius Prædecessorum nostrorum Decreta Auctoritate quoque Nostra approbamus, confirmamus, & innovamus, verum etiam eâdem auctoritate, & simili motu, scientia, & potestatis plenitudine statuimus, & declaramus, quod idem omnino jus, quod vigore Decretorum hujusmodi, circa intelligentiam, & usum Indulti Bullæ Cruciatæ obtinet, etiam quoad reliqua ejusdem generis Indulta pariformiter valere debeat, & obtinere; Volumus etiam reprobationem dictarum opinionum, quatenus respiciunt intelligentiam, & usum Indulti prædicti Bullæ Cruciatæ, a præfatis Prædecessoribus proscriptarum, locum similiter habere, quatenus easdem opiniones & sententias in medium proferri contingeret circa similia etiam Indulta, sive universis per Ecclesiam Christifidelibus,

Pontifex expresse comprehendit omnia, & singula hujusmodi Indulta.

sive alicui Regioni, aut Loco, Universitati, aut Cœtui particulari Sodalium, seu Confratrum, quandocumque, & ubicumque concessa vel concedenda.

Et omnes, & singulas personas in Indultis comprehensas.

§. 6. Insuper decernimus & declaramus, id, quod generaliter de Indultis præmissis sentiendum esse jam diximus, generaliter quoque intelligendum esse de omnibus & singulis personis, quæ sub eorundem Indultorum concessione comprehensæ reperiuntur, vel quas in posterum comprehendi contingat, quæque supradictis Indultis uti voluerint: Ita videlicet, ut si in aliquo Indulto tam Sæcularibus, quàm Regularibus tribuatur facultas eligendi Confessarium ab Ordinario Loci approbatum; tunc Confessarius vigore talis concessionis, sive a Sæculari, sive a Regulari Pœnitente ad audiendas eorum respective Confessiones electus, nullatenus hujusmodi Confessiones audire valeat, nisi ab Episcopo Diœcesano & Ordinario Loci, ubi Confessio excipienda est, ad Confessiones approbatus & deputatus existat; quacumque alia approbatione, tam illius generis, quam uterque Innocentius Prædecessores prædicti declararunt non suffragari, quàm ea, si de Regularibus agatur, quæ a solo proprio Regulari Prælato obtenta foret, minime suffragante. Æquum est enim, & rationi consentaneum, ut quicumque speciali Indulti beneficio gaudere, eoque uti voluerit, is conditiones in eodem Indulto præscriptas omninò servet; neque licitum est cuiquam, conditionem illam approbationis Confessarii per loci Ordinarium faciendæ, alio modo intelligere, quàm eo, quo ipsam intelligendam esse toties Prædecessores Nostri Romani Pontifices, ut præmissum est, decreverunt. Quorum Nos quoque vestigiis inhærentes, præfatam conditionem in eodem plane sensu, quem illi tradiderunt, ab omnibus & singulis hujusmodi Indulto sub ea conditione concesso utentibus, accipiendam, & servandam esse statuimus, atque mandamus; quicumque illi fuerint, qui in vim ejusmodi Indulti Confessarium sibi eligent, sive Sæculares, sive Regulares cujuslibet Ordinis & Instituti, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, & Ordinum Militarium, etiam Militiæ Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, necnon Societatis Jesu, atque alterius cujusvis Congregationis, vel Societatis, tametsi de illis, aut illorum vel illarum aliquo seu aliqua, specialis, & expressa mentio quomodocumque facienda foret. Ideoque Confessiones, & absolutiones in præmissis casibus aliter in posterum factas, & respective auditas seu impertitas, irritas fore & invalidas declaramus; & contrariam quamcumque opinionem, ejusque praxim, deinceps prohibemus ac reprobamus, tamquam explanatæ toties ab Apostolica Sede verborum intelligentiæ, ac menti nostræ, quam ad omnem hac super re ambiguitatem tollendam per præsentes clarius exposuimus, penitus adversantem.

Quæ quales sint, id ex Indultorum tenore colligendum relinquit.

§. 7. Postremò illud monendum existimamus, nihil hic a Nobis statui, aut pronuntiari super eo, an scilicet in uno aut altero Indulto unum aut alterum personarum genus comprehendi, & quænam Indulta specialiter Regularibus suffragari, vel non suffragari, censendum sit; hoc enim ex uniuscujusque Indulti tenore, ac verbis colligendum relinquimus; firmis tamen manentibus, & perpetuo mansuris, quod ad Bullam Cruciatæ pertinet, plurium Prædecessorum Nostrorum declarationibus, eandem scilicet Bullam, quantum ad articulum eligendi Confessarium, seque a casibus reservatis absolvi faciendi, nequaquam Regularibus suffragari; Quod Nos etiam perpetuo tenendum atque sentiendum, eorumdem Prædecessorum Nostrorum exemplo, similiter declaramus, & contrariam quamcumque opinionem uti falsam, & pernicioſam, interdicimus, & reprobamus.

Excluſis ab Indulto Cruciatæ Regularibus, quoad electionē Confeſſarii.

§. 8. Decernentes præsentes nostras Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quilibet in præmissis, seu eorum aliquo, jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis existant, sive alias specifica, & individua mentione, & expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, neque causæ propter quas eædem præsentes emanaverint, adductæ, verificatæ, vel sufficienter, aut ullo modo justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensu, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, ac formali, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut etiam Motu pari, & de Apostolicæ potestatis plenitudine simili concesso, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentes semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari.

Clauſulæ præſervativæ.

Aliter judicari prohibetur.

§. 9. Sicque, & non aliter in præmissis censeri, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis prædictæ Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, ac potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis peniſſime derogatur.

§. 10. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula *de jure quæsito non tollendo*, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmirate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, exemptionibus, & indultis, etiam in corpore juris clausis, aut Literis Apostolicis quibusvis Personis, Collegiis, Locis, Ordinibus, etiam Militaribus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis, etiam Societatis Jesu, & S. Joannis Hierosolymitani, aliisve quibuslibet specifica, & individua mentione dignis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam clausulis & decretis, etiam irritantibus in genere, vel in specie, etiam motu simili, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, seu consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & individua mentio, seu quævis alia expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas, causas, & occasiones præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & exactissime servatis & specificatis respectivè

habentes,

habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad præmissorum effectum plenissimè, & amplissimè motu pari derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Publicationi Constitutionis in Urbe tribuitur vis personalis intimationis omnibus factæ.

§. 11. Volumus insuper, & eadem auctoritate prædicta mandamus, ut eædem præsentes, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam facilius deducantur, nec quisquam de eis ignorantiam prætendere valeat, ipsas præsentes, seu earum transumpta, ad valvas Ecclesiæ S. Joannis in Laterano, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque Generalis Innocentianæ in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ per aliquem ex Cursoribus Nostris, ut moris est, publicari, & affigi: sicque publicatas, & affixas, omnes & singulos, quos concernunt, seu concernent in futurum, perinde afficere, & arctare, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

Transumptis fidem præstari sancitur.

§. 12. Utque earumdem præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud, ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio Pœnalis.

§. 13. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum Confirmationis, Approbationis, Innovationis, Voluntatis, Mandati, Statuti, Decreti, Declarationis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 5. Aug. 1744.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimoquarto, Nonis Augusti, Pontificatus Nostri Anno Quarto.

D. Cardinalis Passionеus.

J. Datarius.

VISA DE CURIA.

J. C. Boschi.

L. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicat. die 11. ejusdem mensis, & anni.

CI.

Maronitarum Patriarchæ Antiocheno a Summo Pontifice electo, & a dissidentibus ejusdem Nationis Antistitibus agnito, transmittitur Pallium, aliaque mandata & facultates committuntur.

Venerabili Fratri Simoni Evodio Patriarchæ Antiocheno Maronitarum.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Pontifex collaudat Patriarchæ religionem, & obedientiâ.

LITERAS Fraternitatis Tuæ libenter accepimus, jucundissimæque Nobis acciderunt: Habent enim luculentam significationem religionis, obedientiæ, obstrictique Apostolicæ Sedi obsequentissimi animi tui. Confirmarunt proinde conceptam spem, cum in ista Patriarchali Cathedra te collocavimus, fore ut restitutam providentiâ Nostrâ tranquillitatem Ecclesiæ vestræ ipse foveas, & nunquam domesticis discordiis perturbari permittas.

Gaudet de extinctione Schismatis, & præstito mandatis Apostolicis obsequio.

§. 1. Cum iisdem Literis reddita Nobis fuerunt authentica monumenta rerum istic gestarum pro hujusmodi conficiendo negotio, unde novimus gratum fuisse vestræ omnium Ordinum Nationi, Te a Nobis Patriarchali ministerio donatum, quod verecundè susceperis, & sedulò obiturum spondes. Comperimus simul, quidquid Nostris ad Vos literis in forma Brevis continebatur, sanctè, accuratèque Vos servaturos; non sine obstricti devinctique Nobis animi significatione, quòd verè paterna sollicitudine schismatis periculum istinc amovere studuimus. Quamobrem abjudicavimus duplicem non legitimè factam Patriarchæ electionem, novamque auctoritate Nostra canonicè substituimus. Qua quidem in re amavimus multâque laude prosequuti sumus utriusque perperam ad eam primariam dignitatem Electi docilitatem, qui eâ se statim abdicarunt, ne cunctando, minus ipsorum obedientia splendesceret. Egimus itaque æterno Ecclesiæ Pastori immortales gratias, quod vestræ Gentis misertus, nostra voce imperavit ventis, & mari, & facta fuerit tranquillitas magna, ubi inhorrescere cœperant ingentes fluctus.

§. 2. Quam quidem tranquillitatem, te Præside, quotidie magis invaliturum pro certo reputamus; Ne verò ulla se offerat perturbandæ occasio, Pontificia quoque auctoritate ratum habemus, & confirmamus decretum vestri Antistitum Conventus, quo providè assignata est Venerabili Fratri Ignatio Archiepiscopo Tyri Diœcesis Ageltonensis cum omni sua ditione, cui Episcopali jure moderetur.

Confirmat Ecclesiæ Ageltonensis provisionem.

§. 3. Ecclesiasticum Pallium e Corpore Divi Petri desumptum Tibi demissè petenti libenter indulsimus, illudque, præmissis jurejurando, cæterisque cœremoniis, accipies a Venerabili Fratre Archiepiscopo Arcæ; retinebis autem veluti pignus amoris erga Te nostri, tuæque erga Nos, Romanamque Sedem fidelitatis.

Pallium Patriarchæ transmittit.

§. 4. Præterea facultatem Tibi impertimur, ut per Te, aut per alium Episcopali dignitate fulgentem, dilecto Clero, ac Populo Maronitarum, eorumque domibus, agris, prædiis, & bonis quibuscumque, solemni ritu semel benedicere; iis verò utriusque sexus, qui per Pœnitentiæ Sacramentum a peccatis expiati, & Sanctissima Eucharistia refecti, Benedictioni hujusmodi præsentes interfuerint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, Apostolica auctoritate nostra, largiri possis & valeas.

Eidem concedit, ut Benedictionem & Indulgen. Plen. Populo semel elargiatur.

§. 5. Qui abs te constitutus est rerum tuarum Curator Dilectus Filius Josephus Simonius Assemanus Prælatus Noster Domesticus, faciles ut habeat ad Nos aditus, imperabimus, quæque ad res vestras sacras salutaria proponet, benevole impetraturum ne dubites. Reliquum est, ut ad ea, quæ de turbato dudum istic rerum Ecclesiasticarum statu, ac de immodesta quandoque inter dissidentes altercatione commemoras, pauca respondeamus. Nos utique molestè tulimus quicquid acerbitatis in hujusmodi negotio patratum fuit, & non parum contulit ad irritandos animos, exagitandamque vestram Gentem. Ad rem autem componendam pro Nostra paterna sollicitudine præsto fuimus, ignemque restinximus duabus editis literis in forma Brevis, quibus utriusque partis decus in tuto fuit.

Reliquas dissensiones oblivioni tradi cupit.

§. 6. Habes undique nostræ erga fidissimos Romanæ Sedi Maronitas benevolentiæ documentum. Te verò Nobis dilectum esse inde quoque comperies, quod Ecclesiastico quopiam munere nunc etiam cum Sacro Pallio donaris, quamvis non ita pridem ea voluimus ad Te deferri, quæ Decessori tuo destinata fuerant. His omnibus addimus Apostolicam Benedictionem, quam Tibi, Venerabilis Frater, peramanter impertimur.

Alia munera largitur.

Dat. die 11. Auguſt. 1744.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XI. Auguſti MDCCXLIV. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

D. Cardinalis Paſſioneus.

CII.

Maronitarum Antiſtites ob duplicem Patriarchæ electionem antea diſſidentes, quod, præſtita Mandatis Apoſtolicis obedientia, ad unitatem redierint, collaudantur, &c.

Venerabilibus Fratribus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis Maronitis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Vetus inter S. Sedem, & Maron. Nationem concordia commemoratur.

EXIMII erga Apoſtolicam Sedem obſequii, exhibitæque obedientiæ plura ſemper documenta dederunt Maronitarum Antiſtites, Veſtrique omnium Ordinum Cives veræ tenaces Religionis. Quamobrem Pontifici Maximo præcipuo in amore fuiſtis, & non unum retuliſtis ab hac Sanctiſſima Divi Petri Cathedra beneficentiæ, ſtudii, amoris argumentum. Hujuſmodi veſtigiis Nos quoque inſtetiſſe, non ſanè Vobis incompertum fuit in commota iſtic dudum duplicis Patriarchalis electionis procella, qua Eccleſia Veſtra, funeſtis hiſce diſcordiis non antea exagitata, præceps itura videbatur.

Item providentia Pont., ad tollendum Schiſma recens conflatum.

Suprema ſiquidem Noſtra auctoritate illam diſſipavimus, cognitaque cauſa, quam ex Eccleſiaſticis legibus ad Nos detuleratis, legitimum Vobis Patriarcham conſtituimus Venerabilem Fratrem Simonem Evodium: confirmavimus quoque recentem Libaniticam Synodum, pluraque ſacræ diſciplinæ, Eccleſiiſque veſtris ſalutaria decrevimus, quæ noſtris Literis in forma Brevis expreſſa ad Vos attulit Dilectus Filius Jacobus a Luca Franciſcanæ Obſervantium Familiæ Alumnus.

Antiſtitum aliorumque obedientia commendatur.

§. 1. Id omne gratum, debitaque obedientia acceptum Vos habuiſſe, & accuratiſſimè obſervaturos, e veſtris literis, atque ex authenticis actis ad Nos transmiſſis libenter cognovimus, lætamurque, hac obſequentiſſima omnium veſtrum voluntate, Vos Majorum exemplum ſequutos, vicem Nobis reddidiſſe benevolentiæ, ſollicitudinis, benignitatis, qua utique Gentem veſtram complectimur.

Patriarchæ conceditur Pallium, aliæque gratiæ, & facultates.

§. 2. Sacro præterea Pallio donavimus ipſum Patriarcham Veſtrum Simonem Evodium, annuentes veſtris precibus, quas & ille per Procuratorem ſuum Dilectum Filium Joſephum Simonium Aſſemanum Prælatum Noſtrum Domeſticum Nobis exhibuit. Facultatem ſimul ei contulimus impertiendi per ſe, aut per alium Epiſcopali dignitate fulgentem, Dilecto Clero, & Populo Maronitarum, eorumque domibus, agris, prædiis, & bonis quibuſcumque ſolemni ritu ſemel Benedictionem; iis verò utriuſque ſexus, qui per Pœnitentiæ Sacramentum a peccatis expiati, & Sanctiſſima Euchariſtia refecti, Benedictioni hujuſmodi præſentes interfuerint, ut plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam eàdem Apoſtolica auctoritate Noſtra largiri poſſit ac valeat. Cæteras præterea Indulgentias jampridem Nationi Veſtræ legitima auctoritate conceſſas nominatim confirmavimus.

Acta omnia in Conſiſtorio expleta.

§. 3. Habetis igitur paternæ caritatis Noſtræ perpetuum monumentum; cui decus ac celebritatem addidit, quod hæc omnia in Conſiſtorio palam peregimus, plura ibi de veſtra in Apoſtolicam Sedem obſervantia honorificè loquuti.

Adhortatio ad pacis & religionis ſtudium.

Veſtrum modo ſit, beneficium Noſtrum tueri, poſitis animorum diſcordiis, Catholicaque Religione, quod hactenus accuratè feciſtis, integerrimè cuſtodita. Quod ut alacrius peragatis, Apoſtolicam Benedictionem Vobis, Venerabiles Fratres, Veſtriſque Gregibus peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XI. Aug. MDCCXLIV. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

Dat. die 11. Aug. 1744.

J. Vincentius Luccheſinius.

Acta Conſiſtorialia pro approbatione Synodi ſuper obedientia præſtita Patriarchæ Antiocheno-Maronitarum: Cum conceſſione Pallii dicto Patriarchæ.

In Conſiſtorio Semipublico habito die 13. Julii 1744.

ARGUMENTUM.

POſtquam R. P. D. Simon Petrus Evodius Patriarcha Antiochenus, & Archiepiſcopi, atque Epiſcopi nationis Maronitarum, omnia quæcumque ipſis Sanctiſſimus Dominus Noſter BENEDICTUS *Papa XIV. per ſuas Apoſtolicas Literas in forma Brevis die 1. Septembris 1741., 14. Februarii 1742., 13. & 16. Martii 1743. injunxerat & præceperat, exacte accurateque in Conventu Hariſſæ in Monte Libano menſe Octobri anni 1743. exequuti ſunt; Synodicas Literas rerum geſtarum ſeriem complectentes ad Sanctitatem ſuam, & ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide ſcripſerunt, quas Romam hoc anno 1744. die 31. Maji P. Deſiderius de Domo Baſciana, P. Jacobi Lucenſis Ablegati Apoſtolici Secretarius, pertulit. His in Literis ſignificant, teterrimum ſchiſma, quod ex duplici in Patriarcham Maronitarum Electione conflatum fuerat, utroque Electo mandatis Pontificiis obobtemperante, penitus evanuiſſe; ac Simonem Evodium auctoritate Apoſtolica electum Patriarcham, ab univerſis Maronitis exceptum fuiſſe: Synodi præterea, Montis Libani a Sanctitate Sua probatæ, ac confirmatæ ſtatuta, legeſque ſeſe adamuſſim ſervaturos, Patriarcham ipſum, Archiepiſcopos, & Epiſcopos coram antedicto Ablegato Apoſtolico ſpopondiſſe.*

Tam læto accepto nuncio, Sanctiſſimus Dominus Noſter ſtatuit in proximo Conſiſtorio facti tàm memorabilis ſeriem Fratribus ſuis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus palam facere; eaque inſuper peragere, quæ Electus Simon Petrus Patriarcha, & Præſules Maronitæ poſtulabant. Indictum itaque fuit de more Secretum Conſiſtorium die 13. Julii 1744., & peculiariter nomine Sanctitatis Suæ per R. P. Ignatium Reali primum Cæremoniarum Magiſtrum Collegiis tam Epiſcoporum Pontificio Solio Aſſiſtentium, quàm Protonotariorum de numero Participantium, nec non Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ Procuratore Fiſcali hac de re admonitis, eadem die, poſtquam in Secreto Conſiſtorio Eccleſiarum propoſitiones, ac alia occurrentia negotia fuerant abſoluta, Aulæ Conſiſtorialis foribus undequaque apertis, in illam, præter prædictos Prælatorum ordines, quamplurimis etiam Nobilibus, & Collegiorum Pontificiorum Alumnis, aliiſque Orientalibus, & præcipue Maronitis, introeundi potuit aditus.

His diſpoſitis, admonitiſque Eminentiſſimis Marino, & Moſca antiquioribus ex præſentibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus Diaconis, ut ad latus Sanctitatis Suæ accederent, eidem Aſſiſtentes, præcedentibus ad arcendum populum duobus ex ſervientibus armorum, qui & Mazzerii vocitantur, ab uno ex DD. Cæremoniarum Magiſtris, per Aulæ portam è regione Pontificiæ Sedis in Conſiſtorium introductis fuere D. Joſeph Andreas Scaramutius Sacræ Conſiſtorialis Aulæ Advocatus, R. P. Joſephus Simonius Aſſemanus Procurator Electi Patriarchæ, & P. Deſiderius de Domo Baſciana ab antedicto Ablegato Apoſtolico cum

literis

literis ejusdem Patriarchæ, & Præsulum Maronitarum in Urbem adlegatus. Cùm autem ante Consistoriale scamnum anterius in Tetragoni exitu ingenua provoluti essent, Dominus Scaramutius scilicet in medio, R. P. Assemanus a dextris, & P. Desiderius a sinistris, idem Dominus Scaramutius Sanctitatem Suam sic fuit alloquutus.

Allocutio D. Advocati Sacræ Aulæ Consistorialis.

BEATISSIME PATER.

HAbet SANCTITAS VESTRA ad sacros provolutum pedes Procuratorem Simonis Petri Electi Patriarchæ Antiocheni Maronitarum. Nunciat idem Procurator, Reverendus nempe Pater Joseph Assemani, quid antè, quid post Electionem tùm ab Electo Patriarcha, tùm ab Archiepiscopis, & Episcopis dictæ Nationis opportunè gestum est, Deo Optimo Maximo annuente piissimæ SANCTITATIS VESTRÆ voluntati, quâ sicuti universis Catholicis gentibus prospicere indesinenter curat, ità sapientissima dedit mandata, quibus Maronitas ad Religionis, ac disruptæ inter ipsos pacis tranquillitatem restitueret; Et profert transmissa authentica documenta, SANCTITATI VESTRÆ exhibenda, quibus hæc omnia humillimè significet, atque testetur.

Tùm verò Sanctissimus de Maronitarum patria, origine, Patriarchatu, fide, & eximio in Sanctam Sedem obsequio præfatus, quid ante & post electionem Patriarchæ in Monte Libano a Maronitis Præsulibus, & hic in Urbe a Sanctitate Sua gestum fuerit, ornatissima & doctissima hac Allocutione exposuit.

Allocutio Sanctissimi Domini Nostri.

Venerabiles Fratres.

ANTEQUAM Vos certiores faciamus de iis, quæ contigerunt in electione Venerabilis Fratris Simonis Petri Patriarchæ Antiocheni, nonnulla Vobis in antecessum referre necesse est.

Non dubitamus eruditioni vestræ compertum esse, Maronitas Christianos Syros ad Patriarchatum Antiochenum pertinere: quippe qui Syriam, & Phœniciam maritimam ac mediterraneam, tum etiam Palæstinam, Cyprum, Ægytum, aliasque Orientis partes incolunt; quorum tamen maxima pars in Monte Libano commoratur.

Eruditioni pariter vestræ notum esse censemus, quod sæculi septimi prope finem cùm hæresis Monothelitarum in Patriarchatum Antiochenum grassaretur, Maronitæ, quò se ab ea contagione integros servarent, statuerunt sibi Patriarcham eligere, qui a Romano Pontifice confirmaretur, ab eoque Pallii dignitatem acciperet. Cùm autem, pluribus deinde sæculis elapsis, Saraceni Antiochiam, depulsis inde Latinis, occupassent; cùmque Latini ipsi Catholici in Montem Libanum, ubi a Patriarcha Maronitarum perbenignè recepti sunt, secessissent; Alexander IV. Romanus Pontifex Patriarcham ipsum Maronitarum Antiocheni Patriarchæ titulo decoravit: quem quidem titulum ad hanc usque diem Patriarchæ Maronitæ retinent, etiamsi in Monte Libano sedem perpetuam habuerint.

Profectò Maronitæ fuerunt semper, quales & hodie sunt, integre Catholici, cum hac Sancta Sede conjuncti, & erga suum Patriarcham, tum etiam erga Romanum Pontificem obsequii ac reverentiæ pleni. Cùm autem homines sint, mirandum non est, aliquando humani quicquam inter eos accidisse, & accidere, in eo præsertim, quod eorum Patriarcham spectat.

Recordari potest unusquisque Vestrum, quid acciderit in Pontificatu felicis recordationis Clementis XI. qui, Patriarchâ Jacobo deposito, cùm injuriam præclaro illo Præsuli, tùm etiam Apostolicæ Sedis juribus, quæ electionem ejus confirmaverat, illatam nosset, Patrem Laurentium a Sancto Laurentio ex Minoribus Observantiæ, tum Sancti Sepulcri Custodem, deinde Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, eò misit, ut, auditis iis, quæ Patriarchæ opponebantur, ad hanc Sanctam Sedem illa referret. Quo facto, cùm in Congregatione de Propaganda Fide fuisset res maturè discussa, Congregatio ipsa, optimi Præsulis innocentiâ cognitâ, in Patriarchalem Sedem, unde fuerat injustè dejectus, eum esse restituendum censuit. Cùmque sententiam hanc Summus Pontifex ratam habuisset, ad optatum finem deducta res fuit. Quocirca Maronitæ hoc novum suæ erga Romanam Sedem obedientiæ dederunt argumentum.

Pontificatus quidem nostri tempore nullus fuit, Deo favente, apud eos Patriarcha depositus. Sed aliud contigit, quod molestiâ non exiguâ animum nostrum affecit. Decessit anno millesimo septingentesimo quadragesimo secundo Josephus Petrus Gazenus Patriarcha: & cùm Archiepiscopi, & Episcopi Maronitæ ad Successorem eligendum de more convenissent, in factiones duas divisi sunt; quarum altera elegit, seu postulavit Patriarcham Elsam Archiepiscopum Arcensem, altera Tobiam Archiepiscopum Cypri. Facile erit unicuique Vestrum animo concipere, qualis esset Maronitarum Catholicorum Montis Libani ex duplici illa electione conflictus animorum, ac perturbatio. Alii quidem uni, alii alteri electo adhærebant: & ecce dissensio, & schisma eò magis periculosum, quò magis regio illa ab Apostolica Sede remota est, & in medio Principum infidelium, immo, dici potest, in manibus Turcarum posita. Quare Nos ex his omnibus summam Catholicæ Religionis perniciem in ea regione metuebamus, in qua perpetuò, peculiari Dei gratiâ, incorrupta viguit.

Uterque electus, seu postulatus Romanæ Sedis auctoritatem imploravit: uterque nuntium ad Nos ablegavit, precibusque institit, ut, competitoris electione, seu postulatione rejectâ penitus ac deletâ, electionem, seu postulationem sui firmam ratamque haberemus, cùm utraque pars opportuna ad id documenta, & bene longas facti & juris Scripturas a Patronis & Advocatis utriusque partis Romæ compositas Nobis exhibuisset.

Cùm igitur de electione, aut postulatione in Oriente facta res ageretur, visum fuit Nobis expedire, ut Cardinales aliquot ex Congregatione Generali de Propaganda Fide seligerentur, qui coram Nobis congregati, utriusque competitoris jura rationesque accuratè perpenderent, Examinatis itaque, quantâ potuit diligentiâ, pro utraque parte juribus, & rationibus, una eademque fuit Cardinalium sententia, neutram electionem, seu postulationem posse a Nobis ex præscripto Sacrorum Canonum admitti, seu confirmari. Ex quo autem neutra subsisteret, propositum fuit, an, & quænam ex illis a Nobis sanari, seu Apostolicâ auctoritate roborari deberet. Sed communi pariter consensu decretum est, nullam esse sanandam. Consultum fuit denique, quid consilii in ejusmodi rerum statu capere expediret. Summa fuit, illud arbitrio, & prudentiæ nostræ relinqui.

Observabantur animo nostro variæ, & graves cogitationes propter ejusmodi rei difficultates, quæ passim occurrebant. Communicatâ itaque re cum Venerabili Fratre nostro Vincentio Cardinali Petra Episcopo Prænestino, & Congregationis

de Propaganda Fide Præfecto, cujus doctrinæ, & spectatæ in rebus Canonicis intelligentiæ atque usus, præter tot præclara Opera edita, Nos certè Testes fumus, cùm sæpe, dum in minoribus essemus, frequenti cum eo congressu convenerimus; statuimus aliquorum Pontificum Prædecessorum nostrorum vestigiis insistere: qui licèt sedulò caverent, ne jus alienum læderetur, neque electionum canonicarum jure privarentur ii, qui illud obtinebant, cùm nihilominus animadverterent, electum, nullâ licèt sui culpâ, Ecclesiæ tamen bono minimè profuturum; aut pluribus electis, si alter alteri præferretur, turbas nequaquam sedari, sed magis augeri; neque inde pacem populorum regimini adeò necessariam sperari ullo modo posse; alium quidem extra electos, seu postulatos assumpserunt, sive assumptum probaverunt.

Quocirca illustre satis exemplum Nobis in Annalium Ecclesiasticorum monumentis occurrit. Defuncto S. Eustathio Patriarchâ Antiocheno, cùm Ariani quemdam ex suis, Euzojum nomine, Catholici verò Meletium Patriarcham elegissent, Lucifer Calaritanus, & Eusebius Vercellensis Episcopus, qui id temporis in Oriente Sedis Apostolicæ legatione fungebantur, electionem utriusque nullam irritamque declararunt, & Patriarcham statuerunt Paulinum: id quod Summis Pontificibus Liberio, & Damaso confirmatum fuit, tum etiam Sancto Athanasio cum Ecclesia Alexandrina, & Divo Hieronymo, qui ab eodem Paulino ordinatus fuerat Presbyter, maximè probatum.

Hoc præclarum exemplum & Nos secuti, ad elidenda discordiarum semina, pacemque inter Maronitas conciliandam, Simonem Petrum Evodium Damasci Archiepiscopum in Patriarcham Antiochenum Maronitarum elegimus, & constituimus. Fuit Evodius Romæ a puero in Collegio Maronitarum educatus, ibique liberalibus disciplinis institutus, clarum de se nomen reliquit. Est ille inter Episcopos Maronitas Decanus. Aberat longè a turbarum præsentium tumultu, quibus se minimè miscuerat; seseque ab omni ambitu alienum ostenderat, cùm omnem operam posuisset, ne Patriarcha eligeretur. Hunc itaque Patriarchatu præ cæteris dignum censuimus, atque illi Patriarchæ dignitatem contulimus, spe freti, hac ratione Nos Ecsiæ illius bono maximè profuturos, & schisma omne penitus extinctum iri. Complures igitur Apostolicas Literas expediri mandavimus, easque Fratri Aloysio e Casali majori ex Ordine Minorum de Observantia, in Collegio Sancti Bartholomæi ad Insulam linguæ Arabicæ Lectori traditas, per ipsum deferri curavimus ad Patrem Jacobum Lucensem ejusdem Ordinis in Terra Sancta Visitatorem, & Vicarium Apostolicum, quem quidem Nos ad Maronitas Apostolicæ Sedis Alegatum constituimus. In iis autem Literis illud expresè declaravimus, hanc Patriarchæ electionem non a Nobis esse factam ad jus tollendum Episcopis Maronitis in futuris successivè electionibus suorum Patriarcharum, sed ad dissensiones amputandas, eorumque Ecclesiæ pacem, ac tranquillitatem restituendam.

Ecce, quod Vobis exponendum erat, antequam Patriarchæ electi, tum Episcoporum, & Archiepiscoporum Maronitarum literæ, tum etiam documenta perlegerentur, ex quibus quidquid in ejusmodi re factum sit, facilè intelligetis.

Expleta Sanctissimi Allocutione, R. P. Assemanus Procurator, & P. Desiderius Literas Patriarchæ, & Præsulum Maronitarum in theca auro ornata repositas præ manibus gestans, comitante Cæremoniarum Magistro, ad deosculandum Sanctitatis Suæ pedes, consuetis emissis genuflexionibus, accessere. Et Assemanus quidem eductas è theca literas, ori prius in obsequii signum admotas, Sanctissimo Domino Nostro humillimè obtulit: Sanctissimus autem illas R. P. Vincentio Lucchesinio Brevium Apostolicorum ad Principes Secretario tradidit, ut prius Arabice a D. Andrea Scander, linguæ Arabicæ in Urbis Archigymnasio, & in Collegio Urbano de Propaganda Fide Professore, atque Interprete, recitarentur; deinde Latine ab eodem R. R. Lucchesinio. Inde vero præfati R. P. Assemanus, & P. Desiderius redeuntes, in loco suo juxta D. Advocatum Consistorialem genuflexi consliterunt; donec Literæ, quo hic impressæ sunt ordine, legerentur.

Archiepiscoporum, & Episcoporum Maronitarum Documentum.

IN NOMINE DOMINI AMEN.

Die septima mensis Octobris Anno 1743. hora quarta post meridiem, convenerunt Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Archiepiscopi, & Episcopi Nationis Maronitarum in Ecclesia Sanctæ Mariæ, & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli Fratrum Minorum in Arissa, jussu Reverendissimi Patris Jacobi de Luca Ablegati Apostolici. Postquam autem idem Ablegatus antedictos Antistites adhortatus fuisset, eorumque animum ad hoc præparasset, ut debitam Decretis Sanctæ Sedis obedientiam, submissionemque exhiberent, invocato Sancto Spiritu jussit, primum quidem recitari, atque promulgari Ablegationis suæ Breve Pontificium: deinde alterum Breve, quo Illustrissimorum ac Reverendissimorum Episcoporum Eliæ, ac Tobiæ ad Antiochenum Nationis Maronitarum Patriarchatum Electiones irritæ, ac nullæ declarabantur. Tertium denique Breve, quo Simon Archiepiscopus Damasci a Summo Pontifice feliciter Regnante ad eumdem Patriarchatum evehebatur. Cumque hæc Brevia omnes auditione accepissent, ut propensiori quodam studio se obedientes, ac morigeros mandatis Pontificiis ostenderent, illico ad Aram maximam, cujus in medio Illustrissimus ac Reverendissimus electus ac declaratus Patriarcha sedebat, sese contulere, eique tamquam suo Patriarchæ se subditos subjectosque professi sunt.

His quietè tranquilleque gestis, agitari cœptum est de modo ac tempore peragendæ publicæ Ecclesiasticæ Cæremoniæ, quæ ab ipsis in Patriarcharum inauguratione servari consuevit. Ea verò ad undecimum ejusdem mensis diem, Divino favente Numine, indicta fuit. Sacram autem illam functionem, qua majori optandum esset pace ac tranquillitate, circa horam diei septimam, in eadem Ecclesia inchoavit, perfecitque Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Elias, unà cum reliquis Illustrissimis ac Reverendissimis Archiepiscopis, & Episcopis, qui ut horum omnium indubium darent testimonium, præsentibus literis scripto chirographum, propriumque sigillum apposuere.

Datum in Arissa die 12. Octobris anno 1743.

Archiepiscopi, & Episcopi.

Elias Arcæ.
Philippus Lystræ.
Stephanus Botri.
Gabriel Ptolemaidis.
Ignatius Tyri.
Joannes Beryti.
Michael Paneadis.
Tobias Neapolis.

Epistola electi Patriarchæ ad Sanctissimum.

Sanctissimo ac Beatissimo Patri, ac Domino Nostro

BENEDICTO XIV.

PONTIFICI MAXIMO

Christi Domini Vicario, & Petri Apostoli Successori.

SANCTISSIME PATER.

EGo Simon Petrus Evodius, olim Damasci Archiepiscopus, nunc verò miseratione Dei, & Sanctitatis Tuæ beneficio Patriarcha Antiochenus, flexis genibus ad purissimos tuos Pedes submisse ac reverenter provolutus, Beatitudini Tuæ expono, Apostolicas me literas accepisse, quibus mihi demandasti, ut Patriarchalem Nationis Maronitarum Dignitatem susciperem. Tua igitur ipsius gratia, & in obsequium Apostolici mandati tui, id munus suscepi, tametsi nihil esse in me cognoscerem, quare hoc mihi beneficium conferatur, aut quo pacto humeris meis onus istud portare queam. Venerabiles autem Fratres mei Archiepiscopi, & Episcopi non modò non sunt mihi reluctati, sed summa potius cum reverentia & obsequio, subjectionem, & obedientiam coram Reverendissimo Patre Jacobo de Luca, Sanctitatis Tuæ Ablegato, exhibuere. Oro itaque, quæsoque, pro tua illa Tibi insita erga omnes benignitate singulari, ut cœleste mihi auxilium precibus tuis a Deo implores, cujus in terris vices geris: sum etenim undequaque calamitatibus, ac molestiis circumseptus.

Porro nostrarum apud Sanctam Apostolicam Romanam Sedem causarum Procuratorem deputavi, ac præfeci R. P. D. Josephum Assemanum, Virum in Ecclesia Dei celebritate nominis clarum: qui Pallium confirmationis a Sanctitate Tua supplex nomine meo petat, impetret, atque recipiat: Quam mihi gratiam in Apostolicis literis, pro tua Te humanitate non degeneraturum significasti. Eidem verò Procuratori ante omnia mandavi, ut debitam Sanctitati Tuæ, & Apostolicæ Sedi, quæ Orthodoxæ Fidei petra est, & fundamentum, sine quo salus æterna obtineri nequit, obedientiam omnino præstet; & quoniam mihi procul agenti, quantum vellem, & optarem, fas non est, ipse coram maximas Beatitudini Tuæ gratias verbis accuratissimis agat, de collato mihi Patriarchalis Dignitatis beneficio, deque acceptis muneribus omnibus, quæ ad bonæ memoriæ Decessorem meum a Te transmissa fuerant: quæque per Ablegatum tuum sunt mihi tradita. His sanè donis incredibilem tuum erga me amorem, ac singularem humanitatem, ut libenter agnosco, ita studio colam sempiterno.

Idem Ablegatus tuus recitavit mihi, & Venerabilibus Fratribus meis Archiepiscopis, & Episcopis, alias Apostolicas literas, quibus nostram Synodum in Monte Libano nuper celebratam Sanctitas Tua confirmare dignata est. Reliqua præterea Decreta ad eam rem spectantia, quæ post confirmatam Synodum edita fuere. Hæc porro omnia, qua decet, animi submissione & excepimus, & probavimus: Nosque eadem ad exitum perducturos spopondimus: quod Apostolicis tuis Deo acceptis, gratisque precibus freti speramus.

Antequam autem Patriarchalem Dignitatem inirem, orthodoxæ Fidei Professionem, ac juramentum fidelitatis de more præscriptum emisi coram Venerabili Fratre meo Elia Masebi, Archiepiscopo Arcensi, & coram Apostolico Ablegato tuo, quem commissi sibi muneris partes omnes prudenter, diligenter, accurateque impleviss testamur.

Obsecro itaque, ut me in tuorum servorum numerum amodo adscribas: sunt enim & alia quædam negotia, quæ ad Me, & ad nostram Antiochenam Sedem pertinent, quæque laudatus noster Procurator Sanctitati Tuæ est expositurus. Id quæso gratiæ mihi novellæ plantæ tuæ concede, ut quas ille nomine meo porriget, ne patiaris pro tua eximia, ac universum terrarum orbem complectente benignitate, irritas esse & inanes preces.

Ipsius verò Procuratoris mei rationem habere velis. Sunt enim magna illius in Apostolicam Sedem merita, nec minora erga Antiochenam Ecclesiam nostram beneficia. Nos autem non fugit, extitisse quosdam, qui apud Sanctitatem Tuam ipsi labem infamiæ aspergere sunt conati. Te igitur etiam, atque etiam rogo, ut pro tua, quæ in universo mundo celebratur clementia, illius rationem habeas, neve fidem tribuas eorum dictis, qui eidem adversantur. Præclara etenim, quæ gessit opera, animique ipsius candor, ac fervens Religionis studium, eundem declarant contra jus, & æquum ab adversariis insimulatum fuisse.

Hæc omnia, Sanctissime Pater, precibus a Te, quam possum, studiosissime contendo, tuisque iterum sanctis pedibus demississima oscula defigens, Deum oro, & obtestor, ut ad multos Te annos sanum, & incolumem servet.

Datum in Conventu Arissæ in Chesroano die 12. Octobris Anno 1743.

Sanctitatis Tuæ humillimus, & obsequentissimus Servus, & Creatura.

Simon Petrus Evodius Patriarcha Antiochenus.

Epistola Archiepiscoporum, & Episcoporum ad Sanctissimum.

Sanctissimo ac Beatissimo Patri, ac Domino Nostro

BENEDICTO XIV.

PONTIFICI MAXIMO

Christi Domini Vicario, & Petri Apostoli Successori.

SANCTISSIME PATER.

NOs Archiepiscopi, & Episcopi Antiochenæ Sedis, Sanctitatis Vestræ Servi, ad puros Vestros Pedes submisse, ac reverentr provoluti significamus, Reverendissimum Patrem Jacobum de Luca Ablegatum Vestrum, statim atque huc pervenit, Apostolicas ad Nos literas Vestras pertulisse, quibus lectis & auditis, continuo Nos omnes Reverendissimo Domino Simoni Patriarchæ a Sanctitate Vestra constituto obedientiam exhibuimus, tanta cum animorum consensione, ut nemo nostrûm contra vel hiscere, vel unum verbum proferre ausus sit. Idque in obsequium Sanctitatis Vestræ, & Sedis Apostolicæ: est enim Nobis exploratum, & compertum, Apostolicam Sedem esse Petram Orthodoxæ Fidei, quam a Majoribus nostris accepimus: Nosque universi parati sumus sanguinem nostrum in illius gratiam profundere. Gratias igitur Sanctitati Vestræ agimus, quàm possumus, maximas de Apostolica, quam nostri gessistis cura, in hoc præsertim calamitoso rerum statu, in quo eramus constituti.

Idem Reverendissimus Ablegatus Vester, qui munere suo apud Nos prudenter, sapienter, ac studiosissime defunctus est, alias Nobis tra-

didit Apostolicas literas Vestras, quibus Synodum nostram Libaniticam confirmatis: quas quidem literas, qua filios obsequentissimos decet, reverentia suscepimus: obsecrantes Deum Optimum Maximum, ut quæ in ea Synodo sunt constituta, opere impleamus, quod sanctis precibus Vestris, & Apostolica Benedictione freti, Nos facturos speramus.

Quod reliquum est, Te etiam atque etiam, Beatissime Pater, rogamus, ut antedicto Patriarchæ nostro unà cum reliquis consuetis spiritualibus muneribus Pallium confirmationis mittatis; atque iterum prono corpore ad terram procumbentes, Sanctos Pedes Vestros reverenter deosculamur, Deumque rogamus, ut Sanctitatem Vestram diu servet incolumem. Amen.

Datum in Conventu Arissæ in Chesroano die undecima Octobris Anno Christi 1743.

Sanctitatis Vestræ humillimi, & obsequentissimi Servi Archiepiscopi, & Episcopi

Elias Arcæ.
Philippus Lystræ.
Stephanus Botri.
Gabriel Ptolemaidis.
Ignatius Tyri.
Joannes Beryti.
Michael Paneadis.
Tobias Neapolis.

Absoluta antedictarum Epistolarum Arabica lectione, & Latina earumdem interpretatione, D. Advocatus Consistorialis hanc Allocutionem adjecit.

Allocutio D. Advocati Consistorialis.

AUdivit ex his Sanctitas Vestra, quantâ Electus Patriarcha se gesserit humilitate simul, atque solertiâ: quantâ Archiepiscopi obedientiâ, ut quæ sibi per Literas in forma Brevis injuncta fuerunt, sedulò exequutioni mandarent. Dum ergo obsequentissimos sese Filios præstiterunt, paternam Sanctitatis Vestræ exorant clementiam, ut Apostolicam, quatenus opus est, confirmationem iis omnibus, quæ in ipsorum Synodo tam ante, quàm post receptam præfati Patriarchæ Electionem acta sunt, elargiri dignetur.

Post hæc Sanctissimus intermissam Allocutionem prosequens, Electum Patriarcham, & Præsules, totamque Maronitarum nationem, necnon ipsum Ablegatum Apostolicum, hoc laudum præconio exornare, simulque quæcumque ab ipsis in executionem Brevium Apostolicarum gesta fuerunt, benigne approbare, & , quatenus opus sit, Apostolica auctoritate confirmare dignatus est.

ALLOCUTIO SANCTISSIMI.

INtellexistis jam, Venerabiles Fratres, omnipotentis Dei ope, Antiocheni Patriarchæ electioni finem summa cum pace impositum, & eâ ratione, quam Nos, Deo ipso, ut putamus, inspirante, proposuimus. Simon Petrus Evodius Damasci Archiepiscopus ad Patriarchatum evectus est. Apostolica nostra Brevia singulari veneratione recepta sunt, & executioni mandata. Pater Jacobus Lucensis, Ablegatus Apostolicus, multa cum laude se gessit. Duo illi Præsules, Elias, & Tobias, qui, ut paulo ante audistis, in Patriarcham electi fuerant, vix auditâ Patriarchæ electione a Nobis factâ, statim acquieverunt; & ipsimet Patriarchæ sese subjicientes, palam profectò fecerunt, quanta sit eorum erga hanc Sanctam Sedem obedientia. Commendatione pariter summâ digni sunt Archiepiscopi, & Præsules Maronitæ, tum etiam tota Maronitarum gens. Proinde Nos amplissima illa elogia, quibus Romani Pontifices Prædecessores nostri eam cohonestarunt, libenter subscribimus: cùm Pius IV. in quibusdam suis Apostolicis Literis affirmaverit, tot millia hominum, quibus componitur, nunquam adorasse Baal; qui tametsi hæreticis, & schismaticis circumsessi, semper tamen in Christiana Fide, & Catholica Religione constantes perstiterunt: cùm Clemens VIII. hoc ipsum confirmaverit, addendo, Maronitas Romanæ Ecclesiæ, Parenti omnium fidelium, & Magistræ, semper obedientiam præstitisse: cùm Paulus V. in suis Literis Maronitas rosarum similes esse dixerit, quòd, singulari Dei gratiâ, inter spinas infidelitatis in Oriente florerent: cùm Urbanus VIII. in suis pariter Apostolicis Literis asseruerit, non concidisse Carmeli decus, neque extinctam esse Libani gloriam; quandoquidem Patriarcha, Præsules, & Sacerdotes Maronitæ in Apostolica Sede, ac Romano Pontifice Divi Petri auctoritatem venerantur: cùm denique Clemens XI. in suis Apostolicis Brevibus in lucem editis similia, & alia plurima in Maronitarum commendationem congesserit.

Utuntur Maronitæ Ritu huic Sanctæ Sedi probato, quique ad Ritum Romanum quamproximè accedit: cùm & ipsi in azymo, non in fermentato conficiant: Sacras Vestes ad Ecclesiæ Romanæ formam adhibeant: Missas privatas, pluresque in diem super eodem Altari celebrent: neque in Missa aquam calidam, ut Græci, apponant; cùm denique soli Episcopi Confirmationis Sacramentum conferant: & novum Calendarium juxtà correctionem Gregorianam apud eos in usu sit. Quare nonnulla legentes ipsorum monumenta ad Nos hac occasione transmissa, mirati sumus, quod quæ circa novum suum Patriarcham, licèt antea ordinatum Episcopum, præstant, ea Consecrationis nomine vocarent. At verò si conferantur, quæ ipsi faciunt cum Patriarcha, qui Episcopus non sit, cum iis, quæ facere solent cum Patriarcha ad Episcopatum jam promoto, facile erit intelligere, hanc quidem non esse Ordinationem, neque veram Consecrationem, sed solemnem potiùs benedictionem, ac publicæ obedientiæ protestationem, aut etiam Divini super ipsum Patriarcham, ejusque regnum auxilii implorationem. Et sanè apud nostrates quoque Auctores, immo in quibusdam Pontificum Romanorum Literis Ordinatio, & Consecratio pro benedictione, electione, ac solemni auguratione usurpantur. Neque verò apud illos id novum ac recens inventum; sed ritus, & cœremonia ex vetusto Rituali Syriaco deprompta: quemadmodum Petrus Maronitarum Patriarcha ad Leonem X. retulit, & in ultima Libanensi Synodo ab hac Sancta Sede confirmata, tantoque, ut audistis, plausu recepta, explicatur.

Ut verò eò revertamur, unde discessimus, primùm Deo immortali, bonorum omnium datori, gratias, quantum possumus, ex corde agimus. Deinde quæcumque gesta sunt in executionem Brevium nostrorum ab Episcopis, & Archiepiscopis Maronitis pro Simone Evodio Damasci Archiepiscopo, & a Nobis Patriarcha Antiocheno per Literas Apostolicas constituto, approbamus, &, quatenus opus sit, auctoritate Apostolicâ confirmamus.

Peracta Sanctissimi Allocutione, Dominus Scaramutius Advocatus Consistorialis instantissime eidem Pontifici pro Pallio supplicavit, in hæc verba.

Instantia D. Advocati pro Pallio.

NOn beneficentiæ Tuæ, Pater Sanctissime, hic finis est. Ecclesiam Antiochenam a dissidiis purgasti: Patriarcham ei dedisti acceptissimum, ac meritissimum: Quæ acta sunt, Tua benignitate, atque auctoritate confirmasti.

Supereſt nunc, ut quod complementum eſt, Patriarchalis Dignitatis, eidem pari humanitate concedas; Pallium ſcilicet de Corpore Beati Petri Apoſtolorum Principis ſumptum, in quo Paſtoralis Officii plenitudo continetur, & pro quo obtinendo idem Rev. Pater Joſeph Aſſemani hic præſens peculiari legitimo mandato ſuffultus, Electi Patriarchæ Simonis Petri nomine, inſtanter, inſtantiùs, & inſtantiſſimè ſupplicat.

Cui poſtulationi Sanctiſſimus Dominus Noſter benignè annuit, inquiens.

ALLOCUTIO SANCTISSIMI.

NOn ſemel hac noſtrâ ætate Archiepiſcopi, & Patriarchæ Orientales honore Pallii donati ſunt. Conſimili celebritate Pallium a Clemente XI. pro Patriarcha Alexandrino Nos poſtulavimus, & obtinuimus, cùm inter Advocatos Conſiſtoriales ageremus. Nos item manibus noſtris eodem ornavimus Petrum Abrahamum Armenorum Catholicorum Patriarcham. Nos ipſi hoc anno ad Cyrillum Patriarcham Antiochenum Græcorum Melchitarum electum illud ſolenni ritu miſimus. Itaque libenter admittimus petitionem Pallii Nobis factam pro Simone Petro Patriarcha Maronitarum electo, ſtatim ac ipſe Fidei profeſſionem rurſus emiſerit, erga hanc Sanctam Sedem juramento fidei de more præſtito.

Quin etiam uberiora tam erga ipſum Patriarcham electum, quàm erga Clerum univerſum, & Populum Maronitarum, benevolentiæ Noſtræ argumenta exhibere cupientes, Pauli V. Prædeceſſoris Noſtri exemplo, qui peculiari ſuâ Conſtitutione ad Petrum Patriarcham Maronitarum Apoſtolicam Benedictionem miſit, cum facultate Clero, & Populo Maronitarum benedicendi, & Indulgentias elargiendi, Nos quoque prædicto Simoni Patriarchæ Apoſtolicam Noſtram Benedictionem amantiſſimè impartimur, eique facultatem tribuimus, ut ſive per ſe, ſive per alium Epiſcopali dignitate fulgentem, dilecto Clero ac Populo Maronitarum, eorumque domibus, agris, prædiis, & bonis quibuſcumque, ſolenni ritu ſemel benedicere; iis verò utriuſque ſexus, qui per Pœnitentiæ Sacramentum a peccatis expiati, & Sanctiſſimâ Euchariſtiâ refecti, benedictioni hujuſmodi præſentes interfuerint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, eâdem auctoritate noſtrâ Apoſtolicâ largiri poſſit ac valeat.

Hac allocutione completa Procurator Generalis Sanctitatis Suæ, & Cameræ Apoſtolicæ in Conſiſtorio Cappa indutus ad RR. PP. Protonotarios & Notarios Apoſtolicos converſus, in hunc modum interpellavit.

EGo Johannes Philippus Toppi Sanctiſſimi Domini Noſtri, & Cameræ Apoſtolicæ Procurator Generalis rogo vos omnes Protonotarios, & Notarios Apoſtolicos hic præſentes, ut de omnibus geſtis a R. P. Simone Petro Electo Patriarcha Antiocheno, ut ex authenticis Literis ejuſdem nuper lectis audiſtis; nec non de Actorum per eundem Electum Patriarcham, Archiepiſcopos, & Epiſcopos geſtorum approbatione, ac conceſſione Pallii eidem Patriarchæ Sanctiſſimo Domino Noſtro, Decretoque ſuper illius conceſſione a Sanctitate Sua benignè edito, unum, ſeu plura, publicum, ſeu publica conficiatis Inſtrumentum, vel Inſtrumenta ad perpetuam rei memoriam.

Tunc antedictorum Protonotariorum Decanus ſubdidit. Conficiemus. *Et ad intimos Sanctitatis Suæ Cubicularios converſus, dixit:* Vobis Teſtibus.

Denique R. P. Aſſemanus electi Patriarchæ Procurator, pro ſingularibus a Sanctitate Sua collatis beneficiis, ejuſdem Patriarchæ nomine gratias acturus, in hunc modum verba fecit.

Gratiarum actio nomine electi Patriarchæ.

BEATISSIME PATER.

NOn uno Tibi nomine Simon Petrus Evodius, Conſanguineus meus, a Te electus, & confirmatus Antiochenus Maronitarum Patriarcha, gratias agit immortales, & referet quotidie maximas. Nam Synodum Nationalem in Monte Libano Apoſtolica auctoritate celebratam, cujus ipſe pars magna fuit, ejuſque leges, atque Conſtitutiones, quibus *Eccleſiaſtica Diſciplina facilius retineri poſſit, & omnis ſuſpicioſa conſuetudo a rebus ſacris prorſus amovetur*, ſupremo Tuo judicio decretoque probaſti, ratas habuiſti, ſervandaſque juſſiſti. Quum verò Maronitarum Archiepiſcopi, & Epiſcopi *duas in factiones diviſi, ac duplici electo ſuæ Nationis Patriarcha, ſchiſma conflaſſent, & Catholicum ſuum Gregem, Deo, & Apoſtolicæ Sedi fidiſſimum, in diſcrimen adduxiſſent, ne per domeſticas diſcordias a vera pietate diſcederet*, huic malo ſapientiſſimè occurrere properaſti, deleta utraque illa in Patriarchalem Sedem illegitima cooptatione. Cumulus denique eximiæ Tuæ in Maronitas omnes, & in ipſum præcipuè Simonem Petrum, benevolentiæ ac benignitatis tum acceſſit, quum eundem, ad tantam Dignitatem non modo ſua ſtudia non conferentem, ſed ne cogitantem quidem, Patriarcham Antiochenum delegiſti, eique honorem Pallii de Corpore Beati Petri ſumpti, in quo Paſtoralis officii plenitudo continetur, ſumma cum celebritate contuliſti. Verum his omiſſis, quæ tantopere teſtata vulgataque ſunt, illud plane verbis exprimere haud facile fuerit, quantum Sanctitati Tuæ debeat, quod cùm ipſius, tùm ſuæ Gentis fidem, & obedientiam tam diſerta oratione, tamque incomparabili eloquentia, laudum præconiis exornaſti. Quidquid autem hoc eſt, quod nuper Maronitæ fecerunt, Tui unius nutus omnes intuentes, & ſequentes; id Tibi, BEATISSIME PATER, omni jure debebatur propter immortalia Tua, tuorumque Civium erga illos beneficia. Te enim admirante vehementiſſime, quod in tanta Dignitate vigil ſemper & intentus, quum maxima quæque totius Chriſtiani orbis optime ac prudentiſſime regas atque diſponas, in rebus etiam Montis Libani mira diligentia atque ſedulitate, quaſi id Tibi ſolum agendum eſſet, verſeris. Bononienſium verò Civium Tuorum, qui de Maronitis optime ſunt meriti, memoria nunquam apud ipſos conſeneſcet: Gregorii, inquam, Tertii decimi Pontificis Maximi; Gabrielis Palæotti Cardinalis, primi Bononiæ Archiepiſcopi; & Joannis Baptiſtæ de Lambertinis Societatis Jeſu, gentilis Tui, viri Dignitatum abdicatione clariſſimi: quorum primus Collegium hic in Urbe pro Maronitis fundavit, ex quo Collegio, tanquam ex Equo Trojano, tot Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, & præſtantiſſimi doctrina atque pietate Viri prodiere: in quo etiam electus meus Patriarcha a prima ætate literis humanioribus eruditus, cæteras facultates, cùm humanas, tùm divinas ſumma cum laude eſt adſequutus. Alter ejuſdem Collegii Protector, Tertius denique Rector, eum laborum curarumque ſuarum fructum retulere, ut complures inſignis eruditionis, eximiæque probitatis Alumnos temporibus ſuis floruiſſe gauderent. Hæc igitur ſtudioſè, diligenterque meus Patriarcha apud ſe cogitans, Tuorumque magnitudine meritorum inductus, quod

Brève SSmi D. N. ad Joſeph. Patriar. die 27. Sept. 1741.
Brevia ejuſdem die 1. Sept. 1741., & die 14. Febr. 1742.
Brevia ejuſdem die 13. Mar. 1743. & 17. April. 1744.

Breve ejuſdem die 16. Mar. 1743.

Gregor. XIII. Bul. in fundat. Collegii Maronitar. die 27. Junii 1584.
Gabriel Card. Palæottus Protector Collegii Maronit. ab anno 1591. ad annum 1597.
P. Jo. Baptiſta de Lambertinis Soc. Jeſu, Rector ejuſdem Colleg. a die 17. Jun. 1594. ad diem 16. Feb. 1596.

olim

olim Decessori Tuo Leoni Decimo Petrus Maronitarum Antiochenus Patriarcha pietate ac religione conspicuus, exemplo Majorum, palam ac publicè professus est: *quia sive vivimus, sive morimur, pro Dei, Ecclesiæ, ac* SANCTITATIS VESTRÆ *honore, quæcumque etiam durissima perpeti æquanimiter parati sumus: sumus namque sub perfecta obedientia* SANCTITATIS VESTRÆ, *& Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in omnibus, quæ nobis præcipit, & imponit*: Eandem ultro hodie Maronitæ omnes, eandem Electus meus Patriarcha, in SANCTITATEM TUAM, & Apostolicam Sedem non verbis tantùm, sed illustribus etiam factis ostendunt, & pollicentur obsequii significationem. Sibi enim, suæque Genti testantur devinctam beneficio voluntatem ob susceptam, gestamque perpetuam ab hac Sanctissima Sede curam fovendæ in ipsis Catholicæ Religionis, *quam a Petro Apostolorum Principe sibi traditam, integreque a majoribus suis conservatam, nec Infidelium jugum tam grave corrumpere, nec Hæreticorum, aut Schismaticorum propinquitas labefactare potuit.* Ita Electus meus Patriarcha, & Maronitæ omnes, de fide Catholica, deque suo erga Sanctam Romanam Ecclesiam obsequio, ac veneratione senserunt semper, ac sentire pergunt. Hac grati animi significatione studium Tibi suum agnoscendis, & prædicandis Tuis erga ipsos beneficiis, in hoc Augustissimo Consessu declarant. Quod superest, SANCTISSIME PATER, *Nationem istam tot tantisque inter Hæreticos, Schismaticos, & Infideles, veluti rosam inter spinas, circumdatam angustiis, & calamitatibus*, amplissimo SANCTITATIS TUÆ patrocinio, quod Innocentius III. Decessor Tuus fecerat, fulcire velis, & in clientelam accipere. Tuo Patriarcham ipsum præsidio tuere. *Perfice eam, quam plantavit dextera tua: Fiat manus Tua super virum dexteræ tuæ, & super filium hominis, quem confirmasti Tibi.*

His expeditis, una cum P. Desiderio idem R. P. Assemanus ad deosculandum Sanctitatis Suæ pedes, factis de more genuflexionibus, iterum accessit.

Concil. Labb. Tom. 14. pag. 334. Vide Epist. Monach. S. Maronis ad Hormisdam Papam Tom. 4. Concil. Labb. pag. 1461. & Responsionem ejusdē Hormisdæ Tom. 5. Concil. Labb. pag. 143.

Pius IV. Epist. ad Moysem Maronit. Patriarch. 1. Sept. 1562. Clem. VIII. ad Sergium Patriarch. 1. Aug. 1595. Urban. VIII. ad Johann. Patriarch. 30. Aug. 1625. Clemens XI. ad Jacobum Patriarcham, Episcopos, & Maronitas omnes 29. Jan. 1721. Breve SSmi D. N. die 16. Mar. 1743 Innoc. III. Bulla ad Hieremiam Maronitarum Patriarcham die 3. Jan. 1715. Psalm. 79.

Quibus inhærendo, præsentes literæ publicantur.

Appellatione remota, exequendæ.

CIII.

De Applicatione Missæ Parochialis pro Populo, Conventualis verò pro Benefactoribus Ecclesiæ. Item de Divinæ Psalmodiæ cantu.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, cunctisque locorum Ordinariis per Italiam constitutis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Pontifex Pastorales sollicitudines cum Episcopis libenter comunicat.

CUM semper oblatas Nobis occasiones Apostolica scripta dirigendi ad Fraternitates Vestras libenter amplectimur, ut sinceræ Nostræ erga Vos dilectionis argumenta frequenter eluceant; tum verò majori animi alacritate idipsum præstamus, quum ad excitandum Fraternitatum Vestrarum zelum pro conservatione rectæ disciplinæ in Clero regimini Vestro commisso, præsentibus rerum aut temporum conditionibus commovemur. Nec enim impositum imbecillitati Nostræ omnium Ecclesiarum sollicitudinis onus aliter sustinere Nos posse confidimus, quam si Divini Cultus augmentum, atque exactam Ecclesiasticarum Sanctionum in singulis Diœcesibus custodiam, religiosæ vigilantium Pastorum curæ, identidem inculcando, commendemus.

De applicatione Miss. Paroch. & Conv. &c. plura decreta edita a Cong. Conc.

§. 1. Hujus porrò Epistolæ ad Vos scribendæ occasionem Nobis atque argumentum in primis præbet onus illud, quod omnibus animarum curam gerentibus incumbit, applicandi Missam Parochialem pro Populo ipsorum curæ commisso; tum etiam applicatio Missæ Conventualis, quæ pro Benefactoribus in genere facienda est ab iis, qui Missas canunt in Ecclesiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis; tum denique debitum psallendi, quo tenentur Canonici prædictarum Ecclesiarum Choro assistentes. Cujus quidem argumenti minimè nova, sed a Scriptoribus frequenter habita tractatio est; cumque ea res in hujus Almæ Urbis Nostræ Congregationibus, & potissimum in Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, cujus Secretarii munere olim in minoribus constituti multos annos perfuncti sumus, multoties discussa, ac definita fuerit; quamvis earundem Congregationum Decreta plerumque circa eam uniformia, & sibi consona prodierint, eorumque Decretorum nonnulla etiam Pontificiam Prædecessorum Nostrorum approbationem & confirmationem meruerint; minimè tamen mirandum esset, eorum notitiam ad singulos quosque Vestrum non adhuc perveniisse. Quapropter non modò opportunum, verum etiam necessarium duximus, Encyclicam hanc Epistolam ad Vos scribere, per quam, sublata demum diversarum, in quas Scriptores abierunt, opinionum varietate, constans hujus Apostolicæ Sedis sententia prædictis de rebus cuilibet innotescat; & Fraternitatibus Vestris quædam veluti norma, ac regula suppetat, juxta quam Synodales, aliasque Vestras circa præmissa Constitutiones, Ordinationes, seu Edicta, quorum publicationem Vobis injungimus, dirigere valeatis. Eorum verò exequutionem, dum, juxtà ea, quæ in præsentibus tenenda atque servanda præscribimus, omni, qua decet, sollicitudine, ac vigilantia urgere studebitis, minimè dubitandum Vobis erit, ne Statutorum Vestrorum implemento obicem, aut moram afferre valeant recursus ad hujus Nostræ Curiæ Tribunalia forsitan habendi; utpote quos omnino rejiciendos esse præcipimus, ac jubemus: Quamobrem has ipsas Literas Nostras in singulorum Tribunalium Regestis asservari volumus, atque ad earum præscriptum, tam ipsorum Tribunalium resolutiones, quàm de Vestris decretis, quæ ipsis præsentibus inhærentes edituri estis, judicia, exigi & conferri mandamus.

Applicatio Missæ Paroch. pro Populo, Concilii Trid. & Sedis Ap. decretis sancita.

§. 2. Et quidem quod nuper enunciavimus, Sacrosanctum Missæ Sacrificium a Pastoribus animarum applicari debere pro Populo ipsorum curæ commisso, id, veluti ex Divino præcepto descendens, a Sacra Tridentina Synodo diserte exprimitur *sess. 23. cap. 1. de Reformat.* per hæc notabilia verba: *Cum præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre:* Et quamvis minimè defuerint, qui per inanes, & frivolas interpretationes hujusmodi obligationem a Sancta Synodo memoratam de medio tollere, vel saltem extenuare contenderint; quum tamen relata Concilii verba satis clara & perspicua sint, quumque prædicta Congregatio ejusdem Concilii interpretationi privativè præposita, constanter edixerit, eos quibus animarum cura demandata est, non modò Sacrificium Missæ celebrare, sed illius etiam fructum medium pro Populo sibi commisso applicare debere, nec illud pro aliis applicare, aut pro hujusmodi applicatione eleemosynam percipere posse; quodque magis interest, quum hæc intelligentia a Prædecessoribus Nostris Romanis Pontificibus approbata fuerit, & confirmata; nihil jam amplius ulli Vestrum desiderandum supereſt, ut eam amplecti, eidemque obsequi, necnon illius promptam executionem in Vestris respective Diœcesibus omni studio procurare debeatis.

Sed variis effugiis declinari solita.

§. 3. Neque Nos tamen, qui, ut superius innuimus, in minoribus adhuc degentes, munus Secretarii prædictæ Congregationis Concilii Tridentini Interpretis plures annos obivimus, alioſque non paucos partim in Anconitanæ Cathedralis, partim in Metropolitanæ Bononienſis, Patriæ noſtræ dilectiſſimæ, quam adhuc retinemus, gubernatione aſſiduè tranſegimus, non inquam Nos latent multiplicis generis effugia, per quæ nonnulli prædictæ obligationis implementum declinare ſatagunt, quibuſque proinde opportune a Nobis eſt occurrendum.

Etiam Vicarii amovibiles, & temporarii, ac Regulares ad id tenentur.

§. 4. Quum enim Sacrum Tridentinum Concilium, ne Animarum cura negligatur, non uno in loco Epiſcopis mandet, ut quotieſcumque opus fuerit, idoneos Vicarios cum certorum fructuum aſſignatione ad eandem curam exercendam eligant ac deputent, uti videre eſt *in ſeſſ. 6. cap. 2. ſeſſ. 7. cap. 5., & 7. ſeſſ. 21. cap. 6. ſeſſ. 25. cap. 16.*; non rarò autem eveniat, ut aliquâ Eccleſiâ Parochiali vacante, Vicarius pariter ad implenda hujuſmodi Eccleſiæ onera, uſque ad novi Rectoris electionem, ab Epiſcopo deputari debeat, eodem Concilio Tridentino id jubente *ſeſſ. 24. cap. 18. de Reform.*; nonnulli ex hujuſmodi Vicariis nituntur ſe ipſos a prædicta obligatione ſubtrahere, vel ex eo quod, habituali curâ penes alium ſeu alios reſidente, ipſi actualem dumtaxat exerceant; vel quod ipſi ſint ad nutum amovibiles; vel ad breve tempus hujuſmodi curæ ſint addicti: ut nihil hic loquamur de Parochis Regularibus, qui a prædicta applicatione Miſſæ pro Populo nonnunquam alienos ſe oſtendunt. Itaque mens Noſtra, & ſententia eſt, ſicuti etiam pluries a prælaudatis Congregationibus judicatum fuit ac definitum, quod omnes & ſinguli, qui actu Animarum curam exercent, & non ſolum Parochi, aut Vicarii Sæculares, verum etiam Parochi, aut Vicarii Regulares, uno verbo, omnes & ſinguli, de quibus ſupra dictum eſt, atque alii quicumque, etiam ſpecifica & individua mentione digni, æquè teneantur Miſſam Parochialem applicare pro Populo, ut præfertur, ipſorum curæ commiſſo.

Non obſtante defectu Congruæ, aut quacumque contraria conſuetudine.

§. 5. Nonnulli vero ad evitandum hujuſmodi obligationis implementum, allegare ſolent, congruos ſibi Parochiæ ſuæ redditus non ſuppetere; aliique denique ad inveteratam conſuetudinem confugiunt, ſuſtinentes id neque ſibi, neque deceſſoribus ſuis, per longum tempus, quod immemorabile affirmant, unquam in uſu fuiſſe. Nos autem ad præcedentes prædictæ Congregationis Concilii reſolutiones noſtram approbationem & confirmationem extendimus; & quatenus opus ſit, auctoritate Apoſtolica, iterum tenore præſentium decernimus & declaramus, quod licèt Parochi, ſeu alii, ut ſupra, animarum curam habentes, congruis præfinitis redditibus deſtituantur, & quamvis antiquâ ſeu etiam immemorabili conſuetudine in ipſorum Diœceſibus, ſeu Parochiis obtinuerit, ut Miſſa pro Populo non applicaretur, eadem nihilominus omnino in poſterum ab ipſis debeat applicari.

Diebus tamen Feſtis de præcepto dumtaxat.

§. 6. Dum tamen diximus, omnes animarum curam habentes, Miſſæ Sacrificium pro Populo ſibi commiſſo applicare debere, non ideo ſtatuere voluimus, eoſdem aut quotidie, aut quotieſcumque celebraverint, ad prædictam applicationem pro Populo teneri. Et quidem Sacroſancta Tridentina Synodus *ſeſſ. 23. cap. 14.* præcipit Epiſcopis curare, ut Sacerdotes ſaltem diebus Dominicis, & Feſtis ſolemnibus, Miſſarum ſacra faciant, *ſi autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut ſuo muneri ſatisfaciant, Miſſas celebrent*; in pluribus autem Synodalibus Epiſcoporum Conſtitutionibus novimus provide conſtitutos, ac deſignatos eſſe dies, quibus animarum Paſtores Miſſas celebrare debeant. At vero Nos id unum in præſenti ſuſcepimus decernendum, quando nimirum iidem pro Populo celebrare & applicare teneantur; & quamvis compertum habeamus id, quod aliàs a Congregatione Concilii reſponſum fuit, Parochum nempe pinguibus redditibus dotatum quotidie pro Populo celebrare & applicare debere; eum verò qui uberioribus hujuſmodi redditibus non gaudeat, feſtivis tantum diebus id ipſum præſtare teneri; quum tamen pariter Nobis perſpectæ ſint tum controverſiæ ſuper hoc ipſo exortæ, nimirum ad quam ſummam pertingere debeant Eccleſiæ Parochialis proventus, ut pingues, & uberes appellari poſſint; quoniam pingues minime habendi ſunt redditus, etiam copioſi, quibus tamen multiplicia & gravia ſint onera adnexa; tum etiam multorum querelæ adverſus hujuſmodi decretum, tamquam plus æquo rigidum, excitatæ, Nobis innoteſcant; Idcircò opportunum cenſemus Fraternitatibus Veſtris declarare. Nobis abundè ſatisfactum fore, Vobiſque proinde ſatis eſſe poſſe, dum ii, qui animarum curam exercent, Sacrificium Miſſæ pro Populo celebrent atque applicent in Dominicis aliiſque per annum diebus Feſtis de Præcepto; quum prædicti Dominici, aliique Feſti dies, ii ſint, in quibus, juxta præceptum Concilii Tridentini *ſeſſ. 5. cap. 2., & ſeſſ. 24. cap. 4.* quilibet animarum curæ præpoſitus Populum ſibi commiſſum ſalutaribus verbis paſcere debet, docendo ea quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem; iidemque ſint dies, de quibus eadem Sancta Synodus ſtatuit, *ut moneat Epiſcopus Populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ ſuæ intereſſe, ubi commode id fieri poteſt, ad audiendum Verbum Dei*; & quibus Parochi Subditos ſuos in Doctrina Chriſtiana erudire debent, juxta id quod a prædicto Concilio in citat. *Cap. 4.* Epiſcopis præcipitur, ut nempe *ſaltem Dominicis, & aliis feſtivis diebus Pueros in ſingulis Parochiis, Fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum & Parentes, diligenter ab iis, ad quos ſpectabit, doceri* curent.

Comprehenſis illis, quibus tenetur Populus Miſſam audire.

§. 7. Et quia in nonnullis Diœceſibus numerus dierum Feſtorum de præcepto, de Apoſtolica noſtra auctoritate & conſenſu, eatenus eſt imminutus, ut nempe in aliquibus Feſtis Chriſtifideles & Miſſam audire & ab operibus ſervilibus abſtinere debeant; in aliis verò Populo permiſſum ſit opera ſervilia exercere, firma remanente obligatione audiendi Miſſæ Sacrificium; Nos, ut obortæ jam dubitationes circa onus applicationis Miſſæ Parochialis in hujuſmodi diebus Feſtis, penitus eliminentur, ſtatuimus & declaramus, quod etiam iiſdem Feſtis diebus, quibus Populus Miſſæ intereſſe debet, & ſervilibus operibus vacare poteſt, omnes animarum curam gerentes Miſſam pro Populo celebrare & applicare teneantur.

Facultas cõceditur diſpenſandi Parochos pauperes ab applicatione pro Populo diebus Feſtis.

§. 8. Quia verò propria nonnunquam experientia ſatis agnovimus, aliquos eſſe Parochos adeo pauperes, ut ferme ex eleemoſynis, quas a Fidelibus pro Miſſarum celebratione accipiunt, vivere cogantur; eos verò qui, Eccleſia Parochiali vacante, ad animarum curam exercendam, ſub Vicarii, ſeu Oeconomi nomine, deputantur, aliquibus in locis adeo illiberaliter tractari, ut exigui redditus ipſis conſtituti, & pauca incerta emolumenta eiſdem obvenientia, ægrè ad eorum vitæ neceſſaria ſufficiant; quod iis quoque non rarò evenire ſolet, qui in aliquibus Eccleſiis, habituali cura apud alios manente, actuali tantùm exercitio ſunt addicti; proindeque cum iſtis ſeverè nimis agi videretur, ſi diebus feſtis, quibus potiſſimum hujuſmodi occaſio ſe offert, eiſdem vetitum eſſet eleemoſynam pro applicatione Miſſæ recipere: Idcirco Nos tam iſtorum, quàm illorum inopiam ſummopere miſerantes, eiſdemque, quantum Nobis integrum eſt, conſulere volentes; quamvis, ut ſupra dictum eſt, omnes & ſinguli prædicti teneantur diebus

festis Missam pro Populo celebrare & applicare; attamen, quod pertinet ad prædictos Parochos egentes, unicuique vestrum facultatem concedimus, cum iis, quos revera tales esse noveritis, opportune dispensandi, adhoc ut, etiam diebus festis hujusmodi, eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere, & pro ipso Sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur, liberè & licitè possint & valeant; dummodo ad necessariam Populi commoditatem, in ipsa Ecclesia Parochiali Missam celebrent; ea tamen adjecta conditione, ut tot Missas infra hebdomadam pro Populo applicent, quot in diebus Festis, infra eandem hebdomadam occurrentibus juxta peculiarem intentionem alterius pii Benefactoris obtulerint.

Modò in Eccl. Paroch. celebrent, & totidem Missas pro Pop. applicent.

§. 9. Quod autem spectat ad Vicarios, sive Oeconomos Ecclesiarum vacantium, quum a Sacro Tridentino Concilio *citat. sess. 24. cap. 18.*, cuilibet Episcopo tribuatur facultas eos deputandi & constituendi, *cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis assignatione*; vestrum erit, Ven. Fratres, cum iis agere, qui vacantis Ecclesiæ fructus exigunt, ut egenti Vicario, qui exiguâ hujusmodi certorum fructuum assignatione, pauciscque incertis proventibus gaudeat, congruum aliquod augmentum præbeatur, pro onere celebrandi & applicandi Missam pro Populo diebus Festis. Quapropter pro iis locis, in quibus Ecclesiarum vacantium fructus ad commodum Cameræ Nostræ Apostolicæ exiguntur, opportuna Thesaurario Nostro Generali mandata dirigimus, quæ is denunciare non prætermittet peculiaribus dictorum locorum Collectoribus; cum quibus Episcopi Ecclesiasticæ Nostræ Ditionis, cæterorumque locorum, in quibus, ut præfertur, Ecclesiarum vacantium fructus ad Cameram prædictam pertinent, officii sui partes in eum finem, de quo supra diximus, interponere debebunt.

Vicarii temporanei congruis reditibus ad hûc effectû providendi.

Eâque de re cum Collectoribus Cã. Ap. agendû.

§. 10. Ac demum, quoad illos, qui tanquam Vicarii, sive perpetui, sive ad tempus constituti, Animarum curam administrant, quæ apud alios habitu residet, ratione alicujus Ecclesiæ Parochialis, ipsorum Ecclesiis, seu Monasteriis, Collegiis, aut Locis Piis olim unitæ; quamvis a recol. mem. Prædecessore Nostro S. Pio Papa V. præfinita fuerit certa pars fructuum hujusmodi Vicariis assignanda, prout in ipsius Constitutione, quæ incipit: *Ad exequendum*, data Kalendis Novembris Anni MDLXVII. distinctè statuitur; nihilominus ubi præscripta fructuum portio vel nullo modo, vel non integre Vicariis prædictis assignata reperiatur, vel etiam ubi ea, quæ ad normam prædictæ Constitutionis eisdem fuerit attributa, minime sufficiens a vobis reputetur, propter temporum circumstantias, & signanter pro implendo onere celebrandi & applicandi Missam pro Populo diebus Festis de præcepto; utendum vobis erit potestate, quam fecit Episcopis Synodus Tridentina *sess. 7. cap. 7.*, dum illorum arbitrio permisit, juxta temporum atque injunctorum onerum rationem, congruam prædictis Vicariis fructuum portionem assignare; quam ob causam Nos etiam Fraternitatibus Vestris, quatenus opus sit, necessarias omnes & opportunas facultates impertimur; quibuscumque appellationibus, privilegiis, aut exemptionibus, ut in eodem Concilio sancitur, adversus ea, quæ salubriter a Vobis constituta fuerint, minime suffragantibus.

De Vicariis perpetuis, vel etiam amovib., servanda Constitutio Sancti Pii V.

§. 11. Hæc igitur circa Missam Parochialem statuenda, & Fraternitatibus Vestris denunciandа judicavimus. Indeque gradum facientes ad ea quæ pertinent ad Missam Conventualem, neminem Vestrum latere putamus Sacrorum Canonum sanctiones, quibus præcipitur, ut singulis diebus in Ecclesiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis, tum Horæ Canonicæ debitis modo & forma recitentur, tum etiam Missa Conventualis celebretur; quæ adeo claræ sunt, ut nulla super iis oriri possit dubitatio. Eâque de re perspicuæ pariter & per omnia uniformes existunt Resolutiones ab hac Congregatione Vener. Fratrum Nostrorum Concilii Tridentini Interpretum repetitis vicibus emanatæ, quas omnes Apostolica auctoritate Nostra confirmamus & approbamus, earum executionem Vobis enixè inculcantes, ut scilicet Missa Conventualis, quæ singulis diebus canitur a Clero prædictarum Ecclesiarum, pro earumdem Benefactoribus in genere quotidiè applicetur; eodem prorsus modo, quo Missam Parochialem ab iis qui curam Animarum gerunt, pro Populo sibi commisso, singulis saltem diebus Festis de præcepto, applicari debere superius declaravimus.

II. Missa Conventualis in Eccl. Colleg., Cathed. &c., quotidie celebranda, & pro Benefact. in genere applicanda.

§. 12. Itaque date operam, ut falsam quorundam opinionem eliminetis, quam in aliquibus Ecclesiis ejusmodi, sive dolo malo, sive per errorem invectam esse novimus: quod nempe dum Missa Conventualis pro certo aliquo Ecclesiæ Benefactore, vel grati animi ergo, vel ex vi oneris impositi, celebratur & applicatur, satis impletum censeatur debitum applicationis Missæ Conventualis. Etenim hujusmodi debitum non quidem respicit singulares aliquos Benefactores, sed Benefactores in genere cujuslibet Ecclesiæ, cujus servitio addicti sunt quicunque in eadem sive Dignitates, sive Canonicatus, sive Mansionariatus, sive Beneficia Choralia obtinent, & Missam Conventualem suis respectivè vicibus celebrant.

Nec suffragatur applicatio pro certo Benefactore.

§. 13. Neque minus improbandam noveritis aliorum sententiam, qui satis putant supradictam obligationem impletam esse, dum in eorum Ecclesiis pro Benefactoribus in genere aliquæ interdum preces fiunt, vel anniversaria statis diebus Sacrificia pro illis peraguntur. Nemo enim id sibi arrogare debet, ut impositæ obligationi alia ratione satisfacere possit, quam ea, quæ a Lege Ecclesiastica multoties præscripta fuit; nimirum Missam Conventualem singulis diebus pro Benefactoribus celebrando, eandemque pro illis in genere applicando.

Nec pariter alterius generis preces, vel stata anniversaria Sacrificia.

§. 14. Profectò non solum prioribus Ecclesiæ sæculis, verum etiam temporibus haud longè a nostra ætate remotis, (quod Vos ex Historia Ecclesiæ didicisse non dubitamus) servabatur olim in singulis Ecclesiis series accurata omnium & singulorum, quorum liberalitate unaquæque aucta fuerat, eorumque nomina Sacris Diptychis; sic enim vocabantur, ideo consignata erant, ut eorumdem recordatio nunquam interiret, utque pro iis tum preces funderentur, tum etiam Missæ Sacrificium offerretur; quam ob causam etiam prædictus Catalogus in plerisque Ecclesiis ob oculos Presbyteri Celebrantis apponi consuevit; licet iidem pii Benefactores in suis Donationibus nihil penitùs pro se pacti essent, sed tantummodo pro peccatorum suorum remissione se bona sua Deo offerre declarassent. Ecclesiarum siquidem Præsules preces pro iis imperandas esse duxerunt; quamvis illi propria bona offerentes ne verbum quidem ea de re fecissent, sacrorum hujusmodi Diptychorum usus sensim defecit; ob idque in oblivione jacent alicubi complurium Benefactorum nomina. At non idcircò deserere fas est usum & disciplinam orandi pro iis, & sacrificium Missæ pro illis offerendi. Atque inde præceptum applicandi Missam Conventualem pro Benefactoribus in genere, originem atque rationem desumit.

Ratio & origo hujusmodi obligationis.

§. 15. Quemadmodum verò, loquendo de Missa Parochiali, superius dictum est, varias excusationes afferri solere, ad declinandam illius applicationem pro Populo diebus festis de præcepto; ita pariter usuvenit quoad applicationem

Cujus declinandæ plures causæ frustra afferuntur.

quoti-

quotidianam Missæ Conventualis pro Benefactoribus in genere. Ut autem superiores illæ, sic etiam hæ posteriores, providè è medio sublatæ fuerunt per opportunas Congregationis Concilii Tridentini resolutiones, quas proinde in his etiam auctoritate Nostra approbamus, & confirmamus.

Statuitur contrariam consuetudinem, etiam immemor., non suffragari.

§. 16. Nonnulli siquidem obtentu contrariæ consuetudinis, etiam immemorabilis, in propria Ecclesia vigentis, se ab hujusmodi onere eximi posse sibi persuaserunt. Verum jam pluries responsum fuit, hujusmodi consuetudinem, licet immemorabilem, quæ potiùs abusus & corruptela dicenda est, nemini suffragari.

Peculiarem Celebrantis obligationem per aliam implendam.

§. 17. Alii a Missa pro Benefactoribus in genere applicanda se excusatos voluissent, ex eo, quod alio quopiam Missarum onere obstricti inveniantur, vel ratione proprii Canonicatus, aut alterius Beneficii Ecclesiastici, quod insimul cum Canonicali præbenda obtinent; vel quia, præter munus Canonici, seu Beneficiati, aut Mansionarii in Ecclesia Cathedrali, seu Collegiata, quum etiam in eadem, vel in alia Ecclesia Parochialem curam exerceant, dum Missam Conventualem canunt diebus festis de præcepto, debent pro Populo sibi commisso eam applicare; ac proinde nequeunt eandem pro Ecclesiæ Benefactoribus specialiter offerre. Sed his quoque obviam itum est, jubendo singulis prædictis, ut Missam Conventualem, quam canunt, pro Ecclesiæ Benefactoribus in genere applicent; pro aliis verò, pro quibus ipsi peculiariter Missam applicare tenentur, alterum substituant, qui ipsorum loco Missam hujusmodi celebret, applicetque.

Eleemosynam, quatenus opus, desumendam ex massa distributionum.

§. 18. Aliorum pariter exceptio fuit, quod Missa Conventualis non semper a Canonicis, aut Dignitatibus celebretur, sed aliquando etiam a Beneficiatis, aut Mansionariis; quos minus æquum videtur pro Missæ celebratione omni eleemosyna carere, quæ unde desumi valeat, ignoratur. Cui tamen rei pariter consultum est, demandando, ut ea desumatur ex Massa distributionum.

His deficientibus, opportuna pauperibus dispensatio concedatur.

§. 19. Alii denique obtenderunt exiguitatem hujusmodi distributionum, quæ, ob detractam eleemosynam quotidianam pro Missa Conventuali, ad nihilum ferè redactæ, vix foret, ut ab aliquo curarentur, cum magno detrimento servitii Ecclesiæ præstandi. Tridentina quidem Synodus *sess.* 24. *cap.* 15. opportunas rationes ostendit, quibus Canonicalium Præbendarum inopiæ valeat provideri. Si verò designatam a Concilio viam, ut ferè evenire solet, nequaquam iniri posse contingat, reliquum erit ad Congregationem Concilii recursum habere; cujus erit, perspecto ex Vestris relationibus rerum statu, auctoritate Apostolica, a Prædecessoribus Nostris eidem impartita, & à Nobis etiam præsentium tenore confirmata, quotidianam applicationem Missæ Conventualis pro Benefactoribus in genere, ut aliàs, ad Festos tantummodo dies reducere.

De secunda & tertia Missa Conventuali.

§. 20. Non modo Ecclesiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis injunctum reperitur, ut quotidie Missa Conventualis in eisdem canatur, sed etiam in Rubricis Generalibus, quarum exactissimam Fraternitatibus Vestris custodiam commendamus, præscribitur, ut certis diebus non una, sed binæ, atque etiam aliquando tres Missæ Conventuales uno die celebrentur. Itaque quum nuper a Nobis dictum fuerit, primam Missam Conventualem quotidie pro Benefactoribus in genere celebrandam, & applicandam esse; nunc expendendum superest, an earundem Ecclesiarum Capitula Jurisdictioni Vestræ respectivè subjecta adigere debeatis, ut alias quoque Missas, si plures, ut præfertur, celebrari contigerit, pro Benefactoribus in genere similiter applicent.

Congreg. Concilii Responsa.

§. 21. Hujusmodi quæstio ab aliquibus ex Vobis Ecclesiastico zelo flagrantibus supradictæ Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum Concilii Tridentini Interpretum proposita est. Jamque ante illius propositionem compertum fuerat, aliàs ab eadem Congregatione responsum fuisse, concedendam esse exemptionem ab onere applicandi secundam, ac tertiam Missam Conventualem pro Benefactoribus in genere, attenta Canonicatuum, & Beneficiorum tenuitate; ex quo inferri poterat, hujusmodi applicationis debitum manere, ubi de Ecclesiis pauperibus non ageretur.

Pontifex absolvit ab applicat. secundæ, & tertiæ Missæ, nisi aliud usu receptum.

§. 22. Verum quum hanc definiendæ quæstionis regulam apud prædictam Congregationem non admodum veteri observantiâ firmatam probè noverimus, cumque hujusce dubii solutionem eadem Congregatio nuper judicio Nostro remittendam esse censuerit; Nos ita judicamus, idque Vobis tenendum indicimus: laudandos nempè, & confirmandos esse, quotquot sponte sua secundam, aut tertiam Conventualem Missam pro Benefactoribus in genere applicant; qui verò idem agunt ex vi consuetudinis in ipsorum Ecclesia vigentis, iis imperandum, ut in ea consuetudine perseverent; Ubi verò id usu receptum non invenitur, liberam omnino secundæ, tertiæque Missæ Conventualis applicationem celebrantibus relinquendam esse, dummodo in commemoratione pro Defunctis, Ecclesiæ Benefactorum in genere non obliviscantur.

III. Commendat exactam in Choro psallendi rationem.

§. 23. Huic demum Epistolæ nostræ finem imponentes, Fraternitates Vestras enixè hortamur, ut maximam curam & vigilantiam in id conferatis, ut in Ecclesiarum Vestrarum Choris, præter devotam celebrationem, debitamque applicationem Missæ Conventualis, Horæ Canonicæ non præpropere, sed exactè, pausa nempè interposita, & maxima, qua decet, reverentia, ac religione canantur.

Declarat, etiam Canonicos ubique teneri ad psallendum.

§. 24. Equidem scimus, in aliquibus Metropolitanis, & Cathedralibus Ecclesiis, inter Canonicos eam opinionem invaluisse, ut se munus suum satis implere contendant, dum Choro præsentes assistunt, licet ipsi sibi silentium imperent, neque psallentibus Beneficiatis, aut Mansionariis in cantu se adjungant. In hujusce verò opinionis confirmationem, adduci ab iisdem solent inveteratæ consuetudines, statuta peculiaria, aut etiam prætensa Ecclesiarum suarum Privilegia. At quum Synodus Tridentina *sess.* 24. *cap.* 12., loquens de Dignitatibus, & Canonicis, qui Choro interesse debent, unum ex eorum officiis esse dicat, *in Choro ad psallendum instituto, Hymnis & Canticis Dei nomen reverenter, distinctè, devotèque laudare*; quumque pauca omninò sint Capitula, in quibus eo modo a Canonicis in Choro assistitur, ideoque receptæ in universa Ecclesia disciplinæ paucos illos adversari dignoscatur; quum insuper opinio illa nunquam in Congregatione Concilii Tridentini interpretationi præpositâ, examinata sit, quin statim explosa fuerit, & improbata; quamvis præsumptis consuetudinibus, aliisque fundamentis, & rationibus innixa perhiberetur, Canonicis etiam Ecclesiarum Patriarchalium hujus Nostræ Urbis super hoc instantibus; quum denique idem judicium prolatum reperiatur à pluribus Conciliis Provincialibus, ab hac etiam Apostolica Sede approbatis, & confirmatis; nihil jam reliquum esse videtur, quominus pauciores universorum legi se accommodent. Equidem minimè Nobis compertum est, quo peculiari titulo suffulti persuasum habeant unius vel alterius Ecclesiæ Canonici, se muneri suo satisfacere per simplicem in Choro assistentiam, absque Divinæ Psalmodiæ Cantu. Verùm, nisi illis præsto sit Apostolicum non præsumptum, vel abrogatum, sed legitimum, ac vigens

Nec suffragari præsumpta privilegia, aut consuetudines.

Privi-

1744. Privilegium sive Indultum; jure ac merito verendum est, ne isti, dum ita se gerunt, Præbendarum, ac distributionum fructus minimè suos faciant, & consequenter ne ad eorum restitutionem teneantur. Quapropter vestrum erit, Venerabiles Fratres, hæc omnia illis aperire, ut neque Nobis, neque Vobis apud Divinum Judicem fraudi sit, si in hujusmodi re, quæ tanti est momenti, utpote quæ ad ipsius Dei cultum proximè spectat, abusus & corruptelas, quas arguendo & increpando evellere debebamus, dissimulatione ac silentio nostro fovisse & confirmasse inveniamur. Interea Fraternitatibus Vestris, quas intimo cordis affectu complectimur, Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur.

Dat. die 19. Aug. 1744. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die XIX. Augusti MDCCXLIV. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

CIV. Commendarum Militiæ SS. Mauritii, & Lazari, faciliori erectioni consulitur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI,

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. FRUCTUOSA Militarium Equestrium Ordinum instituta frequenter experti non minus Prædecessores Nostri Romani Pontifices, quàm universi per Christianum Orbem Reges, & Principes, propter eximia tum pietatis, tum bellicæ virtutis opera ab hujusmodi Ordinibus eorumque Militibus, ad Dei gloriam & communem Catholicæ Ecclesiæ utilitatem sæpe patrata, in id certatim curas & studia sua contulerunt, ut pluribus honoribus, prærogativis, privilegiis, ac beneficiis eosdem Ordines, eorumque Professores pro varia temporum opportunitate cumulando, & jugi ipsorum stabilitati, & splendidiori dignitati, & assiduis incrementis consulerent. Quorum Nos vestigiis libenti animo inhærentes, non prætermittimus oblatas quasque occasiones arripere, quibus, per Auctoritatis Nostræ favorem, prædictorum Ordinum utilitates & commoda augeri posse intelligimus.

Pius V. concedit, Beneficia de jurep. laic. in Commendas Militiæ Sancti Lazari erigi posse. §. 1. Dudum enim felic. recordat. S. Pius Papa V. Prædecessor Noster per suam perpetuò valituram Constitutionem, quæ incipit, *Sicut bonus Agricola*, super reformatione Militiæ Hospitalis S. Lazari Hierosolymitani, editam sub datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ MDLXVII. septimo Kalendas Februarii, Pontificatus sui Anno Primo, inter cætera, quæ pro tempore existenti Magno Magistro Militiæ prædictæ asseruit privilegia, id etiam perpetuò eidem licere concessit, ut ipse videlicet pro tempore existens Magnus Magister, quæcumque, quotcumque, & qualiacumque simplicia dumtaxat Beneficia Ecclesiastica, de Jurepatronatus Laicorum ex fundatione & dotatione existentia, & personale servitium in Cathedralibus & Collegiatis non requirentia, (accedente tamen consensu Patronorum, de quorum juribus eis, ut præfertur, ex fundatione & dotatione competentibus, per publica documenta, non autem per alia probationum genera, coram pro tempore existentibus Romani Pontificis Vicario in Urbe in Spiritualibus Generali, & Auditore Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ, vocatis interesse habentibus, legitime constaret, & sine præjudicio ea obtinentium, ipsisque dumtaxat cedentibus, vel decedentibus), in Præceptorias, Commendas, Cappellas, aut Ecclesias ipsorum Hospitalis & Militiæ perpetuò erigere & instituere, dictæque suæ Militiæ perpetuò incorporare, applicare, & appropriare, ac illarum Fundatoribus, & Dotatoribus Jus Patronatus & præsentandi dicto Magistro & Conventui ejusdem Militiæ, vel eorum Deputato, personas idoneas ad Præceptorias, Domos, Cappellas, seu Ecclesias, & Hospitalia hujusmodi pro tempore vacantia, perpetuò præservare, seu etiam reservare, & concedre, & sic a Patronis præsentatos, juxta stabilimenta dictæ Militiæ, minimè requisito Ordinariorum Locorum, & quorumvis aliorum consensu, in illis instituere, ac aliàs illa conferre, & de eis providere posset: Ita tamen, quod debitus Divinus Cultus per idoneas personas ab Ordinario approbandas, etiamsi dicti Ordinis forent, in eisdem exerceretur. Quodque Confirmatio erectionis, & institutionis Præceptoriarum, Commendarum, Cappellarum, aut Ecclesiarum pro tempore sic erectarum, & illarum incorporationis, applicationis, & appropriationis, necnon Jurispatronatus ad illas reservationis, aut concessionis hujusmodi, si citra Montes hujusmodi Beneficia consisterent, infra quatuor, si verò ultra Montes, infra sex menses, à die quo factæ fuissent, à Sede Apostolica impetrari deberet, aliàs illæ, & inde sequuta quæcumque, nulla, & irrita, nulliusque roboris, vel momenti existerent, ac Beneficia hujusmodi in eorum pristinam naturam restituta esse censerentur, & ab eadem Sede impetrari possent.

Militia Sancti Mauritii a Greg. XIII. instituta. §. 2. Postmodum verò Anno Domini MDLXXII. piæ memoriæ Gregorius Papa XIII. etiam Prædecessor Noster, per quasdam ejus Literas incipien. *Christiani Populi*, datas sextodecimo Kal. Octobris Pontificatus sui Anno Primo, aliam sub invocatione S. Mauritii Martyris, & sub Regula Cistercienſi, per universum Christianum Orbem Militiam erexit, cujus suprema Sedes, & Militum Conventus in Sabaudia perpetuò esset, ac in ipsa Militia unum Magistratum Magnum vocandum, supremam ejusdem Militiæ S. Mauritii dignitatem, pro uno Magistro, qui illius caput existeret, certis modo, & forma tunc expressis, Apostolica auctoritate perpetuò instituit, Magistratumque prædictum tunc in humanis agenti Nobili Viro Emmanueli Philiberto Sabaudiæ Duci, ejusque Successoribus omnibus Sabaudiæ Ducibus, certis itidem tunc expressis facultatibus attributis, eadem Apostolica auctoritate concessit, & assignavit.

Ab eodem unitur Militiæ S. Lazari. §. 3. Cui quidem Militiæ S. Mauritii à se ita erectæ, & constitutæ idem deinceps Gregorius Prædecessor, rationabilibus causis, & præcognitis Ecclesiæ Dei & Christianæ Reipublicæ utilitatibus adductus, per allias suas posteriores Litteras incipientes, *Pro commissa*, Idibus Novembris ejusdem Anni editas, supradictam Militiam Hospitalis S. Lazari jampridem Magistri regimine destitutam, cum illius Magistratu, ac omnibus, & quibuscumque illius Prioratibus, Præceptoriis, Hospitalibus, & aliis Beneficiis Regularibus, eorumque membris, fructibus, & Bonis, juribus, & actionibus universis, necnon Ecclesiis, Cappellis, terminis, & pertinentiis quibuscumque ad eamdem spectantibus, quæcumque, quotcumque, qualiacumque, & ubicumque essent, salvis tamen, & exceptis quibusdam, dicta Apostolica Auctoritate in perpetuum univit, annexit, & incorporavit; itaut utraque Militia sic, ut præfertur, unita, in posterum Militia Sanctorum Mauritii & Lazari nuncuparetur, ac præfatus Emmanuel Philibertus, & pro tempore existens Sabaudiæ Dux, Militiæ Sanctorum Mauritii & Lazari Magister perpetuo esset, & appellaretur.

Clem. VIII. confirmat unionem, cum commu- §. 4. Demum recol. mem. Clemens Papa VIII. similiter Prædecessor Noster Anno Domini MDCII. per suas sub Annulo Piscatoris die nona

nicatione Privilegiorum.

Septembris expeditas Litteras, incipientes, *Decet Romanum Pontificem*, Unionem de Militia S. Lazari Militiæ S. Mauritii hujusmodi a dicto Gregorio Prædecessore, ut præfertur, factam, pari quoque Apostolica Auctoritate confirmavit, & eatenus ampliavit, ut nedum una alteri particulariter, vel accessoriè, sed ambæ invicem æquè principaliter, cum suis respectivè privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, prærogativis, præeminentiis, facultatibus, jutisdictionibus, honoribus, favoribus, indulgentiis, indultis, concessionibus, & gratiis quibuscumque perpetuò unitæ censerentur, ac ipsarum pro tempore existens Magnus Magister, earumque Conventus Priores, Præceptores, Milites, Fratres, & Personæ, tum etiam Ecclesiæ, Domus, Hospitalia, Prioratus, Præceptoriæ, Loca, Membra, Res, & Bona, illis omnibus & singulis privilegiis, indultis, concessionibus, aliisque præmissis, eorumque usufructu, commodo, & possessione uti, frui, potiri, & gaudere possent, & deberent æquè pariter, absque ulla prorsus differentia & distinctione, in omnibus & per omnia, perinde ac si ab exordio institutionis Hospitalis & Militiæ S. Lazari, etiam dicta Militia S. Mauritii instituta, & ambæ invicem, ac æquè principaliter, & conformi regula, observantia, disciplina, eisdemque legibus, & institutis unitæ, ac privilegia, exemptiones, Indulta, & alia præmissa utrique Militiæ specificè, nominatim, conjunctim, indistinctè, & expresè concessa & elargita fuissent: prout in singulis Pii, Gregorii, & Clementis Prædecessorum prædictorum memoratis Litteris latius, & uberius continetur.

Difficultas erigendi Commendas juxta formam à S. Pio præscriptam.

§. 5. Nuper verò pro parte Carissimi in Christo Filii Nostri Caroli Emmanuelis Sardiniæ Regis Illustris, ac Sabaudiæ Ducis, & prædictæ Militiæ Sanctorum Mauritii & Lazari Magni Magistri, Nobis significatum est, supradictam facultatem Magno Magistro hujusmodi a S. Pio V. Prædecessore prædicto attributam, ut scilicet Beneficia Ecclesiastica simplicia de Jurepatronatus Laicorum, ut præfertur, existentia, in Præceptorias, Commendas, Cappellas, aut Ecclesias dictæ Militiæ, juxta formam in laudatis ejusdem S. Pii Prædecessoris Litteris præscriptam, erigere valeat, nunquam ferè ad effectum perduci, & inanem ut plurimum, atque frustraneam manere: Idque ea potissimum de causa, quod ad conficiendas in Romana Curia probationes super juribus eorundem Patronorum Laicorum, erectionibus hujusmodi consentientium, (quæ scilicet jura eisdem Patronis ex fundatione, & dotatione competere, & quidem per publica documenta, non autem per alia probationum genera, coram pro tempore existentibus Romani Pontificis in Urbe Vicario, & Auditore Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ, vocatis interesse habentibus, secundum prædictam S. Pii Prædecessoris ordinationem, legitimè constare debet), adeò graves expensæ ob locorum distantiam plerumque subeundæ essent, præsertim in casibus, in quibus oppositores insurgere, & lites desuper in eadem Urbe nostra contestare contingeret; ut per hoc hujusmodi Patronorum animos a voluntate & proposito novas Commendas ejusdem Militiæ de Beneficiis hujusmodi erigendi, retrahi & alienari dignoscatur. Proptereaque ex parte ejusdem Caroli Emmanuelis Regis, ac Sabaudiæ Ducis, & Militiæ prædictæ Magni Magistri, Nobis humiliter supplicatum fuit, ut ejusdem Militiæ Sanctorum Mauritii & Lazari commodis & incrementis uberius consulere vellemus, eâque de causa statuere, ut in posterum publica hujusmodi documenta pro verificatione Jurispatronatus, & ad docendum illud ex fundatione, & dotatione competere Patronis Laicis, qui erectioni simplicium Beneficiorum Ecclesiasticorum hujusmodi in Commendas prædictæ Militiæ consentire voluerint, de cætero in partibus coram Nostro & Sedis Apostolicæ Nuntio apud ipsum Carolum Emmanuelem Regem, seu pro tempore existentem prædictæ Militiæ Magnum Magistrum, commorante, vel alio, seu aliis, ut infra, proferri, & ab illis respectivè recipi valeant & admitti, aliaque circa Apostolicam erectionum hujusmodi confirmationem dictinctiùs constituere de benignitate Apostolica dignaremur.

Summarium precum Pontifici exhibitarum.

§. 6. Nos igitur rationabilibus ejusdem Caroli Emmanuelis Regis, Sabaudiæ Ducis, & Militiæ prædictæ Magni Magistri votis obsecundare, ac ipsius Militiæ utilitates promovere cupientes, dictamque concessionem Magno Magistro prædictæ Militiæ S. Lazari a S. Pio V. Prædecessore, ut præfertur, factam, super facultate erigendi hujusmodi Simplicia Beneficia Ecclesiastica de Jurepatronatus Laicorum existentia, in Præceptorias, Commendas, Cappellas, aut Ecclesias ejusdem Militiæ, accedente Patronorum consensu, & aliàs juxta formam, continentiam, & tenorem prædictæ Constitutionis dicti S. Pii Prædecessoris, ac sub eisdem clausulis, cautelis, limitationibus, & obligationibus in eadem Constitutione contentis & expressis, quas præsentibus Nostris Litteris pro appositis & repetitis haberi & censeri volumus, præter quam in iis, quæ præsentibus adversari conspiciantur, pari Apostolica auctoritate approbantes, & confirmantes; necnon, attentis unione, annexione, & incorporatione utriusque Militiæ prædictæ, per eosdem Gregorium, & Clementem Prædecessores, ut præfertur, factis, hujusmodi concessionem, & facultatem, etiam quoad Militiam S. Mauritii, quatenus opus sit, specialiter & expresè extendentes, & ampliantes; supplicationibus prædictis inclinati, quibuscumque Patronis Laicis, quæcumque, quotcumque, & qualiacumque Simplicia Beneficia Ecclesiastica de eorum respectivè Jurepatronatus laicali ex fundatione & dotatione existentia, & personale servitium in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis non requirentia, in Præceptorias, Commendas, Cappellas, aut Ecclesias dictæ Militiæ Sanctorum Mauritii & Lazari, per dictum Carolum Emmanuelem Regem, & pro tempore existentem Sabaudiæ Ducem, & Magnum Magistrum ejusdem Militiæ Sanctorum Mauritii & Lazari, in vim facultatis prædictæ erigi & instituì cupientibus & proponentibus, aut erectioni & institutioni hujusmodi consentire volentibus, ut ipsi in posterum de eorum juribus, eis, ut præfertur, ex fundatione & dotatione competentibus per publica documenta, non autem per alia probationum genera, coram Sedis Apostolicæ Nuntio apud Carissimum in Christo Filium Nostrum Carolum Emmanuelem Sardiniæ Regem prædictum, ejusdemque in Ducatu Sabaudiæ, & Magno Militiæ prædictæ Magistratu Successores, pro tempore commorante, eoque absente, coram pro tempore existente Archiepiscopo Taurinem., ambobus verò deficientibus, coram viciniore Episcopo, ad præmissorum effectum, docere & constare facere liberè & licitè possint & valeant, dicta Apostolica Auctoritate, earumdem tenore præsentium, perpetuò concedimus & indulgemus; eisdemque pro tempore existentibus Sedis Apostolicæ Nuntio, & Taurinen. Archiepiscopo, & Episcopo viciniori, quos Romani Pontificis in Urbe Vicario in Spiritualibus Generali, & Auditori Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ prædictis, quoad hoc subrogamus, per easdem præsentes committimus & mandamus, quatenus idem Nuntius, eoque non existente, Archiepiscopus prædictus, ambobus autem deficientibus, ipse vicinior Episcopus, documenta, & probationes hujusmodi

Pontifex præfatam concessionem, unionem, & Privil. communication. confirmat.

Indulget probationes in partibus expleri, coram Nuntio Apostolico, sive &c.

respectivè recipiant, & admittant; Eisque ad præmissorum effectum examinatis, atque recognitis, vocatisque coram se, & auditis omnibus interesse habentibus, super existentia, & qualitate Jurispatronatus hujusmodi, ejusdemque competentiâ, opportuna decreta, seu sententias interponant; de quibus omnibus ab eisdem gestis, ac de tota serie rei peractæ, quilibet eorum intra quatuor ad summum menses Apostolicam Sedem certiorare teneatur.

Et erectiones commendarum confirmari per Litteras in forma Brevis, sive per Decretum.

§. 7. Ubi verò supradictæ Militiæ Magnus pro tempore Magister ad requisitas Commendarum, Præceptoriarum, seu Ecclesiarum, aut Cappellarum, erectiones, earumque Militiæ prædictæ incorporationes, & applicationes, necnon, juxta hujusmodi Judicum a Nobis, ut præfertur, delegatorum & deputatorum, decreta, sive sententias, ad jurium patronatus, & præsentandi præservationes, seu etiam reservationes, & concessiones devenerit; volumus, ut infra quatuor Menses, si Beneficia hujusmodi citra Montes conflituerint, si verò ultra Montes, infra sex Menses à die quo illæ factæ fuerint, præmissorum omnium confirmatio à Sede Apostolica obtineri debeat; Quam quidem confirmationem per Litteras Apostolicas in forma Brevis, vel etiam per simplex Decretum Congregationis Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositorum, vel aliorum Concilii Tridentini Apostolica auctoritate Interpretum, expediri posse concedimus & indulgemus: Utque eâ demum obtenta, sequutoque illorum, qui Beneficia hujusmodi obtineant, cessu vel decessu, tunc, & non antea, supradictæ Militiæ Magnus Magister, ad Commendarum, seu Præceptoriarum, Cappellarum, Ecclesiarum hujusmodi collationes, & provisiones, atque eorum, qui à Patronis prædictis præsentati fuerint, in eisdem institutiones, juxta stabilimenta dictæ Militiæ, valeat devenire.

Clausulæ salutares.

§. 8. Decernentes easdem præsentes, & in eis contenta hujusmodi, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, vel quocumque alio defectu notari, impugnari, invalidari, in jus vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, aut adversus eas quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut concedi nullo unquam tempore posse, nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, modificationibus, suspensionibus, aut aliis contrariis dispositionibus etiam à Nobis, vel quibuscumque aliis Romanis Pontificibus successoribus Nostris pro tempore emanatis comprehendi, sed semper & omnino ab illis excepta, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum & validissimum statum restituta, reposita, & plenarie reintegrata, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per prædictum Carolum Emmanuelem, & pro tempore existentem Ducem & Magnum Magistrum eligenda, concessa, validaque, & efficacia fore & esse, ac suos plenarios & integros effectus sortiri, & perpetuò obtinere.

Decretum irritans.

§. 9. Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, & Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Rom. Eccl. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, dictæque Sedis Nuntios in quavis causa, & instantia judicari, & definiri debere, irritumque & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogationes.

§. 10. Non obstantibus prædicta ejusdem Pii Prædecessoris, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon utriusque Militiæ prædictæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, quibusvis Conventibus, Militibus, & Personis utriusque Militiæ hujusmodi, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie etiam iteratis vicibus concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis, ac totis eorum tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad præmissorum effectum specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio.

§. 11. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum Confirmationis, Innovationis, concessionis, ampliationis, derogationis, Statuti, Decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat die 13. Aug. 1744.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimoquarto, decimo Kal. Septembris, Pontificatus Nostri Anno Quinto.

D. Cardinalis Passionei.
J. Datarius.
VISA DE CURIA.
J. C. Boschi.
L. Eugenius.
Registrata in Secretaria Brevium.

CV.

Ut in Civitate Senogallienſi tempore Nundinarum diebus Festis de Præcepto à servilibus Operibus abstineatur: Prorogatur tempus ad dictas Nundinas per alios quinque dies peragendas; Privilegia confirmantur, & ampliantur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

PATERNÆ charitatis officium, quo Christifideles omnes in Domino complectimur, eorumque felicitati procurandæ spirituali in primis, ac deinde temporali etiam, quantum in Nobis est, studemus, Nos admonet ac stimulat, ut diligentiori studio ac cura ad ea intendamus animum, quæ ad Subditarum in temporalibus Nobis, ac Sedi Apostolicæ Civitatum publicum, & privatum commodum, communemque utilitatem pertinent. Æquitatis enim ratio, & justitiæ rectitudo postulat, ut qui sub temporali Sanctæ Romanæ Ecclesiæ dominio positi ac degentes, superna dispensatione parvitatis Nostræ regimini, & gubernio temporali concrediti sunt, & a Nostra Pastorali sollicitudine bona non solùm, quæ ad salutem animarum, sed etiam, quæ ad subsidium, & opem hujus mortalis vitæ sustentandæ inserviunt, certa ac firma fiducia sibi pollicentur, justa expectatione sua, ac spe in Nobis reposita minimè defraudentur; sed abundantius etiam, quàm sperant, optata sua, sine ullo tamen spirituali animarum suarum detrimento, consequantur, ut votorum suorum compotes facti, in uberi rerum necessariarum copia, omnium bonorum Largitori humiles gratiarum actiones lætanter persolvant.

Causæ edendæ Constitutionis.

§. 1. Jamdudum, & ab immemorabili tempore in Civitate nostra Senogallienſi celebres

Nun-

Nundinæ per octo dies ante Festum Sanctæ Mariæ Magdalenæ, & quatuor subsequentes, magno hominum concursu ex remotis & longinquis Europæ, atque Asiæ partibus ad eas confluentium peragi, consueverunt. Cum autem intra illorum dierum spatium dies festi unius, aut alterius Dominicæ mensis Julii, & Sancti Jacobi Apostoli, & Sanctæ Annæ incidere soleant, non sine animi nostri dolore accepimus, quod his diebus, in quibus Christifideles in operibus pietatis, ac religionis se exercere debent, aliqui pravi homines, Dei, & Catholicæ Ecclesiæ præceptorum immemores, & turpi lucro, animarum suarum salute posthabita, inhiantes, per integrum festorum dierum tempus in operibus servilibus, & commerciis obeundis, negociisque temporalibus tractandis, non sine bonorum scandalo, imo Gentium, & Judæorum admiratione, occupati sunt.

Dies festos tempore Nundinarum servari præcipitur.

§. 2. Nos igitur ex commisso Nobis Pastoralis sollicitudinis munere, tam pernicioso abusui, & gravi malo opportunum remedium afferre, & detestandam hanc abominationem è medio dilectæ Nobis Civitatis Nostræ auferre cupientes; Volentesque etiam indemnitati, & perpetuitati jurium, & privilegiorum ejusdem Civitatis, ejusque, ac totius temporalis Status nostri commodo, atque utilitati, quantum in Domino possumus, consulere, ac providere: Motu proprio, ex certa scientia, & plenitudine potestatis, hac Nostrâ in perpetuum valiturâ sanctione decernimus ac constituimus, & Apostolica nostra auctoritate mandamus ac jubemus, ut tempore Nundinarum, quas in posterum in præfata nostra Civitate de more haberi volumus, festi dies piè sanctèque, perinde ac reliquo totius anni cursu, a Christifidelibus colantur, Officinæ, ac Tabernæ claudantur, nullaque publicè exerceantur commercia, stipulenturque contractus, neque alia omnia fiant, quæ in cæteris anni festis diebus a Christifidelibus peragi prohibentur, eo potissimum tempore, quo in majori Ecclesia Sacra Missarum solemnia fieri, & Vesperarum Divina Officia celebrari, & prædicatio verbi Dei haberi consuevit: mane scilicet ab hora decima tertia usque ad meridiem, post meridiem verò ab hora vicesima prima diei usque ad occasum Solis; & per totum dictum temporis spatium omnes Christifideles ab operibus servilibus, ad quæ peragenda nulla necessitas cogit, omninò abstineant, sed ab omni terrena cura, & temporali sollicitudine liberi & vacui, ad Ecclesiam pergant; ibi Sacrosanctæ Missæ Sacrificio pia animi attentione ingentia Dei beneficia recolentes interfint; quin etiam exhortamur in Domino, ut in precibus quoque, Divinisque laudibus persolvendis, audiendoque verbo Dei frequentes sint, & per totum festum diem, quoad fieri potest, se exerceant in iis officiis, quæ Christianam pietatem continent, & comitantur. Si qui autem temerario ausu, Dei, & Ecclesiæ præcepta contemnentes, hanc nostram Constitutionem transgredi tentaverint; Volumus, ut omnibus, & singulis subjiciantur pœnis, ac censuris aliàs a Nobis, nostrisque Prædecessoribus contra inobservantes, temerantesque dies festos statutis, ac determinatis, quas, quatenus opus sit, contra eosdem delinquentes rursus sancimus, constituimus, ac determinamus.

Nedum abstinendo a servilibus operibus.

Sed Christianæ pietatis exercitiis vacando.

Pœnæ contra inobedientes.

§. 3. Deinde verò ne ex hac Constitutione, & provisione nostra aliquod temporale damnum Civitati prædictæ, aliisque ditionis nostræ, & Status Ecclesiastici populis præjudicium, vel detrimentum publico commercio ejusque libertati oriatur, præfatarum Nundinarum tempus ad alios quinque dies, præter solitos & consuetos, producimus, ac prolongamus, in hunc modum videlicet: Ut Nundinæ prædictæ in Civitate nostra Senogallensi de more celebrentur per octo dies ante festum Sanctæ Mariæ Magdalenæ, & insuper per novem dies subsequentes, usque ad initium sequentis mensis Augusti: & ulterius ad pleniorem præmissorum effectum, & hujus voluntatis, provisionis, ac determinationis nostræ executionem, omnia & singula jura, privilegia, indulta, statuta, consuetudines, sententias, ac rescripta quomodocumque a Nobis, nostrisque Prædecessoribus, præsertim Urbano VIII., & Innocentio X., quorum tenores hisce nostris præsentibus Literis de verbo ad verbum pro insertis, & expressis haberi volumus, contra quoscumque emanata, & a præfata Civitate nostra Senogallensi obtenta atque impetrata, super jure privativè celebrandi præfato tempore Nundinas prædictas, tenore præsentium, non ad ullius petitionis instantiam, sed motu proprio, scientia, & potestate pari, confirmamus ac roboramus, eisque perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur, & Apostolicæ confirmationis munimen adjicimus.

Ne detrimentum ex hoc irrogetur, tempus Nundinarum ad aliosquinque dies prorogatur.

Confirmantur privilegia Nundinarum

Cum extensione ad dies adjectos.

§. 4. Denique, ut commerciorum per dictum Nundinarum tempus celebritas inter nostros Subditos, & exteros Mercatores, qui ex diversis, & dissitis regionibus terra, marique cum variis mercibus, ad victum, & communem vitæ usum utilibus & necessariis adveniunt, navium numero, jumentorumque multitudine, Mercatorum frequentia, hominumque concursu, copia & ubertate mercium in dies magis magisque augeatur, omnes gratias, immunitates, ac privilegia, liberum ac tutum commeatum, accessum, ac recessum, & promissam sub fide publica securitatem omnibus & singulis ad dictas Nundinas in Civitate nostra Senogallensi peragendas accedentibus, ibique commorantibus, eo modo ac forma, qua durante dictarum Nundinarum tempore gaudere ac perfrui consueverunt, de Apostolica benignitate per supradictum a Nobis constitutum temporis spatium confirmamus, ac de novo indulgemus, atque impertimur.

Decretum irritans.

§. 5. Decernentes sic, & non aliter in præfatis omnibus, & singulis censeri, ac per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac nostram Cameram Apostolicam, ejusque Officiales quomodocumque nuncupatos, & ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, præsertim Status Nostri Urbini, & quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; & irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ derogatoriæ.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Legibus Imperialibus, & Municipalibus, & quatenus opus sit, Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula *de jure quæsito non tollendo*, ac recolendæ memoriæ Pii Papæ IV. etiam Prædecessoris Nostri Constitutione de gratiis qualecumque interesse Cameræ Apostolicæ concernentibus in eadem Camera præsentandis, & registrandis, itaut præsentes Literæ, etiamsi in eadem Camera nullo unquam tempore præsententur & registrentur, nihilominus valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant: necnon quibuscumque, & quavis firmitate aliâ roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis quibusvis personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, & innovatis:

1744.

Quibus omnibus, & singulis, eorum omnium & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides præstanda transumptis.

§. 7. Cæterum, quia nimis difficile foret præsentes Nostras originales Literas ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus, ut earum transumptis etiam impressis, manu publici Notarii subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 8. Nulli ergo omnino Hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, provisionis, concessionis, confirmationis, statuti, necnon prohibitionis, decreti, ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat die 24. Augusti.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo quarto, nono Kalendas Septembris, Pontificatus Nostri Anno Quinto.

D. Card. Passioneus.
J. Datarius.
VISA DE CURIA.
J. C. Boschi.
J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.
Public. die 3. Septembris ejusdem Anni.

Confirmatio Privilegiorum, Indultorum, & Jurium Collegii Advocatorum Consistorialium; & de eorum muneribus; cum nonnullis definitionibus & Ordinationibus.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procœmium.

INTER conspicuos Ordines, quibus Romana Curia toto terrarum Orbe celeberrima constat atque conflatur, & quorum aliqui pro gerendo universæ Ecclesiæ Catholicæ regimine per inscrutabilem Divini consilii altitudinem humilitati Nostræ concredito, alii pro temporali Nostro, seu verius Beatorum Apostolorum, Patrimonio administrando, consilium atque operam suam Nobis assiduè præstant; alii verò Ecclesiarum, sive Universitatum, aut privatorum controversiis, quæ ad Nostram hanc Urbem & Curiam undique deferuntur, cognoscendis, atque dijudicandis; alii denique in concertantium juribus & causis sustinendis, defensandis, agendis, scientiam suam atque labores impendunt; provida Prædecessorum Nostrorum cura à remotissimis usque temporibus extare voluit illustre Advocatorum Consistorialium Collegium, ex præclaris compositum virtute ac doctrina Viris, quibus, propter scientiæ præstantiam ac rerum usum atque prudentiam, ex omni Advocatorum cœtu delectis, singulare jus, ac privilegium attribuerunt perorandi coram Romano Pontifice, in Supremo Justitiæ Solio, adstantibus Venerabilibus Fratribus suis S. R. E. Cardinalibus, solemniter considente; in Sacro nimirum Consistorio, in quo pleræque olim gravioris momenti causæ, ad Apostolicæ Sedis judicium ex omni parte delatæ, discutiebantur; & plures adhuc vel examinantur, vel, si illæ extra Consistorium agitatæ ac discussæ jam fuerint, in ipso tamen Consistorio definiuntur ac terminantur. Quod quidem Advocatorum prædictorum Collegium, singularesque personæ vertentibus annis eidem adscriptæ, industriam atque operam suam præfatis Prædecessoribus Nostris ita probarunt, ut & gravissimorum munerum, quæ ad retinendam sanctiorum judiciorum religionem, ad Apostolicæ Sedis jura tuenda & conservanda, ad calamitosorum salutem & defensionem, ac promovendam Juris & bonarum artium scientiam pertinerent, proprium sibi, atque, ut vocant, privativum exercitium adjudicari; necnon amplissimis gratiis, privilegiis, atque favoribus, plurium Summorum Pontificum beneficentiâ cumulari, & cohonestari meruerint.

Romana Curia pluribus pro vario munere Ordinibus composita.

Inter quos extat illustre Advocatorum Consistorialium Collegium.

Gravissimis exercendis muneribus addictum.

Et amplissimis privilegiis cumulatum.

§. 1. Quum autem hujusmodi Privilegia, eximiis ipsorum meritis elargita, alia quidem aliis temporibus indulta reperiantur; nonnulla verò, licet longissimi temporis usurâ, optimo jure eisdem acquisita esse dignoscantur, attamen propter remotissimam fortasse concessionum vetustatem, incertis videantur principiis & originibus innixa; aliorum denique usum & quasi possessionem contrariis nonnunquam actibus interturbari & labefactari contigerit; optandum profectò videbatur, ut unicâ aliquando eorumdem collectione peractâ, eademque inviolabili Apostolicæ auctoritatis robore munitâ, & ipsius Collegii splendori ac dignitati, & jurium ex Pontificia liberalitate eidem competentium firmitati ac securitati consuleretur. Nos itaque, qui concessum Nobis olim a felic. recordat. Prædecessore Nostro Clemente Papa XI. in eodem Collegio locum multos annos tenuimus, eundemque primum Nobis in Romana Curia honoris gradum fuisse, & validum ad studia laboresque Nostros in Apostolicæ Sedis obsequia collocandos incitamentum, aptissimamque ad superiora munera & præmia adipiscenda occasionem extitisse, non sine jucunditate & grati animi sensu nobiscum recolimus, & palam profitemur: cum jam eidem Collegio peculiaria quædam Indulta & Privilegia per alias Nostras Literas in forma Brevis sub Annulo Piscatoris expeditas benignè concesserimus; ut illustre ac perenne extaret Nostræ erga prædictum Collegium existimationis & benevolentiæ argumentum, eadem Indulta, & Privilegia tam à Nobis, ut præfertur, tributa, quàm alia, quorum concessiones diversis Prædecessorum Nostrorum Literis consignatæ reperiuntur, vel quæ ex inveterata consuetudine ipsi Collegio competere dignoscuntur, in unum veluti corpus redigere, eaque omnia Apostolica Nostra Auctoritate firmata & roborata, atque etiam, sicubi opus fuit, declarata & ampliata, præsentibus Nostris Literis perpetuò valituris comprehendere constituimus. Igitur dilectos Filios modernos Aulæ Nostræ Consistorialis Advocatos, eorumque Collegium prædictum amplioris gratiæ favore prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis & pœnis a Jure, vel ab Homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium tantum consequendum, eorum singulares personas harum serie absolventes & absolutas fore censentes, Motu proprio, non ad Collegii, & Advocatorum prædictorum, vel aliorum pro ipsis Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de Nostra mera liberalitate, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia infrascripta privilegia, indulta, jura, facultates, honores, munera, præeminentias, & prærogativas ipsi Collegio earundem tenore præsentium in perpetuum asserimus, approbamus, confirmamus, & innovamus, eaque

Quæ tamen ex variis relatis causis interturbata fuere.

Pontifex, qui in dicto Collegio locum obtinuit, Privilegia præfata in unum colligere, asserere, & augere statuit.

Ideo omnia Privilegia, Jura &c. in amplissima forma confirmat, & ut infra statuit.

novo

II. Generalia circa Collegii statum.

novo Apostolicæ Nostræ Auctoritatis robore communimus, simulque, ut infra, decernimus, statuimus, declaramus, atque sancimus.

§. 2. Atque in primis duodenarium ipsorum Advocatorum numerum a Prædecessore Nostro Sixto Papa IV. in suis hac de re posteriore loco expeditis Literis præfinitum, iis modo & forma, quibus ad hæc usque tempora servatum fuit, firmum perpetuò, & stabilem esse volumus; ita scilicet, ut septem ex iis, qui juxta admissionis ordinem in Collegio antiquiores erunt, Seniorum atque Participantium nomine & juribus fruantur; reliqui verò quinque, Juniores & Supranumerum nuncupari & haberi pergant. Siqui verò ex Pontificia dispensatione, justis suadentibus causis, alicui ex duodecim Advocatis Coadjutores cum futura successione deputati fuerint, hi quidem, prout nunc in more habetur, omnia exercere valeant, quæ reliqui de numero possunt; sed durante Coadjutoris munere, & quousque successioni locus factus non fuerit, tam voce, quam emolumentis in Collegio careant.

Quod ex duodecim Viris constet.

§. 3. Porrò in hujusmodi duodenario Advocatorum Consistorialium numero Civitas nostra Bononiensis, immemorabilis possessionis jure, obtinuit & gaudet, ut uni semper ex ipsius Civibus locus sit, propter eximiam fortasse celebritatem ipsius Bononien. Civitatis & Universitatis, in qua bonas artes atque scientias omnes, ac genuinam potissimum solidamque juris prudentiam, sæculo duodecimo ex diuturna obscuritate, in qua præcedentium temporum barbarie miserè jacuerat, in lucem tandem feliciter revocatam, proprias veluti fixisse sedes, indeque cum ad reliquas scholas, tum ad Tribunalia dimanasse, omnium consensu perhibetur.

Inter quos, veteri Civitatis Bononiæ prærogativa, uni ex ejus Civibus semper locus sit.

Alius vero locus hujusmodi à sel. record. Pio Papa IV. per Apostolicas Literas datas anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo, octavo Idus Julii, perpetuò assignatus reperitur uni ex Collegio Doctorum Civitatis Mediolanen., quem Romanus Pontifex pro tempore duxerit eligendum ex tribus, ab ipso Mediolanensium Doctorum Collegio, eidem Romano Pontifici præsentatis, seu nominatis. Item rec. mem. Clemens Papa VIII., & Paulus Papa V. alium locum in prædicto Collegio uni Civi Ferrarienſi saltem ex privilegio effecto seu creato, itidem perpetuo assignarunt, ac pro tempore concedi voluerunt; quam sanè concessionem cumulavit piæ mem. Urbanus Papa VIII. per suas etiam in forma Brevis expeditas Literas datas die decima septima Decembris anni millesimi sexcentesimi vigesimi quinti, dum Civitati nostræ tunc suæ Ferrarienſi per easdem Literas indulsit, ut hujusmodi locus nonnisi Civibus Ferrarienſibus verè originariis, quorum nominatio ad Magistratum Ferrariæ spectaret, pro tempore concedi, & assignari deberet. Aliumque pariter locum in prædicto Collegio ex Apostolica concessione sel. record. Innocentii Papæ XII. Cives Neapolitani obtinere dignoscuntur, quibus prædictus Innocentius per suas Literas in simili forma Brevis sub datum die decimaquarta Novembris anni millesimi sexcentesimi nonagesimi septimi desuper expeditas indulsit, ut occurrente pro tempore prædicti loci sic eis, ut præfertur, concessi vacatione, ab Electis illius Civitatis tres Cives Neapolitani Juris utriusque Doctores Romano Pontifici pro tempore existenti nominarentur, ex quibus idem Romanus Pontifex unum ad hujusmodi Advocati Consistorialis munus præeligeret & assumeret: prout in singulis eorumdem Pii, Urbani, & Innocentii Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum memoratis Literis latius, & uberiùs continetur.

Alter locus Civi Mediolanensi assignandus.

Alter Civi Ferrarienſi.

Alter Civi Neapolitano.

§. 4. Quæ quidem omnia prædictis Civitatibus, Collegiis, seu Universitatibus, vel à Prædecessoribus nostris, ut præfertur, expresè concessa, vel antiquæ consuetudinis jure acquisita, Indulta, & Privilegia, ut scilicet ex eisdem unus pro tempore juxta præscriptas respectivè formas electus, in prædictum Advocatorum Consistorialium Collegium cooptetur, atque ad exercenda munera eidem Collegio & Advocatis competentia, servatis servandis admittatur, approbamus, & confirmamus, &, quatenus opus sit, innovamus, & tanquam exintegro præsentium tenore concedimus & indulgemus.

§. 5. Volentes, ut reliqui, ad explendum duodenarium prædictum Advocatorum Consistorialium numerum, ex omni Advocatorum Romanæ Curiæ cœtu eligantur, qui vel Almæ Urbis nostræ, vel alterius Civitatis Apostolicæ Sedis Ditioni in temporalibus subjectæ, Cives existant, ac necessariis probitatis, doctrinæ, experientiæ, natalium, aliisque requisitis dotibus & qualitatibus præditi sint: Ita tamen, ut quandocumque locus aliquis vacaverit in prædicto Collegio, qui Civibus alicujus ex prædictis Civitatibus addictus non sit, vel cui antea per deputationem Coadjutoris provisum non fuerit, ipsi Advocati Consistoriales collegialiter congregati, pro ipsorum fide, & notitia eorum, qui in Romana Curia laudabilem in Advocati munere operam navant, tres viros ex iis, qui vel Romanæ, ut præfertur, vel alterius Civitatis Ecclesiasticæ Ditionis, Cives existant, quosque in illustre ipsorum Collegium adscribi dignos censuerint, Romano Pontifici pro tempore existenti exhibeant, qui pro suo arbitrio unum ex illis in Aulæ suæ Consistorialis Advocatum eliget ac deputabit; Atque ita in posterum servari mandamus, non obstante sel. record. Prædecessoris Nostri Clementis Papæ XII. Decreto, edito in Consistorio secreto diei vigesimæ secundæ Januarii anno millesimo septingentesimo trigesimo primo, in quo aliam pro hujusmodi Advocatorum delectu formam præscripsit; cujus Decreti tenorem pro præsentibus inserto, ac de verbo ad verbum expresso habentes, eidem in hac parte, motu, scientia & potestatis plenitudine paribus, expresè derogamus, illudque, ac si nunquam emanasset, cassamus, irritamus, & annullamus, ac pro cassato, irrito, & annullato in posterum haberi volumus, & jubemus.

Reliqui, ex Romanæ Curiæ Advocatis Civibus Romanis, vel alterius Civitatis ditionis Ecclesiasticæ assumantur.

Modus electionis ad Loca vacantia, nec ut præfertur affecta.

§. 6. Collatum verò semel Advocati Consistorialis Officium, excepto casu spontaneæ dimissionis, aut juridicæ privationis, nullatenus vacare intelligatur, nisi si per promotionem ad Auditoratum Causarum Sacri Palatii, aut Episcopatum cum residentiæ onere eidem adnexo, aut ad Cardinalatus dignitatem.

Quando collatum munus vacet.

§. 7. Electis autem, juxta formam à Nobis supra præscriptam, Advocatis Consistorialibus, quamvis minimè liceat propria hujusmodi Officii munera exercere, nisi post expletas omnes functiones, quæ in eorum admissionibus de more peragendæ sunt, quæque fortasse, sicut etiam pro electis Causarum Sacri Palatii Auditoribus, novam atque meliorem normam, Deo favente, à Nobis accipient; Antianitatis tamen jura eisdem acquiri statuimus ab eo die, quo nostram, seu nostrorum pro tempore successorum de eorundem electione schedulam, Motus proprii nuncupatam, in Collegio præsentaverint. Coadjutores vero eandem antianitatem desument ab eo die, quo, post prædictas omnes functiones expletas, antianitatem prædictam sibi ab ipsorum Collegio assignari petierint, & obtinuerint, per decretum ejusdem Collegii, Apostolicis deinde Literis in forma Brevis expeditis, si Nobis, & Successoribus nostris placuerit, approbandum & confirmandum. Quæ omnia in eum finem expresè disposita sunt, ut

Jus Antianitatis inter ipsos, à quo tempore computari debeat.

1744.

liquido appareat quibusnam in occurrentibus optionis casibus debeatur locus inter septem Seniores, seu Participantes, & cui pariter totius Collegii Decanatus pro tempore sit deferendus.

Decanatus, à quibus optari possit.

§. 8. Quod quidem Decanatus officium, Nos inhærendo decretis aliàs ab ipso Collegio conditis, neque à Junioribus, aut Coadjutoribus ullo modo, neque à Senioribus absentibus obtineri volumus; sed nec ab iis, qui vel Episcopali charactere insigniti, vel aliàs inter Curiæ nostræ Prælatos adscripti reperiantur; sed ad eum deferri debere statuimus, qui inter Seniores in Romana Curia præsentes, & non Prælatos, antiquior esse dignoscatur. Eveniente autem casu, quo omnes Advocati Seniores in Romana Curia præsentes, vel Episcopatu, vel Prælatura decorati reperiantur, is qui antiquior inter eos erit, Pro-Decani titulo, muneribusque fruetur; donec in septenarium Participantium numerum subingrediatur aliquis non Prælatus, ad quem Decanatus hujusmodi Officium jure deferatur.

III. Privilegiorum & jurium series.

§. 9. Ex privilegiis verò seu prærogativis, quibus hujusmodi Advocatorum Consistorialium nobilis Ordo, ex concessione Prædecessorum Nostrorum, & veteri consuetudine fruitur; nostrâque demum voluntate in posterum gaudere debebit, alia pertinent ad ipsius Ordinis decora & ornamenta; alia verò ad exercitium non unius generis munerum, quæ eidem Collegio privativè sunt demandata. Cum enim prædicti Aulæ nostræ Consistorialis Advocati veri sint, & indubitati nostri, & Romani pro tempore Pontificis Familiares, & continui Commensales, neque porrò ad instar aliorum familiarium hujusmodi, sed pariformiter & æque principaliter cum aliis Familiaribus & Commensalibus prædictis habeantur, & haberi debeant; unde etiam panem honoris ex quotidiana nostra & Romani pro tempore Pontificis liberalitate percipiunt; atque in ejusdem Romani Pontificis iter agentis comitatu, quemadmodum in associandis S. R. E. Cardinalibus Legatis de Pontificio Latere missis, nec non occasione obviam eundi Imperatoribus, Regibus, & Principibus Viris ad Curiam venientibus, una cum reliquis Pontificiæ Aulæ Prælatis, & Familiaribus incedunt; non solum reliquis omnibus Romanæ, vel alterius Curiæ Causarum Advocatis, Patronis, Procuratoribus, atque Causidicis, omnibusque tam Romanæ, quàm alterius cujuscumque Universitatis Licentiatis, Doctoribus, Antecessoribus, atque Magistris, etiam antiquioribus, honoris & dignitatis prærogativâ præcellunt; sed reliquis etiàm tum Clericis, tum Laicis, quantumvis ex nobili genere procreatis, & quocumque officio, seu dignitate præstantibus, aliorumque Principum Familiaribus, antecedunt; & tam in Cappellis, quàm in Consistoriis, & Pontificalibus aliisque Supplicationibus, seu Processionibus, Equitatibus, cæterisque publicis Functionibus, locum habere debent, immediate post Cubicularios nostros utriusque Aulæ tam secretæ, quàm honoris nuncupatæ, nimirum supra ipsos intimi Sacelli nostri Cappellanos secretos, aliosque inferioris Ordinis; prout jam de expresso mandato nostro, omni sublata dubitandi occasione, in usu positum est; & nihilominus Nos idem perpetuis futuris temporibus observari, præsentium tenore mandamus atque statuimus. Eadem que Cappellas, & Functiones omnes prædicto Advocatorum Consistorialium Collegio, quemadmodum aliis Collegiis in eisdem locum habentibus, per Cursores intimari; atque in eis Candelas, Palmas, & Ceras benedictas, Agnus Dei appellatas, in pari quantitate & qualitate cum reliquis Familiaribus nostris, ipsis distribui, necnon eosdem ad audiendas prædicationes verbi Dei, quæ statis temporibus in Palatio nostro habentur, una cum Prælatis Romanæ Curiæ, aliisque Familiaribus nostris, quemadmodum consueverunt, admitti volumus & jubemus.

Quoad Ordinis decus. Advocati C. sunt veri Papæ Familiares.

Quem locum tenere debent in Functionibus.

§. 10. Sessionis verò locum, quem in Cappellis, quæ in Basilica nostra Vaticana celebrantur, hactenus obtinuerunt, nimirum in inferiori Pontificii Solii gradu, infra Almæ Urbis nostræ Conservatores, idem in posterum in prædictis, aliisque Cappellis, quæ pro loci amplitudine eodem ritu disponi poterunt, eisdem assignari decernimus. Ubi verò Cappellæ in Pontificiis nostrarum Ædium Sacelis habeantur, seu in aliis Ecclesiis & locis eodem ordine disponantur, quo in prædictis Ædium nostrarum Sacellis ordinari consueverunt; firmam eisdem & ratam esse volumus concessionem sedilis, seu scamni ad ipsorum usum, ante scamnum, seu sedile pro nostris ad honorem Cubiculariis apponi solitum, de nostro expresso mandato semel positi & assignati, ac deinde per alias nostras in forma Brevis Literas die quinta Martii anni millesimi septingentesimi quadragesimi secundi expeditas in perpetuum attributi, itaut ab ejusdem scamni, seu sedilis usu & possessione à nemine quavis auctoritate ullo unquam tempore valeant amoveri. Ubi verò pro deferenda Umbella seu Baldacchino in supplicationibus Pontificiis, necessarius forte numerus non adsit dilectorum Filiorum utriusque Signaturæ nostræ Referendariorum, quibus hujusmodi honorem privative concessum esse dignoscitur, hujusmodi numerum, præsente Pontifice, ab ipsius Cubiculariis secretis, vel, his etiam deficientibus, ab aliis ejusdem Cubiculariis, honoris nuncupatis; eodem verò Pontifice absente, ab Advocatis Consistorialibus suppleri debere decernimus.

Irem in Cappellis Portuensibus.

Jus deferendi Baldachinum in Processionibus Pontificiis certis in casibus.

Ipsorum præeminentiæ in Conciliis.

§. 11. In Conciliis autem tam Generalibus, quàm Provincialibus, aliisque, in quibus eosdem Aulæ Nostræ Consistorialis Advocatos, seu tanquam præsentis forte Pontificis Familiares Romanam Curiam sequentes, seu tamquam de Legati Apostolicæ Sedis comitatu, vel etiam tamquam Decretorum, aut Juris Civilis Doctores, quemadmodum in more positum esse dignoscitur, locum & sessionem habere contingat; easdem omninò præeminentias, ac prærogativas tam respectu Officialium Romanæ Curiæ, quàm aliorum quorumlibet, eisdem competere volumus, quas in Palatio Nostro, atque in Romana Curia, & Urbe obtinere solent.

Varii habitus delatio juxta varietatem functionum eisdem confirmatur cum privativa.

§. 12. Habitus porrò formam eisdem usitatam Advocati prædicti in posterum etiam perpetuò retineant, tam in Pontificalibus, aliisque solemnioribus Functionibus, Cappellis, Consistoriis, Processionibus, Equitationibus, quàm in ipsorum actibus Collegialibus; laneam scilicet talarem Cappam, coloris violacei, rubris undequaque futuris fulcitam, & Holoserico rubro subsutam, cum Capputio ab anteriori parte rotundo, à tergo vero prolixiori, Holoserico pariter rubro intrinsecùs, eodem verò etiam extrinsecùs æstivo tempore, hyemali autem armellinis pellibus respective subsuto, eoque vel aperto, vel clauso pro functionum diversitate gestando. Habeant etiam Pluvialis usum in die Coronationis Romani Pontificis, & in altera die, qua novus Pontifex Constantinianæ Lateranensis Basilicæ possessionem solemniter capit; ut scilicet, dum ad decantandum laudes, tauslaque omnia novo Pontifici de Cælo adprecanda, præcinente supradicta quidem Coronationis die S. R. E. Cardinali Diaconorum Priore, in die verò Possessionis altero ejusdem S. R. E. Cardinali Priore Presbyterorum, una cum Subdiaconis Apostolicis procedunt, Pluvialibus transversis induantur; itaut pars aperta Pluvialis remaneat supra humerum dextrum, circa collum autem supra Pluviale Capputium de more deferant: Extra verò prædictas functiones, usualem gestationem Vestis Talaris nigri coloris, cum si-

mili

mili Mantellono rotundo, ab Alexandro Papa VII. Prædeceſſore Noſtro per ſpeciale Decretum ſub die vigeſima ſeptima Novembris anni milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi quinti eidem Advocatorum Conſiſtorialium Collegio privative conceſſam, approbamus & confirmamus; ita ſcilicet, ut nemini liceat ſimilibus Veſtibus & Inſigniis uti, ipſiſque electis Auditoribus Cauſarum Sacri Palatii Cappellanis Noſtris vetitum ſit hujuſmodii Habitum aſſumere, niſi de licentia Collegii prædicti Advocatorum Conſiſtorialium, juxta antiquam obſervantiam, ab eodem Collegio per ſupplicem libellum expreſſe petenda & reſpective concedenda; quemadmodum Nos omnibus & ſingulis, & ſpecialiter Auditoribus electis præfatis, non obſtante quacumque conſuetudine in contrarium forſan inducta, per hæc Apoſtolica ſcripta vetamus atque interdicimus.

Et habitus Viatorii uſus conceditur.

§. 13. Utque præterea ex Alma Urbe Noſtra aliò proficiſcentibus prædictis Aulæ Noſtræ Conſiſtorialis Advocatis debitus honor ab omnibus habeatur; quod jam vivæ vocis oraculo eiſdem conceſſimus, ut ſcilicet habitu viatorio ad formam habitus per Prælatos & Familiares Noſtros extra Urbem geſtari ſolitis, ſervato tamen nigro colore, Advocati prædicti uti poſſint & valeant, præſentium quoque tenore expreſſe concedimus & indulgemus.

IV. Quoad munerum exercimuit.

§. 14. Præcipua verò & propria eorum Collegii munera ea ſunt, quæ circa Conſiſtorium, & actus atque negocia in eo gerenda atque tractanda, verſantur; Quæ quidem ita ipſorum Advocatorum Conſiſtorialium propria ſunt, ut ad ipſas functiones pro hujuſmodi Advocati munere in Conſiſtorio peragendas nequidem admittantur ex eodem Collegio illi, qui inter Romanæ Curiæ Prælatos adſcripti reperiuntur, niſi Prælatitio habitu depoſito, habitum Advocati Conſiſtorialis in eum finem induere conſentiant. Cum igitur aliqua majoris momenti cauſa in Conſiſtorio ſecreto veteri more judicialiter agenda erit, non alii, quàm Advocati Conſiſtoriales prædicti ad deducenda Partium jura ſunt admittendi. Et quoniam inter majores cauſas, quæ à Romano Pontifice cum Venerabilium Fratrum ſuorum conſilio definiunt, Beatificationes Servorum Dei, ac Beatorum Canonizationes meritò recenſentur, congruum propterea viſum eſt, ut prærogativa ſcribendi in Jure in hujuſmodi Cauſis Collegio Advocatorum Conſiſtorialium reſervaretur; quamvis, habita ratione plurium Officiorum, quæ illis incumbunt, opportunè quoque ſtatutum ſit, à Congregatione Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Sacris Ritibus præpoſita, duodecim alios è celebrioribus Romanæ Curiæ Cauſarum Advocatis ad hunc effectum approbari & deputari, ad hoc ut Cauſarum hujuſmodi Poſtulatores earum Patrocinium alicui ex illis, pro ipſorum libitu, ſervatis ſervandis valeant demandare.

Præcipuum Officium eſt Cauſas Conſiſtoriales pertractare.

In Cauſis Beatificat. & Canonizat. ſcribere in jure.

§. 15. Ad ipſos tamen Aulæ Conſiſtorialis Advocatos privative ſpectat publicas in Conſiſtorio inſtantias proponere pro Servorum Dei Beatificatione, aut Beatorum Canonizatione, hoc eſt in Conſiſtoriis publicis, quæ in traditione Pilei Cardinalitii novis Cardinalibus creatis, ſeu in receptione Legati Sedis Apoſtolicæ ad Urbem redeuntis, aut alicujus Principum Oratoris ad præſtandam obedientiam Sedi Apoſtolicæ miſſi celebrantur, Orationes habere ſuper meritis ac virtutibus prædictorum Servorum Dei, & Beatorum, inſtando apud Summum Pontificem, ut eorum Beatificationis, aut Canonizationis Cauſæ committantur, ſeu ulterius promoveantur, aut reſpective expediantur; quemadmodum, abrogato veteri more minus decenter inducto, declamandi ſcilicet de rebus profanis, & plerumque de atrocioribus criminibus confictis & imaginariis, per Urbani Papæ VIII. Prædeceſſoris Noſtri Decretum ſub die vigeſima ſeptima Januarii anni milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi primi editum, ſubſequutâ deinde circa methodum in hujuſmodi Orationibus ſervandam peculiari inſtitutione, firmatum fuit. Pro quibus Orationibus peragendis, quæ in duo, aut ad ſummum in tria Conſiſtoria ſingulæ dividi conſueverunt, quæque non ſolum à Senioribus & Participantibus, ſed etiam à Junioribus & Coadjutoribus per turnum, ſervato antianitatis ordine, & à Coadjutoribus prædictis tam ex propria, quàm ex Coadjuti perſona, haberi ſolent, decem ſcuta auri in auro Advocato peroranti pro qualibet vice, ex maleficiorum proventibus, expedito Mandato à Notario Charitatis, eoque à Gubernatore Almæ Urbis Noſtræ ſubſcripto, perſolvi debent.

Et eaſdem cauſas in Conſiſtorio perorare.

§. 16. In iis pariter publicis Conſiſtoriis, quæ pro alicujus Beati Canonizatione coguntur, ad Advocatum pertinet Conſiſtorialis Aulæ, vitam, virtutes, atque miracula Servi Dei fusè integreque enarrare, atque Inſtantias Eccleſiarum, Principum, & Populorum pro ejuſdem Servi Dei Canonizatione Summo Pontifici repræſentare. Idemque paratus eſſe debet prædicta omnia, ſi opus ſit, in ſequenti Conſiſtorio ſemipublico ſtrictim referre. Deinde in die ſolemni Canonizationis in Vaticana Baſilica peragendæ, iterum pro definitæ ſententiæ prolatione coram Summo Pontifice publice inſtare. Pro quorum omnium implemento is, qui ea geſſerit, ex emolumentis, quæ occaſione Canonizationis, Advocatorum prædictorum Collegio debentur, triginta ſcura monetæ percipiet, à Poſtulatore autem Cauſæ, eidem dono dabitur Imago depicta Servi Dei inter Sanctos relati.

Ac relationes in publicis Conſiſtoriis; inſtantias vero in ſolemniis Canonizationum proponere.

§. 17. Quotieſcumque demum Summo Pontifici in Conſiſtorio ſedenti ſupplicandum fuerit ſive ii, quorum res agitur, in Curia præſentes ſint, ſive abſentes, dummodo non ſint Imperatoriæ, Regiæ, aut Cardinalitiæ dignitatis, & in ipſo Conſiſtorio perſonaliter conſtituti; id nonniſi alicujus Advocati Conſiſtorialis voce & operâ peragendum erit. Ipſique S. R. E. Cardinales, ubi ſuæ Dignitati renunciare, eamque in manibus Summi Pontificis dimittere voluerint, per Advocatum pariter Conſiſtorialem à Collegio de ipſorum aſſenſu deputandum, præſentibus eorundem Procuratoribus legitimum mandatum habentibus, inſtantiam ſuam in Conſiſtorio proponi facere debent: Qua de cauſa centum Ducati auri de Camera ad Collegii creditum antea depoſiti, eidem Collegio præſtandi ſunt, iique inter Participantes æquis portionibus dividendi.

Omnes inſtantiæ, & Supplicationes in Conſiſtorio, nonniſi eorum medio proponi debent.

§. 18. Similiter Patriarchæ, Archiepiſcopi, & nonnulli ex Epiſcopis, qui, vel ex Eccleſiarum ſuarum juribus, vel ex perſonali conceſſione, honore Pallii decorantur, illud in Conſiſtorio ſecreto per interpoſitam Advocati Conſiſtorialis perſonam poſtulabunt. Ideoque ſi Patriarcha, Archiepiſcopus, ſive Epiſcopus, ut ſupra, Pallio donandus, in Romana Curia præſens exiſtat, in Conſiſtorio prædicto coram Pontifice ſe ſiſtet, medius inter Advocatum pro eo perorantem à dextris, & Magiſtrum Cæremoniarum à ſiniſtris; ſi verò Prælatus extra Curiam moretur, illius Procurator dextrum, Magiſter verò Cæremoniarum ſiniſtrum, Advocatus autem Conſiſtorialis medium locum tenebit; atque hic pro ſupradicti Pallii conceſſione demiſſas Pontifici preces exhibebit. Et niſi agatur de Eccleſia in Partibus Infidelium exiſtente, vel cui ad inſtantiam, & juxta Decretum Congregationis S. R. E. Cardinalium negotiis de Propaganda Fide præpoſitæ de Paſtore proviſum fuerit, Advocatus prædictus decem Ducatos auri de Camera, qui præcedenter depoſiti eſſe debent, pro

Preces pro conceſſione Pallii ipſi exhibere debent.

hujusmodi petitione percipiet. Ad has verò petitiones in Consistorio proponendas soli admittentur septem Advocati seniores seu Participantes, per turnum, exclusis Junioribus & Coadjutoribus, nisi ex persona alicujus ex Senioribus prædictis ad postulandum accesserint.

V. Advocatorum Consistorialium jura, quoad regimen Archigymnasii Urbis. Cujus Rectoratus eorum Colleg. aliàs unitum fuit.

§. 19. Alterum verò Officiorum genus, quod eidem Advocatorum Consistorialium Collegio privativè incumbit, ad hujusce Almæ Urbis Nostræ Archigymnasii & Studii Generalis regimen spectat: Cujus Gymnasii Rectoratus cum olim uni ex Prælatis Romanæ Curiæ ad ejus vitam concedi & assignari soleret, à Sixto Papa V. Prædecessore Nostro per ejus Literas Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octuagesimo septimo, decimo Kalendas Septembris sub Plumbo datas, pluribus ex causis animum ipsius moventibus, necnon in compensationem certæ pecuniarum summæ à prædicto Advocatorum Consistorialium Collegio in eum finem persolutæ, eidem Advocatorum Consistorialium Collegio cum omnibus & singulis illius Officii juribus, redditibus, & emolumentis, necnon cum quibusvis honoribus, oneribus, jurisdictionibus, facultatibus, & privilegiis supradicto Rectori Prælato aliàs competentibus, perpetuò unitum, annexum, & incorporatum fuit.

Idque à Pontifice confirmatur, cum facultate deputandi Rectorem pro tempore &c.

§. 20. Quam proinde unionem & perpetuam annexionem & incorporationem Officii Rectoratus hujusmodi, una cum facultatibus ipsum Gymnasium, ejusque Ecclesiam, Scholas, & Bibliothecam regendi, asservandi, & gubernandi, unumque ex proprio Collegio in singulos annos Studiorum Rectorem, atque alterum Bibliothecarium, tum etiam Bibliothecæ prædictæ Custodes, aliosque Gymnasii prædicti Officiales, & Ministros, respectivè eligendi & deputandi; salvo eorum jure, quibus vel oneroso, vel alio legitimo titulo nonnullorum Officialium hujusmodi deputatio competere dignoscatur; necnon ejusdem Bibliothecæ libros permutandi; statuta quoque, ordinationes, & provisiones pro Gymnasii prædicti meliori regimine & utilitate condendi, faciendi, & publicandi, atque illa seu illas, toties quoties eisdem, eorum majori parti expedire videbitur, mutandi & innovandi, sicuti per Prædecessores Nostros Sixtum V., Clementem VIII., & Alexandrum VII. Romanos Pontifices eisdem aliàs concessæ fuerunt, approbamus & confirmamus, &, quatenus opus sit, de novo concedimus & indulgemus.

Eorumdem jura in electione Lectorum, & Artium Professorum.

§. 21. In eligendis autem per concursum, quoties ira Nobis, & Successoribus Nostris placuerit, tam Juris Canonici, & Cæsarei in Archigymnasio prædicto Antecessoribus, quàm aliorum, Theologiæ, Linguæ Sanctæ, aliorumque, necnon rationalis & experimentalis Philosophiæ, Medicinæ, & cæterarum artium & facultatum, quæ in Archigymnasio hujusmodi publicè traduntur, & explicantur, Professoribus atque Lectoribus; volumus, ut concurrentium examini coram Venerabili Fratre Nostro Annibale Episcopo Portuensi S. R. E. Cardinali Camerario, & ejusdem Archigymnasii, atque Universitatis Studii generalis Cancellario, S. Clementis nuncupato, ejusque in Officio Camerariatus hujusmodi Successoribus, habendo, Advocati prædicti collegialiter semper assistant; & pro eorum, qui examinati fuerint, electione, una cum Camerario prædicto, qui tamen duplicis suffragii jure gaudere debeat, iidem Advocati Consistoriales suffragium ferant. Et quidem examen eorum, qui ad obtinendas Cathedras in Decretis, seu in jure civili scientiam & peritiam suam profitentur, ab ipsis Advocatis Consistorialibus peragendum erit. Ad aliarum verò scientiarum, sive facultatum, aut Linguarum Lectores Candidatos experiendos atque probandos, ab Archigymnasii Rectore pro tempore deputato, cum prædicti S. R. E. Cardinalis Camerarii participatione, & assensu alii assumentur Assessores in scientiis, facultatibus, & Linguis hujusmodi præstantes, juxta quorum consilium atque sententiam tam Camerarius, quàm Advocati prædicti in suffragiis ferendis super concurrentium peritiâ judicia sua dirigere valeant. Ac denique totius examinis, sive concursus, & suffragiorum latorum relatio, Nobis, seu Romano pro tempore Pontifici, fiet; ut vacanti Cathedræ, sive Lecturæ, de persona habili & idonea auctoritate Apostolica provideatur.

VI. Facultas privativa doctorandi in Urbe in utroque vel altero Jure.

§. 22. Firmamque præterea, & ratam perpetuò esse volumus privativam facultatem Candidatos in utroque seu alterutro Jure Canonico & Cæsareo experiendi, probandi, eosdemque Doctores in utroque seu alterutro Jure prædictis in Romana Curia & Urbe creandi, eisque Doctoratus hujusmodi insignia conferendi, supradicto Advocatorum Consistorialium Collegio tum antiquæ consuetudinis, & possessionis jure competentem, tum etiam expressis Prædecessorum Nostrorum Indultis & Privilegiis multoties concessam & attributam, præsertim verò à fel. record. Sixto Papa IV., Julio Papa III., Sixto Papa V., & Clemente Papa VIII., prout in eorum Literis decima octava Septembris anni millesimi quadringentesimi octuagesimi tertii, sexta Februarii anni millesimi quingentesimi quinquagesimi secundi, tertia Septembris anni millesimi quingentesimi octuagesimi septimi, & duodecima Septembris anni millesimi sexcentesimi primi, respectivè, datis plenius disponitur & continetur. Asserta verò Privilegia, Indulta, Licentias, & Facultates, quorum prætextu aliæ personæ, seu Collegia cujuscumque status, gradus, conditionis, & præeminentiæ, id sibi licere contendunt, licet aliàs à prædictis aliisque Prædecessoribus nostris declarata, moderata, seu respectivè revocata, annullata, & viribus vacuata fuerint; Nos etiam, quacumque auctoritate, & potestate, & quibuscumque ex causis, etiam ex titulo oneroso, & sub quibusvis verborum formulis, expressionibus, clausulis, & Decretis, etiam per Nos, & Prædecessores Nostros, Sedemque Apostolicam, eadem prædictis concessa forent, & quamtumvis longæ & immemorabilis consuetudinis usu ab eisdem sive personis, sive Collegiis possessa & obtenta fuerint, præsentium pariter tenore, quatenus opus sit, revocamus, annullamus, & viribus perpetuò vacuamus.

Revocatis quibusvis prætensis privilegiis aliis Personis, vel Collegiis concessis.

Lis inter Protonotarios Apostolicos & Advocatos Consistoriales super jure Doctorandi in utroque Jure, in Rota pendens, extinguitur.

§. 23. Et nihilominus attendentes, quod inter Dilectos Filios Collegium Nostrorum & Sedis Apostolicæ Notariorum, Protonotariorum nuncupatorum, de numero Participantium, ex una, prædictumque Collegium Nostræ Consistorialis Aulæ Advocatorum, ex alia parte, lis, & Causa super facultate promovendi ad gradum Doctoratus in utroque, vel alterutro Jure, tam in Urbe ejusque Districtu, quàm extra illam & illum, in Causarum Palatii Nostri Apostolici Auditorio, coram certo illius Auditore introducta, adhuc pendet indecisa: Nos, qui jura, rationes, & exceptiones utriusque Partis, tàm voce nostris auribus insinuata, quàm scripto deducta, per Nos ipsos accurate examinavimus, & matura consideratione perpendimus; Volentes ab utroque Collegio tàm Notariorum, quàm Advocatorum hujusmodi, quorum singulares personæ familiares Nostri existunt, omnes & quascumque super hac re lites, & controversias penitus è medio tollere, eorumque respective jura, facultates, & privilegia certis, congruisque limitibus præfinire; Motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, prædictam, ac quamcumque aliam, si qua sit, litem & causam, in prædicto Auditorio, vel alio quovis Tribunali, coram quocumque Judice, & in quacumque instantia,

ſtantia, inter utrumque Collegium hujuſmodi ſuper præmiſſis pendentem (illius reſpective ſtatum, merita, & alia quæcumque, etiam de neceſſitate juris vel facti omninò exprimenda, necnon utriuſque Collegii prædicti conceſſiones, indulta, privilegia, & Literas Apoſtolicas, eorumque totales, & integros tenores ſatis Nobis cognitos, & perſpectos, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes,) harum ſerie ad Nos avocamus, penituſque & omnino ſupprimimus, & extinguimus, perpetuumque deſuper ſilentium imponimus, atque os occludimus. Eiſdem verò Notariis de numero prædicto nullatenus licuiſſe, aut licere ſtatuimus & declaramus, obtentu & vigore Literarum ſel. record. Sixti Papæ V. Prædeceſſoris Noſtri incipien. *Laudabilis* ſuper eorum privilegiis editarum, ſub datum videlicet Nonis Februarii Pontificatus ſui Anno Primo, vel quarumvis aliarum Literarum Apoſtolicarum ſub quacumque forma eidem Collegio conceſſarum, examinationem cujuſquam, Doctoratus gradum in altero vel utroque Jure ſuſcipere cupientis, ad Partes, & extra Urbem committere, nec ſub aliena fide, & relationibus examinationis hujuſmodi, abſentem quemquam, cum clauſula, ac ſi eſſet præſens, prout ſæpius hactenus factum fuiſſe intelligimus, ad hujuſmodi doctoratus gradum in eadem Urbe promovere; ſed tantummodo Notarios Noſtros prædictos, eorumque Collegium quatuor perſonas ſingulis annis, eaſque in Urbe prædicta verè, & realiter præſentes, prævio rigoroſo examine, perſonaliter, & collegialiter per ipſoſmet Notarios faciendo, & non aliter, nec alio modo, ad normam Indulti Apoſtolici à recol. mem. Urbano Papa VIII. etiam Prædeceſſore Noſtro eidem Collegio conceſſi, per ſuas Literas datas ſub Annulo Piſcatoris die quinta Septembris Anni milleſimi ſexenteſimi vigeſimi noni, ad Doctoratus gradum hujuſmodi promovere, libere, & licite poſſe præſenti noſtræ declarationis oraculo definimus: Decernentes ſic, & non aliter intelligendas, & interpretandas fuiſſe, atque inpoſterum intelligi, & interpretari debere eorundem Sixti, & Urbani Prædeceſſorum Literas prædictas, quas pro majori Cautela, & quatenus opus ſit, eatenus limitamus, revocamus, & abolemus, quatenus præſentibus noſtris Literis in aliquo adverſentur, eaſdem in omnibus, & per omnia ad viam, & terminos earundem præſentium reducentes; Ne in re, quæ tanti momenti eſt, pro recto ac felici Sanctæ Eccleſiæ & Reipublicæ gubernio, vel periculum immineat, quod ſub aliena fide, & relationibus, ad gradus hujuſmodi promoveantur indocti, & qui, ſi diligentem examinationem per ipſoſmet Notarios perſonaliter & collegialiter adhibitam ſubiiſſet, minus idonei forſan reperti fuiſſent; Vel id, quod abſurdum reputamus, ſequatur, ut ſcilicèt prædicto Notariorum Noſtrorum Collegio, cui de verè, & realiter præſentibus in eadem Urbe, non niſi quatuor ſingulis annis, diligenti præmiſſo examine, juxta memoratum Urbani Prædeceſſoris Indultum, ad gradum prædictum promovere conceſſum fuit; id ipſum in numero indefinito permiſſum cenſeatur, quoad eos, qui ab eadem Urbe abſentes, & in remotiſſimis fortaſſe regionibus conſtituti permaneant.

Definitur non licuiſſe, neque licere Protonotariis Doctoratus gradum concedere poſtulantibus abſentibus.

Sed quatuor tantum Perſonas in Urbe præſentes ad gradum hujuſmodi ſingulis annis promovere juxta Urbani VIII. Indultum.

§. 24. Ad conſulendum tamen indemnitati eorum, qui hactenus à Dilectis Filiis Sedis Apoſtolicæ Notariis prædictis extra Urbem, & in abſentia, contra præſentis noſtræ declarationis tenorem, Doctoratus gradum in utroque, vel alterutro Jure ſuſceperint; omnes & ſingulas hujuſmodi promotiones ad hunc diem peractas auctoritate noſtra perpetuò revalidamus; & quaſcumque promotionum hujuſmodi nullitates, ex poteſtatis dumtaxat defectu provenientes, earundem præſentium tenore ſanamus; Eaſdemque promotiones, & gradus hactenus ita collatos, & reſpective ſuſceptos, ad omnes effectus, & reſpective ſuſceptos, ad omnes effectus, ad quos de cætero valere conſebantur, eidem ſic, ut præfertur, promotis inpoſterum etiam ſuffragari debere ſtatuimus.

Promotiones tamen abſentium ab ipſis jam facta revalidantur.

§. 25. Quia verò illuſtre, & perantiquum eorundem Notariorum de numero Participantium Collegium hujuſmodi, ob grata devotionis, & familiaritatis obſequia, quæ Nobis, & Apoſtolicæ Sedi inceſſanter impendit, aliaque illius, & Notariorum prædictorum merita ſpeciali benevolentia proſequimur, volentes aliquam propenſæ noſtræ erga illud voluntatis ſignificationem exhibere, eiſdem Notariis de numero prædicto, eorumque Collegio plenam liberamque licentiam, facultatem, & poteſtatem per eaſdem præſentes tribuimus & impertimur, ut ipſi de cætero in perpetuum ſingulis annis, non quatuor dumtaxat perſonas, eaſque familiares, & pauperes, prout in dictis Urbani Prædeceſſoris Literis præſcriptum reperitur, ſed, vigore præſentium, ſex quidem perſonas, etiamſi non familiares, nec pauperes (dummodo tamen in Urbe præſentes exiſtant, aliaque neceſſaria requiſita illis ſuffragentur) ad prædictum gradum Doctoratus in altero, vel utroque jure promovere poſſint, & valeant; Ita quod ſic per eos pro tempore promoti, & laureati omnibus & ſingulis favoribus, honoribus, gratiis, & privilegiis, quibus ſimiles Doctores in publico Archigymnaſio Sapientiæ Urbis Laureati de jure, uſu, privilegio, conſuetudine, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, pariformiter, & æque principaliter uti, frui, potiri, & gaudere poſſint & debeant, ac ad omnes & quoſcumque effectus, etiam Eccleſias Cathedrales aſſequendi, ab omnibus ubique cenſeri, haberi, & reputari, ac ſi in prædicto Archigymnaſio vere promoti & laureati fuiſſent: Ampliantes & extendentes quoad hæc utraſque Sixti, & Urbani Prædeceſſorum Literas prædictas, de cætero in ſuo robore permanſuras.

Utque ipſi Protonotarii ſingulis annis inpoſterum valeant in Urbe non quatuor, ſed ſex Perſonas in utroque Jure doctorare indulgeatur.

§. 26. Volumus autem, quod iidem Notarii, eorumque Collegium prædictum in promotione, & creatione dictorum ſex, alterius, vel utriuſque Juris Doctorum, omnia & ſingula ad præſcriptum dictarum Urbani Prædeceſſoris, & Noſtrarum præſentium ſervanda & adimplenda, omnino ſervare & adimplere teneantur; Et quod numerus dictorum ſex, & non ultra, quavis de Cauſa uno anno non completus, non poſſit, nec valeat ſubſequentibus annis compleri vel reintegrari; quodque nota rogitus promotionum, cum nominibus, & cognominibus, ac Patria promotorum, intra Menſem ex tunc proximum, à die cujuslibet promotionis computandum, ad Archivum Urbanum, ad inſtar aliorum rogituum, per Secretarium Collegii hujuſmodi, vel per ipſos promotos, & laureatos, deferri omninò debeat; Et tunc ſolum, videlicet, poſtquam nota prædicta ad Archivum Urbanum delata fuerit, & non antea, talis promotus pro Doctore ſe gerere, & pro legitime laureato, & promoto ad quoſcumque Juris effectus haberi poſſit; Aliàs promotus ipſe pro Doctore publicè, vel privatim ſe gerens, pœnam falſi ipſo facto & jure incurrat.

Servatis tamen ſervandis: quodque numerus uno anno non completus, nequeat ſubſequenti anno reintegrari.

Promotionum rogitus intra menſem ad Archivum Urbanum deferatur.

§. 27. Omnes verò alias promotiones, & creationes Doctorum in utroque, ſeu altero Jurium, atque Inſignium Doctoralium traditiones ab aliis, quàm Advocatis Conſiſtorialibus prædictis, etiam per Comites Palatinos, aut per ipſos Notarios de numero Participantium, eorumque Collegium, præter, vel contra præſcriptam formam, & ultra præfinitum numerum, in Romana Curia & Urbe prædicta inpoſterum factas vel faciendas cum omnibus inde ſecutis, & ſequendis quibuſcumque, irritas & inanes,

Omnes promotiones ab aliis & aliter in Urbe faciendæ irritantur.

nullius-

1744.

nulliusque roboris vel momenti esse & fore, ac prò nullis & infectis haberi & censeri, neminique ad quoscumque effectus ullo unquam tempore suffragari debere, ipsosque ab aliis, quàm Advocatis prædictis, etiam per eosdem Notarios de numero prædicto, ultra sex præfatos, ad gradum Doctoratus hujusmodi nulliter & attentate promotos vel assumptos, pro non Doctoribus haberi, eadem Apostolica Auctoritate statuimus, atque decernimus.

Ad Officia & Beneficia Urbis & Curiæ Romanæ Doctoratus gradum requirentia, admittuntur Doctores in extera Universitate jam nunc promoti.

§. 28. Præterea supradictos Nostræ Consistorialis Aulæ Advocatos, eorumque Collegium amplioribus favoribus, & gratiis prosequi, & tam prædicti Archigymnasii Almæ Urbis Nostræ splendori & dignitati, quàm feliciori, atque utiliori Romanæ Curiæ statui, & regimini plenius consulere & providere volentes, simulque dignum rationique consonum reputantes, ut quicumque ad Dignitates, Prælaturas, Magistratus, aliaque munia, & Officia dictæ Curiæ, quæ in eadem Curia, & in Romana Urbe consistunt, & in ea exercentur, & quæ Doctoratus gradum in utroque vel altero Jurium annexum habent, aut quomodolibet requirunt, pro tempore assumi, & promoveri desiderant, eorum doctrinæ & idoneitatis in prædicto Archigymnasio publicum præbeant experimentum; Apostolica Auctoritate prædicta, motuque, scientia, & potestatis plenitudine paribus, statuimus atque sancimus, ut ii quidem, qui ante diem publicationis præsentium ad hujusmodi Doctoratus gradum in quacumque publica & approbata tam Status Ecclesiastici, quam extera Universitate Studii generalis, legitimè promoti extiterint, ad Prælaturas, Magistratus, Judicaturas, Lecturas, & Dignitates etiam Ecclesiasticas dictæ Urbis, necnon ad facultatem scribendi tam in jure, quàm in facto, & patrocinandi ut Procuratores in causis coram prædicto Rotæ Romanæ Auditorio, dummodo cætera necessaria requisita illis aliàs respective suffragentur, admitti, illasque & illos seu illa recipere, retinere, & exercere libere & licite possint & valeant, nec ob id eundem Doctoratus gradum in dicto Archigymnasio iteratò suscipere cogantur. Contra verò ii, qui ante diem publicationis earundem præsentium Literarum nondum Doctoralem gradum, ut præfertur, suscepisse comperti fuerint, ad aliquam ex Dignitatibus, vel aliquod ex Beneficiis Ecclesiasticis in Basilicis, aut Collegiatis, vel aliis Ecclesiis ejusdem Urbis consistentibus, pro quibus assequendis, obtinendis vel retinendis ex Sacrorum Canonum, aut Generalium Conciliorum, vel Constitutionum Apostolicarum, seu aliarum Sanctionum dispositione, vel etiam ex lege fundationis, gradus, & qualitas Doctoralis requiratur, ac etiam ad Prælaturas, Magistratus, Judicaturas, etiam alieno nomine exercendas, & Lecturas publicas Urbis, & Curiæ prædictarum, necnon ad facultatem patrocinandi tanquam Procuratores in causis coram eodem Rotæ Auditorio, aut respondendi de jure, seu scribendi pro Advocati munere coram quocumque Judice, seu Tribunali; ac demum ad quodcumque munus, vel Officium Urbis, & Curiæ prædictarum in ipsa Urbe exercendum, quod de jure pariter, vel statuto, aut ex aliqua Apostolica Constitutione & Ordinatione, vel etiam ex longa & inveterata consuetudine gradum & qualitatem Doctoralem hujusmodi exigat, vel requirat, non possint, nec valeant recipi, vel admitti, illasque ac illos & illa respective obtinere vel exercere; etiamsi Prælaturæ, & Judicaturæ prædictæ ejusdem Rotæ, Cameræ, & Cancellariæ Apostolicæ, Signaturæ Nostræ, Populi Romani, vel cujusvis Collegii etiam privilegiati & privilegiatissimi, ac specialem & specialissimam, ac specificam, & individuam mentionem & expressionem requirentis existant; nisi ante admissionem & receptionem hujusmodi, vel, quoad prædicta Beneficia & Dignitates Ecclesiasticas, infra tempus à jure, vel Constitutionibus, & Canonicis Sanctionibus prædictis, aut in fundatione respective præfixum, Doctoratus gradum in ipso publico Urbis Nostræ Archigymnasio susceperint: Decernentes, & eadem Auctoritate statuentes, quod gradus Doctoratus hujusmodi post earundem præsentium publicationem in alia quavis Studii generalis Universitate tam extera, quàm Status Nostri Ecclesiastici, quantumvis publica, approbata, celebri, & famosa, ac specialissima mentione digna, datus & receptus, ipsis graduatis ad quemcumque alium, non autem unquam ad effectum assequendi supradictas Dignitates, Prælaturas, Judicaturas, Lecturas, Munera, & Officia prædicta in Curia & Urbe Nostra, suffragari de reliquo valeat; immò pro effectu præmissorum Doctoratus gradus alibi datus, & receptus, habeatur & haberi debeat, ac si nullo modo datus, ac receptus fuisset.

Sed excluduntur qui inposterum in Archigymnasio Urbis promoti non fuerint.

Exceptis his, qui destinantur ad Officia alicui Civitati, vel Nationi affecta.

§. 29. Ab hac tamen generali lege illos dumtaxat exceptos esse volumus, quos in vim Apostolici privilegii seu Indulti alicui Nationi, Civitati, Universitati, seu Collegio ab hac S. Sede concessi, vel ad munus Advocati Consistorialis, ut supra, vel ad Auditoratum Causarum Palatii Nostri Apostolici nominari, & Nobis seu Romano Pontifici pro tempore existenti, præsentari, seu aliàs juxta Indultorum hujusmodi tenorem eligi & deputari contingat: Ut scilicet, si illi, qui ad prædicta Officia nominati seu electi fuerint, in aliqua conspicua Universitate illius Nationis, aut Civitatis, vel in ea respective Universitate aut Collegio, quibus Indulta hujusmodi seu privilegia concessa fuerunt, ad Doctoralem gradum in utroque jure promoti fuisse dignoscantur, hujusmodi gradus ab iis, ut præfertur, susceptus, juncto illius seu illorum testimonio, qui eos præsentaverint, necnon Pontificis judicio, qui eosdem ad prædicta Officia elegerit & deputaverit, satis eisdem suffragari censeatur, ad effectum assequendi hujusmodi Officia, eaque servatis servandis exercendi; absque eo quod ad iteratam prædicti gradus susceptionem in dicto Sapientiæ Archigymnasio compelli possint.

Commissio specialis omnibus Tribunalium & Collegiorum Urbis Capitibus pro præmissorum executione.

§. 30. Ut igitur ordinatio & Statutum nostrum hujusmodi perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observetur, Venerabilibus Fratribus Nostris Thomæ Episcopo Ostien., & Velitern. S. R. E. Cardinali Vice-Cancellario Ruso, & Annibali Episcopo Portuen. ejusdem S. R. E. Cardinali Camerario S. Clementis; necnon dilecto Filio Nostro Nereo S. Eustachii prædictæ S. R. E. Diacono Cardinali Corsino nuncupatis, Signaturæ nostræ Justitiæ Præfecto, eorumque in dictis Officiis Successoribus; & dilectis præterea Filiis, Collegiis Notariorum Apostolicorum, Protonotariorum nuncupatorum de numero Participantium, & Cappellanorum Nostrorum, Causarum Sac. Palatii Auditorum, necnon Clericorum Cameræ Nostræ Apostolicæ, & Signaturæ Justitiæ Referendariorum Votantium, atque Abbreviatorum de Parco Majori, ipsorumque Aulæ Nostræ Consistorialis Advocatorum, & Procuratorum Causarum Sacri Palatii, eorumque respective Decanis; Capitulis quoque, seu Collegiis Basilicarum, Collegiatarum, & aliarum Ecclesiarum dictæ Urbis, aliisque Superioribus & Personis præsentibus, & futuris, ad quos nunc quomodolibet spectat, & pro tempore spectabit, per hæc eadem scripta committimus & injungimus, quatenus ordinationi & statuto prædictis humiliter intendentes, præmissa observari & adimpleri curent, nec quemquam in posterum ad Dignitates, Prælaturas, Magistratus, Judicaturas, Lecturas, Munera, Officia, & Beneficia prædicta, qui Doctoratus

gradum in prædicto Archigymnasio non susceperit, extra casus à Nobis, ut supra, exceptos, admittant seu recipiant, neque contra ordinationis & statuti Nostri hujusmodi seriem, dispositionem, & tenorem, à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari ullo unquam tempore permittant.

VII. Collegio Advocatorum Consistorialium perpetuo adscruntur infrascripta Officia.

§. 31. Quæcumque demum Romanæ Curiæ munera prædicto Advocatorum Consistorialium Collegio, tam expressis Prædecessorum Nostrorum concessionibus, quàm longæ consuetudinis usu privativè, ut præfertur, attributa esse dignoscuntur, ea omnia & singula ita supradicto Collegio addicta & acquisita esse declaramus, ut perpetuis futuris temporibus neque munus Promotoris Fidei; de quo decretum adest Urbani VIII. sub datum die decima tertia Januarii anni millesimi sexcentesimi trigesimi primi, in favorem ipsius Collegii hactenus inviolabiliter observatum; & quo Nos ipsi, dum, in minoribus constituti, in eodem Collegio locum obtineremus, plures annos perfuncti fuimus; neque Officium Advocati Pauperum; aut aliud Advocati Fisci & Cameræ Nostræ Apostolicæ; quæ olim Seniori de Collegio prælicto pro tempore incumbebant, deinde verò arbitrio Summi Pontificis, in aliquem tamen de ipso Collegio semper conferri consueverunt; nec illud pariter Advocati Fabricæ Basilicæ Apostolorum Principis; aut illud Advocati Senatus; & Populi Almæ Urbis Nostræ; vel denique munus Commissarii Conclavis Sede vacante; alteri cuiquam personæ, præterquam alicui ex dicto Collegio Advocatorum Aulæ Nostræ Consistorialis quacumque in contrarium consuetudine, si quæ forte circa aliquod ex præmissis muneribus allegari posset, minime obstante, concedi debeat aut assignari.

Promotoris Fidei.

Advocati Pauperum. Advocati Fisci, & Cameræ Apostolicæ.

Advocati Fabricæ Basilicæ S. Petri.

Advocati S. P. Q. R. Et Commissarii Conclavis, Sede vacante.

§. 32. Volumus tamen, prædicta Officia Promotoris Fidei, & Advocati Fisci, quæ duo olim ab una eademque persona conjunctim obtineri & exerceri consueverant, sed à recol. mem. Prædecessore Nostro Clemente Papa XI. justis & rationabilibus de Causis ab invicem disjuncta separata fuerunt, per ejus Literas perpetuò valituras die septima Aprilis anni millesimi septingentesimi septimi in forma Brevis expeditas, sic etiam in posterum separatim conferri, & à duobus respective Advocatis Consistorialibus exerceri; quidquid deinceps in praxi servatum fuerit, & obtineat de præsenti in persona dilecti Filii Magistri Ludovici de Valentibus moderni Fidei Promotoris, & Fisci Advocati, per specialem gratiam eidem à fel. record. Prædecessore Nostro Clemente Papa XII. concessam, & ultra ipsius personam nullatenus extendendam. Proindeque assignationem portionis panis, & vini, necnon scutorum trecentorum monetæ Romanæ, quæ deinde laudatus Clemens Papa XI. per alias suas in simili forma Literas datas die trigesima Aprilis anni millesimi septingentesimi decimi quarti, ex salariis & emolumentis Advocati Fisci detracta, una cum hujusmodi portione panis, & vini, prædicto Fisci Advocato ex Palatio Apostolico antea dari solita, Promotori Fidei pro tempore existenti de cætero persolvi mandavit, auctoritate prædicta & harum serie approbamus, confirmamus, & innovamus, atque in posterum, quum casus evenerit demandatæ separationis reipsa iterum exequendæ, perpetuò servari mandamus.

Officia Promotoris Fidei, & Advocati Fisci deinceps disjunctim conferantur.

§. 33. Præterea districte præcipimus, ut quicumque ex prædictis Advocatis ad munus Advocati Fisci & Cameræ Apostolicæ, itemque ad aliud Advocati Pauperum deputati fuerint, omninò abstineant à suscipiendo Patrocinio aliarum Causarum, quæ ad Officium sibi respective commissum minime pertineant; quacumque pariter in contrarium consuetudine minime obstante.

Advocatus Fisci, & Advocatus Pauperum abstineant à Patrocinio Causarum ad eorum Officium non pertinentium.

§. 34. Ut autem tot tantisque publicis gravissimisque muneribus assiduam operam impendere Advocati prædicti commode valeant, & spirituali simul eorundem consolationi per Apostolicæ benignitatis favorem consultum sit, quod jam per alias Nostras in forma Brevis Literas sub die vigesima octava Februarii anni millesimi septingentesimi quadragesimi secundi expeditas, eisdem elargiti fuimus, id etiam præsentium tenore, & auctoritate prædicta confirmamus & innovamus, ut scilicet eisdem Advocatis Consistorialibus eorumque Coadjutoribus nunc & pro tempore quandocumque existentibus, in privato Domus cujuslibet eorum habitationis, etiam in hac Alma Urbe Nostra, Oratorio ad hoc decenter muro extructo & ornato, seu extruendo & ornando, ab omnibus Domesticis usibus libero, per dilectum Filium Nostrum in eadem Urbe ejusque Districtu Vicarium in spiritualibus Generalem, quoad Oratoria in dicta Urbe, & quoad alia extra eandem Urbem, per Ordinarium Loci respective, prius visitando & approbando, unam Missam pro unoquoque die, dummodo in Domo hujusmodi celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri concessa non fuerit, per se ipsos, si Sacerdotes fuerint, celebrare, seu per quemcumque Sacerdotem approbatum Sæcularem, vel de Superiorum suorum licentia Regularem, sine tamen quorumcumque jurium Parochialium præjudicio, ac Paschatis, Resurrectionis, Pentecostes, & Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, aliisque solemnioribus Anni festis diebus exceptis, in sua, ac quatenus conjugati existant, in eorum respective Uxorum, necnon in eorundem Filiorum, Consanguineorum, & Affinium secum insimul in eadem Domo habitantium, ac cujuslibet eorum Familiæ præsentia, celebrari facere liberè & licitè possint, ita tamen ut Uxores, & nati, ac Consanguinei & Affines supradicti prædictam unicam Missam ipsis quidem Advocatis præsentibus audire tantummodo, nunquam verò celebrari facere valeant, quodque Familiares eorum servitiis non necessarii ibidem Missæ interessentes, ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus Festis de præcepto liberi minime censeantur. Utque hujusmodi gratiâ ii dumtaxat ex Advocatis Consistorialibus fruantur, qui super illa Apostolicas in forma Brevis Literas ad uniuscujusque favorem expediendas petierint, atque obtinuerint, & non aliàs.

VIII. Licentia celebrari faciendi in Oratorio privato.

§. 35. Præterea omnia & singula supra expressa, atque alia Collegio Advocatorum hujusmodi concessa Privilegia & Indulta, necnon ejusdem Collegii laudabiles stylos, usus, & consuetudines, ordinationes quoque, Constitutiones, atque Statuta pro ipsius Collegii felici regimine & gubernio facta & condita, licita tamen & honesta, ac Sacris Canonibus & Concilii Tridentini Decretis, Constitutionibus Apostolicis, & præsentium tenori ac dispositioni minime contraria, Apostolica auctoritate earundem tenore præsentium perpetuo confirmamus & approbamus, illisque plenariæ & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; ac omnes & singulos tam juris, quam facti, necnon solemnitatum quarumcumque quomodolibet omissarum, aliosque defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus; illaque omnia auctoritate, & tenore prædictis innovamus, & de novo concedimus, ac ab omnibus & singulis personis, ad quas pro tempore spectat & spectabit in futurum, inviolabiliter perpetuò servari volumus & mandamus. Utque supradicta eorum Statuta, Constitutiones, Ordinationes, stylos, usus, & consuetudines pro rerum tempore & personarum qualitate, ac quoties eis expedire videbitur, abrogare, cassare, mutare, alterare, & alia illorum loco facere, condere, edere, & servare libere & licitè

IX. Collegii Statuta, styli, & omnia alia Privilegia confirmantur.

Cum facultate condendi Statuta.

valeant, quæ postquam facta, condita, & edita fuerint, dummodo, ut præmittitur, licita & honesta, Sacrisque Canonibus & Decretis dicti Concilii, Constitutionibus Apostolicis, ac præsentium tenori contraria non existant, eo ipso dicta auctoritate confirmata sint, ac ab omnibus & singulis, quos ea concernunt, in futurum sub pœnis in eis contentis observari debeant; Insuper ut ipsorum Collegii Secretarium, aliosque Officiales & Ministros pro suo arbitrio eligere & deputare, amovere, dimittere, & mutare valeant, quoties id eis expedire videbitur; eisdem auctoritate & tenore præsentium, etiam perpetuò concedimus & indulgemus, plenamque, liberam, & omnimodam facultatem & auctoritatem impertimur, quacumque in contrarium consuetudine minime obstante.

Et deputandi ac amovendi Collegii Officiales atque Ministros.

X. Clausulæ præservativæ.

§. 36. Decernentes easdem præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quilibet in præmissis, seu eorum aliquo, jus vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis existant, sive aliàs specifica & individua mentione & expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati & auditi, neque Causæ, propter quas eædem præsentes emanaverint, adductæ, verificatæ, vel sufficienter aut ullo modo justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, ac formali & substantiali defectu, notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut etiam motu pari, & de Apostolicæ potestatis plenitudine simili concesso vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; Sed ipsas præsentes semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, ac dicto Collegio & Advocatis pro tempore existentibus in omnibus & per omnia etiam perpetuò suffragari, ipsumque Collegium ad verificationem seu justificationem præmissorum, vel partis eorum, minime teneri, aut ullo modo quacumque auctoritate compelli debere; sed easdem, & in eis contenta quæcumque, ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter & inconcusse servari.

Aliter judicari prohibetur.

§. 37. Sicque & non aliter in præmissis censeri, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis prædictæ Nuntios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia ac potestate fungentes & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Deputatio Judicum Executorum.

§. 38. Quocirca eisdem Ven. Fratribus Nostris Thomæ Episcopo Ostiensi, & Veliterno S. R. E. Cardinali Vice-Cancellario Rufo, & Annibali Episcopo Portuen. ejusdem S. R. E. Cardinali Camerario S. Clementis respectivè nuncupatis; necnon dilecto Filio Magistro Flavio Chisio Causarum Curiæ Cameræ Nostræ Apostolicæ Auditori Generali, eorumque pro tempore in Officiis hujusmodi Successoribus, per hæc Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alios, seu alium, auctoritate Nostra, prædictis Aulæ Nostra Consistorialis Advocatis, eorumque Collegio, in præmissis omnibus & singulis, efficacis defensionis præsidio assistant, faciantque eos, & eorum singulos, quoties pro ipsorum parte super hoc fuerint requisiti, omnibus & singulis præfatis pacificè frui & gaudere, non permittentes eos, & eorum aliquem, per quoscumque desuper quomodolibet indebite molestari, inquietari, aut impediri: Contradictores quoslibet & rebelles cujuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis, vel præeminentiæ fuerint, per Censuras Ecclesiasticas, & pecuniarias pœnas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione postposita, compescendo.

Contrariis plenissime derogatur.

§. 39. Non obstantibus Nostra & Cancellariæ Apostolicæ regula *de jure quæsito non tollendo*, necnon præmissis omnibus, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus & Ordinationibus; necnon quibusvis Almæ Urbis Nostræ, Collegiorum quorumcumque, Tribunalium, Universitatum, necnon prædicti Advocatorum Consistorialium Collegii, & Gymnasii, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis Statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, exemptionibus, & indultis, etiam in corpore juris clausis, aut Literis Apostolicis quibusvis personis, & eisdem Urbi, necnon dilectis Filiis Populo Romano, aliisque Civitatibus, & locis, Collegiis quoque, Tribunalibus, Universitatibus, aliisque quibuslibet specifica & individua mentione dignis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam clausulis, & decretis etiam irritantibus in genere, vel in specie, etiam motu simili, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, seu Consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & individua mentio, seu quævis alia expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas, causas, & occasiones præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & exactissime servatis & specificatis respectivè habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad præmissorum effectum, plenissime & amplissime motu pari derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Publicationi præsentis Constitutionis in Urbe, tribuitur vis personalis intimationis omnibus factæ.

§. 40. Volumus insuper & eadem auctoritate prædicta mandamus, ipsas præsentes, seu earum transumpta in locis solitis Almæ Urbis Nostræ per aliquem ex Cursoribus Nostris, ut moris est, publicari, & affigi, sicque publicatas, & affixas, omnes & singulos, quos concernunt, seu concernent in futurum, perinde afficere & arctare, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ & notificatæ fuissent.

Transumptis fidem præstari jubetur.

§. 41. Utque earumdem præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud, ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 42. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum constitutionis, provisionis, concessionis, confirmationis, statuti, necnon prohibitionis, decreti, ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum

1744. Dat. die 29. Aug. 1744.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo quarto, quarto Kalendas Septembris, Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

D. Card. Paſſioneus.
J. Datarius.
VISA DE CURIA.
J. C. Boſchi.
J. B. Eugenius.
Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Public. die 26. Septembris ejuſdem Anni.

De Ritibus, Cæremoniis, Uſibus, & Conſuetudinibus in Regnis Madurenſi, Mayſſurenſi, & Carnatenſi Indiarum Orientalium obſervandis, ſeu vitandis, permittendis, aut abolendis. Confirmantur Prædeceſſorum Decreta: Et ad nova Poſtulata dantur oportunæ Declarationes, & Reſponſiones.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procæmium.

OMNIUM ſollicitudinum, quæ demandatum Nobis, Divino prorſus conſilio, nulloque merito noſtro, ſupremi univerſaliſque Paſtoris munus graviſſimum præter modum, formidandumque conſtituunt, potiſſima ſanè, quæque magis animum noſtrum exſtimulat, Noſque perpetuò trepidantes, & anxios habet, ea eſt, ut concreditum Nobis Fidei depoſitum, integrum, illibatumque ſervemus; ideoque omne ſtudium noſtrum operamque in id conferamus, ut latè diffluentes ſuper faciem Terræ Cœleſtis doctrinæ latices nullo aut corruptelæ luto, aut erroris inficiantur veneno, dumque Evangelica lux undequaque diffunditur, nulla fortè Gentilitatis ſuperſtitione obumbretur; atque ut ii, quos è poteſtate tenebrarum erutos, conſractis ferreis infidelitatis vectibus, in admirabile lumen ſuum vocavit miſericors Deus, in ſpemque evexit æternæ ſalutis, & hæreditatis, corde credentes ad juſtitiam, operibuſque quod credunt comprobantes, & myſtici Corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, digna ſe membra exhibentes, id ipſum dicant, ut Apoſtolus exoptabat ardenter, & ſint perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia. Hinc cum primum Altiſſimo placuit humilitatem noſtram ad ſummi Apoſtolatus apicem evehere, nulli unquam labori parcere decrevimus, quem non ſolùm ad propagandam in omnem Terram Fidei, & ſalutis ſcientiam, ſed etiam ad unitatem ſpiritus, & doctrinæ inter Fideles ubique fovendam & confirmandam, vel ſicubi opus eſſet, reconciliandam & ſtabiliendam, opitulante Deo, proficuum & neceſſarium fore deprehenderemus.

Pontificis ſtudium pro tuenda Fidei & diſciplinæ puritate, & Eccleſiæ concordia.

Refert diſſenſiones ſuper obſervantia variorum Rituum in Miſſionibus Indiarum obortas.

§. 1. Verum quum eam ob cauſam ad extremas uſque Orbis Terræ Plagas mentis noſtræ obtutus, dirigeremus, eoſque peculiariter figeremus in novella illa germina Chriſtianitatis, quæ, Divinâ irrorante gratiâ, in novis Eccleſiis Regnorum Madurenſis, Mayſſurenſis, & Carnatenſis dudum pullularunt, non parvam Nobis inde laborum, atque curarum materiem allatum iri verebamur, dum animo recenſeremus quantum, & quam diu Apoſtolica Prædeceſſorum Noſtrorum deſudaſſet induſtria, ut ex recens coaleſcentibus prædictorum Regnorum Eccleſiis, vanarum obſervationum, rituumque à Chriſtiana Religione abhorrentium zizania radicitùs evellerent, atque importunas controverſias inter ſacros ipſos Regionum illarum Operarios in re tam gravi exortas, &, quod magis dolendum erat, inimici hominis opera, noſtris adhuc temporibus perſtantes, componerent, atque eliminarent. Attamen fiduciam noſtram collocantes in Domino, qui humanos animos, ubi vult, fortiter, ſuaviterque inflectit; potiſſimum verò quum, delatis ad Nos argumentis filialis obedientiæ, qua plerique illarum Partium Miſſionarii ſuprema hujus Apoſtolicæ Sedis Decreta ſe excipere profeſſi ſunt, Nobis expoſitum fuit, ad omnes demum iis de rebus controverſias ſedandas, ac prædictarum Eccleſiarum ſtatum componendum, atque firmandum, nil aliud jam reliquum eſſe, quam ut ad nonnulla poſtulata, quæ ex parte aliquorum Operariorum hujuſmodi Nobis proponebantur, congruæ reſolutiones, & reſponſiones, Apoſtolicâ auctoritate prodirent; magnam in ſpem erecti ſumus, fore ut, ſublatis per opportuna reſcripta propoſitis dubitationibus, ac finitivis demum noſtris & hujus Apoſtolicæ Sedis mandatis atque præceptis editis, ac promulgatis, optatus aliquando finis imponeretur diuturnis moleſtiſque diſſenſionibus, quæ Prædicationis Evangelicæ in prædictis Regnis olim diſſeminatæ fructum latè inficientes, ipſaſque novarum Eccleſiarum ſoboles vehementi diſcordiarum turbine agitantes, eò rem adduxerant, ut tot Verbi Dei præcones eximii ſine cauſa adhuc laboraſſe, largoſque ſudores, & ſanguinem ipſum fruſtrà effudiſſe viderentur.

1744.

Quas per præſentium publicationem extinguendas eſſe non ſine cauſa confidit.

§. 2. Ut enim multa prætereamus, quæ retroactis temporibus hac in re acciderunt; graviores, quas innuimus, controverſiæ hoc ipſo inunte ſæculo eruperunt, ſeu potiùs renovatæ fuerunt, quum à fel. record. Prædeceſſore Noſtro Clemente Papa XI. miſſus, ad Oram Coromandeli appulit bo. mem. Carolus Thomas, tunc Patriarcha Antiochenus, cum poteſtate Legati à Latere in Indiis Orientalibus Commiſſarius, & Viſitator Apoſtolicus, deinde hujus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Turnonius nuncupatus. Is enim, eò cum appuliſſet, ad trutinam vocatis nonnullis cæremoniis, quæ ab aliquibus Miſſionariis obſervabantur, vel permittebantur, ab aliis verò tamquam Chriſtianæ pietatis ſpiritui minimè conformes rejiciebantur, unde diſcordiarum, & funeſtiſſimarum diſputationum ſemina; exploratis, eâ, qua par erat, diligentiâ, factis & circumſtantiis, è re Chriſtiana eſſe, ſuique Officii partes exigere judicavit, plures hujuſmodi cæremonias gravi interdicto proſcribere, atque damnare; latoque Edicto, ſeu Decreto, certam Miſſionariis normam præſcribere, quam in excolendo Dominico illo Agro cuncti ſervarent, ut Divini Verbi ſemen, præciſis lolio, & vepribus, altas agere radices, & feliciſſimè poſſet propagari. Quod quidem à ſe editum Decretum à Miſſionum illarum Provincialibus, & Superioribus, ſub pœna Excommunicationis latæ ſententiæ, à cæteris verò Subditis Miſſionariis, ſub pœna ſuſpenſionis à Divinis ipſo facto incurrendæ, inviolabiliter obſervari & executioni mandari præcepit, donec aliter Apoſtolica Sedes provideret. Exemplum autem Decreti ejuſmodi eſt, videlicet:

Appulſus bo. mem. Card. de Tournon, Commiſſar. Apoſtol. ad Indias Orientales.

Ejuſdem judicium, & Decretum ſuper Ritibus Malabaricis.

§. 3. *Carolus Thomas Maillard de Tournon, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Patriarcha Antiochenus, Sanctiſſimi Domini Noſtri Clementis Divina Providentia Papæ XI. Prælatus Domeſticus, ejuſque Pontificio Solio Aſſiſtens, necnon Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis contra hæreticam pravitatem Conſultor, ac in Indiis Orientalibus, & Sinarum Imperio, finitimiſque Inſulis Commiſſarius, & Viſitator Apoſtolicus cum facultate Legati de Latere &c.*

Tenor Decreti ab eo editi Pudicherii die 23. Junii 1704.

Inter graviores, quibus premimur, curas pro Apoſtolici Viſitatoris munere nobis, licèt tanta

Procæmium.

oneri inparibus, injuncto, ea sanè est præcipua, cum nos huc missos esse consideramus ad expurgandum Dominicum agrum à zizaniis novella Christi germina suffocantibus, & de alienis peccatis rationem esse reddituros, qui æternam Dei ultionem pro nostris nunquàm satis expiandis jure formidamus: Quamobrem statim atque ad has Indiarum oras appulimus, mentis nostræ oculos per vastissimas illas Orientales Regiones circumferentes, dum corpus pertinaci morbo jaceret detentum, Missionum necessitates undique inquirere curavimus, ut iisdem pro viribus de opportuno remedio prospiceremus. Et quidem meritò inter primas nostræ sollicitudini occurrerunt novæ Domini vineæ in Regnis Maduren si, & Maissur, recentiusque Carnatensi, iisdem ferè legibus, parique labore, ab Evangelicis Societatis Jesu Operariis Lusitanis, & Gallis plantatæ, ubi inter Ethnicorum, atque Gentilium persecutiones, ac inter tot vitæ asperitates, virentes germinant Evangelii palmites, assiduis Missionariorum sudoribus irrigati. Illùc sanè fuissemus, non minùs laboris, quàm gaudii in Christo Jesu participes esse vehementer cupientes, nisi hoc nobis diuturna infirmitas prohibuisset. Quod autem per nos ipsos immediatè obtinere non licuit, exhibitum erga nos, & Sanctam Sedem Apostolicam obsequium à Patribus Venantio Bouchet Carnatensis Missionis Superiore, & Carolo Michaële Bartoldo Madurense Missionario, viris doctrina, & propagandæ Fidei zelo præstantibus, opportunè suppeditavit. Enim verò cùm ab illis, in moribus, lingua, & Religione istarum Regionum ex longa in his vitæ consuetudine apprimè versatis, plura certius cognoverimus, quæ eosdem palmites enerves reddant, & fructu vacuos, utpotè qui Gentilium vanitatibus magis inhærent, quàm viti, quæ est Christus; in multo experimento tribulationis abundantia gaudii nostri fuit. Rebus itaque maturo examini suppositis, dictisque Patribus oretenus ac in scriptis fusè auditis, atque Dei ope publicis precibus implorata, ut Fidei puritati, spiritualique Christianorum proventui salubriter in Domino consulamus, utque fiat oblatio Gentilium accepta, & sanctificata in Spiritu Sancto, ad præsens Decretum auctoritate Apostolica, etiam cum facultate Legati de Latere, devenimus.

Referuntur causæ edendi Decretum hujusmodi, in quo statuit, ut infra.

I. De Baptismo. Quod in eo administrando non omittantur Sacramentalia.

Et à Sacramentorum administratione exordium sumentes, districtè prohibemus, ne in baptizandis tàm pueris, quàm adultis cujuscumque sexus, & conditionis, omittantur Sacramentalia, sed omnia palam adhibeantur, & signanter saliva, sal, & insufflatio, quæ ex Apostolica traditione Catholica Ecclesia recepit, ac ob recondita in his sacris cæremoniis Divinæ erga nos bonitatis mysteria, sanctè, & inviolabiliter custodivit; Decreto Sanctæ Universalis Romanæ Inquisitionis de anno 1656. pro Sinis facto, ob diversas rationes, & circumstantias, minimè obstante.

Quod Baptizando imponatur nomen alicujus Sancti.

Item præcipimus, ut juxta laudabilem Ecclesiæ consuetudinem semper imponatur Baptizando à Baptizante nomen alicujus Sancti in Martyrologio Romano descripti, omninò interdictis nominibus Idolorum, vel falsæ Religionis Pœnitentium, quibus Gentiles utuntur, & Neophyti hactenùs appellari consueverant, antequàm essent per Baptismum Divinæ Gratiæ renati. Nec Parochis, seu Missionariis sub quovis prætextu liceat, Crucis, Sanctorum, & rerum Sacrarum nomina per translata immutare, nec ea ullo idiomate explicare, nisi Latino, vel saltem Indico, quatenùs voces Indicæ Regionis latinæ significationi liquidò, & adamussim respondeant.

Et generaliter nomina rerum Sacrarum non depraventur.

Quod collatio Baptismi Infantibus non protrahatur.

Et quia audivimus, Baptismum Infantium ex Christianis Parentibus ortorum, eorumdem incuriâ sæpe sæpius diù protrahi, non sine maximo dictorum Infantium salutis discrimine, monemus Evangelicos Operarios, ut Sacrorum Canonum memores, terminum breviorem, quàm fieri possit, attentis circumstantiis, Genitoribus præfigant, graviter conscientiam eorum onerantes, nisi filios intra præfixum tempus ad Ecclesiam deferant sacro fonte abluendos.

Præterea cum moris hujus regionis sit, ut Infantes sex, vel septem annorum, interdum etiam in teneriori ætate, ex Genitorum consensu, matrimonium indissolubile de præsenti contrahant per impositionem Tally, seu aureæ tesseræ nuptialis, uxoris collo pensilis; Missionariis mandamus, ne hujusmodi irrita matrimonia inter Christianos fieri permittant, nec Sponsos sic conjunctos cohabitare sinant, donec completa legitima ætate, & explorato eorum consensu, in faciem Ecclesiæ, juxta formam à Sacro Concilio Tridentino præscriptam, verum, & Canonicum matrimonium contraxerint. Et quoniam apud peritiores impiæ illius Religionis Sectatores Tally præfefert imaginem, licèt informem, Pulleyaris, sive Pyllajaris Idoli nuptialibus cæremoniis præpositi; Cumque dedeceat Christianas mulieres talem effigiem collo deferre in signum matrimonii; districtè prohibemus, ne in posterum audeant Tally cum hac effigie collo appendere; & ne uxores innuptæ videantur, poterunt uti alio Tally, vel Sanctissimæ Crucis, vel Domini Nostri Jesu Christi, vel Beatissimæ Virginis, vel alia quavis religiosa imagine ornato: Et cum superstitione non careat funiculus centum & octo filis compositus, & croceo succo delinitus, quo plerique dictum Tally appendunt; prohibemus etiam dictorum Filorum numerum, & unctionem.

II. Matrimonia non contrahantur ante pubertatem.

Prohibetur Mulieribus usus Tally ad instar Gentilium.

Et funiculi 108. filorum.

Cæremoniæ etiam nuptiales juxta harum regionum morem tot sunt, tantaque superstitione maculatæ, ut tutius remedium aptari non posset, quàm eas omninò interdicendo, cum undique noxia Gentilitatis labe scateant; & difficillimum sit eas à superstitiosis expurgare. At verò ut faciliori conversionum viæ, & Neophytorum commodo, quantum fieri potest in Domino indulgeamus, Missionariis, & præcipuè Missionum Superioribus injungimus, ut novis adhibitis diligentiis, severiorique calculo, superstitiosa omnia à dictis cæremoniis expungant, itaut nihil inultum relinquatur, quod Christianam pietatem offendat, & Gentilium superstitionem redoleat; & signanter præter eas, quas audivimus jam statutas in hac materia ab iisdem Missionariis reformationes, ramus arboris Arecio mara omninò auferatur, ferculorum numerus, non minus ac cibi præscripta qualitas, varietur; Circuli super caput sponsorum ad tollenda maleficia, omittantur; Et quod de ferculis diximus, de luteis vasis ibidem adhiberi solitis à nobis dictum, & prohibitum intelligatur; fructus etiam, vulgò dictus Cocco, ex cujus fractione prosperitatis, vel infortunii auspicia Gentiles temere ducunt, vel omninò à Christianorum nuptiis rejiciatur; vel saltem, si illum comedere velint, non publicè, sed secretò, & extrà solemnitatem aperiatur ab iis, qui Evangelica luce edocti, ab hujusmodi auspiciorum deliramento sunt alieni.

Nuptiarum Ritus ab omni superstitione expurgentur.

Fructus, vulgò Cocco, non frangatur ad capienda auspicia.

Nullus ritè, & sufficienter dispositus arceatur à Sacramento pœnitentiæ, ad peccatorum remissionem, tanquam instrumento divinæ Misericordiæ, a Christo Domino instituto, & signanter mulieres menstruali morbo laborantes; non attentis diebus purificationis juxta morem Gentilium, cum hæc Sacramentalis vera animæ purificatio, & non alia, sit attendenda à Christifidelibus, eorumque Pastoribus; quibus præterea non liceat nec per se ipsos, nec per Catechistas, nec per alios quoscumque, dictis mulieribus prohibere accessum ad Ecclesiam, vel ad Confessarium, durante dicta infirmitate, & dicto purificationis tempore. Dedecet etiam Christianæ Virginis honestatem prima vice dicto morbo laborantis, illum Cognatis, Vicinis, & Amicis notum facere, ac inverecundè publicare, iisque, Ethnicorum more & ritu, in ejus domum collectis, super re tam sordida festum instituere; Quocirca hujusmodi celebritates & ritus orthodoxis puellis penitus interdicimus, & abolemus; Missionariisque injungimus, ut non solum eas, verum etiam Geni-

III. Mulieres non arceantur à Sacramentis ex causa menstruæ purgationis.

Damnatur festiva gratulatio super prima purgatione Puellis contingente.

tores moneant, quàm dissona sit Virginei pudoris legibus hujusmodi obscœna consuetudo, quæ a Gentilium impudentia videtur inducta, ut ita labefactatâ puellarum verecundiâ, eas effrenatè ad libidinem provocare valeant.

IV. Quod Pareis omne præstetur spirituale subsidium etiam in ipsorum domibus.

Ferre pariter non possumus, quod à Medicis spiritualibus pro animarum salute ea charitatis officia denegentur, quæ Medici Gentiles, nobilis etiam generis, seu Castæ, pro corporis salute præstare non dedignantur Infirmis etiam abjectæ, & infimæ conditionis, vulgò dictis Pareas. *Quapropter districtè mandamus Missionariis, ut, quantùm in ipsis erit, nemini è Christianis ægrotis, quamtumvis* Pareas, *& vilioris, si adessent, generis hominibus, desideranda relinquatur in infirmitate copia Confessarii; & ne ingravescentibus morbis, cum gravissima vitæ temporalis periculo, æternæ consulere cogantur, iisdem Missionariis præcipimus, ne Infirmos hujusmodi conditionis ad Ecclesiam deferendos expectent, sed consultiùs domos, ubi ægrotant, pro viribus petant, ad eos invisendos, ac piis sermonibus & precibus, Sacramentorumque pabulo recreandos, atque demùm eos in extremo vitæ discrimine constitutos Sancto Infirmorum Oleo deliniant, absque personarum, aut sexus acceptione, expressè damnantes quamcumque praxim huic Christianæ pietatis officio contrariam.*

V. Christiani Tibicines, aliique artis Musicæ Professores operam non præstent in Idolorum Pagodis, & festivitatibus.

Non sine maximo animi nostri mœrore accepimus etiam, Christianos tympanorum pulsatores, Tibicines, aut alterius cujuscumque musici instrumenti sonatores ad Idolorum festivitates & sacrificia accersiri, ad ludendum, & interdum etiam cogi, ob quamdam servitutis speciem erga publicum ab ipsis contractæ per hujusmodi artis exercitium, nec facile esse Missionariis eos ab hoc detestabili abusu avertere: Quocirca considerantes, quàm gravem rationem essemus Deo reddituri, si hujusmodi Christifideles à Dæmoniorum honore & cultu pro viribus non revocaremus, illis prohibemus, ne imposterum audeant, nec in Pagodis, nec extra, tum occasione Sacrificiorum, tum quarumcumque solemnitatum superstitioso cultu imbutarum, sonare, aut canere, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, cum nullo modo liceat Christi famulis Belial inservire; Ideoque Missionarii non solum eos monere tenebuntur de præfata prohibitione, verùm etiam illam omninò executioni demandare, & contrafacientes ab Ecclesia expellere, donec ex corde resipiscant, & publicis pœnitentiæ signis patratum scandalum emendaverint.

VI. Quod Constitutio Gregor. XV. circa lavacra, & ablutiones comprehendat etiam Missionarios.

Declaramus præterea Pontificiam Constitutionem Gregorii Papæ XV. incipientem: Romanæ Sedis Antistes: *ad petitionem Patrum Societatis Jesu editam, qua indigenis Christifidelibus lavacra, non alia occasione & fine, quàm corporis reficiendi, & à naturalibus sordibus mundandi, ab Apostolica Sede permittuntur, interdictis tempore, & modo, quibus à Gentilibus adhiberi solent, æque afficere Evangelicos Operarios, quibus propterea non liceat sub quacumque alia causa & fine, etiam ad effectum, ut existimentur Sanias, seu Brachmanes, præ cæteris dediti hujusmodi ablutionibus, illis uti, præsertim statutis eorum horis, & ante, vel immediatè post quamcumque sacram functionem.*

VII. Prohibetur usus Cinerum, præter modum, & tempus ab Ecclesia receptum, & omnia signa superstitiosa damnantur.

Cineres itidem ex Vaccæ stercore confectos, & impiam Gentilium pœnitentiam à Rutren institutam redolentes, benedicere, eosque fronti Sacro Chrismate delinitæ impingere, sive alia quæcumque signa albi, vel rubei coloris, quibus Indi superstitiosissimi in fronte, vel in pectore, aut in aliaquavis corporis parte utuntur, deferre prohibemus; Mandantes, ut Sanctæ Ecclesiæ consuetudo, piique ritus Cineres benedicendi, illisque Christianorum caput Cruce signandi, ad humanæ infirmitatis memoriam recolendam, religiosè serventur, tempore, ac modo ab Ecclesia præscripto, scilicet feria quarta Cinerum, & non aliàs.

Et demum, quia ex librorum de falsa religione, & de rebus obscœnis, superstitiosisque tractantium lectura, venenum ut plurimum serpere solet ad cor Fidelium, quo non minus Fidei puritas offenditur, quàm mores corrumpuntur, magnopere commendantes zelum, ac studium Missionariorum, qui libros sacram Ecclesiæ Catholicæ doctrinam, rerumque Sacrarum monumenta continentes, pro Indorum Christifidelium eruditione, in linguam Malabaricam, seu Tamulicam transtulere, vel novos pro illorum commodo, & institutione composuerunt; iisdem Christifidelibus expressè interdicimus fabulosos Gentilium libros, eosque legere, & retinere prohibemus, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, nisi prius habitâ licentia Parochi, seu Missionarii curam animarum exercentis, quorum prudentiæ committimus facultatem super hoc dispensandi, & libros (si qui forte sunt) noxia superstitione vacuos, & nihil contra bonos mores tractantes, pro Christianorum usu seligendi, eorumque lecturam permittendi.

VIII. Quid servandum sit circa librorum Gentilium usum.

Ea igitur universa, & singula auctoritate Apostolica, & tenore prædictis damnamus, ac districtiori, quo possumus, modo prohibemus. Mandantes Patri Provinciali Provinciæ Malabaricæ, cæterisque Superioribus Societatis Jesu in Indiis Orientalibus, ut hoc nostrum Decretum notificent singulis Missionariis, sive aliis quibuscumque curam animarum exercentibus sibi subjectis, illudque perpetuò, & inviolabiliter exequi faciant, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ quoad Provinciales, & Superiores, & suspensionis à Divinis ipso facto incurrendæ quoad Subditos contrafacientes, seu aliter permittentes. Atque ita decernimus, & mandamus in omnibus, donec aliud fuerit ab Apostolica Sede, vel à Nobis ejusdem auctoritate provisum, inviolabiliter servari, non obstantibus quibuscumque.

Mandat hoc Decretum publicari, & observari, donec aliud fuerit à Sancta Sede provisum, sub pœnis &c.

Et nè ex his, quæ expressè præcepta, vel prohibita à nobis fuere, tacitum quis deducere valeat, in reliquis practicari solitis in istis Missionibus, nostrum assensum, seu approbationem; (cum plura forsan reformatione digna nostram cognitionem effugerint, & alia maturius examen postulantia indecisa remanserint), hanc interpretationem omninò rejicimus, & menti nostræ esse contrariam declaramus. Volumus autem justis de causis, ut hoc nostrum Decretum afficiat, & pro publicato habeatur post illius traditionem à nostro Cancellario faciendam Patri Guidoni Tachard Vice-Provinciali Patrum Gallorum Societatis Jesu in Indiis; cui propterea in virtute Sanctæ Obedientiæ onus injungimus, quatuor similia exemplaria transmittendi ad Patrem Provincialem Provinciæ Malabaricæ, ac ad Patres Superiores Missionum Madurensis, & Maissur, & Carnatensis, quibus post bimestre, & reliquis Missionariis post trimestre à die consignationis faciendæ dicto Patri Tachard, idem Decretum pro publicato, & notificato pariter habeatur.

Declarat, quod per Decretum hujusmodi non intendit approbare alia, si quæ sint, reformatione digna.

Datum Pudicherii in Sancta Visitatione Apostolica hac die 23. Junii 1704., & publicatum die 8. Julii ejusdem anni 1704. per traditionem factam coram Illmo, & Rmo Domino per me Cancellarium infrascriptum Rev. Patri Guidoni Tachard Patrum Gallorum Societatis Jesu in Indiis Orientalibus Superiori, præsentibus RR. Patribus Francisco Laines, Superiore Missionis Madurensis, ac Venantio Bouchet Superiore Missionis Carnatensis.

Præscribit publicationis formam, ejusdemque servatæ effectum.

Carolus Thomas Patriarcha Antiochenus Visitator Apostolicus.

Andreas Candela Sacræ Visitationis Apostolicæ Cancellarius.

Dat. 23. Junii, & publicat. 8. Julii 1704.

§. 4. Quoniam autem de re maximâ, eâque gravissimâ agebatur, idem Antiochenus Patriarcha Litteris suis totam rei gestæ seriem Apostolicæ Sedi exactissimè renuntiavit, latumque ab se Decretum supremo illius judicio subjecit. Quibus ad Urbem allatis Litteris, idem Prædecessor Noster Clemens Papa XI. supradictum Vicarii Apostolici Decretum ritè perpensum, atque

Relatum Decretum confirmatur à Clem. XI. Pont. Max. cum clausula, donec &c.

atque etiam in Congregatione Sancti Officii diligenti examini subjectum, in omnibus servandum, & exequendum esse statuit, eâ tamen additâ clausula: *Donec aliter a Sede Apostolica provisum fuerit, postquam eos audierit, si qui erunt, qui aliquid adversus contenta in hujusmodi Decreto afferendum habuerint.* Ea Pontificis in Congregatione Sancti Officii resolutio sequentis est tenoris, videlicet:

Tenor resolutionis ejusdem in Congregatione Sancti Officii die 7 Jan. 1706.

§. 5. *Feria v. die vij. Januarii* 1706. *In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Vaticano, coram Sanctissimo Domino Nostro Domino Clemente Divina Providentia Papa XI., ac Eminentissimis & Reverendissimis Dominis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.*

Idem Sanctissimus Dominus Noster, relato tenore Decreti editi Pudicherii die 23. Junii 1704. *à D. Carolo Thoma de Tournon Patriarcha Antiocheno Commissario, & Visitatore Apostolico in Imperio Sinarum & aliis Indiarum Orientalium Regnis, necnon literarum indè scriptarum ab eodem D. Patriarcha, nempè die 9. Julii dicti anni* 1704. *ad præfatos Eminentissimos & Reverendissimos Dominos Cardinales, ac die* 10. *ejusdem mensis ad R. P. D. Assessorem, disertè super iisdem de more loquutus fuit. Auditis deindè Votis præfatorum Dominorum Cardinalium, dixit, rescribendum esse Domino Patriarchæ, commendando illius prudentiam, ac zelum, & quod exactè observari debeant ea omnia, quæ in Decreto supradicto fuerunt ab ipso præscripta, donec aliter à Sede Apostolica provisum fuerit, postquam eos audierit, si qui erunt, qui aliquid adversùs contenta in hujusmodi Decreto afferendum habuerint.*

Commendat zelum, & prudentiam Cardinalis de Tournon pro Decreto edito, quod ab omnibus observari debeat, donec aliter &c.

Jussit quoque Sanctitas Sua, quod per Patrem Consultorem Joannem Damascenum Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Conventualium reassumantur ea omnia, quæ circa nonnullos ritus, ut asseritur, superstitiosos Christianis Malabaris in Indiis Orientalibus a quibusdam Missionariis, ut prætenditur, permissos, jampridem ad eamdem Apostolicam Sedem delata fuerunt a Fratre Francisco Maria Turonensi Ordinis Minorum ejusdem Sancti Francisci Cappuccinorum Missionario illarum partium, ad hoc, ut idem Pater Consultor de iis, quæ sive à fan. mem. Gregorio XV. in suis literis die xxxj. Januarii 1623. *in forma Brevis desuper expeditis, sive ab eodem Domino Patriarcha in suo Decreto prædicto expressè damnata, vel prohibita non fuerint, conficiat Summarium, super quo discuti, ac decerni valeat, quid sit agendum.*

Mandat reassumi omnia circa Ritus Malabaricos, etiam nondum expressè damnatos, ad Apostolicam Sedem delata.

Quo verò ad quæstionem de quibusdam Ignobilibus, ac infimæ sortis hominibus, qui in eisdem Regionibus vocantur Pareas, *& à Nobilibus tamquam infames, & damnati vitantur, Sanctitas Sua dixit, quod separatim examinari debeat.*

Quæstionem de PAREAS separatim examinari jubet.

§. 6. Verum hanc providentiam, uberesque, quos indè spes erat proventuros, fructus frustratus est falsus rumor, qui paucos post annos per Indias increbuit, ipsum nempe Clementem XI. Prædessorem, & relatum Patriarchæ Decretum revocavisse, & nonnullas ex iis cæremoniis adprobasse, quas ille tamquam superstitiosas, minimèque ferendas proscripserat. Cui falso rumori cursum intercepturus laudatus Pontifex Clemens Undecimus, utque omnibus manifesta redderet animi sui sensa, atque impugnatoribus Decretorum à Patriarcha prædicto editorum omne penitùs effugium adimeret, quo à præstanda eisdem Decretis debita obedientia se subtrahere quoquo modo possent, die prima Septembris Anni MDCCXII. extrahi ex Tabulariis mandavit authenticum exemplum Decreti, quod prædicta die VII. Januarii Anni MDCCVI. emanaverat, & superius transcriptum est, illudque Episcopo Meliapurensi transmitti jussit, ut ex eo, & is probè nosceret, & aliis etiam Episcopis, & Missionariis earum Regionum palam faceret, quid eò usque de Patriarchæ Antiocheni Decreto Apostolica Sedes judicasset. Ac nè ullo modo Pontificiæ mentis Oraculum in dubium posset revocari, Decreti exemplo jungendas alligandasque voluit Litteras Apostolicas in forma Brevis, ut sequitur.

Falsus rumor per Indias spargitur de revocatione Decreti Card. de Tournon.

Cui se opponit Clemens XI., & præmisse resolutionis exemplum in Indias mittit.

§. 7. *Venerabilis Frater &c. Non sine gravi animi nostri molestia istis in partibus evulgatum fuisse audivimus, quod præscripta in quodam Decreto die 23. Junii* 1704. *Pudicherii edito à bon. memor. Cardinali de Tournon, cum illuc ad Sinensis Imperii oras transmigraturus accessit, à Nobis rescissa, & abrogata, ac simul cæremoniæ, & Ritus, qui eodem Decreto superstitionis labe infecti declarantur, vel omni, vel aliqua ex parte approbati, ac permissi fuerint. Cum autem maximè cupiamus, ut in re tanti momenti non modò Fraternitati tuæ, verùm etiam, te curante, cæteris istarum Partium Antistitibus, ac Missionariis apertè veritas innotescat; Tibi conjunctæ folia à Notario Sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis subscripta, ac ejusdem Inquisitionis signo roborata, mittenda duximus, ex quibus abundè, ac luculenter intelliges, quænam ejusmodi in rebus hactenùs fuerit, & adhuc sit nostra mens, donec à Nobis, & Apostolica Sede aliter decernatur. Quod superest, Pastorum Principem enixè rogamus, ut in arduis Pastoralis Officii curis cœlesti ope sua tibi jugiter adesse velit. Et Fraternitati Tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.*

Epistola in forma Brevis ab eo scripta Episcopo Meliapuren. die 17. Septembris 1712.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 17. *Septembris Anni* 1712. *Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.*

Cum qua eidem transmittit exempla authentica confirmationis Decreti Cardinalis prædicti.

§. 8. Quoniam autem unus, & alter annus elapsus jam erat, nec dum constiterat, Sancti Officii Decretum, Pontificiasque Litteras Meliapurensi Episcopo redditas fuisse, idcirco Congregatio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis de Propaganda Fide præpositorum novum Decreti Litterarumque exemplum Episcopo Claudiopolitano in Cucichensi Provincia Apostolico Vicario die XXIV. Julii Anni MDCCXIV. transmitti curavit, ipsique Pontificio nomine mandavit, ut si forte priores Litteræ deperiissent, aliâve de causâ Decreti promulgatio secuta non esset, caveret ipse diligenter, ut posteriores hæ saltem Meliapurensi Episcopo juridicè redderentur, eoque debitam Pontificiis mandatis obedientiam præstare, aut reluctante, aut differente, idem ipse Claudiopolitanus Episcopus Apostolicæ Sedis judicium, nullâ interpositâ morâ, executioni mandaret.

Congregatio de Propaganda Fide ad Episc. Claudiopol. similiter scribit pro relati Decreti publicatione.

§. 9. Cum tamen Patriarchæ Antiocheni Visitatoris & Commissarii Decretum confirmatum quidem fuisset, sed eâ additâ reservatione: *Donec aliter à Sede Apostolica provisum fuerit, postquam eos audierit, si qui erunt, qui aliquid adversùs contenta in hujusmodi Decreto afferendum habuerint*; haud difficilem se præbuit Clemens XI. audiendis Missionariis, qui post Decreti confirmationem, aliisque temporibus, Romam venerant, eorumque preces benignè excepit, quibus enixè petebant, ut censurarum, quæ in eo Decreto continebantur, suspensionem, unâque simul moderationem, aut ipsiusmet Decreti interpretationem concederet: utque res maturius expediretur, auditis jam non semel Missionariis prædictis, Nobis in minoribus agentibus, Sanctæque Universalis Inquisitionis Consultoris munus obeuntibus mandavit, ut ab initio rem totam penitùs cognosceremus, atque collectis, quæ ex utraque Parte afferebantur, rationum momentis, de illa ad Sancti Officii Congregationem plenissimè referremus. Hinc productis, ex una Parte à Decreti impugnatoribus, facti, jurisque non exiguæ molis voluminibus, proditisque antiquis, & recentibus documentis, quibus vetitas Decreto observantias superstitione vacare, omnique labe carere conabantur ostendere

Clemens XI. ad instantiam Missionariorum totam Rituum causam reassumit.

Ejusque summam, & relationem confici mandat à R.P.D. de Lambertinis, nunc Summo Pontifice sel. Reguante.

exhi-

1744.

exhibitisque ex alia, quæ Decreto favebant, rationibus multiplicibus; plenam indè hausimus causæ totius cognitionem, eòque res, quod ad Nos attinebat, adducta erat, ut possemus jam de ea exactè referre.

Innoc. XIII. deputat Congregat. Particularem.

§. 10. Verum Clemente XI. vitâ functo, ejus Successor fel. pariter record. Innocentius Papa XIII. huic causæ cognoscendæ peculiarem Congregationem ex lectissimis conflatam Viris non minùs integritate, quàm prudentiâ, doctrinâque præstantibus, (quos inter Nos etiam, etsi prædictis qualitatibus minimè præditi, adscripti fuimus,) deputavit. Qui selecti Viri sæpius, per duos & amplius annos, inter se convenientes, communicatis consiliis, longâ rerum indagine, & exquisitâ adhibitâ diligentiâ, articulatim rem totam discussserunt, Partibus tam voce, quàm scripto iterum, ac sæpius auditis. Cum autem eo res pervenisset, Innocentio XIII. è vivis sublato, ad Petri Cathedram evectus est sanmem. Benedictus Papa XIII., qui eorum omnium, quæ in hac causa gesta fuerant, certior àpprimè factus, nec minori flagrans desiderio eam ad optatum finem perducendi, supradictam Congregationem pro ejusdem causæ recto expeditoque cursu ab Innocentio Decessore institutam confirmavit, atque incœptum examen prosequi jussit; eaque non multò post examini finem imposuit.

Cujus deputatio à Bened. XIII. confirmatur.

Eaque examini finem imponit.

§. 11. His ita peractis, idem prælaudatus Pontifex Benedictus XIII., causa ad se avocata, Apostolicas Literas in forma Brevis anno MDCCXXVII. exeunte, ad universos Episcopos, & Missionarios Regnorum Madurensis, Mayssurensis, & Carnatensis dedit, quibus prædicti Caroli Thomæ Cardinalis Turnonii Decretum confirmavit, observandumque præcepit. Literæ sunt hujusmodi, videlicet:

Resolutio capta à Bened. XIII.

§. 12. *Venerabilibus Fratribus, ac dilectis Filiis, Episcopis, & Apostolicis Missionariis in Regnis Indiarum Orientalium Madurensi, Mayssurensi, & Carnatensi.*

Ejus Epistola in forma Brevis ad Episcopos, & Missionarios dictorum Regnorum data die 12. Dec. 1727.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Venerabiles Fratres, ac dilecti Filii, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Ad aures nostras pervenit, vocationem Gentium, Ecclesiæque incrementa, propter subortas inter Operarios Evangelicæ Messis controversias, magnis isthic difficultatibus laborare. Quæ quidem eo graviorem nobis dolorem attulerunt, quo remedia salubriter aliàs adhibita diutiùs à nonnullis repudiari intelleximus. Jam enim per bon. mem. Carolum Thomam Patriarcham tunc Antiochenum, cum potestate Legati de latere Apostolicum Visitatorem, deinde hujus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, pleraque ad glisentes lites componendas, explicandasque difficultates sapienter præscripta fuerant, decreto conditio Pudicherii in Sacra Visitatione Apostolica die xxiij. mensis Junii Anni MDCCIV. die vero octava Julii ejusdem anni promulgato. Partibus autem nondum acquiescentibus, de mente fel. record. Clementis XI. Prædecessoris Nostri diversa opinantibus, & evulgantibus, idem Prædecessor Noster, datis ad Venerabilem Fratrem Episcopum Maliapurensem literis die xvij. mensis Septembris Anni MDCCXII. suam de servandis Decretis mentem opportunè declaravit. Ut igitur nostræ quoque sollicitudinis partes ad controversias avertendas, & salutem gentium concordibus studiis faciliùs à Vobis procurandam adhibeamus; præsertim nè quis ex silentio nostro detractum aliquid esse suspicetur mandatis, & declarationibus antedictis; laudati Antecessoris nostri vestigiis inhærentes, decreta ejusdem Patriarchæ Antiocheni nostra etiam auctoritate confirmamus, eorumque obedientiam, & observantiam similiter mandamus, & requirimus. Decretum quoque de Sacramentis administrandis moribundis hominibus infimæ conditionis, quos Pareas *appellant, ulteriori dilatione remotâ, pariter servari, & impleri præcipimus. Vestrum autem erit, ut mandata per Antecessorem nostrum, & per Nos ipsos Apostolica auctoritate, tenore præsentium, in omnibus confirmata, impigrè, & obsequenter facientes opus Dei, quod tanta cum animi alacritate suscepistis, rite, unanimiter, studioseque perficiatis. Ac vobis, Venerabiles Fratres, dilecti Filii, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.*

Refert Decretum Cardinalis de Tournon, & confirmationem Clementis Papæ XI.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xij. Decembris MDCCXXVII. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

Eaque de novo confirmat.

§. 13. Tantum verò abfuit, ut qui pro Ritibus eo Decreto damnatis pugnabant, huic novæ ejusdem Decreti confirmationi acquiescerent, quin potius Anno MDCCXXXII. Prædecessori Nostro Clementi Papæ XII. in Benedicti locum subrogato declaraverint, se nihil de nova confirmatione audivisse, neque aliquid, quod ad eam spectaret, Episcopis, & Missionariis Indiarum fuisse legitimè denuntiatum, ideoque enixis precibus ab eo postulaverint, ut, non obstante Benedicti XIII. dispositione, dignaretur hanc eandem causam denuò Sancti Officii Congregationis examini & cognitioni subjicere: & quamquam, aliis earum Partium Missionariis causam finitam esse, & in rem judicatam abiisse reputantibus, seu excipientibus, non deessent, qui postulatis haud annuendum esse crederent, iisque adversarentur; attamen idem Pontifex Clemens XII., supremum tandem acerrimis perniciosisque dissidiis finem fieri peroptans, supradictorum preces admittendas existimavit, declaravitque in causa posse procedi. Quare totius materiæ instauratâ disceptatione, & per duos fere annos continuatâ, documentis certis & necessariis ex utraque Parte productis, factâque præsertim Decreti impugnatoribus amplissima facultate afferendi quidquid in controversum quemque Articulum deducendum, allegandumque è re sua judicarent; post plures Congregationes habitas in Conventu Sanctæ Mariæ supra Minervam à S. R. E. Cardinalibus in negotiis Fidei Generalibus Inquisitoribus per universam Christianam Rempublicam deputatis, ii tandem, quid ipsorum judicio in controversis Articulis aut confirmandum, aut moderandum, declarandum denique, aut aliqua ex parte remittendum esset, aperuerunt; eorumque resolutiones probavit, confirmavitque prælaudatus Clemens Papa XII., illasque inserendas decrevit Apostolicis litteris in forma Brevis, quibus Madurensibus, Mayssurensibus, & Carnatensibus Episcopis, ac Missionariis, Apostolica auctoritate mandavit, injunxitque, ut lata abs se decreta tum religiosè ipsi observarent, tum ab aliis omnibus summâ fide, ac diligentiâ observari curarent. Litteræ in forma Brevis sunt sequentis tenoris.

Supplicatur Clem. XII. pro revisione Causæ in Congregat. S. Officii.

Eaque conceditur, & à prædicta Congregatione, Partibus auditis, perficitur.

Clemens XII. confirmat resolutiones à Congregat. captas.

§. 14. *Venerabilibus Fratribus, ac dilectis Filiis, Episcopis, & Apostolicis Missionariis in Regnis Indiarum Orientalium, Madurensi, Mayssurensi, & Carnatensi.*

Tenor Literarum pro hujusmodi Confirmatione editarum die 24. Aug. 1734.

CLEMENS PAPA XII.

Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, salutem & Apostolicam Benedictionem.

Prolatio Decreti à Cardinali de Tournon Pudicherii facta, ejusdemque Confirmationes referuntur.

Compertum, exploratumque Vobis esse non ambigimus, Carolum Thomam bo. mem. tunc Patriarcham Antiochenum cum potestate Legati à latere Apostolicum Commissarium & Visitatorem, deinde hujus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem de Tournon, à Prædecessore nostro fel. rec. Clemente XI. ad Sinas anno 1702. missum, ubi primùm ad Arcem Pudicherii appulit, ut gravibus & urgentibus Missionum in Regnis Madurensi, Mayssurensi, & Carnatensi saluberrimè dirigendarum necessitatibus opportunè prospiceret,

1744.

condidisse die 23. mensis Junii Anni 1704. Decreta nonnulla, quæ die 8. mensis Julii ejusdem anni promulgavit. Cum autem aliquot ex Venerabilibus Fratribus, & Dilectis Filiis, Episcopis, & sacris Indiarum Orientalium Operariis, quibusdam in iisdem Decretis contentis minimè acquiescentes, reclamassent, laudatus Prædecessor noster Clemens XI. Litteris in forma Brevis ad Episcopum Meliapurensem die 17. mensis Septembris anni 1712. datis, eorumdem Decretorum obedientiam, & observantiam tamdiu requisivit, ac mandavit, donec Apostolica hæc Sedes Causæ momentis fideliter relatis, & accuratiùs inspectis, quas noviſſet Justitiæ magis consentaneas, & propagandæ Christianæ Fidei magis idoneas providentiæ suæ vias, ac rationes iniret. Benedictus etiam XIII. sel. record. itidem Prædecessor noster providè Clementis XI. Mandatis, declarationibus, atque vestigiis inhærens, Litteris quoque in forma Brevis die 12. mensis Decembris anni 1727. datis, memorata Cardinalis Tournonii Decreta confirmationis robore similiter munivit. Nos verò, qui planè immerentes ipsis Summis Pontificibus in Apostolica servitute successimus, nihil optamus impensiùs, quàm ut Sacrosancta Jesu Christi Fides ampliùs in dies promoveatur, atque omni ope curemus, ut si qua fortè magnis ejusdem incrementis, & propagationi occurrant impedimenta, (Deo votis nostris obsecundante) penitùs auferantur. Itaque postquam necessaria, & certiora habuimus documenta, Theologorum, ac præsertim Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium per universam Christianam Rempublicam Generalium Inquisitorum suffragia exquisivimus, quæque iidem Venerabiles Fratres nostri Cardinales confirmanda, aut moderanda, vel declaranda, atque in nonnullis remittenda Nobis consulere decreverunt, ex sequentibus Dubiis hic insertis plenè vos dignoscetis.

Clemens XII. finalem Causæ resolutionem cum voto Congregat. S. Officii edere intendit.

Dubia in Congregat. proposita.

»Dubia pro Missionibus Madurensi, Mayssurensi, & Carnatensi exorta occasione Decreti »clar. mem. R. P. D. Caroli Thomæ Maillart »de Tournon Patriarchæ Antiocheni, postea »S. R. E. Cardinalis, editi Ponticherii die 23. »Junii 1704., proposita in Congregationibus »Generalibus S. Officii, habitis in Conventu »Sanctæ Mariæ supra Minervam, coram Emi»nentissimis & Reverendissimis DD. S. R. E. »Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, præ»sentibus DD. Consultoribus, infra scriptis die»bus: Super quibus Dubiis iidem Eminentissimi »suam protulerunt sententiam, prout infrà, vi»delicet.

Feria 4. die 21. Januarii 1733.

I. Dub. super præcepto adhibendi Sacramentalia in conferendo Baptismo.

PRIMUM DUBIUM. *An, & quomodo Decretum clar. mem. Eminentissimi Cardinalis de Tournon sit exequendum in ea parte, quæ est tenoris sequentis:* »Districtè prohibemus, nè in baptizandis tam »Pueris, quàm Adultis cujuscumque sexus, & »conditionis, omittantur Sacramentalia, sed »omnia palàm adhibeantur, & signanter Saliva, »Sal, & insufflatio, quæ ex Apostolica Tradi»tione Catholica Ecclesia recepit, & ob recon»dita in iis Sacris Cœremoniis Divinæ erga nos »bonitatis Mysteria, sanctè, & inviolabiliter cus»todivit; Decreto Sanctæ, & Universalis Inqui»sitionis de anno 1656. pro Sinis facto, ob di»versas rationes, & circumstantias, minimè ob»stante.

Resolutio.

EMINENTISSIMI DIXERUNT. »Confirmandum »esse Decretum Eminentissimi Cardinalis de Tour»non: sed consulendum Sanctissimo, quòd Mis»sionariis Regnorum Madurensis, Mayssurensis, »& Carnatensis Dispensationem concedat ad De»cennium duraturam, omittendi in collatione Ba»ptismi Salivam, & occultè utendi insufflationi»bus, in casibus tamen particularibus, & in qui»bus gravis & proportionata necessitas urgeat, su»per qua conscientia Missionariorum oneratur: »dummodo non laborent errore habendi Salivam, »& anhelitum, tamquam materiam ineptam, vel »incapacem ad inserviendum pro Sacramentali»bus Cœremoniis in Baptismo, utpotè omninò »incapaces Baptismi; Eisque Missionariis injun»gendum, ut debitam instructionem, aliasque »omnes possibiles diligentias adhibeant, ut aver»sio Populorum à Saliva, & Insufflatione amo»veatur, & de instructione, aliisque diligentiis »adhibitis Sanctam Sedem intra tempus Decen»nii certiorent.

Monitum ad Missionarios.

»Insuper monendos esse Missionarios super »gravi negligentia non recurrendi ad S. Sedem »pro obtinenda facultate dispensandi, & malè se »gessisse Episcopos concedendo hujusmodi Dis»pensationem, inconsultâ Apostolicâ Sede.

II. Dub. super impositione nominis alicujus Sancti in Baptismo.

SECUNDUM DUBIUM. *An, & quomodo dictum Decretum sit exequendum in ea parte, quæ est tenoris sequentis.* »Item præcipimus, ut, juxta lau»dabilem Ecclesiæ consuetudinem, semper im»ponatur Baptizando à Baptizante nomen ali»cujus Sancti in Martyrologio Romano descrip»ti, omnino interdictis Nominibus Idolorum, »vel falsæ Religionis Pœnitentium, quibus Gen»tiles utuntur, & Neophiti hactenus appellari »consueverunt, antequam per Baptismum essent »Divinæ Gratiæ renati.

Resolutio.

EMINENTISSIMI DIXERUNT. »Moderandum es»se Decretum, deleto verbo, *Præcipimus*; Cum »clausula; *Curent quantum fieri potest*; firmâ re»manente Interdictione, quoad nomina Idolo»rum, & falsæ Religionis Pœnitentium.

Feria 4. die 22. Aprilis 1733.

III. Dub. super translatione nominum rerum sacrarum in aliud idioma.

TERTIUM DUBIUM, *An, & quomodo dictum Decretum sit exequendum in ea parte, quæ est tenoris sequentis.* »Nec Parochis, seu Missionariis »sub quovis prætextu liceat Sanctissimæ Crucis, »Sanctorum, & rerum sacrarum nomina per »translata immutare, nec ea alio Idiomate ex»plicare, nisi Latino, vel saltem Indico, qua»tenùs voces Indicæ Regionis, latinæ significa»tioni liquidò & adamussim respondeant.

Resolutio.

EMINENTISSIMI DIXERUNT. »Quòd servetur »Decretum Eminentissimi de Tournon, & de»claretur, non habere locum in vocibus, & »nominibus jam ab Institutione Missionis com»muniter receptis, quæ tamen per hanc decla»rationem nec approbantur, neque reproban»tur.

IV Dub. super Baptismo Infantium non protrahendo.

QUARTUM DUBIUM. *An, & quomodo dictum Decretum sit exequendum in ea parte, quæ est tenoris sequentis.* »Et quia audivimus, Bap»tismum Infantium ex Christianis Parentibus or»torum, eorumdem incuriâ, sæpè sæpiùs diù »protrahi, non sine maximo dictorum Infantium »salutis discrimine, monemus Evangelicos Ope»rarios, ut sacrorum Canonum memores, ter»minum breviorem, quàm fieri possit, attentis »circumstantiis, Genitoribus præfigant, gravi»ter conscientiam eorum onerantes, nisi filios »intrà præfixum tempus ad Ecclesiam deferant »Sacro Fonte abluendos.

Resolutio.

EMINENTISSIMI DIXERUNT. »Servandum es»se Decretum Eminentissimi Cardinalis de Tour»non.

V. Dub. super Matrimoniis impuberum.

QUINTUM DUBIUM. *An, & quomodo prædictum Decretum sit exequendum in ea parte, quæ est tenoris sequentis.* »Prætereà cùm moris hu»jusmodi Regionis sit, ut Infantes sex vel sep»tem annorum, interdum etiam in teneriori »ætate, ex Genitorum consensu, matrimonium »indissolubile de præsenti contrahant per impo»sitionem Taly, seu aureæ Tesseræ Nuptialis »Uxoris collo pensilis; Missionariis mandamus, »ne hujusmodi irrita matrimonia inter Christia»nos fieri permittant, nec Sponsos sic conjunc»tos cohabitare sinant, donec completâ legiti»mâ ætate, & explorato eorum consensu, in fa»ciem Ecclesiæ, juxtà formam à Sac. Concilio »Tridentino præscriptam, verum, & canoni»cum Matrimonium contraxerint.

Resolutio.

EMINENTISSIMI DIXERUNT. »Exequendum

esse

»esse Decretum Eminentissimi de Tournon ; »cum declaratione tamen, servandam esse formam pro Matrimoniis à Sac. Concilio Tridentino præscriptam in locis, in quibus Decretum dicti Concilii in cap. primo sess. 24. de »Reform. Matrim. publicatum est, & imposterùm publicabitur, neque ejus observantia sit »impossibilis ; & Missionarii curent, quantum »fieri potest, ut in omnibus locis Missionum illarum Partium dictum Decretum Concilii publicetur.

Feria 4. die 13. Maii 1733.

VI. Dub. super prohibitione Mulieris facti deferendi Taly in signum Matrimonii contracti.

SEXTUM DUBIUM. *An, & quomodo dictum Decretum sit exequendum in ea parte, quæ est tenoris sequentis.* »Et quoniam apud Peritiores impiæ illius Religionis Sectatores, Taly præ se »fert Imaginem, licèt informem, Pulleyaris, »seù Pyllejaris Idoli nuptialibus Cæremoniis »præpositi ; Cùmque dedeceat Christianas Mulieres talem effigiem collo deferre in signum »Matrimonii ; districtè prohibemus, nè imposterum audeant Taly cum hac effigie collo appendere ; & ne Uxores innuptæ videantur, »poterunt uti alio Taly, vel Sanctissimæ Crucis, vel Sanctiss. Domini Nostri Jesu Christi, »vel Beatæ Virginis, vel alia quavis Religiosa »Imagine ornato.

Resolutio.

EMINENTISSIMI DIXERUNT. »Servandum esse Decretum Eminentissimi de Tournon, quamvis Missionarii asserant, nunquam permisisse »gestationem dicti Taly.

VII. Dub. super prohibitione delationis Funiculi 108. filorum, cui dictum Taly appenditur.

SEPTIMUM DUBIUM. *An, & quomodo prædictum Decretum sit exequendum in ea parte, quæ est tenoris sequentis.* »Et cum superstitione non »careat Funiculus centum & octo filis compositus, & croceo succo delinitus, quo plerique »dictum Taly appendunt, prohibemus etiam »dictorum filorum numerum, & unctionem.

Resolutio.

EMINENTISSIMI DIXERUNT. »Servandum esse »Decretum Eminentissimi de Tournon.

VIII. Dub. super superstitiosis Nuptiarum ritibus abolendis.

OCTAVUM DUBIUM. *An, & quomodo dictum Decretum sit exequendum in ea parte, quæ est tenoris sequentis.* »Cæremoniæ etiam Nuptiales »juxtà harum Regionum morem tot sunt, tanquàque superstitione maculatæ, ut tutius remedium aptari non possit, quàm eas omnino in»terdicendo, cum undique noxia Gentilitatis »labe scateant, & difficillimum sit eas à superstitiosis expurgare. At verò, ut faciliori conversionum viæ, & Neophitorum commodo, quantum fieri potest, in Domino indulgeamus, »Missionariis, & præcipuè Missionum Superioribus injungimus, ut novis adhibitis diligentiis, »severiorique calculo, superstitiosa omnia à dictis Cæremoniis expungant, itaut nihil inultum relinquatur, quod Christianam pietatem »offendat, & Gentilium superstitionem redoleat, & signanter, præter eas, quas audivimus jam statutas in hac materia ab iisdem Missionariis reformationes, ramus arboris Arescimara omninò auferatur, ferculorum numerus, „non minùs ac cibi præscripta qualitas, varie„tur : Circuli super caput Sponsorum ad tollen„da maleficia, omittantur ; Et quod de ferculis „diximus, de luteis Vasis ibidem adhiberi solitis »à nobis dictum, & prohibitum intelligatur.

Resolutio.

EMINENTISSIMI DIXERUNT. »Servandum esse »Decretum Eminentissimi Cardinalis de Tournon.

Feria 4. die 22. Julii 1733.

IX. Dub. super fractione fructus vulgò Cocco nuncupat.

NONUM DUBIUM. *An, & quomodo dictum Decretum sit exequendum in ea parte, quæ est tenoris sequentis.* »Fructus etiam vulgo dictus »Cocco, ex cujus fractione prosperitatis, vel »infortunii auspicia Gentiles temerè ducunt, vel »omninò à Christianorum Nuptiis rejiciatur, »vel saltem, si illum comedere velint, non »publicè, sed secretò, & extrà solemnitatem »aperiatur ab iis, qui Evangelica luce edocti, »ab hujusmodi auspiciorum deliramento sunt im»munes.

EMINENTISSIMI DIXERUNT. „Dilata.

Vide infr. post Dub. XI.

X. Dub. super admissione Mulierum ad Sacramentorum participationem tempore purgationis.

DECIMUM DUBIUM. *An, & quomodo dictum Decretum sit exequendum in ea parte, quæ est tenoris sequentis.* »Nullus ritè, & sufficienter dispositus arceatur à Sacramento Pœnitentiæ, »& signanter Mulieres menstruali morbo labo»rantes, non attentis diebus purificationis juxtà morem Gentilium ; Cùm hæc Sacramentalis vera Animæ purificatio, & non alia, »sit attendenda à Christifidelibus, eorumque »Pastoribus, quibus præterea non liceat, nec »per seipsos, nec per Catechistas, nec per »alios quoscumque, dictis Mulieribus prohibere accessum ad Ecclesiam, vel ad Confessa»rium, durante dictâ infirmitate, & dictæ purificationis tempore.

Resolutio.

EMINENTISSIMI DIXERUNT. »Servandum esse Decretum Eminentissimi Cardinalis de Tour»non.

XI. Dub. super festivis gratulationibus pro prima Puellarum purgatione abolendis.

UNDECIMUM DUBIUM. *An, & quomodo exequendum sit dictum Decretum in ea parte, quæ est tenoris sequentis.* »Dedecet etiam Christiaanæ Virginis honestati primâ vice dicto morbo laborantis, illum Cognatis, Vicinis, & »Amicis notum facere, & inverecundè publicare, iisque Ethnicorum more & ritu in ejus »domum collectis, super re tam sordida festum »instituere ; Quocirca hujusmodi solemnitates »& ritus Orthodoxis Puellis interdicimus, & »abolemus, Missionariisque injungimus, ut »non solùm eas, verùm etiam Genitores moneant, quàm dissona sit virginei pudoris le»gibus ejusmodi obscæna consuetudo, quæ à »Gentilium impudentia videtur inducta, ut ita, »labefactatâ Puellarum verecundia, eas effrenatè »ad libidinem provocare valeant.

Resolutio.

EMINENTISSIMI DIXERUNT. »Quod curent »Missionarii abolere festum sub titulo Mes»trui, sed sub titulo Nuptiarum tantùm per»mittant.

Feria 4. die 9. Septembris 1733.

Dub. IX. dilati resolutio.

Nonum Dubium supradicta die 22. Julii propositum, sed non resolutum. *An, & quomodo prædictum Decretum sit exequendum in ea parte, quæ est tenoris sequentis.* »Fructus etiam »vulgò dictus Cocco, ex cujus fractione prosperitatis, vel infortunii auspicia Gentiles te»merè ducunt, vel omnino à Christianorum »nuptiis rejiciatur, vel saltem, si illum co»medere velint, non publicè, sed secretò, & »extra solemnitatem aperiatur ab iis, qui Evan»gelica luce edocti, ab hujusmodi auspiciorum »deliramento sunt immunes.

EMINENTISSIMI DIXERUNT. »Servandum esse »Decretum prædicti Eminentissimi Cardinalis de »Tournon.

XII. Dub super spirituali assistentia PAREIS præstanda.

DECIMUM SECUNDUM DUBIUM. *An, & quomodo Decretum prædicti Eminentissimi Card. de Tournon sit exequendum in ea parte, quæ est tenoris sequentis.* »Ferre pariter non possumus, »quod à Medicis Spiritualibus pro Animarum »salute ea charitatis Officia denegentur, quæ »Medici Gentiles Nobilis etiam generis, seu »Castæ, pro Corporis salute præstare non de»dignantur Infirmis, licèt abjectæ & infimæ »conditionis, vulgò dictis Pareas. Quapropter »districtè mandamus Missionariis, ut, quantum »in ipsis erit, nemini è Christianis ægrotis, »quantumvis Pareas, & vilioris, si adessent, »generis hominibus, desideranda relinquatur »in Infirmitate copia Confessarii : & ne, in»gravescentibus morbis, cum gravissimo vitæ »corporalis periculo, æternæ consulere cogan»tur ; iisdem Missionariis præcipimus, ne In»firmos hujusmodi conditionis ad Ecclesiam de»ferendos expectent, sed consultius Domos,

1744.

»ubi ægrotant, pro viribus petant ad eos in»visendos, ac piis sermonibus, & precibus, Sa»cramentorumque pabulo recreandos, atque de»mum eos in extremo vitæ discrimine consti»tutos Sancto Infirmorum Oleo deliniant, abs»que Personarum, aut sexus acceptione, ex»presse damnantes quamcumque praxim huic »Christianæ pietatis officio contrariam.

Resolutio. EMINENTISSIMI DIXERUNT. »Servandum esse »Decretum Eminentissimi de Tournon: Præter»ea monendos Missionarios, quòd neque ad »Baptismum admittant Indos, qui in ea sunt »opinione, Pareas à Deo esse reprobatos, & »ideo nullam posse sperare salutem, nisi eam »opinionem deposuerint.

XIII. Dub. super prohibitione, ne Tribicines Christiani &c. inserviant in sacrificiis & Templis Gentilium. DECIMUM TERTIUM DUBIUM. *An, & quomodò dictum Decretum exequendum sit in ea parte, quæ est tenoris sequentis.* »Non sine maxi»mo animi nostri mœrore accepimus etiam, »Christianos Tympanorum pulsatores, Tibici»nes, vel alterius cujuscumque Musici Instru»menti Sonatores ad Idolorum Festivitates & »Sacrificia accersiri, ad ludendum, & inter»dum etiam cogi, ob quamdam servitutis spe»ciem erga Publicum ab ipsis contractæ per »hujusmodi artis exercitium, nec facile esse »Missionariis, eos ab hoc detestabili abusu a»vertere; Quocirca considerantes, quàm gra»vem rationem essemus Deo reddituri, si hujus»modi Christifideles à Dæmoniorum honore & »cultu pro viribus non revocaremus, illis pro»hibemus, ne imposterum audeant, nec in Pa»godis, nec extra, tum occasione Sacrificio»rum, tum quarumcumque Solemnitatum su»perstitioso cultu imbutarum, sonare, aut ca»nere, sub pœna Excommunicationis latæ Sen»tentiæ, cum nullo modo liceat Christi famu»lis Belial inservire; ideoque Missionarii non »solùm eos monere tenebuntur de prædicta »prohibitione, verum etiam illam omninò exe»cutioni demandare, & contrafacientes ab Ec»clesia expellere, donec ex corde respiscant, »& publicis pœnitentiæ signis patratum scanda»lum emendaverint.

Resolutio. EMINENTISSIMI DIXERUNT. »Servandum esse »Decretum Eminentissimi Cardinalis de Tour»non.

XIV Dub. super lavacris & ablutionibus tàm Christifidelium, quàm Missionariorum. DECIMUM QUARTUM DUBIUM. *An, & quomodò dictum Decretum exequendum sit in ea parte, quæ est tenoris sequentis.* »Declaramus præ»terea Pontificiam Constitutionem Gregorii Pa»pæ XV., incipien. *Romanæ Sedis Antistes*; ad »petitionem PP. Societatis Jesu editam, qua in»digenis Christifidelibus lavacra non alia occa»sione, & fine, quàm corporis reficiendi, & »à naturalibus sordibus mundandi, ab Aposto»lica Sede permittuntur, interdictis tempore, & »modo, quibus à Gentilibus adhiberi solent, »æquè afficere Evangelicos Operarios, quibus »propterea non liceat sub quacumque alia cau»sa, & fine, etiam ad effectum, ut existimen»tur Sanias, seu Brachmanes, præ cæteris de»diti hujusmodi ablutionibus, illis uti, præser»tim statutis eorum horis, & antè, vel imme»diatè post quamcumque Sacram functionem

Resolutio. EMINENTISSIMI DIXERUNT. »Servandum esse »Decretum Eminentissimi Cardinalis de Tour»non.

Feria 4. die 16. Septembris 1733.

XV. Dub. super prohibitione delineandi frontem cineribus, & aliis signis. DECIMUM QUINTUM DUBIUM. *An, & quomodò Decretum Cardinalis de Tournon sit exequendum in ea parte, quæ est tenoris sequentis.* »Ci»neres itidem ex Vaccæ stercore confectos, & »impiam Gentilium Pœnitentiam à Rutren in»stitutam redolentes, benedicere, eosque fron»ti Sacro Chrismate deliniræ impingere, sive »quæcumque alia signa albi, vel rubei colo»ris, quibus Indi superstitiosissimi in fronte, vel »in pectore, aut in alia quavis corporis parte »utuntur, deferre prohibemus; mandantes, ut »Sanctæ Ecclesiæ consuetudo, piique ritus Ci»neres benedicendi, illisque Christianorum ca»put Cruce signandi ad humanæ infirmitatis »memoriam recolendam, religiosè serventur, »tempore, ac modo ab Ecclesia præscripto, »scilicèt Feria 4. Cinerum, & non alias.

Resolutio. EMINENTISSIMI DIXERUNT. »Confirmandum »esse Decretum Eminentissimi Cardinalis de »Tournon, servatâ in omnibus Constitutione »Gregorii XV. edita die 31. Januarii 1623., »quæ incipit: *Romanæ Sedis Antistes.*

Decretum generale, ne Gentilium Ritus admittantur, aut in Christianos usus vertantur inconsultâ S. Sede. PRÆTEREA EMINENTISSIMI DIXERUNT. Quod »fiat Decretum, quo imponatur Missionariis, »cujuscumque Ordinis, etiam Societatis Jesu, »in Partibus Infidelium degentibus, ne audeant »permittere Ritus, vel Consuetudines proprias »Gentilium, nec illos, aut illas proprio arbi»trio vertere in Ritus, vel Consuetudines Chri»stianæ Religionis, inconsulta S. Sede; & Mis»sionarii meminerint præceptionis Alexandri VII. »in sua Constitut. incipien. *Sacrosancta* la 46., »sequentibus verbis express. Ne ob Instructio»nis defectum, qui Sacro Baptismate initian»tur, immaculatam Christi legem profanis ac »gentilitiis Institutis ex ignorantia fœdent, ac »Idololatriam cum Orthodoxa Fide confun»dant, ut sæpè inibi evenire nunciatum est; »caveant ii, qui iisdem instruendis incumbunt, »ne imposterum ullus ad Baptisma admittatur, »qui gentilitios mores prorsùs non exuerit, & »in fide non sit sufficienter instructus.

Et servetur Constitutio XLVI. Alexan. VII.

XVI. Dub. super prohibitione librorum Gentilium. DECIMUM SEXTUM, ET ULTIMUM DUBIUM. *An, & quomodò dictum Decretum exequendum sit in ea parte, quæ est tenoris sequentis.* »Et »demum quia ex librorum de falsa Religio»ne, & de rebus obscenis, & superstitiosis »tractantium lectura, venenum, ut plurimùm, »serpere solet ad Cor Fidelium, quo non mi»nùs Fidei puritas offenditur, quàm mores cor»rumpuntur, magnoperè commendantes ze»lum, ac studium Missionariorum, qui libros »Sacram Ecclesiæ Catholicæ doctrinam, rerum»que Sacrarum monumenta continentes, pro »Indorum Christifidelium eruditione, in lin»guam Malabaricam, seu Tamulicam transtu»lere, vel novos pro illorum commodo, & »institutione composuerunt, iisdem Christifi»delibus expresè interdicimus fabulosos Genti»lium libros, eosque legere, & retinere pro»hibemus, sub pœna Excommunicationis latæ »Sententiæ, nisi priùs habità licentiâ Parochi, »seu Missionarii Curam Animarum exercentis, »quorum prudentiæ committimus facultatem su»per hoc dispensandi, & libros (si qui fortè »sunt) noxia superstitione vacuos, & nihil con»tra bonos mores tractantes, pro Christiano»rum usu seligendi, eorumque lecturam per»mittendi.

Resolutio. EMINENTISSIMI DIXERUNT. »Servandum esse »Decretum Eminentissimi Cardinalis de Tour»non.

Pontifex Clemens XII. resolutiones hujusmodi confirmat. *Quibus dubiis, & eorum resolutionibus Nobis per Venerabilem Fratrem Archiepiscopum Damiatæ, Congregationis Sancti Officii Assessorem, relatis, Resolutiones ipsas plenè approbantes, cuncta ea, quæ juxta earum tenorem confirmanda, aut moderanda, vel declaranda, ac in nonnullis remittenda visa sunt, respectivè confirmavimus, moderavimus, declaravimus, & in nonnullis remisimus: Quocirca, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, Vobis injungimus & mandamus, ut pro singulari vestra in Nos atque hanc Sanctam Sedem reverentia, quæcumque per hasce nostras Literas de Apostolicæ Auctoritatis plenitudine, vel confirmata, vel decreta, aut præscripta sunt, sanctissimè custodiatis, atque ab omnibus servanda studiosissimè curetis: Obsecrantes Vos in Domino per viscera misericordiæ Dei nostri, ut Controversiis jam semotis, & omninò evulsis, alacres at-*

Earumque observantiam, & executionem injungit.

que

que animi nostri sensibus concordes, studia & labores vestros in Animarum salutem, quæ præstantissimus vestræ vocationis est finis, pro viribus conferatis. Atque Vobis, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIV. *Augusti* MDCCXXXIV. *Pontificatus nostri anno quinto.*

Partes acquiescunt. Relatum Breve publicatur, & à Missionarii subscribitur.

§. 15. Post diutinam accuratamque factorum atque rationum in utramque Partem disceptationem, post tam solemne denique causæ judicium, in magnam spem venerat Apostolica Sedes, non secus ac Romæ litigiis finis erat impositus, ita & in Indiis tandem aliquando à discordiis abusibusque cessatum iri; cum præsertim ii, qui Decretum impugnaverant, sive illius æquitate cognita, seu moderationibus, declarationibus, & relaxationibus jam impetratis satis sibi factum existimantes, non solùm æquo animo illud recepissent, sed fidem quoque suam obligassent, se omninò operam daturos, ut quæcumque in Literis Apostolicis essent præscripta, integrè executioni mandarentur. Huc accedebat, quod Apostolicæ Sedi non famâ solùm, sed certis gravissimisque testimoniis allatum erat, publicatas jam fuisse Pontificias Literas, & subscriptas ab omnibus Missionariis, & mutuum inter Partes perfectæ communionis, atque concordiæ vinculum reintegratum, quod multis annis, non sine ingenti Missionum damno, inter illas fuerat interruptum.

Sed non ab omnib sobservatur.

§. 16. At tam felicibus initiis conceptum gaudium statim evanuit; tristissimus siquidem nuntius quam citissimè Sedi Apostolicæ allatus est, Missionarios scilicèt, qui Cardinalis Turnonii Decretum impugnaverant, non obstantibus Clementis XII. Literis Apostolicis solemni formula ab iis acceptatis, publicatisque, damnatos tamen ritus ac cæremonias juxta earundem Literarum præscriptum minimè aboleri posse causantes, tantum sibi licentiæ sumere, ut eos easque adhuc usu permittere & retinere non dubitarent. Cumque de tam diu dilata ab iis obedientia in dies fama increbesceret, præfatus Clemens Papa XII., ut debitum Pontificiis mandatis obsequium, & observantiam vindicaret, certamque redderet in posterum eorum, quæ in prædictis Pontificiis Literis mandabantur, executionem, alteris in simili forma Brevis datis die XIII. Maii anni MDCCXXXIX. Apostolicis Literis, earum Regionum Episcopis, & Missionariis præceptum iteravit, gravioribus etiam pœnis impositis, ut ne dum exactissimè servarent, quæ in suis præmissis Literis mandabantur, sublatâ cuilibet secus interpretandi facultate, verum ad id illicò se adstringerent solemni jurejurando interposito, juxta formulas respectivè eisdem præscriptas. Literæ in forma Brevis, sequentis sunt tenoris:

Quid consilii cœperit Clemens XII.

Altera ejusdem Epistola in forma Brevis ad Episcopos & Missionarios data die 13. Maii 1739.

§. 17. *Venerabilibus Fratribus, ac Dilectis Filiis, Episcopis, & Apostolicis Missionariis, in Regnis Indiarum Orientalium Madurensi, Mayssurensi, & Carnatensi.*

CLEMENS PP. XII.

Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium cum mentione superioris Epistolæ ad eosdem conscriptæ.

Concredita Nobis Dominici Gregis cura continuo Nos urget, in id præcipuè & tota solicitudine incumbere, ut ab iis maximè, qui sortiti sunt partem Ministerii hujus, & in lucem Gentium sunt missi, erga S. Sedem, ac Apostolica mandata filiale obsequium exhibeatur, atque Fidei dogmata, sacrosque Ecclesiæ ritus & ipsi intemerate retineant, & alios edoceant, ut quos locorum immensa spatia à Petri Sede longè disjungunt, eos tamen Fides eadem in unitate spiritus, & doctrinæ conglutinet, Aliàs itaque per similes Literas nostras sub datum 24. Augusti 1734. incipientes: Compertum, exploratumque: *Fraternitates Vestras, omnesque Missionarios eo majori, quo potuimus, Paterno charitatis affectu requisivimus, & declaravimus, quam impensè exoptaremus, ut qui in Regnis istis Christi Fidei veritatem agnoscentes, convertuntur, superstitiosos Gentilium ritus omnino abjicerent, atque aversarentur, ne habeantur & ipsi ad instar eorum, qui:* Cum Dominum colerent, Diis quoque serviebant juxta consuetudines Gentium: *utque in re tanti momenti nulla esset offendiculi occasio, auditis Theologorum, ac præsertim Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium per universam Christianam Rempublicam Generalium Inquisitorum suffragiis, plura, juxta dubia tunc proposita, providè statuimus, & à Missionariis observanda præscripsimus; Quorum omnium in Nos observantia, ac studium amplificandæ Fidei, in certam spem Nos erigunt, ut pari contentione pro viribus obtemperare satagant, nec ullus erit, qui detestabili indulgentia aliter fieri posse cogitet, &, veluti infideles filii,* Peccare eos faciant peccatum magnum: *Sanè etsi hisce mediis muneri Nostro satisfeciisse, ac sine sollicitudine esse suaderemur; attamen ei momentum, à qua Fidei puritas atque integritas pendent, nunquam hanc in nobis curam delebit, nisi ad magnitudinem negotii opportuniora semper comparemus remedia. Quare Fraternitatibus Vestris, & Missionariis omnibus, quibus prædictas Nostras Literas direximus, sive Sæculares, sive Regulares cujuscumque Religionis, Congregationis, Instituti, Societatis etiam Jesu, fuerint, demandamus & præcipimus, ut omnia & singula, quæ in dictis nostris Literis continentur, integrè, exactè, ac inviolabiliter observetis, atque ab eis, quorum cura ad vos spectat, remota penitùs quavis aliter interpretandi potestate, adamussim observari faciatis, in virtute sanctæ obedientiæ, sub pœna suspensionis ab exercitio Pontificalium, Interdicti ab ingressu Ecclesiæ, & respectivè excommunicationis latæ Sententiæ, à qua nemo Vestrum à quoquam, præterquam à Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, excepto tantum mortis articulo, absolvi possitis; & quoad Regulares insuper privationis vocis activæ, & passivæ, etiam ipso facto, & sine ulla alia declaratione incurrendæ. Itidem sub iisdem pœnis, & censuris, pari auctoritate præcipimus & mandamus, ut omnes & singuli, qui ab hac Sancta Sede, sive ab eorum respectivè Superioribus, ad ista Regna sacris obeundis Missionibus missi eritis, statim ac de hisce Literis nostris certiores facti fueritis, vel quavis alia denunciatione de illis notitiam habueritis, juramentum præstetis, integrè, exactè, ac omnimodè implere, quæ providè à Nobis in iisdem Literis constituta fuerunt, neque illis ulla in parte quovis sub prætextu contraire. Illis etiam, qui quandocumque hoc munus susceperi erunt mandamus, ac præcipimus sub iisdem omnibus censuris, & pœnis, ut nullo pacto audeant vel minimum actum explere, nisi antea & ipsi juramentum prædictum præstiterint, quin nec tanquam Presbyteri Sæculares ab Ordinariis Locorum deputati, seu veluti simplices Religiosi, vel quovis alio titulo & nomine, Christifidelium Confessiones excipere, Conciones habere, aut Sacramenta ministrare, sed omni prorsùs careant potestate; derogando quibusvis privilegiis, sibi ipsis, aut vestræ respectivè Religioni, Ordini, Congregationi, & Societati, etiam Jesu, specialiter, aut generaliter à Nobis, & à Prædecessoribus nostris quacumque ex causa concessis. Juramenta prædicta sæculares Missionarios coram Locorum Ordinariis, Regulares coram Superioribus, vel Apostolicis Vicariis præstare demandamus, Vica-*

Illius observantia, & executio ipsis demandatur sub censuris, & aliis pœnis.

Sub quibus præcipitur eisdem, ut juramentum præstent de implendis omnibus in ea contentis.

Nullus in posterum quocumque titulo Missionis exercitio se immiscear, nisi juramentum hujusmodi emiserit.

rios verò ipsos & Superiores in manibus Episcoporum. Nec eadem tantum verbo proferre, sed scripto juxta formam per Nos præscriptam, & infra adnotandam, ac propria manu subsignare teneamini, sub iisdem Censuris, & pœnis. Hoc etiam juramentum præstandum fore mandamus, ac requirimus ab illis, qui ad Episcopale munus ab hac Sancta Sede promoveri meruerint, vel ipsomet die, quo in manibus Episcoporum solemnem emissuri erunt Fidei professionem, vel in actu eorum consecrationis. Quorum juramentorum subsignata exemplaria, relicta isthic in Archiviis authentica copia, ad Congregationem de Propaganda Fide, per Episcopos, & Superiores Regulares respective transmitti volumus, à qua ad illam S. Officii remittantur, ut sint obsequii erga Nos, nostrasque jussiones, puritatis, integritatisque Fidei vestræ monumenta. Ne verò tam Literarum nostrarum sub prædicta die 24. Augusti 1734., quam præsentium, ullus ignorantiam allegare valeat, hortamur Fraternitates vestras, ac in Domino obtestamur, ut quo primum illas, atque præsentes receperitis, statim publicare faciatis, ac ad singulos Missionarios, sive Sæculares, sive Regulares fuerint, sub vestra respective Jurisdictione degentes, easdem transmittatis. Hoc ipsum præcipimus Apostolicis Vicariis, aliisque Regularium Superioribus. Contrafacientes, vel negligentes declaramus incurrere ipso facto pœnam suspensionis ab exercitio Pontificalium, & Interdicti ab ingressu Ecclesiæ; Regulares autem Excommunicationis latæ sententiæ, privationis Officiorum, & vocis activæ, & passivæ.

Idem servetur ab Episcopis.

Cum onere remittendi ad Congreg. de Propag. Fide exempla juramenti præstiti ab eisdem subscripta.

Injungitur Episcopis, & aliis, tam præsentis, quàm præcedentis Epistolæ publicatio, & transmissio.

Formula autem juramenti, sicut præmittitur, à Missionariis præstandi, est, quæ sequitur, videlicet. »Ego N. Ordinis N., seu Societatis Jesu »Missionarius ad Regnum N., vel ad Provin»ciam N. in Indiis Orientalibus à Sede Apos»tolica, vel à meis Superioribus, juxta facultates eis à Sede Apostolica concessas missus, »vel destinatus, parendo præcepto Sanctissimi »Domini Nostri Papæ Clementis XII. per Li»teras Apostolicas in forma Brevis datas die 13. »Maii anno 1739. injuncto omnibus Missiona»riis in dictis Missionibus, præstandi juramentum »fideliter servandi dispositionem Apostolicam »circa ritus Malabaricos ad formam Literarum »Apostolicarum in forma Brevis ejusdem San»ctissimi Domini Nostri die 24. Augusti 1734. »incipien. *Compertum, exploratumque*: mihi per »integram ejusdem Brevis lecturam optimè no»to; promitto, me plenè & fideliter paritu»rum, illudque exactè, integrè, absolutè, & »inviolabiliter observaturum, & absque ulla »tergiversatione adimpleturum, necnon ad for»mam dicti Brevis instructurum Christianos »mihi commissos tàm in Concionibus, quàm »in privatis instructionibus, ac præsertim Ca»tèchumenos, antequam baptizentur, & nisi »promittant observantiam dicti Brevis, ejus»que dispositionum, & prohibitionum, me »ipsos non baptizaturum, prout quoque cura»turum omni studio, quo potero, ac omni »diligentia, ut sublatis Gentium cæremoniis, »illi à Christianis suscipiantur & retineantur ri»tus, quos Catholica Ecclesia piè præscripsit. »Si autem (quod Deus avertat) in toto, vel »in parte contravenerim, toties pœnis à San»ctissimo Domino Nostro impositis in Decre»to, seu Literis Apostolicis, ut supra, super »præstatione hujus juramenti, mihi pariter per »integram lecturam notis, me subjectum ag»nosco, & declaro. Ita tactis SS. Evangeliis »promitto, voveo, & juro. Sic me Deus ad»juvet, & hæc SS. Dei Evangelia.

»Ego N. manu propria.

Formula Juramenti à Missionariis præstandi.

Formula verò juramenti, ut supra, præstandi ab Episcopis, est, quæ sequitur, videlicet. »Ego »N. Episcopus Civitatis N. memor juramenti »à me præstiti in actu meæ solemnis Conse»crationis, quo Romano Pontifici fidem, sub»jectionem, & obedientiam promisi, tum in»super eorum, quæ providè sanxit Clemens »XII. Pontifex Maximus circa ritus Malabari»cos in Literis Apostolicis in forma Brevis, »Episcopis, & Missionariis usque sub die 24. »Augusti 1734. transmissis, parendo mandatis »Sanctitatis Suæ per alias similes Literas die 13. »Maii anno 1739. injunctis, ut in argumentum »meæ erga Apostolicam Sedem obedientiæ non »minùs, quàm filialis obsequii, me jurisjuran»di Religione obstringam, juro, & promitto, »me plenè, & fideliter easdem Literas Apostо»licas sub dicta die 24. Augusti 1734. executu»rum, atque ea, quæ in illis præscripta sunt, »exactè, integrè, absolutè, ac inviolabiliter »observaturum, curaturum pariter, quantum in »me erit, ut ii omnes, qui mea in Diœcesi »Missionarii, & Sacerdotes sunt, vel futuri »erunt, illas eodem prorsùs modo in omnibus »servent, atque exequantur, & contra inobe»dientes, si qui fuerint, me processurum ad »formam Brevis sub die 13. Maii anno 1739., »ut tandem sublatis Gentium cæremoniis, illi »à Christianis recipiantur ritus, quos Catholica »Ecclesia piè præscripsit, ac jugiter servat. »Utque de hac mea voluntate, juramento, fi»lialique obsequio erga Romanum Pontificem, »ejusque mandata, perenne existat monumen»tum, propria manu me subscribo.

»Ego N. Episcopus N.

Formula Juramenti ab Episcopis præstandi.

Cæterum etsi magna Nobis spes sit, Fraternitates Vestras, & Missionarios omnes, nostras voces, & monita excipere diligenter, ac filiali obsequio exequi, curam insuper solicitudinemque plurimam gerere, ut tam Orthodoxæ Religionis puritati, integritatique, quàm Gentium saluti adjumento sitis, omnesque in hanc unicam rem, maximam utique, labores, sudoresque conferre, ut tandem, qui Christi amplectuntur Fidem, superstitiosos aversentur ritus, eosque tantùm suscipiant, & retineant, quos Catholica Ecclesia piè præscripsit, ac jugiter servat; attamen pro Pastoralis Officii debito, ac Paternæ Charitatis stimulo, iterum, iterumque commonere non desistimus; ne à Pastorum Principe in custodia Gregis sui minùs vigilasse dijudicemur; & Vobis interim in auspicium bonorum omnium Apostolicam Benedictionem impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIII. *Maii* MDCCXXXIX. *Pontificatus Nostri Anno Nono.*

Adhortatio pro omnium executione.

§. 18. Hasce Clementis XII. Literas aliæ subsecutæ sunt prænominatis earum Regionum Episcopis peculiariter inscriptæ, quibus idem Pontifex & conceptum animo intimum dolorem, ob nondum sibi delatam certam exoptatamque notitiam de præstita Apostolicis mandatis debita observantia, gravibus verbis patefecit, & eorundem Episcoporum zelum ac religionem excitare curavit, ut ipsi exemplo ac diligentia sua præeuntes, cæterorum obedientiam sollicitè promoverent. Harum Literarum hujusmodi exemplum est:

Idem Clemens XII. ad Episcopos peculiariter scribit sub eadem data.

§. 19. *Venerabilibus Fratribus, Episcopis in Regnis Indiarum Orientalium Madurensi, Mayssurensi, & Carnatensi.*

Tenor Epistolæ in simili forma Brevis.

CLEMENS PP. XII.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Continere labia nostra non possumus, quin vos, Venerabiles Fratres, Apostolica voce iterum alloquamur; Molestè Nos, imo graviter ferre, usque adhuc certam denunciationem minimè accepisse, qui tandem exitus contigerit Nostris Literis, quas die 24.

Conqueritur de incepto exitu primæ Epistolæ, & debita responsa exquirit.

Augusti 1734. *Vobis, & Missionariis isthic commorantibus dedimus. Sane taciturnitas hæc curarum, & angustiæ nostro paterno erga vos amori causa est, tum & maximè quia, incertæ licet, sparsæ hic sunt voces, easdem Nostras Literas, & Decreta in publicum ab omnibus minimè posita fuisse, nec exactè, prout oportet, adimpleri, quin non deesse aliquos, qui diversa opinantes, ac loquentes, adducunt discipulos post se. Quare primum Fraternitates Vestras ex animo requirimus, ut quomodo istic res se habeat, quamprimum renuncietis, ne longior traditas acerbiorem Nobis afferat molestiam; deinde firma spe ducimur, zelo Dei vos impellente, in doctrina sana nobiscum exsurgere in eos, qui contradicunt, ut memores officii, cui se addixerunt, sedulo caveant, ac diligenter prospiciant, ne culpa eorum*: Gentes istæ sint timentes Dominum, sed nihilominus & Idolis suis servientes. *Hac de causa alteras misimus Literas Fraternitatibus Vestris, atque Missionariis, quibus gravioribus sub pœnis demandamus, ut nostræ voluntatis sensibus & Decretis obediant, & opere compleant. Ne vero, ut hactenus, unus alterum incuset, & Nos, qui licet præsentes isthic spiritu, corpore tamen absentes, suspensos incertti nuncii diù retineant, Juramentum ab unoquoque ex Missionariis propria manu subsignandum, expetere duximus, quo quisque profiteatur Nostris jussionibus promptam atque exactam præstare obedientiam, prout latiùs in iisdem Litteris continetur. Hoc etsi tuto Nobis polliceamur pro omnium pietate, & religione; attamen plurimum collatura erit Fraternitatum Vestrarum exempli auctoritas, quoties idem Jurisjurandi sacramentum, in certum erga S. Sedem, & in Nos obsequii vestri testimonium, præstitisse, atque Nobis misisse vos intelligant, prout in Domino etiam atque etiam obtestamur. Porro hanc unam esse detegendæ veritatis viam, unum præsidium ad obstruendum os loquentium iniqua, vosmet facile cognoscere non dubitamus: quare Pontificiam voluntatem, cæteroquin in vos propensam, magis magisque Vobis devincetis, si industriæ, cogitationi, studio denique vestro vim addatis exemplo; nec sanè veremur, quin eam reverentiam, quam, suscipientes Episcopale munus, huic S. Sedi, & Apostolicis mandatis spopondistis, hac tamen opportuna occasione explicaturi luculentius eritis, ut quos, ad Juramentum proferendum, vos adire obstringimus, ex facto etiam vestro obedire præceptis Nostris arctius impellantur; ac Vobis, Venerabiles Fratres, in perpetuum amoris Nostri pignus, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die* XIII. *Maji* MDCCXXXIX. *Pontificatus Nostri Anno Nono.*

Significat superioris Epistolæ sensum, & Episcoporum zelum excitat pro omnium demandatorum implemento.

§. 20. Neque verò his, quamvis adeò enucleatè præscriptis, planè contentus idem Clemens Papa XII., Superiores quoque Generales Missionariorum in Orientalibus Indiis degentium, eorum præsertim, qui, ut Apostolicæ Sedi relatum erat, detrectabant adhuc obsequentis animi erga ejusdem Sedis mandata, certa argumenta exhibere, adstrinxit, eosque sub pœnis suspensionis a Divinis, privationis vocis activæ & passivæ, aliisque gravioribus arbitrio suo reservatis, Apostolicæ etiam Sedis indignationis, formali præcepto, eoque juridicè indicto, adegit ad transmittenda suis respectivè Religiosis exempla Apostolicarum Litterarum a se tunc editarum, atque ad earum publicationem, & exactam, integram, inviolabilemque observantiam pro viribus præcipiendam; eâ lege additâ, ut si aliquis esse è Missionariis, qui mandatis reluctaretur, aut contra facere auderet, solemni statim præcepto per Superiorem Generalem cogeretur, relictis Missionibus, è Provincia decedere, atque in Europam reverti. Et ne in re adeo gravi intentatum aliquod remedium relinqueretur, terminum annorum trium constituit, intra quem Superiores Generales prædicti tenerentur certis authenticisque documentis Sedi Apostolicæ plenam atque integram Decretorum Litterarumque observantiam indubitatè probare, atque præsertim exempla jurisjurandi, ut præfertur, præstandi, propria uniuscujusque Missionarii manu, cujuscumque fuerit Instituti, subscripta exhibere.

Superiores Generales Missionariorum onerat de præmissarum Litterarum transmissione, publicatione, & implemento.

§. 21. His ita constitutis, atque mandatis obtemperantes omnes Episcopi, & Missionarii Apostolici Regnorum Madurensis, Mayssurensis, & Carnatensis, nominatimque, qui pridem contra Cardinalis Tournonii Decretum steterant, fide data, sacramentoque interposito, exactam, integram, absolutam, inviolabilemque observantiam Litterarum, quarum superius exemplum insertum est, quodque incipit, *Compertum exploratumque*, promiserunt, secundum formulas aliis in Litteris Pontificiis expressas, quæ pariter enunciatæ jam sunt, quæque incipiunt, *Concreditæ Nobis Dominici Gregis*. Utque suum Nobis ad Pontificatus apicem evectis, Sanctæque Sedi fidele obsequium, & submissionem certo probarent argumento, ad manus nostras exempla reddi curarunt solemnis jurisjurandi, quod singuli præstiterunt.

Episcopi, & Missionarii obtemperant, & juramenta subscripta exhibentur S. Summo Domino Nostro.

§. 22. Hunc igitur fructum ex prudenti constantique, quam hactenus recensuimus, Prædecessorum Nostrorum agendi ratione Nobis colligere datum est; neque jam temerè videmur hanc animo spem concepisse, ut quæcumque dubia super executione eorum, quæ ab iisdem Prædecessoribus præscripta memoravimus, adhuc reliqua sunt, resolutis, ut infra, propositis quæstionibus, penitùs submoveantur; omnesque demum inter sacros istarum Regionum Operarios dissensiones, & controversiæ compositæ conticescant; atque Apostolica mandata & Decreta, quæ, gravi præmissâ ponderatione, ac de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum in tota Republica Christiana in negociis Fidei Generalium Inquisitorum specialiter deputatorum, aliorumque Virorum pietate ac doctrina præstantium, harum serie edituri sumus, pari obedientiæ alacritate ab omnibus istarum Partium Missionariis excipiantur, ac debitæ executioni demandentur.

Qui reliqua adhuc dubia cum consilio Congregat. S. Officii definire statuit.

§. 23. Nonnulli siquidem, postquam Litteris professi sunt servatas ab se fuisse Apostolicas Litteras *Compertum exploratumque*, seque accusatos idcirco perperam fuisse tamquam refractarios; affirmantes nihilominus, in maximas atque extremas animi angustias se esse conjectos, ob Jurisjurandi religionem, ob excommunicationis periculum, aliasque gravissimas pœnas, quibus inobedientes, legive repugnantes inevitabili nexu obligati sunt atque obnoxii; communi illorum omnium nomine, qui in pari muneris & periculi societate versantur, ad sublevandas suas, ut ajunt, oneratas trepidantesque conscientias, atque ad plurimorum Christianorum salutem, qui recenter conversi persecutionum procellis assiduè conflictantur, in tuto collocandam, tria a Nobis flagitarunt.

Missionariorum postulata.

§. 24. Primum illud est, ut onere sublevemur (quod quidem onus gravissimum, intolerandumque appellant) tot juramentorum, censurarumque, quibus inextricabilibus veluti laqueis eorum conscientiæ vinciuntur, quibusque fit, ut propriæ amittendæ salutis periculo expositi, de aliena procuranda cogitationem propè omnem deponere cogantur.

I. Super tollendis censuris, & juramento.

§. 25. Alterum, ut dispensatio aliàs concessa super insufflationum, atque salivæ ritu, in Sacramento Baptismatis ministrando, prorogetur, eo vel maxime, quod non tali lege sit hujusmodi ritus inductus, in quo dispensatio locum habere non possit; imo, ut ea concedatur necessarium esse ajunt, ad conservandam progandamque

Ac de juramenti præstiti exemplis infra triennium Sanctæ Sedi repræsentandis.

II. Ut prorogetur dispensatio super omissione Sacramentalium in Baptismo conferendo.

disseminatam jam ac diffusam Fidem in vastissimis illis Regionibus, quarum Incolæ ingenito veluti horrore, seu potius inveterato & communi præjudicio, ita salivam aversantur, ut de eo evellendo propè jam sit ab eis desperatum.

III. Ut detur explicatio Articuli de assistentia PARETIS præbenda.

§. 26. Tertium, ut aperta, atque plana tradatur interpretatio præcepti à Cardinali Tournonio Missionariis gravissimè injuncti, atque ab Apostolica Sede confirmati, eisque inculcati, ut abjectissimum hominum genus, vulgo *Pareas*, minimè deserant, sed cùm domi aliquo morbo laborantes detinentur, eos invisant, eisque, cum opus fuerit, Sacramenta ministrent, omnibusque erga eos charitatis atque pietatis officiis defungantur. Nam, sine aliqua præfati Decreti declaratione, perniciem eis, qui Christianæ Religioni nomen dederunt, imminere prorsus arbitrantur, Gentiliumque ad Fidem conversionem impossibilem penitus evasuram. Itaque eorundem Parearum saluti providendum esse rentur, non adigendo Sacros Operarios ad ingrediendum eorum Domos, quod certè, ut asserunt, exitio Missionibus foret, sed alia ratione; atque ea potissimum, quam ipsi primo induxerunt, quaque usi, sunt post Apostolicas etiam Litteras promulgatas, quarum initium *Compertum exploratumque*, obtentu verbalis cujusdam declarationis, quam ipsis suus Missionum Procurator significaverat.

Juxta prætensum vivæ vocis oraculum Clementis XII. Quod tamen Oraculum nunquam emanatum declaratur.

§. 27. Rumore itaque ad Nos allato de hujusmodi vocali declaratione, quæ Clementi Papæ XII. Prædecessori nostro tribuebatur, & cujus etiam exemplum monumentumque in Actis, & Tabulario Sanctæ Inquisitionis relatum fuisse atque reconditum ferebatur, exemplum monumentumve hujusmodi diligentissimè exquiri mandavimus. Cumque illud nusquam inventum sit, longa licet atque exactissima indagine investigatum; cum etiam Administri, quorum custodiæ mandandum fuerat, ea de re per Nosmet-ipsos interrogati, nihil hujusmodi à se visum, nihil auditum fuisse, & nunquam ad se pervenisse prædictam declarationem; proptereaque & in Actis, & in Archivo desiderari, constanter & indubitatè affirmaverint: cum denique ipsius Nostri Prædecessoris ea de re mentem atque sententiam, in Apostolicis ejus Litteris supra relatis luce ipsa clarius expressam, exploratamque haberemus; totum hoc gravissimum & inveteratum negotium, cum approbatione & consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Generalium Inquisitorum, ut supra, deputatorum, tandem dijudicare ac definire deliberavimus. Auditisque propterea tum eorundem Venerabilium Fratrum Nostrorum, tum etiam Consultorum sententiis, ac rursus ad trutinam revocatis, & coram Nobis multum diùque perpensis atque discussis moderationibus illis, quas postularunt à Nobis illi, qui duram atque difficilem Decretorum toties enunciatorum integram absolutamque observantiam existimarunt, in hunc, qui sequitur, modum, statuimus, atque decrevimus.

Et Pontifex, eo non attento, circa relatas quæstiones statuit, ut infra.

I. Juramentum præstari & servari jubet, & censuras confirmat.

§. 28. Ac primo quidem, animadvertentes impositam Jurisjurandi legem esse veluti saluberrimum antidotum extinguendo gliscentium litium, discordiarumque veneno, aptissimumque ad cohibendam licentiam libertatemque opinandi, interpretandi, agendi denique pro libito in re tam gravi & periculosa, frænum existere; Censuras quoque à prædicto Clemente XII. Prædecessore Nostro in enunciatis Litteris, incipientibus *Concredita Nobis* constitutas, ad solos dumtaxat pertinere Apostolicæ legis præceptorumque violatores, easdemque in hujusmodi tantum refractarios, quorum animos neque Ecclesiasticæ mansuetudinis officia, neque paternæ admonitionis charitas vincere, aut inflectere ullo modo possent, justissimam pœnam esse & fore reputantes; non solum inopportunum censuimus, Jusjurandum aliqua in parte remittere, aut moderari Censuras, quod primo fuit ab illis propositum; verùm etiam, de prædicto consilio & assensu, ac de plenitudine Potestatis à Deo Nobis concreditæ, illud, illasque probamus, confirmamus, & innovamus, illudque, & illas omne robur & firmamentum, omnemque vim & efficaciam in posterum semper habere, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, atque ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter & inconcussè observari decernimus & jubemus.

II. Queritur dictum non esse de observantia Decreti Clementis XII. circa Sacramentalia in Baptismo adhibenda.

§. 29. Quod autem attinet ad secundam postulationem, de proroganda supradicta dispensatione, quam Prædecessor Noster in decennium concessit, ut scilicet per id temporis, in Sacramento Baptismatis conferendo, salivæ usu abstinere, & sacras insufflationes in occulto adhibere liceret, non tamen hoc generatim, neque indistinctè, sed ubi gravis aliqua & certa necessitas postularet, ut luculentiùs in ejusdem Litteris Apostolicis, quarum initium *Compertum, exploratumque* expressum est; Nos declarare satis non possumus, quàm ægrè feramus, quod nullis adhuc certis indiciis aut argumentis cognoscere potuerimus, utrum Missionarii per id decennii tempus, quod jam elapsum esse dignoscitur, ad Apostolicarum Litterarum præscriptum, in eo pro viribus elaboraverint, atque eâ, quâ par erat, fide, ac diligentiâ, omne suum studium, operamque adhibuerint, ut vanus ille horror, & parum æqua aversatio prædictorum Sacramentalium, quæ Gentium illarum animis insidere fertur, sensim emendata, demum ab eisdem penitùs deponeretur. Nemo quippè ignorat, Sacramentalium, de quibus agitur, usum, sive institutionis antiquitas, ex qua Ritus illi in Ecclesiam derivati sunt, sive multiplex mysteriorum significatio, quæ in illis continetur, sive demum Romanæ Ecclesiæ omnium Magistræ spectetur auctoritas, quæ eosdem in suis Ritualibus receptos inviolabiliter observari præcepit, jure, ac meritò venerandum esse, præcipuoque semper in honore habendum, & consequenter incapacem prorsùs recipiendæ Baptismatis Gratiæ eum esse, qui falso sibi persuaserit, insufflationes, atque salivam aptam haud esse materiam Sacramentalium cæremoniarum, gravissimique piaculi expertem non futurum, qui sic opinanti conferre illud auderet.

Horum dignitatem, & relevantiam commendat.

Super quibus nefas est Catechumenos errare.

§. 30. Et quamquam exploratum esset, Gentes illas hoc pravo errore minimè detineri, sed ob id tantùm à prædictorum Sacramentalium usu abhorrere, quod ingenitâ quadam, ut ferunt, aversione salivam anhelitumque abominentur, non minori tamen industria Sacris Ministris adnitendum est, ut ex eorum animis perperam conceptum horrorem, ineptamque aversionem eliminent atque ablegent: aliter timendum merito esset, ne illarum Regionum Neophiti, confirmata in ipsorum mentibus hujusmodi abominatione, eo usque desipiant, ut eandem etiam transferant ad miracula, quæ per salivam Christus Redemptor Noster edidit; ipsumque propterea miraculorum & salutis nostræ Auctorem, quo nihil profectò magis impium excogitari potest, aversentur. Utque alia præteream, illud tandem non diutiùs est differendum, ut in Regnis Madurensi, Mayssurensi, & Carnatensi, Baptismi Sacramentum ritè sanctèque ministretur, iisdem adhibitis Sacramentalibus, & cæremoniis, quibus Romana utitur Ecclesia, ex qua ad Gentes illas Fidei lux propagata est, dediscantque tandem novelli Regionum illarum Fideles id horrere, quod Deus dignatus est facere.

Concedit prorogationem dispen-

§. 31. Verumtamen, ut memorata Sacramen-

talium

sationis ad aliud decennium à die datæ præsentium.

talium prædictorum abominatio suaviter, leviterque ex eorum animis divelli possit, neve hujusmodi lex, quæ Sacramentalium usum præscribit, ad nimiam in speciem severitatem exacta, eas adducere calamitates videatur, quæ ex illa, tamquam è fonte, in Ecclesias atque Missiones dimanaturæ denunciantur; Nos enarratis de causis dispensationem, quam Prædecessor Noster in Literis jam relatis concessit, iterum concedendam, prorogandamque decrevimus in aliud decennium, quod à die datæ præsentis Nostræ Apostolicæ Constitutionis est inchoandum.

Præscribit Episcopis, & Missionariis quomodo ea uti debeant.

§. 32. Ex quo fas est intelligere, non eam esse aut fuisse nostram, & Apostolicæ Sedis sententiam, quod scilicet nullus dispensationi locus esse possit in hujusmodi Sacrorum Rituum, & Sacramentalium materia, nec ulla dispensandi necessitas, aut sufficiens causa unquam valeat allegari. Verùm, quum ex rationibus superiùs allatis, nullo pacto permitti valeat, venerabiles adeò Ritus, ac traditum à Patribus, sanctèque ab Ecclesia servatum hujusmodi Sacramentalium usum, penitùs aboleri; vel eorum contemptui, aut erroribus circa eadem inducendis, vel jam conceptis amplius confirmandis, occasionem præberi; idcircò omnibus dictorum Regnorum Missionariis districtè præcipimus, ut hac dispensatione benignè à Nobis indulta, nonnisi certis in casibus, & cum gravis id necessitas postulabit, de quo eorum conscientiam oneramus, utantur, nec nisi in prædictis casibus salivæ usum in administratione Baptismatis possint omittere, & occultas adhibere insufflationes; modo ii, qui se baptizandos offerunt, in ea non sint opinione, ut credant salivam, atque insufflationes hujusmodi ineptam esse, atque indecentem Sacramentalis Ritus materiam; qui enim adeò falsa, atque distorta persuasione imbuti essent, tamquam indigni, & incapaces Sacramenti Baptismatis licitè suscipiendi, ab eo repellendi essent. Volumus autem, atque omnibus & singulis prædictorum Regnorum Episcopis & Missionariis in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, & expressè jubemus, ut & communibus studiis atque consiliis, & singuli pro viriis parte, intra præfinitum decennii tempus, omnibus viribus nervisque contendant, & quemadmodum fuerat eisdem à sanctæ memoriæ Prædessore Nostro imperatum, non intermissis laboribus assiduè curent, ut ex illarum Gentium animis errorum tenebræ, malesanæque opiniones, quibus obcæcantur, & miserrimè detinentur, penitùs discussæ, ac radicitùs evulsæ eliminentur. Ut verò indultum prorogarumque à Nobis tempus, sanctissimis Romanæ Ecclesiæ cæremoniis prædictis, quæ tamdiù à Sede Apostolica commendatæ atque inculcatæ fuerunt, faciliùs apud Nationes illas insinuandis verè conducat, utque ulterior hujusmodi Rituum prætermissio (quam tamen extra veræ necessitatis casus, ut supra, nullatenus concessam aut licitam esse, iterùm declaramus), alendis Populorum erroribus, atque difficultatibus augendis confirmandisque ansam non præbeat; universis Gentium illarum Episcopis, & Missionariis prædictis notum esse volumus, hoc exacto decennio, nullis aut precibus, aut rationibus, quæ porrigi, proferrique unquam possent, aliam denuò prorogationem concessum iri.

Et, ut Malabares in hac materia perperam opinantes ad Baptismum non admittant.

Atque interim eos instruere curent.

Absque spe ulterioris dispensationis.

III. Decretum Card. Turnonii circa Pareas justum, & necessarium declarat.

§. 33. Ad tertium denique quod pertinet postulatum, ut nempe apertius atque distinctius declaretur Decreti articulus, quo laudatus bonæ memoriæ Carolus Thomas Cardinalis Turnonius sancivit, ut Missionarii ad Pareas ægrotantes accedant, ut Sacramenta desiderantibus etiam domi administrent, ut denique illis omnia præstent spiritualia subsidia, quæ Charitas, Religio, & Officii ratio Evangelicis Operariis, nullo discrimine, nulloque respectu, Fidelibus universis, adversa præsertim valetudine conflictatis, administranda præscribunt: nemo profectò non videt, quantumvis maximæ proponantur difficultates, in quas incurrere Missionarii se posse dicunt, si huic præcepto tam justo, tam sancto parere velint; ferendum tamen nullo modo esse, quod Casas humiliorum hujusmodi hominum ex morbo decumbentium subire recusent, atque illos in summo etiam vitæ discrimine, aut Sacramentis omninò carere sinant, aut saltem eorum fem percipiendorum maximam illis ingerant difficultatem. Nulla etenim apud Deum est personarum acceptio; nec ullum despicere fas est eorum, quos Unigenitus Dei Filius per novam generationem sibi conjunctos, non confunditur Fratres vocare; quin immo *elegit Deus pauperes in hoc Mundo, divites in Fide, & hæredes Regni, quod repromisit diligentibus se.* Quæ qui contemnunt, exhonorantes pauperem, & Fratrem humilem confundentes in humilitate sua, hi porrò longè nimis discedunt à doctrina, & exemplo Christi Domini Salvatoris Nostri, qui Nos, non Divina tantùm voce, sed magnis etiam atque illustribus factis edocuit, quanti apud Nos esse debeant, qui pauperes, atque abjecti per Mundi insaniam vocantur: *Ecce enim*, ajebat S. Gregorius Pontifex Maximus, *ire non vult Filius Dei ad Filium Reguli, & tamen venire paratus est ad salutem Servi. Certè si nos cujuspiam Servus rogaret, ut ad eum ire deberemus, protinùs nobis nostra superbia in cogitatione tacita responderet, dicens: non eas, quia temetipsum degeneras, honor tuus despicitur, locus vilescit. Ecce de Cœlo venit, qui Servo in Terram occurrere non despicit.*

Idque confirmat ex Sacris Scripturis, & Patribus.

Prædecessorum super eo præcepta revovat, & nondum impleta dolet.

§. 34. Quare ut gravissimo huic malo remedium afferrent Prædecessores nostri Romani Pontifices Gregorius XV., Alexander VII., & Clemens IX. in suis Apostolicis Litteris die XXXI. Januarii Anni MDCXXIII., die XVIII. Jan. Anni MDCLVIII., & die XIII. Septembris Anni MDLXIX. respectivè datis, omni animorum contentione, atque zelo obtinere curarunt (quod & Nos eorum vestigiis inhærentes summoperè optamus, & quantum in Domino possumus, districtè præcipimus, & mandamus), ut Nobiles cum Plebeis in unam eandemque Ecclesiam convenientes, una simul Divini verbi pabulo reficerentur, & Ecclesiæ Sacramenta reciperent, utque Missionarii Regnorum, Provinciarumque Orientalium Indiarum, sui officii memores, ita animo essent comparati atque dispositi, ut non secus ac Nobilibus, abjectis quoque, & infimæ sortis hominibus, in iis, quæ ad spiritualem eorum profectum pertinent, præsto essent, illisque in propriis etiam domibus etsi humillimis ac sordidis, Sacrum Viaticum ministrare minimè recusarent. At, quod maxime Nos angit, sive ob immodicum illum horrorem, quo claro genere nati infimæ Plebis homines, ut fertur, ita aversantur, ut vel illorum contactu se commaculari, nobilitateque, & gradu cadere sibi persuadeant, (qui tamen horror cum sit Christi lege damnatus, è Christianorum animis omnino est eliminandus); sive ob patrias leges, imperiaque Regum idololatrarum, quibus Christiani in iis Regionibus subjecti sunt, aliave tandem de causa id evenerit; frustrà certè fuerunt Prædecessorum nostrorum consilia, paternæ exhortationes, præcepta demum, queis usi sunt, ut infimi hujus generis hominum conversioni ac saluti procurandæ, quantum optaverant, plenè consulerent, atque providerent.

Missionarii Societ. Jesu proponunt Pontifici se aliquos deputaturos ad præcipuam Paresrum curam.

§. 35. Cùm verò & Nos, Christi Domini documentis, Prædecessorumque Nostrorum exemplo excitati, anxiè cogitaremus, quâ ratione illud tandem reipsa consequi possemus, quod eidem Prædecessoribus Nostris tantopere cordi

1744.

fuit; opportunè accidit, ut Societatis Jesu Missionarii, quorum villicationi Regnorum Madurensis, Mayssurensis, & Carnatensis Missiones potissimùm concreditæ sunt, postquam declarari à Nobis articulum de Pareis postularunt, paratos se Nobis obtulerint, pollicitique sint (modò id Nos ipsi probaremus) certos aliquos delegare Missionarios, qui Pareis convertendis, dirigendisque præcipuè dent operam. Quod quidem eorum consilium, quo Parearum conversioni & saluti satis benè consultum fore confidimus, paterno gaudio suscipientes, pro temporum circumstantiis probandum, commendandumque esse duximus, oblationisque Nobis factæ, ac religiosi promissi exemplum ab eorum Præposito Generali subscriptum, in hujus Romanæ, atque Universalis Inquisitionis Tabularium referri, perpetuoque asservari mandavimus.

Pontifex id probat.

§. 36. Præmonemus itaque in primis Partium illarum Missionarios universos, ut quæ Apostolici eorum ministerii erga Fideles omnes ex Divina institutione potissimæ partes sunt, minimè obliviscantur; ac seriò perpendentes, quod inter eos, qui filii Dei sunt, per Fidem quæ est in Christo Jesu, juxta doctrinam Apostoli, jam non est servus neque liber, non est masculus neque fœmina, sed omnes unum sunt in Christo Jesu; quod ipse quoque Salvator noster à Deo Patre suo postulaverat pro omnibus, qui crediturі eram per verbum Discipulorum in ipsum, rogans nimirùm: *Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, & ego in te, ut & ipsi in Nobis unum sint, ut credat Mundus, quia tu me misisti*; novos credentes instruant, oportere illos eo mutuæ charitatis vinculo inter sese colligari, ex qua veluti tessera, & Divini Filii ab æterno Patre missionem, & Christianæ Religionis veritatem facilè Gentiles agnoscant.

Et charitatem erga omnes inculcat ex doctrina Apostoli, & ipsius Christi.

§. 37. Deinde verò tot statim pro Pareis Missionarios deputari volumus & præcipimus, quot necessarii, & re ipsa sufficientes reputabuntur, pro eorum debita cura singulis in locis exercenda; qui peculiari studio eorundem domos, ubi ægrotant, pro viribus petant, ad eos invisendos, ac piis sermonibus, ac precibus, Sacramentorumque pabulo recreandos, eosque demum in extremo vitæ discrimine constitutos sancto infirmorum Oleo deliniendos, absque Personarum, aut sexus exceptione. Ubi verò contigerit præfatos Missionarios ad Parearum curam præcipuè deputatos, aut eorum aliquem, è vivis excedere, vel aliò abire; alterum, alterius loco continuò subrogari mandamus; & intra spatium quinquennii à die datæ præsentium, certissima atque authentica documenta de mandatorum nostrorum executione Apostolicæ Sedi reddi debere præcipimus; Quod si intrà quinquennii spatium hujusmodi documenta reddita minimè fuerint, vel iis redditis, minimè constiterit alios Missionarios ad præcipuam illam Parearum curam exercendam subrogatos fuisse in eorum locum, quos vel obiisse, vel alia de causa officio deesse contigerit: tum etiam, si intra spatium annorum decem, omnes non fuissent adhibitæ diligentiæ, quæ tam à Prædecessoribus nostris, quam à Nobis ipsis superiùs præscriptæ sunt, ad evincendum expellendumque horrorem, quo Gentes earum Regionum insufflationes atque Salivam in Sacramenti Baptismatis administratione & susceptione, aversari dicuntur: de quo tamen minimè dubitare Nos sinit filialis obedientia, quam ii præ cæteris Missionarii in Apostolicam Sedem se profiteri gloriantur; aut deniquè si omnes adhibitæ diligentiæ frustrà cessissent: quod secus fore confidimus, dum mentis nostræ oculos ad Misericordiarum Patrem, totiusque consolationis Deum, cujus agitur causa, convertimus; in quemcumque eventum, ne Missiones illas tot Virorum laboribus ac sanguine fundatas deseramus, à quo fanè longissimè absumus; decernimus, & mandamus, ut alii Missionarii sive Sæculares, sive Regulares ex alio cœtu, vel instituto, in ea Regna mittantur; ut experiamur num Deus, cujus incomprehensibilia sunt judicia, in aliorum Operariorum villicationem divitias misericordiæ suæ effundere decreverit, eorumque labore, atque industria illos fructus in præfatis Regionibus & Gentibus producere, quos Missionariorum nunc ibi laborantium sudoribus, nulla licet ipsorum culpâ vel omissione, consequi non potuerimus.

Jubet deputari sufficientem numerum Missionariorum, qui Pareis assistant.

Et alios aliorum loco subrogari.

Et de hujus Decreti implemento doceri intra quinquennium, & de superiori intra decennium.

§. 38. Et quamquam confidimus Missionarios nunc & pro tempore ibi existentes, pro suo erga Apostolicam Sedem obsequio, ab excitandis turbis alienos futuros, nec ullum jussionibus Nostris obstaculum aut impedimentum allaturos, si dum ipsi in iis Regionibus commorantur, eò novi Missionarii accederent, ibique versarentur; tamen quoniam Apostolici muneris id à Nobis ratio exigit, ut caveamus pericula, quæ Christianæ charitati offendiculo esse possent; hinc est, quod Societatis Jesu Missionarii, qui in Madurensi, Mayssurensi, & Carnatensi Regnis tunc erunt, virtute sanctæ obedientiæ jubemus atque præcipimus, ut quicumque casus ex supradictis evenerint, quo vel omnia, vel aliqua ex his, quæ per præsentes Literas Nostras circa præmissa decrevimus & observari mandavimus, intra præfinitum respectivè tempus, integrè, exactèque, ut par est, impleta non fuerint, sive id ex eorum facto, sive ex omissione, sive ex prava, & contra literalem earumdem præsentium sensum distortâ mentis & voluntatis nostræ interpretatione, sive demum ex qualibet alia causa, etiam de necessitate exprimenda, id contigerit; statim, relictis prædictarum Regionum Missionibus, quarum in iis Regnis exercendarum, & quocumque titulo, etiam deputatorum ab Episcopis, seu Ordinariis Locorum, aut simplicium suæ Religionis Presbyterorum, seu quolibet alio colore prosequendarum, jure omni, officio, & facultate ex eo tempore in posterum jam nunc eos à Nobis privatos, & imminutos declaramus, atque ex nunc prout ex tunc, & è contra, auctoritate Apostolica, & earumdem præsentium tenore privamus, & imminuimus, illicò, non expectatâ aliâ nostrâ, & Sedis Apostolicæ delaratione, jussione, aut sententia, in Europam revertantur, uberiores, ut speramus, in hisce Partibus fructus relaturi.

1744. Aliàs novos Missionarios in ea Regna mittendos statuit.

Et supradictos in Europam revertі jubet, sublata eisdem facultate exercendi Missiones.

§. 39. Demum, etsi ii Missionarii, qui moderandas censuras, dispensandum super insufflationum, & Salivæ Ritu in Sacramento Baptismatis administrando, atque articulum de Pareis declarandum postulaverunt, nil difficultatis præsetulerint circa alia capita Decreti prædicti Caroli Thomæ Cardinalis Tournonii, & Apostolicarum Literarum Clementis Papæ XII., quarum initium *Compertum, exploratumque*; ex aliorum nihilominus Literis ingenti Nostro dolore accepimus, ex Missionariis alios esse, qui nullâ habitâ interdicti à præfato Cardinali Tournonio lati, amplissimèque à Prædecessore nostro confirmati ratione, eo usque progrediuntur, ut Christianis Mulieribus gestare permittant monile collo suspensum, contracti tesseram Matrimonii, quod Regionis illius lingua *Taly* denominatum, effigiem quamdam habet informem Idoli, quod profanis earum Gentium nuptiis præsidere fertur; ipsisque pariter Fidelibus, quo tempore ab illis nuptiæ celebrantur, permittant fructum, vulgò *Cocco* nuncupatum, frangere, ad hoc ut futurorum inde auspicia vel fausta, vel infausta desumant: Mulieribus demum, cùm mensibus detinentur, Templi accessu, & salutari Pœnitentiæ Sacramento interdicant. Quam

Recensentur alii abusus in iis Missionibus, ut fertur, perseverantes.

Gestatio Taly.

Fractio Cocco.

Denegatio ingressus Ecclesiæ Mulieribus menstruatis.

obrem

1744. Itque damnantur.

obrem Nos animo reputantes, quam sit execrandum, Mulieres illas, quæ sub Crucis vexillo militant, ornatas incedere hujusmodi insignibus, quæ aut Idololatriam importent, aut de Gentilitatis superstitione suspecta sint, prout dubio procul est memoratum *Taly*, necessariò proinde damnatum: quàmque Christifideles deceat, ritus, cæremoniasque sequi, vel imitari, ethnicam superstitionem redolentes, quâ certè non vacat illa nuptiarum tempore in prædictis Regionibus usitata præfati *Cocco* diffractio, quæ idcirco jure & merito pariter reprobata dignoscitur; quàm denique justum sit, mensum tempore minimè arcere Templis, & salutari Pœnitentiæ Sacramento fideles Mulieres, quas laudabili praxi admittit Ecclesia, Redemptoris vestigiis insistens, qui sanguinis fluxu laborantem non abjecit: *Si enim*, ut olim scripsit laudatus S. Gregorius Magnus, *in sanguinis fluxu posita laudabiliter potuit Domini vestimenta tangere, cur quæ menstruum sanguinis patitur, ei non liceat Domini Ecclesiam intrare?*

Et injungitur observantia, & executio Decretorum S. Sedis, quæ in omnibus confirmantur.

§. 40. Hæc inquam reputantes, ac relatis & minimè ferendis abusibus pro Apostolici muneris ratione remedium adhibere quam maximè cupientes, mandamus, & virtute sanctæ obedientiæ, tenore præsentis nostræ Constitutionis perpetuæ legis vim habituræ, jubemus atque districtè præcipimus universis Episcopis, atque omnibus & singulis tam Sæcularibus, quàm Regularibus ex quocumque sint Ordine, Congregatione, Instituto, nominatimque ex Societate etiam Jesu, in Orientalium Indiarum Regnis Madurensi, Mayssurensi, & Carnatensi existentibus Apostolicis Missionariis, ut omnia & singula, quæ in supra insertis Clementis Papæ XII. Literis, quarum initium *Compertum exploratumque*, quas etiam auctoritate nostra, quatenus opus sit, in omnibus, & per omnia approbamus, confirmamus, & innovamus, contenta sunt, tam quæ supradicta capita respiciunt, quàm alia quæcumque per easdem Literas præscripta, & definita, ad eorum normam, quæ idem Prædecessor Noster alteris pariter superiùs insertis Apostolicis Literis, incipientibus *Concredita nobis*, constituit & fauxit, non solùm ipsi pro virili parte integrè, exactè, absolutè, inviolabiliter, perpetuòque observent atque adimpleant, verùm etiam, quantum in ipsis est, ut ab universis Fidelibus, qui eorum curæ sunt concrediti, exactè serventur & impleantur, omni studio ac viribus curent atque contendant.

Adhortatio Pontificis ad Episcopos, & Missionarios.

§. 41. Denique eosdem Episcopos, & Missionarios omnes rogamus & obsecramus per Dominum Jesum Christum, & per charitatem Sancti Spiritus, ut nihil aliud sapientes, præter id, quod à Nobis & à Prædecessoribus Nostris constitutum fuit, salutare Dei, quod per eorum ministerium Regionum istarum Gentibus missum est, parti zelo ac puritate propagare non intermittant; omnique studio dent operam, ut nedum in novellis Christifidelibus veteris hominis vestigia penitus expungantur, deleanturque, verùm etiam quæcumque vel symbola, vel imagines, aut figuræ, atque omnis demum species mala, ipsaque veluti umbra, & odor ethnicæ superstitionis ab ipsis eliminentur; illud cogitantes, ejusmodi cæremoniis, vanisque observationibus, quæ Idololatriæ reliquiæ sunt, earum Gentium animos inextricabilibus veluti laqueis irretiri, ac vetustos ali confirmarique errores, quibus miserè detinebantur. Quod si aliquos Regionum illarum Fideles, veluti parvulos adhuc fluctuantes, Paganorum contemptus, contumelias, aut persecutiones, propter Ecclesiæ præceptorum, & Rituum observantiam, formidare conspexerint; illud ipsis illustre monitum, quod Sanctus Augustinus Ecclesiæ Doctor in pari argumento reliquit, commemorare, atque inculcare non desinant: *Si quæritis, unde vincantur Pagani, unde illuminentur*; quodque ad ipsos Evangelii præcones præcipuè dictum esse dignoscitur: *Si quæritis unde ad vitam vocentur; deserite solemnitates eorum, deserite nugas ipsorum.*

1744.

Clausulæ efficaces pro omnimoda præsentium executione.

§. 42. Volumus autem, atque decernimus, easdem præsentes Litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod prædicti Missionarii, eorumque Procuratores, & alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis existant, seu aliàs specificâ mentione & expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati & auditi, causæque, propter quas præsentes emanaverint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac inexcogitato, & inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu, notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari; sed ipsas præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, quibuscumque juris, seu facti defectibus, qui adversus illas, etiam quorumvis à Sede præfata concessorum Privilegiorum prætextu, ad effectum impediendi, seu retardandi earum executionem, quovis modo, seu quavis ex causa opponi, seu objici possent, minimè refragantibus, suos plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere, easque propterea, omnibus & singulis quomodolibet allatis, seu afferendis impedimentis penitùs & omninò rejectis, ac nequaquam attentis, ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter & inconcussè servari; sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & præfatæ Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Aliter judicari, & interpretari prohibetur, cum Decreto irritanti.

Contrariis quibuscumque derogatur.

§. 43. Non obstantibus præmissis, &, quatenus opus sit, Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula *de jure quæsito non tollendo*, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus; necnon quorumcumque Ordinum, Congregationum, Institutorum, & Societatum, etiam Jesu, & quarumvis Ecclesiarum, & aliis quibuslibet, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis Statutis & consuetudinibus, ac præscriptionibus quantumcumque longissimis, & immemorabilibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus, etiam Jesu, ac Ecclesiis prædictis, aliisve quibuslibet personis, etiam quantumvis sublimibus & specialissima mentione dignis, à Sede prædicta ex quacumque causa, etiam per viam contractus, & remunera-

1744.

tionis, sub quibuscumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, seu ad quarumcumque Personarum, etiam Imperiali, Regali, aliâve qualibet mundanâ, vel Ecclesiasticâ dignitate fulgentium instantiam, aut earum contemplatione, seu aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, ac quantiscumque vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur, & inserrentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides præstanda transumptis.

§. 44. Quia verò difficile foret, Litteras hujusmodi originales ubique ostendi, & publicari, volumus pariter, & decernimus, illarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eamdem prorsus fidem tam in judicio, quam extra illud, ubique locorum haberi, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Tenor præsentium intimetur Superioribus Missionariorum, qui earum executionem promittant, & a Subditis exigant.

§. 45. Insuper volumus & expresse mandamus, ut eædem præsentes Literæ, seu earum exempla, etiam impressa, notificentur & intimentur omnibus & singulis memoratorum Missionariorum, cujuscumque Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, etiam Jesu, Superioribus Generalibus, & Procuratoribus Generalibus, ad hoc ut, tam suo, quàm prædictorum eis respectivè Subditorum, seu inferiorum nomine, ipsas Literas fideliter exequi, & observare spondeant, actumque sponsionis hujusmodi in scriptis reddant; earum verò exempla prædicta, præter ea, quæ à Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum, ad Episcopos prædictorum Regnorum, legitimè publicanda, de mandato pariter nostro, transmittentur, iidem Superiores, aut Procuratores Generales pluribus viis, quanto citiùs fieri poterit, transmittant ad eosdem suos Subditos, seu Inferiores in Regnis supradictis degentes, cum arctissimis præceptis, easdem Literas, & in eis contenta quæcumque plenariè, & integrè, ac verè, realiter, & cum effectu in omnibus, & per omnia similiter exequendi, & observandi.

Earumque exempla ad illos transmittant cum opportunis præceptis.

Ipsæque præsentes semel publicatæ omnes afficiant.

§. 46. Et nihilominùs, quocumque modo earundem præsentium exempla in prædictis Regnis legitimè publicata fuerint & promulgata, volumus, ut statim post hujusmodi publicationem, omnes & singulos, quos concernunt, seu concernent in futurum, perindè afficiant, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ & notificatæ fuissent.

Sanctio pœnalis.

§. 47. Nulli ergo omnino Hominum liceat paginam hanc nostrarum approbationis, confirmationis, innovationis, declarationum, decretorum, præceptorum, mandati, statuti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo quarto, pridie Idus Septembris, Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Dat. die 12. Sept. 1744.

D. Card. Passioneus.
J. Datarius.
VISA DE CURIA.
J. C. Boschi.
J. B. Eugenius.
Registrata in Secretaria Brevium.
Loco † Plumbi.

Public. die 7. Octobris ejusdem Anni.

CVIII.

Approbatio Cultus ab immemorabili tempore exhibiti B. Nicolao Albergati S. R. E. Cardinali, & Episcopo Bononiæ, ex Ordine Carthusianorum.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

QUONIAM ita comparatum est, ut ea, quæ aliàs accuratissimè expensa, & concordibus cum virorum pietate, ac sapientia insignium suffragiis à Nobis ipsis sancita ac decreta fuerunt, novis deinceps supremæ Apostolicæ nostræ auctoritatis documentis approbata, & confirmata, universi Christifideles majori cum fide, constantia, ac veneratione accipere, & debitæ executioni mandare consueverint: Eapropter Decretum, quod nuper super casu excepto à Decretis fel. record. Urbani Papæ VIII. Prædecessoris nostri in Causa B. Nicolai Albergati edidimus, novo Apostolicæ confirmationis nostræ præsidio communire satagimus. Hujusmodi autem Decretum est tenoris, qui sequitur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Tenor Decreti editi in causa B. Nicolai.

§. 1. *Singulare Divinæ providentiæ consilium esse videtur, quod Nobis reservaverit initium, & progressum, quousque fieri potuit, Causæ B. Nicolai Cardinalis Albergati, qui Anno* MCCCCXLIII. *decessit: Quo cum Nos & patriam communem, & eundem Cardinalis Titulum Sanctæ Crucis in Hierusalem sortiti sumus; eademque Bononiæ Ecclesia, cujus ipse Episcopus inauguratus est Anno* MCCCCXVII., *& ad mortem usque gubernavit, Nobis pariter gudernanda tradita est, & ad hanc usque diem gubernamus.*

Introductio Causæ.

§. 2. *Cùm in minoribus Promotorem Fidei ageremus, Canonizationis ejus causam inducere tantatum est. Quod autem tunc perfici minime potuit, id tandem in Congregatione Rituum habita die* XX. *Julii* MDCCXLIV., *dilecto filio nostro Card. Pompejo Aldrovandi tunc Prodatario, nunc Æmiliæ Legato, referente, fuit deliberatum; atque ejusdem causæ introducendæ, prout moris est, commissio manu nostra perquam libenter signata prodiit.*

Processus & sententia Ordinarii super casu excepto à Decr. Urb. VIII.

§. 3. *Decretis itaque Urbani VIII. Prædecessoris nostri inhærendo, subjici debebat examini observantia eorumdem Decretorum; & cum Nobis compertum esset, in Archiepiscopali Curia Bononiensi Anno* MDCLI. *auctoritate Ordinaria conditum fuisse Processum, in quo varia documenta, ac testimonia de observantia prædictorum Decretorum afferebantur; atque inde etiam deducebatur, scientia, assensuque Episcoporum Bononiensium publicum cultum fuisse exhibitum B. Nicolao Albergati toto tempore, quod Urbani VIII. Decreta exigunt: præterea Jacobum Boncompagni Cardinalem Archiepisc. Bononiensem Anno* MDCCXXV. *sententiam de more pronunciasse, qua cultum illum ad formam ipsorum Decretorum exhibitum fuisse comprobabat.*

1744. Documenta Sanctitatis Beati Viri, Pontificis jussu, collecta & vulgata.

§. 4. *Nos, ut Sanctitatis fama ejusdem Beati Viri illustrior fieret, & publici ejus cultus fundamenta magis stabilirentur, vitæ illius acta à Jacobo Zeno Episcopi Feltrensi & Bellunensi, ejus familiari, conscripta, typis iterum publicari præcepimus, & cum Codice Bibliothecæ nostræ Vaticanæ conferri. Codex autem ejusmodi bene ornatus, & Cardinalis Petri Barbi, qui deinde Pontifex factus Pauli II. nomen assumpsit, stemmata præferens, cui adhuc Cardinali opus illud inscriptum fuerat, multo pretio, & æstimatione dignus esse videtur, & ad errores aliquot, qui in vetustiores ejus vitæ editiones irrepserant, corrigendos apprime aptus. Id vero accuratè perfecit Constantinus Ruggeri Clericus, nosterque familiaris, qui præmemoratæ Vitæ notas addidit. Communicatis deinde illi Martini V., & Eugenii IV. Apostolicis Brevibus, quæ in Archivo nostro peculiari servabantur, in quibus amplissima de Sanctitate Vitæ B. Nicolai Albergati testimonia continentur; tum etiam ei traditis iis, quæ à Nobis alio tempore hac de re collecta fuerant; factâque eidem tum ad nostram domesticam Bibliothecam, tum ad alias hujus Urbis celebriores, adeundi potestate, Nos ipsi singulis hebdomadis opus perlegere, & examinare curavimus; præscripto ordine, quem in eo dirigendo ordinandoque haberi voluimus: atque hinc post multos labores ad Jacobi Zeni historiam adjecta sunt prædictorum, aliorumque Romanorum Pontificum testimonia; necnon & Caroli VII. Galliæ, & Henrici VI. Britanniæ Regum, ac plurimorum illustrium Italiæ auctorum, inter quos recenseri maxime debent S. Antoninus, & Æneas Sylvius; tum etiam ex Gallia, Flandria, aliisque Regionibus Scriptorum; quæ omnia in unum volumen ab eodem Constantino Ruggeri collecta, jussuque nostro typis in lucem edita hoc ipso anno prodierunt.*

Causa proponitur in Congregatione Sac. Rit. ipso Pontifice referente.

Relationis summa. De vita & obitu B. Nicolai.

§. 5. *His omnibus comparatis, cum in Congregatione Rituum ordinaria proponendum esset Dubium de observantia Decretorum Urbani VIII., Cardinali Aldrovando absenti nemo alius Cardinalis fuit à Nobis subrogatus, qui causam illam referret: Sed Kalendis Augusti habitâ coram Nobis eâdem Rituum Congregatione, Nos ipsi Cardinalis relatoris vices supplentes, exposuimus primo, Beatum Nicolaum Albergati Bononiæ illustri genere natum, in Carthusianorum claustra juvenem concessisse; ibique Sanctitatis, ac prudentiæ fama in variis Carthusianis Domibus Prioris munere functum, Romæ deinde fuisse Ordinis sui Procuratorem Generalem: postea Bononiensis Ecclesiæ, invitum quamvis, & coactum, regimen suscepisse; in quo Ecclesiastica vivendi disciplina, largisque eleemosynis, luculentiora dedit Sanctitatis suæ argumenta: quibus accessit invictum robur, quo turbulentis illis Ecclesiæ temporibus, jurisdictionis, & auctoritatis Pontificiæ adversariis fortissimè restitit: à Pontifice Martino V. Cardinalium ordini adscriptum, præceptoque adactum, ut eam dignitatem acciperet, sic in eo gradu se gessisse, ut quemadmodum Religiosus religiosæ vitæ, Episcopus religiosi Episcopi, ita Cardinalis factus Cardinalis religiosi exemplar, ac norma extiterit; cum in omni vitæ genere, disciplinam regularem, austeritates, & Carthusiani instituti jejunia constantissimè retinuisset: à Sede Apostolica rebus gerendis præpositum, post multos labores, pacem inter Mediolanensem Ducem, Venetos, & Florentinos conciliasse; & post plura in Galliam itinera, nunc Martini V., nunc Eugenii IV. Pontificum jussu, in magno Atrebatensi conventu, inter Carolum Galliæ Regem, & Philippum Burgundiæ Ducem, præclaram illam pacem, Catholicæ religioni adeo proficuam, firmasse; cum interea singularis Dei providentia ad ejus preces insigne miraculum edidisset, ut Scriptores nonnulli memoriæ prodiderunt. Exposuimus quoque sapientem illius gravitatem, cum communi Sanctitatis opinione conjunctam, in aliis Legati Apostolici muneribus, quæ ille tum in Basilea, tum in Ferrariæ Conciliis, tum etiam in conventu Principum Germanorum Norimbergensi, præclare sustinuit; præter gravissimum illud Summi Pœnitentiarii, quod apud Pontificem Eugenium IV. gessit: postremo meritis plenum Senis ex hac mortali vita decessisse, communi omnium opinione, ac fama, heroicis virtutibus ornatum; ejusque corpus Florentiam, prout ipse mandaverat, ad Carthusianos fuisse delatum, ubi ad hanc usque diem requievit: Cum illud Senis Florentiam comitatus fuisset Thomas Sarzanensis, qui deinde Cardinalis, ac paulo post Pontifex factus, Nicolaus V. vocari voluit in memoriam Nicolai Cardinalis Albergati, Viri de se optime meriti: qui post obitum (ut historici, inter quos ipsemet Thomas, narrant) ei apparuit, ac tristem, mœrentemque hac ipsa magistri sui & domini morte, recreavit; & inter cætera, sempiternâ felicitate se potiri affirmans, Summum illi Pontificatum prædixit; quem pariter Æneas Sylvius, Pii Secundi nomine, assecutus est: qui ambo fuerant cum eodem Nicolao Albergati obsequio & familiaritate conjuncti. Atque uno verbo diligenter exposuimus quidquid magis egregium solidumque de B. Nicolao memoriæ proditum erat in Pontificiis diplomatibus, gravissimisque Auctoribus, qui in prædicto volumine fideliter accurateque citantur. Transeuntes inde ad id, quod erat præcipuum, ad qualitatem scilicet, & vetustatem publici cultus, retulimus summa fide, quidquid causæ Postulatores in suis scriptis attulerant, tum etiam illa, quæ Fidei Promotor in suis animadversionibus ex officio opposuerat. Nec fuit à Nobis omissum id, quod ad ejusmodi oppositiones responderi valide poterat: illustratis, & in bono lumine collocatis principiis aliquot, quæ in nostris de Canonizatione Sanctorum Operibus continentur, quibus oppositiones illæ nitebantur.*

1744. De ejus Sanctitatis fama & cultu eidem exhibito.

Congr. Resolutio pro Casu excepto à Decretis Urbani VIII.

§. 6. *Mentem autem nostram minime aperuimus; sed sententiis aliorum exquisitis, ingenti animi nostri gaudio audivimus, Cardinales omnes congregatos, communi suffragio, & una voce declarantes, Urbani VIII. decretis obtemperatum prorsus fuisse, quorum vi B. Nicolai causa esset mulcis nominibus excepta; adeoque veterem ac publicum ejus cultum, legitimum & canonicum esse censendum, nulloque modo iis, quæ in citatis decretis præscribuntur, adversum. Atque id magis, quod publicus idem cultus tunc cœpit, cum Senis corpus ejusdem Beati Viri in Ecclesia S. Augustini fuit expositum, ubi præter totius populi concursum, qui ejus pedes manusque deosculari certabat, Eugenius IV. Pontifex Maximus, inusitato iis temporibus exemplo, ejus funeri cum tota Curia adesse voluit: testatus id se facere ob ingentem, quam de ejus sanctitate opinionem habebat, per Orbem jam longe lateque pervulgatam; imo & duarum librarum lapidem, qui in dissecto ejus corpore repertus est, devotionis causa apud se habere voluit. Addebant præterea, Cardinalem Gabrielem Paleotti primum Bononiæ Archiepiscopum, Nicolai nomen in Beatorum, ac Sanctorum Ecclesiæ suæ album retulisse, & Urbanum VIII., ut nonnulli memorant, affirmasse, delendos non esse ab ejus imagine radios, & splendores, quos ipse publico decreto Imaginibus eorum, qui non essent ab Apostolica Sede Canonizationis, aut Beatificationis honore donati, apponi prohibuerat, appositosque deleri jusserat: Postremo Beati Nicolai statuam jussu nostro in fronte Basilicæ Liberianæ inter alias aliorum Sanctorum fuisse positam, cujus Basilicæ ipse fuerat Archipresbyter.*

Pontifex Resolutionem confirmat, & decernit, ut infra.

§. 7. *Audivimus hæc omnia singulari animi nostri lætitia, & in omnibus unanimes, prædictorum Cardinalium sententiæ voce assensi sumus, quam etiam nunc scripto probamus, & confirmamus. Quoniam vero in ejusmodi casibus Fidelium pietas, ut observavimus, præscriptos limites transilire facile solet; cui rei, si Deo placuerit, alio tempore Nos opportune providere cogitamus, in præsens decernimus ea, quæ sequuntur.*

1744. Ob Decreti publicationem Solemnia non celebrari.

§ 8. *Primo, evulgato hoc Decreto, nolumus ingentem publicæ lætitiæ significationem dari, eo modo, quo in Canonizatione alicujus Beati fieri solet, quod quidem aliàs contigisse non ignoramus; sed solum in Ecclesia Metropolitana Bononiæ, in Basilica Liberiana Romæ, & in singulis Carthusiani Ordinis Ecclesiis, post Missam, quam Conventualem dicunt, cantari posse concedimus* Te Deum *in gratiarum actionem, sine musicorum instrumentorum strepitu, nulloque campanarum sonitu præcedente.*

Imagines Beati nonnisi sub præscripta forma depingi.

§. 9. *Secundo, præter titulum Beati, quem de jure possidet, à privatis primo illi attributum, nunc vero à Sancta Sede comprobatum, concedimus ejus imagines pingi, ornarique posse laureolis, radiis, & splendoribus; non autem diademate, juxta Decretum Sacræ Congregationis Rituum die* IX. *Februarii* MDCLVIII. *ab Alexandro VII. confirmatum. Volumus autem semper Carthusiani Ordinis habitu vestiri, quo ipse tam Episcopus, quàm Cardinalis perpetuo usus est, non solum religionis causa, sed etiam, ut Ecclesiasticam Disciplinam eo tempore maxime vigentem observaret. Capiti vero illius neque pileolum, neque biretum rubrum apponi volumus: cum certum sit, ejusmodi ornamenta Cardinalibus Regularibus fuisse concessa à Prædecessore nostro Gregorio XIV. Anno* MDXCI.; *bene vero Cardinalis pileum, quo multo prius singulis Cardinalibus uti dedit Innocentius IV., eoque caput ornari, sive is ad pedes deponi poterit.*

Easdemque extra Ecclesias hic designatas publicæ Veneration non exponi.

§. 10. *Tertio nolumus ejus imagines in Ecclesiarum, sive Sacellorum privatorum Altaribus collocari, exceptis tamen Ecclesia Metropolitana Bononiensi, Basilica Liberiana Urbis, & singulis Ecclesiis, ac Sacellis Ordinis Carthusiani, tum etiam Ecclesiis illis sive Bononiæ, sive alibi, in quibus, vel super aras, vel extra, ejus imagines in præsens existunt.*

De rationibus augendi Beatorum Cultum.

§. 11. *Postquam innotuit, ac declaratum est, Nos in eo casu versari, quem Urbani VIII. decreta excipiunt, & post ea, quæ nuper exposuimus, & quæ quodammodo ex declaratione casus excepti à Decretis Urbani VIII. sequuntur; Apostolicæ Sedis in more fuit, præterito aliquo tempore, urgentibus gravibus circumstantiis, Officium, & Missam de Communi in honorem Beati concedere; alio deinde interjecto tempore, urgentibus gravioribus circumstantiis, Lectiones proprias, etiam antequam fuerint discussæ & approbatæ virtutes, juxta exempla à Nobis cumulata in nostro opere de Canonizatione Sanctorum* lib. 4. part. 2. cap. 4. num. 6.; *denique post aliquod temporis spatium, Beati nomen in Martyrologium Romanum (quamquam id perraro) referre; & quoties magni ponderis causæ adessent, Decretis, & Constitutionibus Apostolicis, si quæ obstant, derogare consuevit, juxta ea, quæ à Nobis relata sunt in eodem Opere nostro de Canonizatione Sanctorum* lib. 4. part. 2. cap. 17 n. 14.

Conceditur Officium cum Lection. propriis, & Missa in honorem B. Nicolai.

§. 12. *Nos itaque, ingentibus B. Nicolai Albergati Cardinalis erga hanc S. Sedem, & Catholicam religionem meritis inspectis, tum etiam communi præconio, quo Scriptores ex omni lingua, tribu, & populo, heroicis ejus virtutibus plaudunt, derogantes plenitudine auctoritatis nostræ quibuscumque adversantibus, & temporis inutiliter transacti jacturam compensare volentes, Officium Divinum de Confessore Pontifice cum Lectionibus propriis, per Nos componendis, & Oratione* Exaudi quæsumus *de eodem Communi, ritu majoris duplicis, recitari concedimus die X. Maii, in quo ad beatam vitam migravit; id vero tantum Clero tam Regulari, quam Sæculari, necnon & Monialibus, Civitatis & Diœcesis Bononiensis; tum etiam Romæ Clero Basilicæ Liberianæ, pariterque Monachis, & Monialibus Ordinis Carthusiani universi; itaut quicumque ex prædictis præmemorato die Officium illud recitaverit, horas Canonicas, ad quas tenetur, persolvisse censeatur. Eadem ratione concedimus, die x. Maii in omnibus præcitatis locis celebrari posse in honorem ejusdem Beati Missam de Communi Confessoris Pontificis; quam quidem concessionem ad alios quoque Sacerdotes tam Sæculares, quam Regulares, qui eo die in Basilica Liberiana, aut in Carthusiani Ordinis Ecclesiis rem Sacram confecerint, extendi volumus. Concedimus quoque eadem die x. Maii in antedictis Ecclesiis celebrari posse quotannis Beati Cardinalis festum, & ejus Reliquias ad publicam venerationem exponi, non autem in Processionem deferri, juxtà ea, quæ Alexander VII. die* XXVII. *Septembris* MDCLIX., *&* XVII. *Aprilis* MDCLX. *decrevit. Postremo concedimus B. Nicolai nomen Martyrologio Romano inscribi, addito Elogio, quod à Nobis instituetur.*

Item anniversaria celebratio Festi, in certis Ecclesiis.

Et descriptio illius nominis in Martyrolog. Rom.

Pontificis sensus in hujus Causæ ex mine & definitione.

§. 13. *Hæc omnia singularibus Beati Cardinalis meritis profectò debentur. At vero præclari quoque Carthusiani Ordinis, quem Nos peculiari studio prosequimur, merita apud Nos pondus habent, ut hæc Apostolica liberalitate concedamus; eoque magis, quod ipse Ordo non tam sollicitus fuit multos Sanctos suos patefacere, quam multos Sanctos facere, ut rectè fuit adnotatum. Accedit quoque spes, in quam maxime adducimur, Deum Opt. Max. ad intercessionem hujus Beati Viri, qui, quandiu vixit,* Cardinalis Pacis *nuncupatus est, daturum esse Nobis id, quod tamen enixè toto corde, humiliterque rogamus, & rogaturi sumus, exoptatam scilicet inter Christianos Principes pacem, stabilemque concordiam. Neque vero dissimulare voluimus, Nos in hac tota rerum serie spirituale quoddam percepisse gaudium, simillimumque ejus, quod Pius II. Prædecessor noster in Canonizatione S. Catharinæ Senensis civis suæ se percepisse fatetur, quodque in ejus Canonizationis Bulla his verbis expressit:* »Et si Nos quidem B. Catharinæ sublimes dotes, nobile ingenium, divinam mentem, sacratissimam voluntatem in omni natione quam lætissime vidissemus, lætiores tamen in Urbe Senensi, quæ nos genuit. Siquidem meritorum ejus longè magis, & magis peculiariter esse participes confidimus, quam si Virgo hæc aut in Africa, aut in Scythia, aut India nata fuisset. Neque enim fieri potest, quin Sanctorum propinquitas aliquid habeat prærogativæ.«

De probatione virtutum, & miraculorum facienda, ut procedi possit ad Canonizationem B. Nicolai.

§. 14. *Quod si deinde Deo placuerit, ut ab hoc cultu ad nonnullos locos restricto, quem in præsens Sedes Apostolica permittit, ad cultum publicum præceptivum, & generalem, hoc est à Beatificatione hac æquipolleni, ad solemnem Canonizationem transeundum sit; Postulatoribus causæ palam facimus, heroicarum ejusdem Beati virtutum materiam ad consuetam juris formam esse proponendam: cum expositio earum, quam Nos ipsi in Congregatione Rituum fecimus, sufficerit quidem, ut debito rerum apparatu ad agendum de publico permissivo, & restricto ad quosdam locos cultu procederetur, & ut etiam inoffenso pede fieri posset à Nobis concessio Lectionum propriarum; non autem ut discussioni, & approbationi Virtutum à Sacris Canonibus requisitæ, ut ad solemnem Canonizationem transitus fiat, sufficiens esse potuerit; juxta à Nobis deducta in nostro Opere de Canonizatione Sanctorum* lib. 1. cap. 32. num. 14. & seqq. *Proponenda sunt quoque miracula, secundum ea, quæ Nos die* XXIII. *Aprilis Anni* MDCCXLI., *&* XIV. *Julii hujus* MDCCXLIV. *generatim decrevimus. Notum præterea unicuique facimus, nemini licere transgredi in exhibendo cultu limites per præsens Decretum præscriptos: Mandamusque Patriarchæ Hierosolymitano Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, ut hoc ipsum Decretum, una cum cæteris ad calcem additis, inter Regesta Sacræ Congregationis referat, & conservet. Datum hac die* XXV. *Septembris* MDCCXLIV.

Thomas Patriarcha Hierosolym.
S.C.R. Secretarius.

Lectiones de quibus in Decreto.

§. 15. Lectiones in Festo B. Nicolai Albergati Episcopi, & Confessoris; Pro secundo Nocturno.

LECTIO IV. *Nicolaus Albergatus nobili genere*

1744. *Bononiæ ortus est. Adolescens, dum juri Civili in patria operam daret, Monasticæ, ac severioris vitæ præstantia captus, Carthusianorum Institutum amplectitur; in quo brevi adeo profecit, ut Sacerdotio vix initiatus, patrio Cœnobio præfectus sit, aliaque subinde Monasteria fere decennio summa cum laude administraverit. Ejus prudentiæ, & Sanctitatis opinione Clerus Populusque Bononiensis permotus, ultro sibi in Episcopum plenis suffragiis delegit; quem ille honoris gradum diu constanterque refugiens, Superiorum suorum jussu invitus demum suscepit. Nihil tamen de prioris vitæ cultu, atque observatione remisit; Sed verbo, & exemplo forma gregis effectus, Ecclesiasticam Disciplinam, & Christianos mores ita in Ecclesia sibi commissa restituit, ut alius omnino populus, alius Clerus videretur, & esset.*

LECTIO V. *Civium suorum ad Martinum V. Orator iterum ac tertio profectus, tantam ab eo Pontifice, qui eximias illius virtutes perspexerat, iniit gratiam, ut conciliandæ pacis causa inter Anglorum, Francorumque Reges, Legatum in Gallias miserit: Ab ea Legatione reducem S.R.E. Cardinalem sub titulo S. Crucis in Hierusalem creavit; Legavitque mox in Insubriam, ut Mediolanenses, Florentinos, & Venetos discordia laborantes componeret. Post pacem Italiæ ab eo feliciter restitutam, secunda in Gallias Legatione auctus est, ac vita functo Martino V., Eugenii IV. jussu in Belgium profectus, Philippum Burgundiæ Ducem Carolo VII. Francorum Regi in Atrebatensibus Comitiis conciliavit. Ad Germaniæ quoque Principes in Norimbergensi conventu Pontificium Legatum egit, deinde Basileensi, tum Ferrariensi interfuit Concilio, ubi Apostolicæ Sedis dignitatem, majestatemque adversus schismaticos egregie tutatus est.*

LECTIO VI. *In obeundis tam variis, gravissimisque Legationibus incredibilem sibi apud Reges, & Principes venerationem adeptus, in virtutum suarum admirationem rapuit universos. Erat enim vel in summis honoribus simplicissima humilitas, animus non solum firmus, & excelsus, sed candidus etiam, prudens, ac moderatus, effusa in omnes charitas, mansuetudo, atque humanitas, cum ardenti Religionis zelo conjuncta. Carthusiani, quod professus fuerat, Instituti tenax, ejus asperitates ad mortem usque retinuit. Familiam ingenuam aluit, sanctissimeque institutam, ex qua duo Romani Pontifices Nicolaus V., & Pius II. prodiere. Tandem cum Eugenium IV. honoris ergo comitaretur, Senis in Hetruria renum calculo oppressus, sancto fine quievit. Ejus corpus Florentiam delatum, apud Carthusianos honorificè conditum est. Sanctitatis, & Miraculorum fama post mortem clarum Benedictus XIV. Beatorum ritu coli permisit.*

Elogium de quo in Decreto.

§. 16. Elogium apponendum in Martyrologio »VI. Idus Maii Bononiæ. B. Nicolai Albergati Monachi Carthusiani, ejusdem Civitatis »Episcopi, & S. R. E. Cardinalis, Sanctitate, & »Apostolicis Legationibus clari, cujus Corpus »Florentiæ apud Carthusianos conditum est.

Confirmatio præinserti Decreti &c. cum Clausulis, & Derogationibus opportunis.

§. 17. Præinsertum itaque Decretum nostrum, ac præinsertas Lectiones, & Elogium, ac in eo Decreto omnia & singula contenta ac præscripta, quo firmius subsistant, ac serventur exactius, atque etiam quatenus opus sit, auctoritate nostra Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque, & omnibus ac singulis contentis & præscriptis, Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; atque ita ut præmittitur, omnino servari mandamus. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum, plenissimè suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum Transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. 1744.

Transumptis plena fides adhibeatur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VI. Octobris MDCCXLIV. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

D. Cardinalis Passionеus.

Dat. die 6. Octob. 1744

CIX.

De Jurisdictione Episcoporum quoad Ecclesias Parochiales Regularium, & Personas curam Animarum Subditorum Sæcularium in eis exercentes.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI,

Ad perpetuam rei memoriam.

FIRMANDIS, atque asserendis Ecclesiasticæ disciplinæ regulis studiosè intenti Prædecessores Nostri Romani Pontifices, consueverunt, peculiaribus rerum aut temporum necessitatibus animadversis, ad generalis providentiæ curam animum adjicere, easque Apostolicas Constitutiones opportunè promulgare, quibus glisscentes morum corruptelas resecarent, & inordinatas humanæ arrogantiæ præsumptiones reprimerent. Cui rei obtinendæ utilissimum planè experti sunt, vel antiqua Patrum constituta renovare, interpretari, aut declarare, vel competentium Romanæ Curiæ Tribunalium, sive Congregationum judicata & responsa colligere, confirmare, aut in aliquibus remittere, eademque prudenter atque aptè conciliare, si quando inter ea non satis convenire videretur. Utque antiquiora omittamus exempla, non alia sanè ratione fel. record. Prædecessor Noster Clemens Papa X. per suam Constitutionem, quæ incipit *Superna*, datam XI. Kal. Junii Anno MDCLXX., inhærendo pluribus resolutionibus Congregationum S. R. E. Cardinalium negociis & consultationibus Episcoporum & Regularium, ac Tridentini Concilii interpretationi Auctoritate Apostolica præpositorum, multa constituit circa debitam à Regularibus erga Episcopos Locorum Ordinarios observantiam, & subjectionem; tam in petenda eorum licentia & benedictione pro Verbi Dei prædicatione in Ecclesiis etiam suorum respectivè Ordinum habenda, quàm in approbatione & facultate ab eisdem obtinenda pro administrando Sæcularibus Pœnitentiæ Sacramento. Ita pariter se gessit recolendæ memoriæ Prædecessor Noster Innocentius Papa XII., quum, ad normam plurium resolutionum Congregationis Concilii præfatæ, certas sacrarum Ordinationum regulas, & singulorum Episcoporum jura in proprios Subditos præfinivit, lata Constitutione, quæ incipit: *Speculatores*, sub datum pridie Nonas Novembris Anni MDCXCIV.

Pontificum mos, inhærendi Prædecessorum Constitutionibus, & Congregationum Decretis.

Clement. X. exemplum.

Item Innocentii XII.

§. 1. Hanc ipsam rationem Nos ipsi secuti sumus in Apostolicis nostris Literis, quarum initium est: *Sacramentum Pœnitentiæ*, Anno MDCCXLI. Kalendis

Id ipsum Pontifex à se pluries servatum memorat.

Kalendis Junii datis, in quibus nonnulla decrevimus & statuimus adversus Sacerdotes in Sacramentali Confessione suos Pœnitentes ad turpia sollicitantes, juxta declarationes in causis hujus generis, diversis temporibus & casibus prolatas à Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium contra hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum. Id ipsum nuperrimè egimus, dum Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, cunctisque Locorum Ordinariis per Italiam constitutis Encyclicas Literas dedimus sub die XIX. Augusti hujusce Anni MDCCXLIV., quarum initium est: *Cum semper oblatas*, quibus, à prædictæ Congregationis Concilii Tridentini Interpretis resolutionibus & placitis neutiquam discedentes, plura declaravimus circa onus, quod habent tum omnes animarum curam gerentes, Missam pro Populo applicandi diebus saltem festis de præcepto; tum etiam Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum Canonici, aliique de earum gremio, Missam Conventualem quotidie pro Benefactoribus in genere specialiter offerendi. Nunc denique hoc idem à Nobis servatum iri declaramus, dum Episcoporum jura, quod attinet ad Visitationem Ecclesiarum Parochialium ad Regularium Monasteria pertinentium, hac nostra perpetuò valitura Constitutione asserere, atque, ut infra, definire & constituere in animum induximus.

Et in præsenti potissimum observari declarat.

§. 2. Animarum curam in sæculares personas exercentes in iis Ecclesiis, quæ Monasteriis seu Domibus Virorum aut Mulierum adnexæ sunt, sive ipsi Regulares sint, sive Sæculares, Sacri Tridentini Concilii præscripto, *Sess. 25. cap. 11. de Regularibus*, subesse debent *immediatè in iis, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cujus Diœcesi* prædicta Monasteria *sunt sita*, exceptis dumtaxat iis Monasteriis seu locis, *in quibus Abbates Generales, aut Capita Ordinum Sedem Ordinariam principalem habent, atque aliis Monasteriis, seu Domibus, in quibus Abbates, aut alii Regularium Superiores jurisdictionem Episcopalem, & temporalem in Parochos, & Parochianos exercent; salvo tamen eorum Episcoporum jure, qui majorem in prædicta loca, vel personas jurisdictionem exercent.*

Refert Tridentini Decretum circa jurisdictionem Episcopi in Ecclesias Parochiales ad Regulares spectantes.

§. 3. Cum itaque nonnulli Sacerdotes ab Episcopali jurisdictione exempti, quos neque Parochos, neque animarum curæ addictos esse constaret, auti fuissent aliquibus Christifidelium matrimoniis interesse, sine prævia Episcopi aut Parochi licentia; quæsitum fuit, utrum hujusmodi Sacerdotum correctio, atque in eosdem animadversio ad Episcopum, an verò ad eorum Superiores, privativè spectaret; Cumque ii privativum ejusmodi jus ex eo deducerent, quod Tridentina Synodus *loco citato* dum facultatem tribuit Episcopis corrigendi, & puniendi Sacerdotes ab eorum jurisdictione exemptos, in his, quæ ad animarum curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, de iis dumtaxat Sacerdotibus loquitur, qui vel Parochi sunt, vel animarum curam exercent; cujusmodi sanè ii non erant, de quibus agebatur: futilem hanc, vanamque præsumptionem reprimere statuit sel. record. Prædecessor Noster Gregorius Papa XV., ac de consilio Congregationis Sacri Concilii Tridentini Interpretis, edita Constitutione, quæ incipit *Inscrutabili*, data Nonis Februarii Anno Incarnationis Dominicæ MDCXXII., decrevit ac declaravit, *ut deinceps tam Regulares, quam Sæculares, quomodolibet exempti, sive animarum curam personarum sæcularium Monasteriis, seu Domibus Regularibus, aut quibusvis aliis Ecclesiis, vel Beneficiis, sive Regularibus, sive Sæcularibus incumbentem exerceant, sive aliàs Ecclesiastica Sacramenta, aut unum ex illis ministrent, prævia Episcopi licentia, & approbatione; sive quoquo modo in dictæ Curæ exercitio, aut in eorundem Sacramentorum, vel alicujus ex illis administratione de facto, absque ulla auctoritate, se ingerant; in his, quæ ejusmodi curam, seu administrationem concernunt, omnimodæ jurisdictioni, visitationi, & correctioni Diœcesani Episcopi, tamquam Sedis Apostolicæ delegati, plenè in omnibus subjiciantur.*

Gregorius XV. firmat eandem jurisdictionem in omnes animarum curam, & Sacramenta quomodocumque administrantes.

§. 4. Hac controversia per Constitutionem Gregorianam è medio sublatâ, non ideo ab aliis quæstionibus & litibus circa idem rerum genus promovendis cessatum fuit; pluraque Dubia tam in Congregationibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, quàm in Auditorio Rotæ, frequenter agitata & resoluta fuerunt, circa peculiarium quorundam actuum naturam, an scilicet iidem censendi essent ad animarum curam, seu ad Sacramentorum administrationem pertinere; & consequenter, an Episcopus in visitandis Regularium Ecclesiis, quibus imminet animarum cura personarum sæcularium, posset, nec ne, suam circa hujusmodi actus jurisdictionem exercere; tum etiam, an hoc aut illud Monasterium dici posset ordinaria & principalis Sedes Abbatis Generalis, seu Capitis Ordinis, ideoque Ecclesia hujusmodi Monasterio adnexa, quamvis Parochialis foret, Episcopo in visitatione subjecta non esset. Cum igitur resolutiones in prædictis Curiæ nostræ Tribunalibus circa hujus generis quæstiones identidem captas, earumque rationes & fundamenta, diligenter & considerate perpenderimus, consilium quoque & sententiam audierimus aliquot ex Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, aliorumque Virorum in juris Canonici scientia præstantium; nonnulla super his de Apostolicæ potestatis plenitudine decernere deliberavimus; ac præsenti nostra Constitutione inviolabilem quandam normam præfinire, qua positâ, omnes de cætero lites, & controversiæ prædictis de rebus, si fieri possit, penitùs eliminentur, atque omnia submoveantur obstacula, quæ debitam Decretorum Sacri Tridentini Concilii executionem in re tam gravis momenti impedire, aut retardare hactenus consueverunt.

Pontifex alias quæstiones circa similia, cum consilio &c. definire intendit.

Approbat resolutionem Congregat. Episcop. & Regul. quod Missionarii Pastorali visitationi præmissi etiam à Parochis Regul. excipi debeant.

§. 5. Optimo sanè consilio ab Episcopis Pastoralem visitationem aggredientibus præmitti solent in singulæ Diœcesis loca aliqui Sacerdotes Missionarii, qui ante ipsorum adventum, prædicationibus verbi Dei, & administratione Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ, spiritualem Populorum protectum, & animarum salutem, qui potissimus est Pastoralis visitationis scopus, studeant promovere. Inventi sunt autem ex iis Regularibus, quorum Ecclesiis incumbit Parochialis sæcularium cura, qui in dubium revocarent, an hujusmodi Missionarios, sive sæculares, sive alterius Instituti vel Ordinis Regulares, ab Episcopo missos tamquam visitationis suæ prænuntios, in propriis Ecclesiis & Domibus ad exercenda munera eisdem commissa admittere & recipere ipsi tenerentur. Quod dubium, quum in Congregatione S. R. E. Cardinalium negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præposita examinatum fuisset sub die XXXI. Augusti Anni MDCLXVIII., affirmativè resolutum fuit; ut scilicet prædicti Missionarii etiam à Regularibus Parochis seu Curatis libenter excipi debeant, omnibusque rebus juvari, quibus ad injunctum sibi onus adimplendum opus illis esse contigerit. Quod Nos quoque probamus, & auctoritate Apostolica confirmamus, atque in posterum (quoties id opus esse prudenti Episcopi arbitrio judicatum fuerit) ab omnibus hujusmodi Parochis seu Curatis præcipimus observari.

§. 6. Sed & in ipso visitationis cursu, atque

etiam

1744. Et decisionem Congr. Concilii quod possit Episcopus Sacramentum Confirmationis in Ecclesiis Regularium administrare.

etiam extra illam, aliqui Regulares de suorum privilegiorum & exemptionum indemnitate plus nimio solliciti, hanc Episcopis controversiam moverunt, utrum iis liceret, in ipsorum Regularium Ecclesiis, sive Parochialibus, sive non Parochialibus, Sacramentum Confirmationis administrare; quæ quidem controversia in Congregatione Concilii, partibus plenissimè auditis, pro Episcopis decisa fuit, quemadmodum & Nos generaliter & sine exceptione eandem definimus.

Declarat quæ visitare possit Episcopus in Ecclesiis Parochialibus Regularium.

§. 7. In exequenda verò Pastorali visitatione Ecclesiarum Parochialium, quæ à Regularibus administrantur, minimè quidem licet Episcopo omnia Ecclesiarum hujusmodi Altaria visitare; sed illud dumtaxat, in quo Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum asservatur, & consequenter Sacrum ipsum Tabernaculum: Fontem quoque Baptisterii, si adsit; item Confessionale, in quo Parochus ad audiendas Confessiones residere solet; Pulpitum Ecclesiæ, è quo Parochus jus habet, verbi Dei, juxta præcipuum ministerii sui munus, annunciandi; Sacrarium pariter Ecclesiæ, ad inspiciendum locum, in quo asservatur sacra supellex, pro Sacramentis tam intra Ecclesiam, quàm extra illam decenter administrandis; Sepulchrum excipiendis Subditorum Parochiæ corporibus addictum, Cœmeterium Parochianorum humandis cadaveribus destinatum; Turrim Campanariam, dummodo in ea sint Campanæ ad Parochiam propriè spectantes; ac demum, præter res supra enunciatas, omnia sacra vasa, quibus vel Particulæ consecratæ servantur, vel Sacra Olea sive in Baptismo, sive in extrema Unctione adhibenda, vel aqua Baptisterii, vel alia ritè benedicta, quæ pro ingredientium aspersione ad Ecclesiæ fores poni consuevit.

Quid circa Parochi vitam & mores, cognoscere valeat.

§. 8. Visitationi locali proxima est ea, quæ personam respicit Parochi; cujus quidem, si Regularis sit, agendi rationem, in iis, quæ spectant ad observationem proprii ipsius Regularis instituti, non est Episcopi inquirere, quum ad ipsius Superiorem Regularem privativè id pertineat. Licet tamen Episcopo, vel potius ipsi specialiter incumbit, ipsius Parochi seu Curati, etiam Regularis, vitam ac mores scrutari, quatenus ea, quæ extra Claustrum prodierint, Rectoris animarum exempla, plurimum conferre ad Populi ædificationem, vel contra eidem obesse maxime possunt, quemadmodum aliàs eadem Concilii Tridentini Congregatio sapienter decrevit, & Nos etiam earundem præsentium tenore decernimus, & statuimus.

Et circa alia ad ejusdem Officium spectantia.

§. 9. Ad personalem quoque Parochi visitationem, proindeque ad Episcopi jus & officium pertinet eâ occasione examinare, an titulo legitimo Parochus etiam Regularis animarum curam exerceat, an residentiæ lex ab eo observata fuerit atque observetur; an ad Synodum vocatus, iverit; an Congregationes seu Conferentias super casibus conscientiæ haberi solitas frequentet; an onera, quæ secum fert animarum cura, adimpleverit; ac inter alia, an Missam pro Populo applicaverit diebus festis de præcepto; an iisdem festis diebus omnia præstiterit, quæ à Sacro Tridentino Concilio præscripta sunt, Populum verbi Dei prædicatione, & Pueros in Fidei rudimentis Christianæque Doctrinæ præceptis instruendo; an, statis diebus, excipiendis Fidelium confessionibus vacet; an ægrotantibus & in extremo vitæ agone laborantibus debita spiritualia subsidia sedulò præstet, & Sacramenta Ecclesiæ tempestivè conferat; an Pueros & Puellas ante susceptionem Sacramenti Confirmationis, tum etiam ante primam eorum Communionem, opportunis instructionibus erudierit; an priusquam Fideles ad matrimonia iu faciem Ecclesiæ celebranda admittat, debitas inquisitiones adhibuerit, atque adhibeat, quibus tutò deprehendere possit, nullum inter Contrahentes impedimentum existere, eosdemque liberè matrimonio consentire, ac demum in Doctrina Christiana, maximè verò in præcipuis Religionis nostræ Mysteriis, illos instructos esse; denique an Parochus apud se rectè ordinatos retineat libros tum Baptizatorum, ubi Fons Baptismalis adsit in ipsius Ecclesia, tum Sacro Crismate confirmatorum, libros etiam Matrimoniorum, & status animarum.

1744.

Statuit Parochi correctionem ad Episcopum cumulative cum Superiore Regulari spectare.

§. 10. Uno verbo quidquid Episcopus à Parocho sæculari exquirere atque exigere solet ac debet, id omne, Regulari observantia unicè excepta, à Parocho Regulari exquirere & exigere potest; atque ubi hunc muneri suo defecisse compererit, opportuna Decreta condere & pronunciare, ac meritas in eundem pœnas statuere; in quo nihilominus Episcopi facultates minimè privativæ sunt, sed Præsul Regularis jus cumulativum cum ipso habet; ita tamen, ut, si aliter à Superiore Regulari, aliter ab Episcopo decerni contingat, hujus, non verò illius, Decreti sit standum; prout aliàs à Congregatione Tridentini Concilii interprete judicatum fuit, Nosque Auctoritate Apostolica probamus, confirmamus, atque decernimus. Privativum tamen Episcopi jus est in Parochianorum mores inquirere, ac si quæ inter ipsos scandala orta fuerint, auditis proborum ac prudentium Virorum sinceris relationibus, de iis cognoscere, eaque opportunis remediis resecare & reformare: nec enim Superioribus Regularibus in hujusmodi sæculares Parochiæ subditos ulla competit jurisdictio.

Parochianorum autem ad Episcopum privativè.

§. 11. Eveniente autem casu, quo vel Episcopus, vel Superior Regularis aliquem ex prædictis Parochis ab exercitio Curæ removendum, eâdemque privandum esse judicaverint; quoniam hujusmodi Parochis, sine prævia Episcopi approbatione, ad Curam animarum accedere nequaquam licet, quamvis à suis Superioribus deputati, iidemque ad nutum sint amovibiles; dubitatum propterea fuit, an Episcopus posset ad hujusmodi remotiones procedere, sine Superioris Regularis consensu, & an remotionis causas eidem adducere, easque verificare deberet; tum etiam an Regularis Superior ad similem remotionem & privationem suo jure deveniens, consensum Episcopi exquirere, suasque agendi rationes illi notas atque probatas facere teneretur. Qua de re, supradicta Congregatio Concilii decrevit, hujusmodi Parochos tam ab Episcopo, quàm à Superiori Regulari, æquo jure, non requisito alterius consensu, ab Animarum cura removeri posse, nec unum alteri causas judicii sui aperire, multoque minus probare & verificare debere. Id quod à Nobis in omnibus approbatur & confirmatur.

Remotionem verò Parochi, utrique licere, sine alterius consensu.

§. 12. Postquam verò Tridentina Synodus loco superius laudato declaravit, prædictos Curatos seu Parochos tam sæculares, quam regulares, animarum curam exercentes in Monasteriis seu Domibus Religiosis, quibus hujusmodi cura personarum sæcularium incumbit, subesse debere immediatè, in iis, quæ ad dictam curam & Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi & correctioni Episcopi, (quod quidem, juxta magis receptam Tribunalium hujus Nostræ Curiæ sententiam, intelligitur de jurisdictione Episcopi Ordinaria, non verò de delegata;) illa tamen Monasteria seu Loca ibidem à Concilio excipiuntur, in quibus Abbates, aut alii Regularium Superiores jurisdictionem Episcopalem & temporalem in Parochos & Parochianos exercent; salvo nihilominus eorum Episcoporum jure, qui alia quapiam ex causa seu titulo, majorem in prædicta Loca vel Personas jurisdictionem exercent. Quare

Firmat exemptionem Parochialium, in quibus Superiores Regulares jurisdictionem Episcopalem & temporalem obtinent.

non

1744.

nonnullis Episcopis contendentibus, licere sibi, saltem tamquam Delegatis à Sede Apostolica, in Parochos prædictos, sive in Parochianos, aliquem jurisdictionis actum exercere, Congregatio Concilii respondit, quod ubi Abbas, aut Superior Regularis suam probat jurisdictionem Episcopalem & Temporalem in ipsos Parochos & Parochianos, & contrà Episcopus probare nequit ampliorem in eosdem jurisdictionem ex alio capite sibi acquisitam fuisse, abstinere omninò debet Episcopus tam à visitatione, quàm ab alio quocumque jurisdictionis actu in hujusmodi Parochos & Parochianos. Quod quidem, veluti ipsius Concilii Decretis consonum, Nos etiam Apostolica confirmatione roboramus.

Declarat, exemptionem Parochialium Monasteriorum, in quibus residentiales Superiores Generales, non extendi ad residentias aliorum Superiorum non Generalium.

§. 13. Similiter ab Episcopi jurisdictione, visitatione, & correctione, etiam in his, quæ ad Animarum Curam & Sacramentorum administrationem spectant, prædicta Sancta Synodus excipit tam Sæculares, quàm Regulares Parochos, qui Animarum curam exercent in iis Monasteriis seu Locis, in quibus Abbates Generales aut Capita Ordinum Sedem Ordinariam principalem habent: Quæ exceptio, sive limitatio, pluribus controversiis occasionem præbuit. Et primo, an ad inducendam hujusmodi exemptionem ab Episcopali visitatione, satis sit, quod in aliquo Monasterio resideat Abbas Regularis, licèt is Ordinis sui Generalis non existat. Super quo præfata Concilii Congregatio pronunciavit, non sufficere Abbatis cujuslibet residentiam, nisi sit Abbas totius Ordinis sui Generalis. Tunc enim Tridentinum Concilium simplices Abbates, aut Regularium Superiores nominat, quum ab Episcopi jurisdictione ac visitatione eximit Parochos Ecclesiarum seu Monasteriorum, in quibus Abbates aut alii Regularium Superiores jurisdictionem Episcopalem & temporalem exercent; quâ jurisdictione compertum est nonnullos etiam simplices Abbates aut Superiores Regulares gaudere, quamvis non sint Ordinum Generales. De Abbatibus autem Generalibus, seu Ordinum Capitibus tunc loquitur eadem Sancta Synodus, quum à jurisdictione, & visitatione Episcopali exemptos esse indulget eorum Monasteriorum seu Locorum Parochos, in quibus Abbates Generales prædicti, aut Capita Ordinum, Sedem Ordinariam principalem habent. Cumque ea dubio procul sit Concilii mens, in hunc plane modum semper in posterum judicari & censeri debere statuimus: minime attentâ distinctionis nota, quæ in plerisque Concilii Tridentini editionibus impressis apposita conspicitur inter verbum *Abbates*, aliudque *Generales*, utpotè quæ nullatenus reperitur in exemplari authentico Actorum ipsius Concilii, quod in Archivo Sedis Apostolicæ in Arce Sancti Angeli asservatur; quodque, ut genuinam hujus loci lectionem certò cognosceremus, diligenter inspici fecimus; proindèque à prædictis exemplaribus impressis eadem distinctionis nota omnino est expungenda.

Indicat mendum in plerisque editionibus Concilii Tridentini.

§. 14. Altera quæstio est, an ad obtinendam exemptionem ab Episcopali jurisdictione & visitatione, sufficiat, quod aliquod Monasterium, Superioris Generalis Sedes Ordinaria existat, an verò præterea requiratur, ut ipsum Monasterium sit Caput Ordinis. De quo, quidquid alii opinati fuerint, decernimus sufficere, quod Monasterium seu Domus, sit Ordinaria & principalis Sedes Superioris Generalis; prout à Congregatione Concilii constanter judicatum fuit; quum verba Tridentini, de Capitibus Ordinum loquentis, non ad loca, sed ad personas Præsulum Regularium in iis locis residentium referantur.

Decernit, non requiri pro exemptione, quod Monasterium sit caput Ordinis.

§. 15. Tertio dubitari contingit, an exemptio ab Episcopi Visitatione, quam Tridentina Synodus, ut supra, concedit Ecclesiis Parochialibus eorum Monasteriorum, in quibus residentiales Abbates Generales aut Capita Ordinum, ad alias quoque Parochiales extendatur, quæ prædictis Monasteriis unitæ sunt, & ab eisdem dependent. Sed quum de aliis hisce Ecclesiis unitis taceant Conciliaria Decreta, neque porrò eadem ratio honoris cujusdam & reverentiæ habendæ erga Superiores Ordinum Generales in propriis Monasteriis vel Ecclesiis residentes locum habeat in aliis Parochialibus, eisdem Monasteriis, ut præfertur, unitis; quod pluries Congregatio Concilii censuit, hujusmodi scilicet Ecclesias unitas, minime exemptas esse à jurisdictione & visitatione Episcopi, quamvis illæ à Parochis regularibus administrarentur; id ipsum Nos, prædictæ Congregationis resolutionibus inhærentes, decernimus & constituimus.

Parochiales autem unitas Monasteriis residentiali-

1744.

bus Superiorum Generalium non gaudere exemptione.

§. 16. Quæsitum fuit quarto loco, an ratione exemptionis à jurisdictione Episcopi, quæ competit supradictis Rectoribus Ecclesiarum residentialium Superiorum Generalium, & propter eorundem Rectorum omnimodam subjectionem jurisdictioni & correctioni prædictorum Generalium Regularium, jus aliquod, & jurisdictio attributa sit iisdem Superioribus Generalibus in sæculares Subditos hujusmodi Ecclesiarum, sive Parochianos; an verò dicendum sit jus istud ad Episcopum privativè pertinere. Super quo decernimus, Episcopo plenam & privativam jurisdictionem competere in Parochianos, ad eundemque Episcopum pertinere, non solum propriam auctoritatem & consensum (prævio examine per se ipsum, vel per Vicarium suum faciendo) interponere, quotiescumque Superior hujusmodi Generalis aliquem sive sæcularem, sive regularem Parochum seu Curatum, etiam ad nutum amovibilem, ad exercendam in prædictis Ecclesiis animarum curam personarum sæcularium deputare voluerit; sed etiam si Episcopus hujusce Parochiæ regimen à supradictis Parochis exemptis, sive sæcularibus, sive regularibus, non rectè administrari cognoverit; posse ipsum, & aliquando etiam debere pro sui Officii munere, apud Superiorem Generalem instare, ut Parochum seu Curatum hujusmodi ab animarum cura removeat; implorata quoque, quatenus opus sit, Apostolicæ Sedis auctoritate; si nempè Generalem prædictum, aut reluctantem, aut Parocho plus æquo faventem invenerit.

Asserit privativam jurisdictionem Episcopi in Parochianos etiam hujusmodi Parochialium exemptarum.

Item jus examinandi, & approbandi Parochum

Et instandi, quatenus opus sit pro illius remotione.

§. 17. Præcipua in hac materia quæstio illa fuit, quænam essent Monasteria, in quibus Abbates Generales, seu Capita Ordinum, Sedem ordinariam principalem habent; contendentibus nonnullis, quodlibet Monasterium, aut locum quemlibet, in quo Abbas Generalis, sive Caput Ordinis manet, inibique moratur, Sedem ipsius Ordinariam principalem dici oportere, ita ut ejusdem Monasterii aut Loci Parochus ab Episcopali jurisdictione & visitatione immunis statim fiat. Verum vaga & arbitraria hujusmodi Sedes, quæ à sola Superioris Generalis præsentia naturam Sedis ordinariæ & principalis mutuatur, tum rectæ rationi, tum Concilii verbis ac sensui planè adversatur. Quapropter quum Nobis compertum sit, in aliquibus Ordinum Regularium Constitutionibus assignatum reperiri locum pro residentia Superioris Generalis, ejusque Curiæ; in aliis verò Ordinibus, ubi Constitutiones de eo nihil statuant, eandem residentiam veteri consuetudine esse præfinitam; quoties de Ordinum hujusmodi Superioribus Generalibus agatur, eorum Sedem ordinariam principalem, ad effectum de quo agitur, illam esse, & censeri decernimus, quæ ab ipsorum Constitutionibus, vel ab inveterata consuetudine prædictâ præscribi dignoscitur; idque tantummodo Monasterium, non verò aliud, in quo,

Statuit, residentiam Superioris Generalis ad effectum exemptionis, non vagam & arbitrariam, sed illam dumtaxat intelligi, quæ à Constitutionibus, vel à consuetudine Ordinis præfinitur.

qua-

quacumque de causa, Superior Generalis commoratus fuerit, pro ordinaria Generalis Sede haberi præcipimus, licet ipse Generalis ibi actu non resideat.

Aut quam Superior Generalis semel initio elegerit.

§. 18. Quod si aliqui sint Religiosi Ordines seu Congregationes, quorum Constitutionibus, vel consuetudinibus minime præfinitum sit Monasterium, in quo Abbas Generalis, seu Caput Ordinis residere debeat, nullum Monasterium pro ejusdem Generalis Sede ordinaria principali, ad effectum eximendi Parochum ab Episcopi jurisdictione & visitatione, ex eo tantum haberi debere statuimus, quod solus ipse Superior Generalis in eo degat, absque consuetis Ministris, quos in Ordine regendo socios habet; sed illud dumtaxat Monasterium pro Sede Generalis ordinaria principali haberi volumus, quod semel ipse Superior Generalis, seu Caput Ordinis, initio Generalatus, elegerit pro sua stabili residentia, & Officialium seu Ministrorum prædictorum. Verum si, factâ semel hujusmodi electione, eandem postmodum variare præsumpserit, declaramus, neque Monasterium initio electum, neque alterum, etiamsi cum sua Curia eò se transtulerit, privilegia ordinariæ & principalis Generalitiæ Sedis habiturum.

Sublata facultate variandi.

§. 19. In omnibus autem præmissis exemptionum casibus, salvum semper atque illæsum esse volumus eorum Episcoporum jus, si qui sunt, qui supradictas Parochiales Ecclesias earumque Rectores visitare consueverint, nimirum tam illas, quæ Monasteriis seu Domibus iis adnexæ sunt, in quibus Generales Ordinum Superiores Sedem ordinariam principalem, vel a suorum Ordinum Constitutionibus, vel ab inveterata consuetudine præfinitam habent; quàm eas, quæ ab ipsis Superioribus Generalibus aliàs pro ordinaria principali residentia fuerint electæ, & nihilominus, hujusmodi residentia durante, Episcopi visitationi, jurisdictioni & correctioni subjectæ fuerint.

Et salvo majori jure Episcoporum, si qui majoris jurisdictionis quasi possessionem habeant.

§. 20. Decernentes præsentes nostras Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quilibet in præmissis, seu eorum aliquo, jus vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis existant, seu aliàs specificâ, & individua mentione & expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati & auditi, neque Causæ, propter quas eædem præsentes emanaverint, adductæ, verificatæ, vel sufficienter, aut ullo modo justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, ac formali & substantiali defectu, notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut etiam motu pari, & de Apostolicæ potestatis plenitudine simili concesso vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse: sed ipsas præsentes semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter & inconcusse observari.

Clausulæ præservativæ.

§. 21. Sicque, & non aliter in præmissis censeri, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis prædictæ Nuntios, alioswe quoslibet quacumque præeminentia ac potestate fungentes & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere: ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Aliter judicari prohibetur.

§. 22. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula *de jure quæsito non tollendo*, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus; necnon quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, exemptionibus, & indultis, etiam in corpore juris clausis, aut Literis Apostolicis quibusvis Personis, Collegiis, Locis, Ordinibus, etiam Militaribus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis, etiam Societatis Jesu, & Sancti Joannis Hierosolymitani, aliisve quibuslibet specifica & individua mentione dignis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus & formis, & cum quibusvis etiam clausulis & decretis, etiam derogatoriarum derogatoriis, & irritantibus in genere, vel in specie, etiam motu simili, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, seu consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua mentio, seu quævis alia expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas, causas, & occasiones præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & exactissimè servatis & specificatis respectivè habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad præmissorum effectum plenissimè & ampliſſimè motu pari derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis plenissimè derogatur.

§. 23. Volumus insuper, & eadem auctoritate prædicta mandamus, ut eædem præsentes, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam facilius deducantur, nec quisquam de eis ignorantiam prætendere valeat, ipsas præsentes, seu earum transumpta, ad valvas Ecclesiæ S. Joannis in Laterano, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque Generalis Innocentianæ in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ per aliquem ex Cursoribus nostris, ut moris est, publicari, & affigi, sicque publicatas & affixas omnes & singulos, quos concernunt, seu concernent in futurum, perinde afficere & arctare, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ & notificatæ fuissent.

Publicationi præsentis Constitutionis in Urbe tribuitur vis personalis intimationis omnibus factæ.

§. 24. Utque earumdem præsentium Transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud, ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptis fidem præstari sancitur.

§. 25. Nulli ergo omninò hominum liceat, paginam hanc nostrarum confirmationis, approbationis, innovationis, voluntatis, mandati, statuti, decreti, & declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Sanctio pœnalis.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo quarto, octavo

Dat. die 6. Nov. 1744.

Idus Novembris, Pontificatus Nostri Anno Quinto.

D. Cardinalis Passionеus.
J. Datarius.
VISA DE CURIA.
J. C. Boschi.
L. Eugenius.
Registrata in Secretaria Brevium.
Publicat. die 18. *ejusdem Mensis, & Anni.*

CX. Jubilæum Pro Christifidelibus Italiæ, & Insularum adjacentium, Divinam opem implorantibus pro pace inter Principes Christianos, & aliis Catholicæ Ecclesiæ necessitatibus.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Universis Christifidelibus præsentes Literas inspecturis, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium a calamitatibus Europæ, & Italiæ præsertim incubantibus.

IN Suprema Catholicæ Ecclesiæ administratione, quam per ineffabilem Divinæ Bonitatis largitatem Omnipotens Deus Nobis commisit, non leve imbecillitatis nostræ præsidium in generali Christianorum Principum concordia collocatum iri confidebamus: Hinc jacentem penè animum, tantique muneris magnitudine, & difficultate deterritum, magna spes erexerat, in ea Nos sanè incidisse tempora, in quibus, restinctis bellorum incendiis, assertâ Regnorum conjunctione, hostium sublatâ formidine, & factâ per Illum, qui & mari, & ventis imperat, tranquillitate, faciliùs Pastoralis officii Nostri partes implere, & Dominici gregis curam sustinere potuissemus. Verùm quò minus aspera suscepti muneris ducebamus exordia, eò deinceps tristior & luctuosior Christianæ Reipublicæ facies sese paulatim explicuit, donec totâ, veluti immissis facibus, Europâ deflagrante, adeò vehementes turbulentissimæ tempestatis fluctus Nos jactant ac penè obruunt, ut cum Prædecessore Nostro Divo Gregorio Magno, senescentis Mundi terminum, atque iræ & ultionis diem jamjam appropinquantem, Vobis apertiùs cum gemitu & lamentatione denuntiare quodammodo cogamur; Nam Regnum adversùs Regnum, & Gentes contra Gentes, ac utrasque nomine Jesu Christi insignitas, exsurgere, earumque pressuram terris insistere, & aliunde cum angore accipimus, & hic, manantibus continuò lacrymis, propriis oculis spectamus: Terræmotus per loca non ita pridem dederunt significationem, ut fugeremus à facie arcus; arva & segetes ab eluvionibus direptæ; pestifera, & deterrima lues longè latèque Provincias depopulata; agri à Colonis relicti, quam plurimi hominum siti & fame enecti, Urbes Civibus vacuæ, obstructæ cadaveribus viæ, corpora supra corporibus inhumata, & denique tanquam aqua in circuitu sanguis effusus, satis aperta divini furoris signa undequàque præseferunt, & adhuc extentum ultricis justitiæ brachium nobis ostendunt; immò ne tot acerbissimis calamitatibus, Italiæ præsertim incubantibus, deesse aliquid videatur, Nos ipsi propemodum vivimus inter gladios, & ferè timemus, ne, percusso pastore, oves dispergantur.

Divinæ opis fiducia, Oratione mediante.

§. 1. At probè memores, quòd Dominus, cum iratus fuerit, misericordiæ recordatur, neque vult mortem Peccatoris, sed ut fructus dignos pœnitentiæ faciens, convertatur, & vivat, etsi intereà temporis cum privatis, tum publicis indictis precibus Deum exoravimus, ut indignationem suam à Nobis averteret, attamen, ut in Nos, cum fiducia adeuntes ad thronum gratiæ, misericordiæ suæ divitias largiùs effundat, ex prisco Romanæ Ecclesiæ more, cœlestium munerum thesauros aperire, & liberali manu erogare decrevimus, ut hoc potissimum acceptabili tempore, cum apparuerit Salvatoris Nostri Dei humanitas, oriatur in diebus suis abundantia pacis, & Ipse auferens bella usque ad finem Terræ, arcum conterat, quem tetendit, confringat arma, & scuta comburat igni.

Indulgentiæ plenaria conceditur implentibus opera injuncta.

§. 2. Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi, atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus, licet indignis, contulit, omnibus & singulis utriusque sexus Christifidelibus tam in hac Alma Urbe Nostra, quàm in universa Italia, & Insulis ei adjacentibus degentibus, quorum iis, qui in prædicta Urbe Nostra solemni Processioni die festo S. Andreæ Apostoli ab Ecclesia ejusdem Sancti Andreæ de Valle nuncupata Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum nuncupatorum ad Ecclesiam Beatæ Mariæ Virginis supra Minervam Fratrum Ordinis Prædicatorum de eadem Urbe, universo interveniente Clero, & Populo agendæ, devoti interfuerint, vel Sancti Joannis in Laterano, vel Principis Apostolorum, aut Sanctæ Mariæ Majoris dictæ Urbis Ecclesias, seu Basilicas, vel earum aliquam, intra spatium duarum hebdomadarum, à supradicto die festo Sancti Andreæ inchoandarum, & usque ad tertiam Dominicam Adventus inclusivè decurrendarum, saltem semel devotè visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces, ut supra, effuderint, ac quartâ, & sextâ feriis, ac Sabbato alterius ex prædictis hebdomadis jejunaverint, & peccata sua confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in aliqua ex Dominicis prædictis, vel aliâ die intra easdem hebdomadas reverenter sumpserint, ac pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint, cæteris vero extra Urbem prædictam, ut præmittitur, degentibus, qui Ecclesias ab Ordinariis locorum vel eorum Vicariis, seu Officialibus, aut de eorum mandato, & ipsis deficientibus per eos, qui ibi curam Animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hæ nostræ pervenerint, designandas, vel Ecclesiarum hujusmodi aliquam, spatio duarum similiter hebdomadarum a publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, seu Officiales, vel alios, ut præfertur faciendæ decurrendarum, saltem semel visitaverint, ibique ut supra oraverint, ac quartâ & sextâ feriis, ac Sabbato alterius ex hebdomadis præfatis jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die Dominica immediatè sequenti, vel aliâ die intrà eamdem hebdomadam Sanctissimâ Communione refecti fuerint, & pauperibus aliquam eleemosynam, ut præmittitur, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem, sicut in anno Jubilei visitantibus certas Ecclesias intrà & extrà Urbem prædictam concedi consuevit, tenore præsentium concedimus & elargimur.

In Urbe.

Extra Urbe.

De Navigantibus & iter agentibus.

§. 3. Navigantes verò, & iter agentes, ut cum primùm ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis, & visitatâ Ecclesiâ Cathedrali, vel majori, aut Parochiali loci eorum Domicilii, eamdem Indulgentiam consequi possint, & valeant; Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuò degentibus, necnon aliis quibuscumque tam Laicis, quàm Ecclesiasticis, Secularibus, vel Regularibus, etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis à Locorum uniuscujusque Ordinariis ante præsentium publicationem, seu approbandis, eis in alia

Ac degentibus intra claustra, vel alias impeditis.

pietatis

pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus erogare possit, eaque injungere, quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus.

Facultas eligendi Confessarium pro absolut. a pecc., & cēs.

§. 4. Insuper omnibus & singulis Christifidelibus utriusque sexus tam laicis, quàm Ecclesiasticis Secularibus, & Regularibus cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti tam in Urbe prædicta, quam extrà eam in universa Italia, & Insulis ei adjacentibus prædictis, ut præfertur, degentibus, licentiam concedimus & facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium tam Sæcularem, quàm cujusvis Ordinis, & Instituti Regularem ex approbatis, ut præmittitur, à locorum respectivè Ordinariis, qui eos ab excommunicationis, suspensionis, & aliis Ecclesiasticis sententiis & censuris à jure, vel ab homine quâvis causâ latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam in literis die Cœnæ Domini legi solitis, contentis, & aliàs per quascumque nostras, aut Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiæ, & hac vice tantùm absolvere, & liberare valeant, & insuper vota quæcumque (Religionis, & Castitatis exceptis) in alia pia & salutaria opera commutare, injunctâ tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus pœnitentia salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis.

Etiā reserv.

Et pro commutatione Votorum.

§. 5. Quapropter tenore præsentium in virtute Sanctæ Obedientiæ districtè præcipimus atque mandamus omnibus & quibuscumque Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum ubicumque existentibus, eorumque Vicariis, & Officialibus, vel iis deficientibus, illis, qui curam Animarum exercent, ut cum præsentium literarum transumpta, seu exempla, etiam impressa acceperint, illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedimento, per suas Ecclesias, & Diœceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & Loca publicent, & publicari faciant, Ecclesiamque seu Ecclesias visitandas designent.

Præceptum de præsentium publicatione &c.

§. 6. Non intendimus autem per præsentes super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquomodo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiæ: neque etiam easdem præsentes iis, qui a Nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælato, seu Judice Ecclesiastico, etiam eorum nomine speciatim non expresso, excommunicati, suspensi, interdicti, seù aliàs in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publicè denunciati fuerint, nisi intrà tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Exceptiones Indultorum.

§. 7. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, præsertim, quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles Indulgentiarum, & facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant: necnon regula Nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum, & Congregationum, sive Institutorum Regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter, nominatim, & expresè, ad effectum præsentium, derogamus, cæteriscque contrariis quibuscumque.

Derogationes.

§. 8. Ut autem præsentes Nostræ, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam faciliùs deveniant, volumus, ut earumdem præsentium transumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, ubique locorum, ut præfertur, eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Fides habenda Transumptis.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesima Novembris millesimo septingentesimo quadragesimo quarto, Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Dat. die 20. Nov. 1744.

D. Card. Passioneus.

Publicat. die 21. ejusdem Mensis, & Anni.

Controversiæ circa Regimen Missionum in Regno Cocinchinæ existentium, earumque limites, dirimuntur. CXI.

Venerabili Fratri, Hilario Costa Episcopo Corycensi, & Apostolico Vicario Regni Tunchini Orientalis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Apostolicæ Sedis Cura pro statu omnium Ecclesiarum.

Quantopere Caritas Christi & sollicitudo omnium Ecclesiarum urgere pergat Apostolicam hanc Sanctam Sedem, cujus Pastorum Princeps Jesus Christus per abundantiam Divinæ Bonitatis Nobis quamvis immerentibus Vicariam auctoritatis suæ in Suprema Catholicæ Ecclesiæ administratione tribuit potestatem, adeo certum est, ut luculentissima Apostolicæ caritatis & sollicitudinis hujusmodi argumenta ubique terrarum luce clarius conspiciantur. Romani sanè Pontifices Prædecessores nostri, Nosque ipsi, a remotissimis Orbis terrarum regionibus etsi corpore absentes, spiritu tamen præsentes, nunquam destitimus, quin per Sacros Operarios ad Evangelicam Christi Vineam excolendam omni tempore missos uberrimus Christianæ pietatis & æternæ salutis fructus colligeretur.

Missiones Cocinchinæ variis agitatæ difficiis.

§. 1. Inter cæteras vero Apostolicas in Asia institutas Missiones, nobilior & fructuosior olim commendabatur illa Cocinchinæ; sed ad statum tam perniciosum deplorabilemque jamdudum redacta est, atque in tanta perturbatione modo versatur, ut de illa non sine obortis lacrymis ingentique animi Nostri mœrore cogitare possimus. Quæ autem status perturbationisque hujusmodi causa fuerit atque in præsentia sit, manifestius Fraternitati Tuæ, quippe quæ prope oculis spectat, quàm Nobis tam longe existentibus, nota est; quamplurimæ scilicet gravissimæque controversiæ & concertationes, non minus inter Missionarios diversorum Ordinum, Congregationum, & Institutorum ibi adlaborantes, quam inter nonnullos ipsorum, & Apostolicos

pro tempore Vicarios, eorumque Coadjutores exortæ, quæ magno animorum ardore fotæ, in dies increscunt. Tota vero harum controversiarum concertationumque summa in finibus terminisque Ecclesiarum, earumque inibi erectarum constitutis residentiis, necnon in regimine, & directione illorum Christifidelium, ab unoquoque ex iisdem Ordinibus, Congregationibus, & Institutis seorsim ac privativè prætensa, consistit: quemadmodum etiam quoad varias doctrinas ac ritus, seu consuetudines, per eas Regiones jam disseminatas, vel subinductas, ab integerrima Catholicæ Ecclesiæ doctrina disciplinaque discrepantes, aut minime consentaneas, vertitur. Etsi autem Apostolica hæc Sancta Sedes, prout rerum ac temporum rationem exposcere visum fuit, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum consilio, per varias ordinationes præscriptasque rationes, salutare, & opportunum tum auferendis componendisque exortis jam dissidiis perturbationibusque, tum avertendis impediendisque ulterioribus malis, remedium adhibere non omisit: ipsa tamen locorum distantia in causa fuit, quod Apostolicæ providentiæ hujusmodi nedum optatus excitatis ardentibusque discordiarum incendiis penitus extinguendis successus minime responderit; quin imo, propter immaturum Apostolicorum Vicariorum eorumque Coadjutorum obitum, necessariamque novorum utriusque Successorum deputationem, magis magisque dissidiorum concertationumque fervor exarserit.

Quæ nunquã penitus extingui potuerunt per Decreta Cõgregationis de Propag. Fide.

§. 2. Quoniam autem ex relatis propositisque Partium studiis, rationibus, & documentis, invicem ut plurimum pugnantibus, rectum, æquum, certumque rerum tam longè dissitarum judicium haud facere, ac pronuntiare potuerat ipsa Congregatio Cardinalium Propagandæ Fidei; in eam sententiam, ne Missiones hujusmodi penitus interirent, venit anno millesimo septingentesimo trigesimo sexto, ut Apostolicus Visitator facultatibus necessariis & opportunis instructus per fel. rec. Clementem PP. XII. Prædecessorem nostrum illuc adlegaretur; qui omnibus inibi perspectis ac maturè expensis, præ oculis Deum habens, & ad promovendum Sacrosanctæ Catholicæ Religionis incrementum dumtaxat intentus, exortas inter Missionarios aliosque controversias & dissidia componeret atque sedaret, inordinationes emendaret, salutaris providentiæ ordinem pro recto illorum Christifidelium regimine induceret, ac denique per opportuna decreta (super quibus tamen semper intelligeretur reservata ejusdem Congregationis Cardinalium auctoritas, & dictæ Apostolicæ Sedis suprema confirmatio) pristina tranquillitas, concordia, ac præsidium Missionibus illis fere languentibus restitueretur firmareturque. Hujusmodi consilio adhærens idem Clemens Prædecessor, Venerabilem Fratrem Elzearium Franciscum des Achards de la Beaume Episcopum Halicarnassensem, & Pontificio Solio Assistentem, in Civitate nostra Avenionensi natum, & Metropolitanæ Ecclesiæ Avenionensis Præpositum, in Apostolicum Cocinchinæ Visitatorem delegit & ablegavit.

Hujus consilio, Clē. XII. eò ablegat Episc. Halicarnass. Visitatorem Apost.

§. 3. Anno itaque MDCCXXXIX. illùc appulsus, ut injuncti muneris partes expleret, vigore facultatum sibi tributarum, post cæptam absolutamque Visitationem Ecclesiarum uniuscujusque Instituti, nempe Dilectorum Filiorum Presbyterorum Sæcularium Seminarii Missionum ad Exteros Civitatis Parisiensis, Clericorum Regularium Societatis Jesu, Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Excalceatorum Provinciæ Sancti Gregorii Insularum Philippinarum, & Missionariorum ipsius Congregationis Propagandæ Fidei, de rebus omnibus, quantum cum Domino potuit, edoctus, edidit Decreta tenoris qui sequitur, videlicet.

Qui Ecclesias illas visitat.

Et Decreta hic inserta promulgat.

§. 4. Elzearius Franciscus Des Achards De la Beaume, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Halicarnasseus, Sanctissimi Domini Nostri D. Papæ Prælatus Domesticus, Solii Pontificii Assistens, Ecclesiæ Metropolitanæ Avenionensis Præpositus, & Missionum Cocinchinæ, Cambodiæ, & Ciampæ Visitator Apostolicus specialiter Delegatus. Omnibus Venerabilibus Missionariis in hac Vinea laborantibus, salutem. Ea fuit mens Summi Pontificis, & Sacræ Congregationis de Propaganda Fide in decernenda Visitatione Apostolica, ut eradicatis zizaniis, quæ in his partibus semen Patrisfamilias suffocabant, granum Prædicationis Evangelicæ altas & liberas radices ageret, uberesque fructus, qui hujusce Ecclesiæ horreum implerent, deinde produceret. Cum igitur tantum onus humeris nostris, licet imparibus, impositum fuerit; ex quo ad has oras appulimus, nullam non adhibuimus diligentiam, ut ab iis finibus exulem tranquillitatem reduceremus, Deoque, qui Caritas est, preces & supplicationes offerre non cessavimus, ut Plebis suæ miseratus, iis, quibus dederat fidem, largiretur & pacem. Jam votis nostris benignus annuit Deus, & cum summa animi nostri voluptate infelices hos Neophytos, quos Diabolus, aut ignorantia deceperat, rediisse ad cor, & præstare omnimodam Ecclesiæ, & Pastoribus obedientiam videmus, jam Sacra frequentantur, ac de sua nunc salute solliciti, qui a pluribus annis peccata non deponebant, ad Tribunalia advolant, & alia Ecclesiæ Sacramenta petunt ac recipiunt. Sed ad illud gaudium, quo ex tot & tam subitis mutationibus repleti sumus, aliud multo majus accessit, vestræ scilicet, Venerabiles Fratres, Nos adjuvandi voluntatis affectio, vestrumque exequendi nostra decreta propositum; sic enim Dei Opus consummabitur, & pia Sacræ Congregationis desideria complebuntur. Ut itaque ad optatum finem perveniamus, paxque ista, quæ de Cœlo descendit, firma & stabilis perseveret, Christianique in plures factiones imposterum non scindantur, suosque legitimos cognoscant Pastores, & ut decet revereantur, sequentia decreta edenda existimavimus, quæ sub pœna disobedientiæ, & alia majori arbitrio Sacræ Congregationis & nostro imponenda, inviolabiliter ab omnibus Vobis servari mandamus, usque dum de iis certior facta eadem Sacra Congregatio aliter statuendum senserit.

Exordium.

Jubet singulorum districtuum fines custodiri.

§. 5. Primo quidem, cum experientia compertum sit, jurgiorum & dissensionum non pauca præbere semina, quando diversæ Christianitates a suis legitimis non reguntur Pastoribus, mandamus, ne imposterum aliquis Missionarius cujuslibet Instituti aut Ordinis, Sæcularis, aut Regularis, etiam e Societate Jesu, audeat mittere falcem in Messem alienam, sed contentus unusquisque portionis vineæ, quæ illi contigit, illam accuratè excolat.

Servari Ordinem præscriptum a Cong. Prop. Fidei.

§. 6. II. Et quoniam pro bono & incremento harum Missionum Sacra Congregatio usque de anno 1658. Vicarios Apostolicos duxerit deputandos, qui istarum vinearum culturæ invigilarent, & cum Sociis e Seminario Parisiensi illis adjunctis, in illis laborarent, & Clerum indigenum formarent, volumus, ut Ordo antiquus ab iisdem Vicariis Apostolicis institutus omnino observetur.

Missionum limites distinguit.

§. 7. III. Adhærentes Sacræ Congregationis decretis, quibus prohibitum est, ne diversi Instituti Missionarii in eodem Districtu se collocent, ut præcipue videre est in Decreto 26. Julii 1707. dato, ac ne Ordo Ecclesiasticus confundatur, unicuique Gregi juxta præscriptum Sacri Concilii Tridentini, proprios Pastores, qui suarum quisque ovium curam habeant, attribuendos, ut infra, duximus. Discussis igitur sedulo omnium juribus, quæ variis in Congressibus coram Nobis habitis tam verbo quàm scripto Nobis ab unoquoque & ab omnibus partibus exposita sunt, decernimus. Primò ut Provincia Huè, seu Aulæ remaneat communis, uti hactenus fuit, inter inclytum Parisiense Seminarium,

& Venerabilem Jesu Societatem, ita ut RR. DD. Galli suas Residentias, quas possidebant, & adhuc habent in Toparchiis Phu-cam, *&* Thoduc, *pacifice conservabunt, unde Christianitatibus, seu Populationibus illis annexis inservient. Similiter RR. PP. Societatis absque ulla contradictione remanebunt in possessione residentiarum, quas habent in* Kebat, *unde quoque Christianitatibus ab ipsis dependentibus occurrent. Sed cum RR. PP. Franciscani, contra tenorem Decretorum superius allegatorum, a septem circiter annis unam aperuerint Ecclesiam in Toparchia* Tho-duc *in Districtu & prope Ecclesiam DD. Gallorum: mandamus, ut spatio octo dierum post promulgationem nostrorum Decretorum, R. P.* Hieronymus a Sanctissima Trinitate, *qui memoratam Ecclesiam aperuit in* Tho-duc, *se recipiat in Ecclesiam* Soingua *sitam ad Littus Insulæ* Regis, *& quæ pertinere dicitur ad Religionem Seraphicam: At vero cum hæc Ecclesia* Soingua *reperiatur in Districtu* Kebat *RR. PP. Jesuitarum, dictus* P. Hieronymus *ibi remanere poterit quoad vixerit, sed illo discedente, vel decedente, nullus alius ex Familia S. Francisci illi sufficiatur. II. Decernimus pariter ut Provincia* Cham *communis administretur, sicut hactenus consuetum est, a RR. DD. Missionariis Gallis, & RR. PP. Jesuitis, & quilibet respective in suis Districtibus curam habeat Christianitatum ab ipsis dependentium; quæ quidem Christianitates RR. DD. Gallorum incipiunt a* Con-ve, *&* Kerà *inclusive, usque ad* Suum *ex parte Boreali; Christianitates autem RR. PP. Societatis incipiunt a* Taifò, *&* Trachien *usque ad* Caytlam *ex parte Australi. Verum cum RR. PP. Franciscani a paucis annis in medio dictarum Christianitatum se collocaverint, cum magno præjudicio præcipue RR. PP. Jesuitarum semper reclamantium, mandamus ut dictæ Christianitates tam RR. Patribus Societatis, quam RR. DD. Gallis restituantur; & R. P.* Philippus a Conceptione, *qui in Portu* Taifò *unam aperuit Ecclesiam, quæ solum aliquot minutis distat a residentia RR. PP. Societatis, dictus R. P.* Philippus *se recipiat in Ecclesiam Superiorem* Chindoa, *quæ etiam pertinere dicitur ad Religionem Seraphicam, ubi quoad vixerit, si voluerit, remanebit, ita ut illo discedente vel decedente, nullus alius Franciscanus ipsi substituatur, sed tota hæc Christianitas, vel aliæ ad proprios redeant Pastores. III. Examinatâ summa cum attentione ac diligentia contentione, quæ orta est inter RR. DD. Missionarios Gallos, & RR. PP. Jesuitas circa Provincias Boreales* Dinhcat, Quamgbinh, *&* Dingoè, *prætendente utraque Parte illarum Provinciarum administrationem ad se pertinere, affirmantibus RR. PP. Jesuitis se eas aperuisse, & aliquot millia Gentilium Sacro Lavacro in iis abluisse: asserentibus e contra RR. DD. Gallis sibi ab ipso ingressu DD. Vicariorum Apostolicorum illas Provincias Boreales* Dinhcat, Quamgbinh, *&* Dingoe *assignatas fuisse ut illas excolerent, ut de facto eas soli ab illo tempore semper excoluere, aut per se, aut per Sacerdotes* Anamitas *suos Alumnos usque ad annum 1719. quo R. P.* Morera *Jesuita se in eas Provincias intromisit, fabricando Ecclesiam prope alteram RR. DD. Gallorum; Nos considerantes utramque partem æqualibus inniti rationibus, & insuper consulentes æquitati, quæ videretur exigere ut dictæ Provinciæ Boreales inter Ven. Jesu Societatem, & inclytum Parisiense Seminarium communes remanerent, quandoquidem tam RR. PP. Jesuitæ, quam RR. DD. Missionarii Galli in dictis Provinciis Christianitates aperuerint; attamen cum RR. DD. Missionarii Galli omnia jura sua Nobis commiserint, & RR. PP. Societatis sint in actuali possessione dictarum Provinciarum* Dinhcat, Quamgbinh, *&* Dingoè, *decernimus pro bono pacis, ut res remaneant in eodem statu, in quo sunt, scilicet a RR. PP. Jesuitis memoratarum Provinciarum Borealium* Dinhcat, Quamgbinh, *&* Dingoè *Christianitates administrentur. IV. Circa Provincias* Quinghà, *&* Quining, *cum probatum fuerit, eas, ante RR. PP. Franciscanorum usurpationem, communiter administratas fuisse a RR. DD. Missionariis Gallis, & a RR. PP. Jesuitis, qui adhuc in dictis Provinciis suas habent Ecclesias, decernimus, ut caritas inter hæc duo corpora magis ac magis firmetur, ut Provinciæ* Quinghà *curam habeant privative RR. PP. Jesuitæ, & RR. DD. Missionarii Galli etiam privative Provinciæ* Quining *inservient. Quoad vero RR. PP. Franciscanos, qui ultimi in dictas Provincias intrarunt, stationesque prædictorum RR. DD. Gallorum, & RR. PP. Jesuitarum invaserunt, mandamus, ut quamprimum dicti RR. PP. Franciscani se recipiant in* Raygon, *quæ est pars Provinciæ* Dounay, *ubi Messis multa est, undeque facile in vastissimum totius Regni* Cambodiæ *Campum poterunt se extendere, cum ibi supersit unicus Missionarius Franciscanus ex Propaganda Fide. V. Provinciis* Phuyen, Nhraù, *&* Nhatlang *præficimus privative RR. DD. Missionarios Gallos, utpote ab ipsis solis semper sine contradictione administratis. VI. Cum nullus Missionariorum adhuc voluerit suscipere curam Provinciarum* Phanry, *&* Phanrang *in Regno* Ciampæ, *mandamus ut RR. DD. Missionarii Galli suo zelo illud pondus ad majorem Dei gloriam sustinere continuent. VII. Quantum ad Provinciam* Dounay *omnium majorem, subjacebit omnino caritati RR. PP. Societatis; reservata tamen RR. DD. Missionariis Gallis Ecclesia* Bingo, *quæ ad illos pertinet. VIII. & ultimo. De Ecclesiis Sac. Congregationis, quæ omnes in Districtibus RR. DD. Missionariorum Gallorum reperiuntur, scilicet in* Phucàm *Provincia* Aulæ, *altera in* Phuyen, *tertia in* Nhràu, *& quarta in* Nhantlang *&c. nihil audemus statuere: cum enim dictæ Ecclesiæ absque consensu & sine licentia ejusdem Sac. Congregationis structæ fuerint, nullasque habeant Christianitates sibi adnexas, illas supremæ dispositioni dictæ Sacræ Congregationis relinquimus.*

Franciscanis aliquas admittit Ecclesias, & infra num. 2. & 4.

Aliquot Ecclesiarũ pertinentiã remittit judicio S. Congregationis.

§. 8. *Porro ad evitanda scandala, quæ ex multitudine Operariorum diversi Instituti, aut Ordinis nascuntur, præcipimus ut nullus Missionarius sive Sæcularis, sive Regularis, etiam e Societate Jesu, extra Christianitates sibi assignatas ullum Jurisdictionis actum exercere audeat, aut ullis facultatibus sibi concessis uti possit; secus tamen si a Gentilibus, vel alia rationabili de causa, extra suos limites exire cogatur, tunc de licentia Vicarii Apostolici, & de consensu Missionarii hujus Districtus, exercere functiones solitas poterit. Et quia in hac prohibitione non intendimus comprehendere casus urgentes, in quibus Missionarii vocantur ad Infirmos, sine mora illis debent succurrere; quin imo hortamur omnes Nostros Ven. Fratres Missionarios, ut sese mutua caritate adjuvare satagant. Datum* Huè *in Civitate* Aulæ *die 2. Julii 1740.*

El. F. Episcopus Halicarn.
Visitator Apostolicus.

Prohibet Missionariis exercitium suarũ facultatum extra proprium districtum.

§. 9. Præinserta vero decreta statim atque idem Elzearius Franciscus Episcopus, Apostolicus Visitator, proposuit ac publica fecit, antedicti Fratres Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Excalceatorum ad Apostolicam hanc Sanctam Sedem appellarunt; unde ad laudatam Congregationem Propagandæ Fidei, ac potissimum ad particularem Congregationem nonnullorum Cardinalium super Missionibus Indiarum Orientalium specialiter deputatorum, remisimus præinserta decreta, ut mature examinarentur. Præfatæ autem particularis Congregationis Cardinalium, qui die 19. mensis Septembris anno MDCCXLI. Decreta hujusmodi ad trutinam, juxta nuntios, acceptasque tunc primas rerum omnium notiones, expenderant, consilio, non solum sæpedicta Decreta die 20. immediate sequenti ejusdem mensis & anni Pontificio vocis Nostræ Oraculo approbata & confirmata, verum

Franciscani appellant ad S. Sedem.

Sed Decreta cõfirmantur, & ampliantur.

etiam, quoad tertium, & quartum decreta, ampliata fuerunt, prout sequitur. *Injungendum Patribus Franciscanis etiam in virtute & sub formali præcepto S. Obedientiæ, ut a toto Regno Cocinchinæ omnino recedant, seque in proximum Cambodiæ Regnum recipiant, ubi Messis quidem multa est, Operarii autem vel panci vel nulli sunt; ibique Missionariorum munus, & zeli sui partes expleant, sub auctoritate & protectione Sacræ Congregationis, & sub regimine & directione Vicarii, seu Pro-Vicarii Apostolici pro tempore a S. Sede constituti & respective constituendi in Regnis Cocinchinæ, Ciampæ, & Cambodiæ, a quo facultates necessarias & opportunas ad Missiones exequendas accipere debeant. Ecclesiæ vero, quas ad hæc usque tempora in memorato Cocinchinæ Regno prædicti Patres Ordinis Sancti Francisci vel aperuerunt, vel administrarunt, remaneant sub libera dispositione Vicarii Apostolici, exceptis tamen iis, quæ per recensita decreta Visitationis Apostolicæ, vel Partibus Societatis Jesu, vel Sacerdotibus Seminarii Parisiensis adjudicatæ sunt; firmis remanentibus tum in ea parte, tum in reliquis, iisdem Decretis.*

Iterum recurrunt ad Sanctissimũ, qui suspendit Decretorum executionem.

§. 10. A quibus sane decretis ita, ut præmittitur, approbatis, confirmatis, & ampliatis, habito ad Nos recursu, dilectus Filius Vices Procuratoris Generalis gerens in hac Romana Curia residens, eorumdem Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Excalceatorum nomine Nobis humiliter exponi fecit præjudicium ac damnum, quod ex tertio, & quarto decretis, tum juxta formam & tenorem ab ipso Apostolico Visitatore conceptis, tum juxta ampliationem eorumdem a laudata Congregatione particulari Cardinalium factam, iisdem Fratribus inferebatur: Hinc enim emanabat quædam veluti eorumdem expulsio ab omnibus Missionibus Cocinchinæ, & ab Ecclesiis, residentiisque, quas ipsi Fratres, prout asserebatur, justo legitimoque titulo, & auctoritate Vicariorum Apostolicorum, non odioso Invasorum Occupatorumque nomine, veluti quodammodo notabantur, obtentas semper possederant, & reipsa possidebant; ac propterea Nobis etiam supplicari fecit, ut non obstante antedicta approbatione, confirmatione, ac præsertim tertii, & quarti decretorum præinserta ampliatione, de novo in prædicta Congregatione Cardinalium super iisdem tertio, & quarto decretis, rationum momenta discuterentur. Nos itaque ad Dilectum Filium Nostrum Vincentium S. R. E. prædictæ Cardinalem Petra nuncupatum dictæ Congregationis Propagandæ Fidei Præfectum rescripsimus die xxiii. mensis Novembris ejusdem anni. *Eosdem Patres Franciscanos audiri & interim superfederi in executione memoratorum decretorum in ea parte dumtaxat, quæ ipsos respicit, non retardata executione quoad reliqua.*

Causa proponitur coram SSmo, utraque parte informante.

§. 11. Interim animadvertentes negotium hujusmodi non levis esse ponderis, præscripsimus, ut tam Fratres Ordinis Minorum S. Francisci, quàm Presbyteri Seminarii Parisiensis prædicti (inter utrosque namque præcipua dissensionum causa agitabatur) argumenta documentave pro utrorumque causa facientia ad prædictam particularem Congregationem coram Nobis habendam afferrent producerentque. Quod cum ab utriusque partis Patronis tum voce, tum scripto præstitum fuisset; tandem die prima mensis Septembris currentis anni post exactam controversiæ discussionem, in unanimem eorumdem Cardinalium sententiam Nos quoque euntes, decrevimus recedendum esse a decisis, necnon decreta tum tertium, tum quartum ab Apostolico Visitatore edita, a particulari Congregatione Cardinalium ampliata, & a Nobis, ut præmittitur, approbata & confirmata, esse revocanda; ac propterea eosdem Fratres Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Excalceatorum in omnium Ecclesiarum, ac residentiarum, quibus, ante quàm memorata decreta edita fuissent, gavisi ac potiti fuerant, & gaudebant ac potiebantur, possessione, manutenendos & confirmandos esse.

Decreta revocantur, & Ecclesias Franciscanis reddi decernitur.

Episcopus Coryceusis delegatur pro executione.

§. 12. Quoniam autem in accurato harum rerum examine, ut præmittitur, habito, certus verusque numerus Ecclesiarum residentiarumque, ut asserebatur, ante ab ipsis Fratribus Ordinis S. Francisci possessarum, aliarumque rerum ad easdem Cocinchinæ Missiones spectantium notitia haberi non potuit: Hinc est, quod Nos quamcumque super iisdem Ecclesiis, ac Residentiis designandis imposterum altercandi occasionem præripere ac penitus auferre cupientes, necnon de Fraternitatis Tuæ fide, prudentia, doctrina, vigilantia, integritate, & pastorali animarum salute ac zelo plenam in Domino fiduciam habentes, Te nostrum atque hujus Apostolicæ Sedis Delegatum ad præmissa, aliaque, ut infra, negotia in Cocinchinæ Regnis peragenda cum facultatibus infra dicendis, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, constituimus & deputamus, ac Tibi committimus & mandamus, ut redditis Tibi hisce nostris in forma Brevis literis, ac Pro-Vicario, ad omnia & singula muneris Fraternitati Tuæ demandati (exceptis tamen iis, quæ Ordinem Episcopalem requirunt) Officia, toto absentiæ tuæ tempore, in Regno *Tunchini Orientalis* supplenda ac præstanda, apto & idoneo, cum facultatibus necessariis & opportunis, ad Tui arbitrium constituto & deputato, Te statim ad Cocinchinæ Regna conferas. Volumus autem, ut ante quam pergas, Venerabilem Fratrem Armandum Francisum *le Febvre* Episcopum Noëlen. modernum Vicarium Apostolicum Cocinchinæ, de Apostolica Visitatione hujusmodi, deque tuo accessu, quemadmodum Nos etiam per alias nostras in simili forma Brevis literas eumdem admonemus, certiorem facias, ut nulla propterea intercedat animorum quoad jurisdictionem discordia, sed glutino caritatis Jesu Christo conjuncti, æternæ Animarum Christifidelium saluti opportune consulatis.

Ut Franciscanos in pristinũ restituat.

§. 13. Postquam igitur illuc perveneris, primum omnium Apostolico Vicario prædicto in virtute S. Obedientiæ nostro nomine, & auctoritate tua injunges, ut omnia & singula præinserta decreta debitæ executioni demandari curet & faciat, iisdem prorsus modo & forma, quibus proposita & publici juris facta fuere; exceptis tamen tertio, & quarto decretis, quorum executionem juxta nostram emendationem reformationemque Tibi dumtaxat demandamus. Porro ut imposito Fraternitati Tuæ hac super re gravissima muneri secundum vota nostra satisfacere valeas, oportet, ut partes invicem contendentes, aliosque neutri partium adhærentes, sed probatæ fidei, & integritatis viros extrajudicialiter sine strepitu & forma judicii audias, quò ad veram omnium & singularum rerum ad effectum hujusmodi necessariorum notitiam, pro tua dumtaxat intelligentia, ductu, ac regimine, devenire valeas. Statim vero atque certum Ecclesiarum Residentiarumque ab iisdem Fratribus Minorum S. Francisci ante prædictam Visitationem justo legitimoque titulo possessarum numerum habueris, ipsis Fratribus easdem Ecclesias residentiasque restituas & restitui facias, atque in antiquam earumdem possessionem immittas & confirmes. Præterea unicuique tam ex dictis Ecclesiis Residentiisque, quàm ex aliis Societatis Jesu, & Seminarii Parisiensis in illis Provinciis, Præfecturis, & Civitatibus, quæ promiscue per eosdem Societatis Jesu, & Seminarii Parisiensis Alumnos reguntur & administrantur, habita semper ratione congruentis commodæque distantiæ unius ab altera Ecclesiæ, ac insimul numeri multitudinisque Christifidelium ibi

Omnibusque præfiniat Districtuum limites.

commo-

commorantium, fines ac terminos, sive districtum, assignes, atque ipsos etiam uniuscujusque Districtus fines terminosque statuas & constituas; cum inhibitione, etiam cum pœnarum, censurarumque, prout Fraternitati Tuæ visum fuerit, & quatenus opus sit, ad tuum arbitrium imponendarum atque ipso facto incurrendarum denuntiatione, ne quilibet Missionarius unius Ordinis, Congregationis, & Instituti audeat irrumpere, & sese immittere in Districtum aliis Missionariis cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti assignatum & præscriptum, nisi in casibus puræ putæque necessitatis, juxta normam in decretis præinsertis, præsertim in Paragrapho *Porro*, traditam.

Declaratio super reservatis judicio S. Congr.

§. 14. Insuper cum laudata Congregatio particularis die XIX. mensis Septembris An. MDCCXLI., ut præmittitur, habita, octavum ex præinsertis Decretis declarans, præscripserit, ut *Ecclesiæ ad Sacram Congregationem* (nempe Propagandæ Fidei) *spectantes, videlicet ea, quæ reperitur in Provincia, & Civitate* Aulæ, *& in qua residere consueverat bo. mem. Episcopus Nabucensis Vicarius Apostolicus, alia, quæ sita est in Portu* Tayfo; *necnon illæ, quæ sunt in* Phuyen, *in* Nhau, *& in* Nhantlang *serventur pro Missionariis ejusdem Sacræ Congregationis; & Vicarius Apostolicus unicuique ex prædictis Ecclesiis Districtum congruum, & Christianitatem assignet a Missionario in ea constituendo regendam. Interim vero & donec Missionarii ab eadem Sacra Congregatione mittendi ad Regnum Cocinchinæ pervenerint, idem Vicarius Apostolicus prædictas Ecclesias, & respective Christianitates earum cuilibet, sicut præfertur, adnexas vel assignatas, administrari curet per Sacerdotes Seminarii Parisiensis, nomine tamen præfatæ Sacræ Congregationis, & non aliter, nec alio modo, & usque ad novam ipsius Sacræ Congregationis dispositionem. Quod quidem per eumdem Vicarium Apostolicum præstandum erit semper, & quandocumque futuris temporibus aliquis Missionarius dictæ Sacræ Congregationis decesserit vel discesserit. De reliquis autem Ecclesiis ad eamdem Sacram Congregationem pertinentibus, idem Vicarius Apostolicus disponat, sicut ipse in Domino magis opportunum arbitrabitur:* Nos præinsertam octavi decreti declarationem auctoritate & tenore paribus confirmantes, Tibi pariter committimus & mandamus, ut, si per Vicarium Apostolicum Cocinchinæ declaratio & præscriptio hujusmodi debitæ vel in totum, vel in partem, quoad descriptas quinque Ecclesias ad dictam Congregationem Propagandæ Fidei spectantes, executioni minime demandata sit, eamdem declarationem præscriptionemque omnimodæ executioni, cum ipsius Apostolici Vicarii scientia, demandari faciat & curet Fraternitas Tua. In uno aut altero hujusce negotii casibus, a prædictis Seminarii Parisiensis Missionariis, qui antedictas Ecclesias, earumque districtus pro tempore regunt & administrant, per authentica documenta ab iis, quos in unaquaque earumdem Ecclesiarum, earumque districtibus, residere & addictos esse repereris, propria manu subscripta, & interposito etiam jurejurando confirmata, & publica facta, exigas apertam sinceramque declarationem, qua se nimirum Ecclesias, & Districtus hujusmodi precario tantum nomine regere & administrare, neque per illud temporarium sive eventuale regimen & administrationem, unquam, aut ullo prorsus modo sibi quemcumque titulum aut jus dominii, manutentionis, possessionisque venire, quæri, deberi & vindicari posse, contestentur.

Ejusdem jura expresse præservanda.

Franciscani Ecclesias sibi adjudicatas ne deserant &c.

§. 15. Pari itidem modo authentica ejusmodi documenta exigas a Fratribus Ordinis Minorum S. Francisci sæpedictis, qui non solum declarent, sed juridice ac legitime etiam spondeant, obligentur, & obstringantur, se Ecclesias, ac Residentias in Cocinchina ipsis per Nos, prout præmittitur, adjudicatas, & propriis sumptibus eorum Provinciæ Insularum Philippinarum conservaturos, & nunquam deserturos, & eum semper retenturos congruentem numerum Missionariorum, quibus Fraternitas Tua unamquamque Ecclesiam, habita rerum, personarum, locorumque ratione, indigere noverit, atque existimaverit statuere ac præscribere; quemadmodum, ut statuas & præscribas, Tibi pariter injungimus & mandamus.

Iidem in Regna Ciampæ & Cambodiæ se extendere valeant, sed aliis non exclusis.

§. 16. Declarationem denique, authenticis etiam, ut præmittitur, documentis instructam exiges ab iisdem Fratribus Ordinis Minorum S. Francisci, qui nomine antedictæ Provinciæ Insularum Philippinarum Nobis ultro obtulerunt, nimirum sese subituros totum onus, propriis suis omnino sumptibus semper substinendum, Missionum Regni *Ciampæ* (in ea tamen ejusdem Regni parte, in qua nullus alterius Ordinis, Congregationis, & Instituti Operarius existat) & in Regno *Cambodiæ*, quæ Regna per Apostolicam hanc S. Sedem Apostolici *Cocinchinæ* pro tempore existentis Vicarii jurisdictioni addicta reperiuntur. Hoc certe quemadmodum Nobis pergratum accidit, ita omnem altercandi deinceps aditum obstruere cupientes, volumus & mandamus ut accedente finium, seu districtuum assignatione a prædicto Vicario facienda, & ab eisdem omnino, uti supra, servanda, Fratres antedicti ad Regna *Ciampæ*, & *Cambodiæ* Missionum hujusmodi causa accedentes, nullum penitus, propter hæc Christianæ caritatis sponte susceptа, & omnino imposterum præstanda officia, sibi unquam asserere, vindicare, & contendere valeant jus privativum, sive directe, sive indirecte, quoad alios Operarios, quos ad eadem Regna per Apostolicum Cocinchinæ pro tempore existentem Vicarium ordinariam, ut præfertur, jurisdictionem habentem, cum opportunis legitimisque facultatibus & licentiis, quocumque tempore mitti contigerit.

Præmissorum omnium authentica monumenta ad S. Sedem transmittantur.

§. 17. Cæterum authentica documenta antedictarum declarationum tam Missionariorum Ordinis Sancti Francisci, quàm Seminarii Parisiensis, aliorumque, si qui fuerint, Tibi exhibenda, & a Te sub pœnis & censuris, quatenus opus sit, exigenda, postquam acceperis, manu tua singula subscribes, signoque tuo munies, atque ita subscripta, & munita una cum claro distinctoque omnium Ecclesiarum, Residentiarum, & Districtuum, eorumque finium & terminorum catalogo, sive indice, vulgò *Nota*, necnon dilucida amplaque non solum rerum omnium ad conficiendum hujusmodi negotium per Te gestarum, sed etiam rerum omnium ibi gerendarum, ad commissionem mandatumque nostrum, & facultates tuas pertinentium, seu, propter inordinationes etiam confusionesque, atque alia hujusmodi, necessario Apostolicæ nostræ providentiæ supremæque auctoritatis remedio indigentium, relatione, & narratione, insimul conjuncta, quamtutissime, & quantocius curabis perferenda ad ipsam Congregationem Propagandæ Fidei.

Facultates opportunæ conceduntur cum clausulis &c.

§. 18. Præclaram vero, quam de Apostolicis Fraternitatis Tuæ virtutibus & laboribus conceptam habemus, opinionem, ut magis magisque Nobis probes atque confirmes, oblata occasio, & demandata a Nobis commissio Tibi esse debent acriori incitamento. Nos enim ad præmissa omnia opportune, salubriter, canonice, ac legitime peragenda & præstanda, facultates omnes necessarias & opportunas Tibi tribuimus & impertimur; necnon auctoritate & tenore paribus derogamus iis omnibus & singulis, quæ fortasse obstare possent; nostræ nempe, & Cancellariæ Apostolicæ Regulæ, quatenus opus sit, *de jure quæsito non tollendo*, & aliis Aposto-

licis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, Ordinationibus, necnon supradictorum Ordinum, Societatis, & Instituti, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 26. Nov. 1744. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVI. Nov. MDCCXLIV. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

D. Card. Passionei.

CXII. Vicario Cocinchinæ denunciatur Ablegatio Episcopi Corycensis, de qua in Superiori.

Venerabili Fratri Armando Francisco le Febvre Episcopo Noëlensi Vicario Apostolico Cocinchinæ.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

QUÆ inter ipsos Sacrarum Missionum Operarios unius aut alterius Ordinis, Congregationis, & Instituti, istic intercesserint dissidia, etiam post Decreta a Venerabili Fratre Elzeario Francisco des Achards de la Beaume Episcopo Halicarnassensi edita, Fraternitati Tuæ præ cæteris manifestiora sunt: Quæ verò dissidiis hujusmodi componendis sedandisque hîc acta sint, omnia accipies a Venerabili Fratre Hilario Costa Episcopo Corycensi, & Apostolico Vicario Regni Tunchini Orientalis. Hunc enim, ut omnem plus uni quam alteri partium hac in re contendentium favendi suspicionem ab integerrima probataque Fraternitatis tuæ virtute amoveremus, Nostrum Apostolicum Vicarium, facultatibus necessariis & opportunis ad conficiendum Negotium hujusmodi instructum, per alias nostras in simili forma Brevis desuper expeditas Literas, quarum tenorem hic pro expresso, & inserto haberi volumus, de particularis Congregationis nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum consilio, constituimus, & deputavimus. De hujusmodi autem deputatione Fraternitatem Tuam certiorem facientes, Te rogamus, & in Domino hortamur, ac Tibi mandamus, ut illum isthuc advenientem, non solum iis, quæ Venerabiles Fratres Episcopi atque hujus Sanctæ Sedis Administri in remotissimis præsertim Regionibus commorantes invicem sibi præstare debent, humanitatis, studii, & fraternæ caritatis & concordiæ significationibus tum privatis, tum publicis excipias; verum etiam, ubicumque opus fuerit, & res postulaverit, omnia eidem nota facere, atque opem, præsidium, auxiliumque tuum commodare satagas & adnitaris. Quas sane debitæ tuæ erga Nos, & Apostolicam hanc Sanctam Sedem observantiæ obedientiæque partes majori, quàm Nos augurari possimus, alacritate, ac voluntate a Fraternitate Tua re ipsa explendas, dum Nobis certo pollicemur, Pastorum Principem Jesum Christum, cujus vices immerentes gerimus, supplices poscimus, ut quam certe mandatis Nostris obtemperando a Nobis atque hac Sancta Sede gratiam inibis, uberrima cœlestium charismatum copia cumulet. Interim Apostolicam Benedictionem Fraternitati Tuæ peramanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 26. Novembris 1744. Pontificatus Nostri Anno Quinto. Dat. die 26. Nov. 1744.

Cajetanus Amatus.

Quæstioni propositæ, an Filii ex adulterio procreati legitimentur per subsequens matrimonium, differendo rescribitur. CXIII.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Sancti Dominici in Insula Hispaniola.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

REDDITÆ Nobis altero ab hinc Mense fuerunt Litteræ tuæ XXVII. Maji proxime elapsi ad nos scriptæ, ac Typis impressæ, quibus occurrentem istic cujusdam facti speciem enarras, & Nostram super eo sententiam requiris. Non te latere arbitramur, nullum Nos diem vacuum habere, quum gravissimis assidue curis, atque negotiis non tam occupemur, quàm penè jam obruamur; in hisce præsertim asperitatibus rerum, quibus undique conflictamur, & quarum famam ad vestras quoque oras pervasisse non dubitamus. Sed tamen, ut compertum sit omnibus, quanti te facimus, Venerabilis Frater, & quanto dignitatem Episcopalis characteris, quo præfulges, in honore habemus, aliqua temporis spatia reperire, & colligere studuimus, eaque in evolvendis privatæ Bibliothecæ Nostræ libris insumpsimus, quò possemus propositæ abs te quæstioni respondere. Quod quidem præsentibus Nostris Litteris facimus, non tamen ex auctoritate Apostolicæ Sedis, quam, meritis licèt imparibus, obtinemus, sed meram sustinentes personam Doctoris privati, cujus vitæ ætas fere omnis in Sacrorum Canonum studiis, quamvis non magno fortasse fructu, exacta est. Neque enim visa Nobis est ea quæstio Pontificiæ Decisionis Oraculo indigere, quemadmodum ex inferius dicendis Fraternitas Tua probè poterit intelligere. Exordium.

§. 1. Itaque casus est. Vir Nobilis uxoratus rem habuit, stante matrimonio, cum libera Muliere, pari cum ipso natalium nobilitate, duosque filios ex ea procreavit. Defuncta verò Uxore matrimonium contraxit cum prædicta Muliere, quæ duos, ut præfertur, filios ei pepererat. Horum alter jam mortem obierat; atque ille procul dubio natus erat priore Uxore in vivis agente. Alter superstes est, sed nondum satis est exploratum, an eâdem prima Uxore vivente conceptus, aut natus fuerit. Dubitatur de utroque, an legitimi sive spurii sint habendi; seu potius, an per subsequens matrimonium cum ipsorum Matre contractum, ambo censendi sint legitimati. Facti species, & Dubium.

§. 2. Porrò, admissâ Canonici juris regulâ, quam Nos verissimam judicamus, quamque, ut paulo infra patebit, a nemine in dubium revocari posse arbitramur; quod nempe, licet proles ante matrimonium nata, legitima fiat per subsequens matrimonium inter Parentes ritè contractum; attamen id dumtaxat locum habeat, quum copula intercesserit inter liberum & liberam, non autem ubi alter ex Parentibus matrimonio ligatus foret: tunc enim proles ante secundas nuptias nata nequaquam sit legitima, quamvis Adulter, post mortem prioris Uxoris, verum & legitimum cum ejus Matre contrahat matrimonium; hac inquam regulâ semel admissâ, evidens est, filium illum præmortuum, qui natus est prima Uxore superstite, Regula juris quoad legitimationem prolis ante matrim. procreatæ. Filius ex adulterio generatus, & natus constante matrimonio,

legi-

non legitimatur per subsequens matrimon.

legitimum non evasisse per matrimonium cum ipsius Matre contractum, postquam prima Uxor è vivis excesserat.

§. 3. Quod verò ad alterum filium adhuc viventem attinet; si constaret saltem hunc natum esse post mortem primæ Uxoris, quam illius Pater habuerat, quamvis eâ superstite conceptus fuisset; in arduam illam controversiam deduceremur, quæ inter Doctores, ut nosti, agitatur, an scilicet, pro statuenda prolis legitimatione, ejusdem nativitatis tempus attendi debeat, an præterea habenda sit ratio temporis ejusdem conceptus; in qua controversia, satis, ut prædiximus, ardua, quum inveniantur Textus Textibus contrarii, cumque Doctores Doctoribus, Tribunalia Tribunalibus adversentur; si a Nobis judicium nostrum in casibus particularibus interponendum foret, non aliter id a Nobis fieret, quàm secundum sententiam in Tribunalibus & Curia illius Regionis receptam, in qua esset pronunciandum.

Dubitari posset, ubi natus esset, uxore defuncta.

In dubio, favendum proli.

§. 4. Cum verò hactenus, ut scribis, incertum sit, quo tempore filius ille vivens conceptus, quove in lucem editus fuerit, solumque constet de morte prioris Uxoris, & de secundo cum altera Muliere matrimonio; supervacaneum, extraneumque remanet examen præfatæ controversiæ, an, ad effectum legitimationis prolis, tempus nativitatis dumtaxat, an etiam tempus conceptûs attendi debeat. Sed in his facti circumstantiis, quum certum sit matrimonium inter illius Parentes rite contractum, incertum verò tempus, quo filius idem conceptus, & in lucem editus fuit; si Nostrum de eo judicium exquireretur, filium hunc legitimum censeremus, quum Judex in dubio debeat in bonum & commoda prolis propensus esse.

§. 5. Equidem intelligimus, hanc nostram responsionem neque desiderio tuo, neque præconceptæ opinioni satisfacturam. Non desiderio, inquam; propterea quod utrosque præfatos filios, per subsequutum inter Parentes matrimonium, legitimatos fuisse declarari velles: Neque porrò opinioni, quam foves; eò quod existimes filios etiam ex adulterio procreatos legitimari, superveniente matrimonio inter Adulteram & Patrem, Conjuge jam defuncta. Verum æquo animo feras volumus, Nos ad hæc asseverando reponere, quod filii ante matrimonium nati legitimantur utique per subsequens matrimonium, si tamen ex soluto & soluta fuerint procreati, ut, inhærendo Canonicis sanctionibus, definitum fuit a Prædecessore Nostro Alexandro Papa III. in *Cap. Conquestus, Qui filii sint legitimi*; Secùs autem, si iidem filii orti sint ex Patre, qui de eo tempore cum alia Muliere Matrimonio conjunctus erat; licet eâ postea è vivis sublatâ, aliam illam duxerit, ex qua prolem susceperat; ut idem Alexander III. respondit in *Cap. Tanta, Qui filii sint legitimi*; cujus verba sunt, quæ sequuntur. *Tanta est vis matrimonii, ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur. Si autem Vir, vivente Uxore sua, aliam cognoverit, & ex ea prolem susceperit, licèt post mortem Uxoris eandem duxerit, nihilominus spurius erit filius, & ab hæreditate repellendus; præsertim si in mortem Uxoris prioris alteruter eorum aliquid fuerit machinatus.*

Textus, quibus innititur Regula.

§. 6. Neque verò postremis hisce verbis commoveri debes, ac si ex illis colligi posset, minime ab Alexandro definitum fuisse, quod proles ex adulterio suscepta, per subsequens matrimonium legitimari nequeat; sed illud dumtaxat, quòd nempe proles legitima non fiat, si contra vitam prioris Uxoris alteruter ex Parentibus adulteris machinatus fuerit. Etenim animadvertere te oportet verbum illud a Pontifice usurpatum, *præsertim*; quod idem sonat, ac *multò magis*; itaut vera Decretalis illius sententia sit, quod quum proles ex adulterio suscepta pro spuria perpetuò sit habenda, & ab hæreditate repellenda, etiamsi legitimum postea ineatur inter Parentes matrimonium; multò magis id procedet, ubi alteruter in prioris Uxoris mortem fuerit machinatus. Ex quo minime sequitur, quod proles ex adulterio nata, si machinatio absit, legitimetur per subsequens matrimonium; sed palàm fit, ejusmodi prolem ex adulterio susceptam, ideoque per subsequens matrimonium neutiquam legitimandam; multò majori ratione legitimam nunquam fieri, si alter ex Parentibus adulteris contra vitam prioris Uxoris sit machinatus. Qua de re optime opportunèque disserit *Gonzales in Cap. 6. num. 6. Qui filii sint legitimi*, per hæc verba: *Arguit Alexander III. de minori ad majus: Nam si filii spurii non legitimantur per subsequens Parentum matrimonium; multo minus per matrimonium nullum, quale est; quod contrahitur, quum alter ex Conjugibus in necem Conjugis machinatus est.*

Dictio PRÆSERTIM, non est taxativa.

Rationes Archiepiscopi contra sententis.

§. 7. Sanè a te dissimulata non fuit dispositio relatæ Decretalis Alexandri III. in *citat. Cap. Tanta. Qui filii sint legitimi*; quin immò ultrò fateris, communem Doctorum opinionem eam esse, quæ nuper a Nobis expositæ fuit; nimirum prolem ex adulterio progenitam, per subsequens matrimonium nequaquam legitimari. Verumtamen apertè declaras, nullam sententiam, quantumvis communi Canonistarum calculo comprobatam, apud te valere, nisi eadem in Textu Canonico fundata sit, illique innitatur; hanc autem sententiam, de qua agitur, minime dici posse Canonico Textui innixam esse; quoniam, inspectâ præcitatâ Decretali Alexandri III., non quidem mutilâ, atque contractâ, prout jacet in nostra Decretalium collectione a Gregorio Papa IX. confecta; sed in sua integritate; manifestè, ut putas, agnoscitur, ideo Pontificem illegitimam declarasse prolem illam ex adulterio procreatam, quamvis ejus Pater, defuncta priore Uxore, Adulteram sibi matrimonio junxisset; quia nimirum Alexandri ætate vigebat adhuc ea disciplina, qua interdictum erat Adultero, etiam post mortem prioris Uxoris, matrimonium cum Adultera validè contrahere; & quia, tota Decretali perlecta, perspicuum est, in eo casu, præter adulterium, adfuisse etiam machinationem Adulteræ contra vitam prioris Uxoris. Quibus positis, deinde concludis, quod quum, juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam, Adulterium præcedens non habeatur pro impedimento dirimente matrimonium inter mæchum & mæcham, nisi conjunctum sit vel cum machinatione, vel cum fide data futuri matrimonii; cumque in proposita facti specie nullum indicium adsit machinationis in prioris Uxoris necem intentatæ; nullum propterea adduci valeat obstaculum adversus prolis legitimationem, sequuto jam inter ipsius Parentes legitimo matrimonio; atque adeo tuum illud systema firmiter, ut putas, stabilitur; nimirum, subsequente matrimonio, legitimari prolem etiam ex adulterio susceptam, quoties adulterio non accedat aut machinatio adversus prioris Conjugis vitam, aut promissio matrimonii post prioris Conjugis mortem inter Adulteros contrahendi.

Opiniones communes non spernendæ.

§. 8. Profectò, ut ingenuè loquamur, Venerabilis Frater, displicet Nobis tua hæc ingeniosa ratiocinatio, in qua nescio quid arrogantius & audacius, quàm par est, introspicere videmur. Nobis etenim persuasum manet, opiniones Doctorum communes non ita facilè parvipendendas esse; idque didicimus ex celeberrimo vestrate Melchiore Cano, qui in suo Tractatu de Locis Theologicis lib. VIII. Cap. 7. ita de communibus Canonistarum sententiis, in his, quæ pertinent ad doctrinam Canonum, loquitur: *In hujusmodi Canonum interpretatione Ecclesiæ*

Judices, & administri concordem omnium Jureconsultorum sententiam amplectuntur. Qui enim in actionibus, vel Judiciis Ecclesiasticis, suo sensu, & non communi Jurisperitorum omnium duceretur, sine dubio, suo illum judicio Ecclesia coerceret.

De auctoritate Textus Decretalium.

§. 9. Præterea minus rectè Nobis videris de compilatione Decretalium Gregorii IX. judicare. Non hic agitur de Gratiani Decreto, quod, utpotè privata auctoritate confectum, tantam vim habet, quantam Textus in eodem adducti ex se ipsi habere noscuntur. Non agitur de aliqua ex aliis quinque Decretalium Compilationibus, quæ Gregorii IX. opus præcesserant, & quarum nonnullæ a privatis Auctoribus concinnatæ fuerunt. Res est de sexta illa compilatione, quam Gregorius Pontifex a Sancto Raymundo de Peñafort adornari jussit, quamque approbatione Pontificia munivit, mandans, ut ea sola deinceps in Tribunalibus, & Scholis deberet usurpari. En illius verba in Præfatione Decretalium: *Volentes igitur, ut hac tantum Compilatione universi utantur in Judiciis, & in Scholis, districtius prohibemus, ut quis præsumat aliam facere, absque auctoritate Sedis Apostolicæ.*

In Decretalibus, in Sexto, in Clementinis multa resecata sunt, auctoritate Pontificum.

§. 10. Non latuit Gregorium, multa in Decretalibus resecata fuisse ab earum Compilatore, quum idem Pontifex in dicta Præfatione hoc ipsum innuat, iis verbis: *Resecatis superfluis:* Voluit tamen singulis Constitutionibus præfixum manere nomen earum Auctoris. Idem quoque deinceps præstitit Bonifacius VIII. in sua Compilatione Libri VI. similium Decretalium a Romanis Pontificibus conditarum, quibus, licet multimode, ubi opus fuit, a se immutatis, atque truncatis, nihilominus præfixum reliquit Auctorum nomen; siquidem ipse Bonifacius sic loquitur in Procemio: *Pluribus planè resecatis, reliquis quibusdam ex eis abbreviatis, aliquibus in toto vel in parte mutatis, multisque correctionibus, detractionibus, & additionibus, prout expedire vidimus, factis in ipsis.* Constat etiam Clementem Papam V. pari modo se gessisse, dum suo Clementinarum Libro inseruit Concilii Viennensis Constitutiones, tamquam a se ipso factas in eodem Concilio, quamvis, Synodo peractâ, eas resecasset, atque mutasset, uti testatur Joannes Andreas in Glosså ad Præfationem earundem Clementinarum: *Demum per peritiores fecit illas recenseri, qui aliquas & paucas in totum reservaverunt; aliquas mutaverunt quoad verba, mente servatâ; in aliquibus menti & verbis detraxerunt, & addiderunt; & has, licet non sub his verbis in Concilio publicatæ fuissent, voluit sub nomine Concilii reservari.* Quod pariter testatur Bernardus Guidonis, Auctor illius ætatis, in suo Codice manuscripto, qui in Bibliotheca nostra Vaticana asservatur; idemque legitur in duabus Historiis de vita ejusdem Pontificis a Balutio publicatis.

Sicut etiam in Textibus Digestorum, & Codicis.

§. 11. Quâ in re prædicti Pontifices, Gregorius, Bonifacius, & Clemens, exemplum sequuti sunt Triboniani, aliorumque doctissimorum Jurisconsultorum, qui veteres Leges, Responsa Prudentum, & præcedentium Imperatorum Codices in Corpus Juris nostri Civilis redigentes, non dubitarunt, quæcumque opus erant, emendare, corrigere, & immutare; & nihilominus Auctorum nomina singulis Responsis & Legibus præfixa reliquerunt; accedente nimirum expresså Justiniani Imperatoris approbatione; cujus hæc verba sunt, in promulgatione Pandectarum, & Codicis, Senatui Populoque Constantinopolitano perscripta: *Tanta autem a Nobis antiquitati habita est reverentia, ut nomina Prudentum taciturnitati tradere nullo modo patiamur; sed unusquisque eorum, qui Auctor Legis fuit, Nostris Digestis inscriptus est, ut si quid Legibus eorum supervacuum, vel imperfectum, aut minus idoneum visum esset, vel adjectionem, vel diminutionem necessariam accipiat.* Et infra: *Nam nomina quidem veteribus servavimus, Legum autem veritatem nostram facimus.* Et alibi: *Nominibus enim Veteribus relictis, quidquid Legum veritati decorum, & necessarium fuit, hoc nostris emendationibus servavimus.*

§. 12. Sic igitur Prædecessor Noster Gregorius IX. suam confici jussit Decretalium compilationem, quâ hodie in Scholis, & in Foro utimur, eamque, abrogatis aliis prioribus, publica auctoritate, & Pontificia confirmatione munivit. Huic Collectioni insertam voluit Decretalem Alexandri III., demptis ex ea verbis illis, quibus, ut contendis, indicabatur, matrimonium, de quo ibi agebatur, duplici ex capite irritum & nullum fuisse, nimirum & quia cum Adultera contractum fuerat, & quia machinatio in necem prioris Uxoris præcesserat. Retulit verò alia verba, ex quibus, ut jacent, consideratis, eruitur sententia superius a Nobis exposita, quod nempe proles ex adulterio procreata neutiquam legitimatur per subsequens matrimonium, post mortem prioris Uxoris, cum Adultera contractum. Non tamen ex ea Decretali nomen Alexandri III. delevit. Omnia hæc pro concessis interim habeto. Verùm his positis, quidnam inde pro sententiâ tuâ erui posse putas? Potuit Gregorius ita se gerere, immo non aliter debuit facere, quàm fecit. In animo illi erat locum dare in nova Compilatione Decretali Innocentii III., quæ incipit *Significasti*, quæque legitur sub Titulo *De eo, qui duxit in matrimonium &c.* In hac Decretali Innocentii III., quæ posterior est aliâ ab Alexandro III. conditâ, manifestè definitur (quod & ipse agnoscis), matrimonium inter Adulterum & Adulteram consistere posse, nisi machinatio sæpedicta, aut promissio futuri matrimonii præcesserit: *Discretioni vestræ*, Innocentius ait, *per Apostolica scripta mandamus, quatenus, nisi alter eorum in mortem defunctæ Uxoris fuerit machinatus, vel, ea vivente, sibi fidem dederint de matrimonio contrahendo, matrimonium illud legitimum judices.* Quum autem Gregorius collocare vellet in sua Collectione tum Decretalem hanc Innocentii III., tum alteram Alexandri III., planè vides, necesse illi fuisse abjicere ab hac Alexandrina Decretali verba illa, quæ, tuo judicio, nullitatem matrimonii inter Adulterum & Adulteram statuebant.

CAP. TANTA, concordat cum CAP. SIGNIFICASTI.

Quæstio decisa est, hoc jure, quo vivimus.

§. 13. Nunc igitur, bona fide disserendo, iterum quærimus: quid tandem illud est, quod contendis? Filios ne illos, de quibus agitur, legitimos esse; propterea quod, juxta Decretalem integram Alexandri III. pro legitimis habendi essent? At nihilominus illegitimi sunt, quia tales ab Innocentio III. & Gregorio IX. declarantur, & quia, malo ipsorum fato, nonnullis jam sæculis post horum Pontificum mortem in lucem sunt editi. An manifestum fieri cupis, te scientiam Sacrorum Canonum funditus callere, neque contentum esse his, quæ in Gregoriana compilatione leguntur, sed altiùs ab ipsis fontibus doctrinam tuam repetere? Nihil tibi controversiæ nobiscum de hoc erit, Venerabilis Frater. Diligentiam potius tuam commendamus, studium laudamus: nemo tibi succensere poterit, quod integram Decretalem inspicere velis, ubi in aliquam incurreris, quæ in Gregoriana Compilatione deprehenditur decurtata. Verumtamen memineris, laudandam quidem illius diligentiam esse, qui Decretalem integram consulit, ut eam, quæ integra non est, perfectius intelligat; quemadmodum optimè advertit clarissimus Antonius Augustinus in sua Præfatione, Gregorio XIII. Pontifici Maximo inscriptâ, quam præmisit Volumini quatuor priorum Compilationum Litterarum Decretalium,

Standum Textui Decretalium, prout jacent in Corpore Juris.

quas

quas ipse edidit; quibusque deinceps quintam adjecit Innocentius Cironius: Sed neque probandum scito, neque ferendum, quod quis ad integram Decretalem confugiat, ubi perspicua, & dilucida est illa, quæ aliquo modo mutilata fuit; & si quid huic deesse dignoscitur, id eo jubente ac volente detractum fuit, qui suprema ad hunc effectum pollebat auctoritate; eâque de causâ detractum, ut disciplina, quam ipse Legislator servari voluit, in tuto poneretur; neve turbari illam, & nutare contingeret, si tota Decretalis novæ Compilationi inserta fuisset.

Decretalis integra concordat in substantialibus cum minus integra.

§. 14. Hucusque disseruimus, tuum tibi permittentes assertum, quo pro certo ponis, aliquod interesse discrimen inter Decretalem integram Alexandri III., aliamque contractam; & quidem in integra Decretali nullum declarari matrimonium ibi relatum, ex duplici capite; tum scilicet, quia inter Adulteros, defuncta Uxore legitima, contractum fuerat; tum quia machinatio accesserat in vitam prioris Uxoris; & ex utroque præfato capite simul considerato, prolem illegitimam censeri: Mutilam verò Decretalem validum admittere matrimonium cum Adultera contractum post mortem prioris Uxoris, & tunc solum hujusmodi matrimonium nullum in ea statui, quando machinatio intervenerit; sed prolem nihilominus illegitimam declarari tam in uno, quam in altero casu, etiam seorsim sumptis; tam scilicet ex causa simplicis Adulterii, ex quo eadem proles progenita fuerit; quàm ex causa præcedentis Parentum machinationis in necem legitimæ Uxoris. Hæc, inquam, tibi hactenus concessa voluimus. Nunc verò tandem aggredimur demonstrare, Decretalem tam integram, quàm minus integram, sibimetipsi perfectè constare, eandemque prorsus esse utriusque sententiam.

I. In eo, quod Filii ex sol. & sol. legitimantur per subsequens matrimon.

§. 15. Integra Decretalis, quæ refertur *Tom. VI. part. 2. Conciliorum* Collectionis Harduini *pag.* 1819, ita se habet: *Meminimus Nos Fraternitati Tuæ, super causa, quæ inter P. & R. de quadam hæreditate vertitur, quod idem P. nomine Sybillæ Uxoris suæ petebat, tali modo scripsisse; ut si constaret, prout Litteræ tuæ continebant, inter R. Patrem & Matrem post ejus nativitatem, matrimonium fuisse contractum, eum, omni appellatione remota, legitimum esse denunties, & ab hæreditate paterna propter causam prædictam nullatenus debere repelli. Tanta est enim vis matrimonii, ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium habeantur legitimi.*

Hic statuit integra Decretalis, quod filii nati extra matrimonium, ex soluto & soluta, accedente postea matrimonio inter ipsorum Parentes, legitimi fiunt. Nec aliud porrò statuitur in Decretali minus integra, quæ sic incipit: *Tanta est vis matrimonii, ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur.*

II. In eo, quod ex adulterio suscepti, non legitimantur, accedente matrimonio.

§. 16. Progreditur integra Decretalis, & casum ponit, quo aliquis Uxoratus adulterium admittit, & filium ex eo habet, Adultera verò machinatur in vitam legitimæ Conjugis; &, hac demum defunctâ, matrimonium inter Adulteros contrahitur: *Verum quoniam P., ultra quam in Litteris tuis continetur, Nobis significavit, quod Pater suus, vivente Uxore, Matrem R. tenebat, & eum in adulterio procreasset, & quod in mortem ipsius Uxoris Mater fuerit machinata.* Hic verò Pontifex declarat, quod in hujusmodi facti circumstantiis, dummodo probationes legitimæ suppetant, filius censendus erit spurius, præsertim si machinatio Matris in vitam prioris Uxoris præcesserit: *Fraternitati tuæ &c. quatenus rei veritatem inquiras, & si sibi constiterit, quod, vivente Uxore, Pater prædicti R. Matre ipsius publicè abusus fuisset, eum spurium, & ab hæreditate repellendum, præsertim si Mater ipsius in mortem prioris Uxoris fuerit machinata, decernas, quoniam inter se legitimum matrimonium contrahere non potuerunt.*

Hunc ipsum casum expendit Decretalis minus integra, & eandem omnino definitionem pronunciat; spurium scilicet esse prolem ex adulterio progenitam, quamvis matrimonium, Uxore defuncta, inter Adulterum & Adulteram contrahatur, præsertim si aut hæc, aut ille machinatus fuerit adversus vitam prioris Uxoris: *Si autem Vir, vivente Uxore sua, aliam cognoverit, & ex ea prolem susceperit, licet post mortem Uxoris eandem duxerit, nihilominùs spurius erit filius, & ab hæreditate repellendus; præsertim si in mortem prioris Uxoris alteruter eorum aliquid fuerit machinatus.*

Nec alia intercedit differentia, quæ ad rem pertineat.

§. 17. Integra Decretalis, dum de adulterio loquitur, nihil aliud addit, quàm vocem *publicè*, quæ ad criminis probationem refertur, nec ullatenus sensum immutat circa id, de quo nunc inquiritur; Quod ad machinationem attinet, integra Decretalis hanc ponit ab Adultera fuisse intentatam; at minus integra eandem machinationem considerat, sive ab Adultera, sive ab Adultero processerit. Sed neque istud ad præsentem quæstionem facit. At verò tam integra, quàm minus integra Decretalis, in eo conveniunt, quòd utraque declarat prolem ex adulterio procreatam, spuriam esse, nec legitimari, quamvis accedente matrimonio inter Adulteros, post mortem legitimæ Uxoris. In utrâque autem, quum de machinatione agitur, verbum illud adest, *præsertim*, de quo supra dicebamus. Dumque in his adamussim inter se conveniunt, fruſtrà exaggeratur prætensa inter integram, & minus integram Decretalem discordia.

Objicitur, quod in Decretali integra adulterium supponitur esse impedimentum dirimens.

§. 18. Verùm jam Fraternitati Tuæ in mentem venisse suspicamur, inconsultò a Nobis silentio præterita fuisse verba illa, quæ ad eam, quam agitamus, controversiam plus habent ponderis; & quæ in integra Decretali sunt, sed in altera minus integra desiderantur. Sic enim concluditur integra Decretalis (quemadmodum superius fideliter exposuimus): *Quoniam inter se legitimum Matrimonium contrahere non potuerunt:* Quæ quidem verba in Gregoriana Compilatione non sunt relata. Hæc autem pro argumento tibi facilè erunt, ut asseras, Alexandrum III. declarasse, Matrimonium inter Adulterum, & Adulteram suapte naturâ nullum & irritum esse, ob idque illegitimam esse prolem ex adulterio susceptam. Atque in hoc manifestissima, te judice, est discrepantia inter Decretalem integram, & mutilatam; dum hæc validum admittit Matrimonium inter Adulteros contractum, at nihilominus eorum prolem spuriam declarat, neque per subsequens matrimonium ullo modo legitimandam.

Relata verba intelligenda sunt de machinatione.

§. 19. Planè si ita tecum reputares, Ven. Frater, non æquum de Nobis judicium ferres. Nos enim præmissa Decretalis verba exactè referre, eaque justa lance pensare nequaquam omisimus. Verum id, quod ex iisdem inferendum esse autumas, Nos inde colligi posse non arbitramur.

Etenim verba illa: *Quoniam inter se matrimonium contrahere non potuerunt:* connexa immediate sunt cum aliis: *præsertim si Mater ipsius in mortem prioris Uxoris fuerit machinata.* Ac proinde (ex regulâ Jurisperitorum, juxta quam *relatio fit ad proxima*) declaratio nullitatis matrimonii non quidem in præcedenti adulterio fundatur, sed in machinatione adversus vitam legitimæ Uxoris; circa quam nulla inter Nos, neque etiam inter alios est controversia.

Quæ in eo casu cum adulterio juncta erat.

§. 20. Præterea concedatur etiam, verba illa: *Quoniam inter se legitimum matrimonium contrahere non potuerunt*, non tantùm ad machinationem paulo ante enunciatam referri, sed ad totum id, quod in integra Decretali expositum fuit. Porrò in integro Decretalis contextu agitur de matrimonio post prioris Uxoris mortem,

non

non solum inter Adulteros, sed etiam prævia machinatione in prioris Uxoris mortem, contracto: *Nobis significavit, quod Pater suus, vivente Uxore, Matrem R. tenebat, & eum in adulterio procreasset, & quod in mortem ipsius Uxoris Mater fuerit machinata.* En duas relati matrimonii circumstantias simul unitas; ex quo sequitur, quod quamvis ea verba: *Quoniam inter se matrimonium contrahere non potuerunt*: referri debeant ad totam facti speciem cum suis circumstantiis in Decretali expressis; nunquam inde inferre poteris, quod integra Decretalis pro nullo habeat quodlibet matrimonium inter Mœchos contractum post obitum legitimæ Uxoris; sed illud dumtaxat, quod ibi expenditur, nullum judicatum fuisse, quia ei præcesserat machinatio in prioris Conjugis necem. Nobis autem integrum erit asserere, quod, licèt validum ineatur matrimonium inter Adulteros, deficiente machinatione, aliisque circumstantiis de Jure Canonico illud irritantibus; attamen proles tempore adulterii habita, illegitima semper erit, ad normam etiam Decretalis non mutilatæ, quæ ita statuit: *Et si tibi constiterit, quod vivente Uxore, Pater prædicti R. Matre ipsius publicè abusus fuisset, eum spurium, & ab hæreditate repellendum, præsertim si Mater ipsius in mortem prioris Uxoris fuerit machinata, decernas.*

Urgetur objectio tamquam innixa veteri Ecclesiæ disciplinæ.

§. 21. Sed quamquam destitutum te videas validissimo præsidio, quod, ad sententiam tuam sustinendam, in integra Alexandrina Decretali constitueras; attamen, pro ea, qua polles, eruditionis Ecclesiasticæ copiâ, in aliud te recipies propugnaculum, asseverans, matrimonium inter Adulterum, & Adulteram, post mortem prioris Uxoris, contractum, juxta veterem disciplinam, pro nullo habitum esse; tum adhuc ætate Alexandri III. hujusmodi disciplinam viguisse; ac demum immutatam esse temporibus Innocentii III., cujus Decreto, ad irritandum matrimonium inter Adulteros, præter adulterii crimen, requiri cœpit, aut machinatio in mortem legitimi Conjugis, aut promissio nuptiarum, post prioris matrimonii solutionem, inter Adulteros contrahendarum.

Auctoritas S. Augustini pro validitate Matrimonii post adulterium.

§. 22. Non adeo tempore abundamus & otio, ut Canonicam Dissertationem super hac quæstione contexere valeamus. Nihilominus pauca quædam observare studebimus, quibus satis superque tua refellatur assertio. Sane ei obstat S. Augustini testimonium, relatum *Canone Denique 31. quæst. 1.*, in quo sic legitur: *Denique mortuo Viro, cum quo verum connubium fuit, fieri potest conjugium, cum quo præcessit adulterium.* Profectò non ignoramus, Jacobum Cujacium asserere *in cap. 1. de eo, qui duxit in matrimonium &c.* quod ibi legendum sit: *Marito mortuo, cum quo verum connubium fuit, fieri verum connubium non potest, cum quo prius adulterium fuit.* Sed exploratum quoque habemus, in pluribus Vaticanis Codicibus particulam illam *non* in Augustino deesse, sicuti deest in prædicto Canone *Denique*; quod etiam ii animadverterunt, qui Gratiani Opus, jussu Gregorii Papæ XIII., recensuerunt & emendarunt, ut videre est in Gratiani Decreto ipsorum opera edito. Genuinam hujusce loci controversi lectionem procul dubio Fraternitas Tua, pro sua eruditione, petendam existimabit ex editione Operum Sancti Augustini, quæ studio Monachorum Sancti Mauri, in Gallia prodiit. Sancti Doctoris locus in Canone relatus, habetur *Libro 1. de Nuptiis, & Concupiscentia cap. 10.*, isque in Editione Maurina legitur *Tomo 10. pag. 286.* hisce verbis: *Denique mortuo Viro, cum quo verum connubium fuit, fieri verum connubium potest, cum quo prius adulterium fuit.* Ab hac igitur accurata Editione abest particula *non*; quæ quidem in nulla alia appareret, si seriem Contextûs Editores præ oculis habuissent. Augustinus enim, mox ante verba, de quibus disputatur, probandum sibi proposuerat, (uti revera probat) non solvi matrimonium, quod indissolubile est inter viventes, si Uxor Maritum deserat, & ad alterius contubernium migret: idque confirmando, subdit, quod contubernium illud pro adulterio haberi non posset, si primum legitimum matrimonium dissolutum fuisset: *Cum aliis quippe adulteri non essent, nisi ad alterutrum Conjuges permanerent.* Hoc posito, quisnam bona fide legendum putabit: *fieri verum connubium non potest?* ubi orationis scopus is esse conspicitur, ut, demonstrato fine durationis matrimonii: *Denique mortuo Viro, cum quo verum connubium fuit*; finis etiam adulterii, & initium novi legitimi matrimonii statuatur: *fieri verum connubium potest, cum quo prius adulterium fuit.*

Asseritur Lectio relatæ auctoritatis, contra Cujacium.

Consentit disciplina Sæculi XII.

§. 23. Ne verò a Nobis expectes plenam hoc loco proferri historiam disciplinæ, quæ super hac re sequentibus sæculis in Ecclesia obtinuit. Hujusmodi inquisitio nimis profectò excederet Epistolæ modum. Verùm quia tibi persuasum esse videmus, quod ipsa ætate Alexandri III. nulla censerentur matrimonia, quæ inter Adulteros quomodocumque fierent, satis erit intra illius ætatis terminos inquisitionem hanc nostram coarctare.

Testimonium Gratiani.

§. 24. Non longè quidem ab Alexandri III. ætate, ut optime nosti, distat Gratianus Decreti compilator, qui ante Alexandri Pontificatum paucis omnino annis suum illud Opus vulgavit. Is hanc eandem controversiam tractat *in Causa 31. quæst. 1.*, & pro utràque sententia, ut solet, Textus discordantes adducit. Cum verò Canonem attulisset cujusdam Concilii, quo statuitur, ne quis, moriente Marito Mulieris, quam adulterio polluit, cum eâ matrimonio conjungatur; hunc Textum cum aliis ibi relatis, atque contrarium statuentibus, ita conciliat: *Hic subaudiendum est, nisi prius peractâ pœnitentiâ, & si nihil in mortem Viri machinatus fuerit; vel si, vivente Viro, fidem Adulteræ non dedit, se sumpturum eam sibi in conjugem, si viro ejus supervixeret.* Verum Gratianus, inquies, non habet auctoritatem, qualem Textus Canonici habere noscuntur. Neque id negamus. At gravis est Auctor, & Canonum valde peritus: Neque ipse ea scripsisset, quæ modo retulimus, si ætate illa (quam diximus in tempora Alexandri fere incidisse) locum obtinuisset disciplina, seu lex, vigore cujus, ob solum præcedens adulterium, irritum haberetur matrimonium, post mortem legitimi Conjugis, inter Adulteros contractum.

Item Innocentii III. in Cap. Significastis.

§. 25. Similiter inter Alexandum III., & Innocentium III. Pontifices, vix quadraginta annorum spatium intercedit; quum Alexander ad Pontificatum evectus sit anno Domini MCLIX.; Innocentius verò anno MCXCVIII. Hic autem, ut supra innuimus, *in citat. Cap. Significastis. De eo, qui duxit in matrimonium &c.*, pronunciat, validum & legitimum existere matrimonium inter Adulterum, & Adulteram, post prioris Uxoris mortem: *Nisi alter eorum in mortem defunctæ Uxoris fuerit machinatus, vel, eâ vivente, sibi fidem dederint de matrimonio contrahendo;* quod etiam ipse concedis, dum affirmas Innocentium III. novam hanc disciplinam in Ecclesiam invexisse. Sed cùm Innocentius nequaquam dicat, se novam per hoc disciplinam inducere; quin immo, ad quæstionem sibi propositam ab Episcopo, sive a Capitulo Spoletano, profiteatur se responsurum juxta Canonum præscripta: *Nos igitur inquisitioni vestræ secundum formam Canonicam respondentes &c.*; evidens est, jam pridem, & ante tempora etiam Alexandri III., validum habitum fuisse matrimonium, quod inter Mœchum & Mœcham, legitimis nuptiis

Qui profitetur se FORMAM CANONICAM sequi.

solutis;

solutis, & prædictis irritantibus circumstantiis non concurrentibus, contrahebatur. Equidem in Compilatione Decretalium Gregorii IX. minime reperies relata verba: *Nos igitur inquisitioni vestræ secundum formam Canonicam respondentes*; sed earum loco, hæc alia leges: *Nos igitur inquisitioni vestræ taliter respondentes &c.* Verùm, quoniam res Nobis erat cum eo Canonum Doctore, qui vulgatâ Decretalium compilatione neutiquam contentus, integram Decretalem consulere mavult; eadem ratione Nobis agendum esse judicavimus. Itaque etsi prædicta verba: *secundum formam Canonicam*, in Decretali minus integra desiderentur; leguntur tamen integra Decretali; quâ Nos quidem minime abutimur, dum eam ad Decretalis minus integræ sensum non corrumpendum, sed illustrandum, advocamus.

Alia objectio ex CAP. CUM HABERET.

§. 26. Esto, inquies, quod ad Innocentium III. attinet. Sed nonne immediatus istius Prædecessor Cœlestinus III., *in Cap. Cum haberet. De eo qui duxit &c.* nulla declaravit matrimonia inter Adulteros, post prioris Conjugis mortem, contracta, etiam non interveniente machinatione, aut sponsione futuri matrimonii?

Exponitur hujus Decretalis casus.

§. 27. At vide ne forte, in hac Decretali pro te alleganda, hallucineris. Quidam Joannes Uxorem legitimam habebat, Allitiam nomine, ipsique simul adulterii consuetudo cum famulâ intercedebat. Quum verò semel Superioris Ecclesiastici præcepto adactus Adulteram dimisisset, postea tamen in idem relabens scelus, ausus est, vivente adhuc prima Uxore, reverti ad famulæ contubernium, in eoque *quasi matrimonialiter* per decennium perseverare, unde & decem filios ex ea procreavit. Defuncta demum Uxore, quum consuleretur Pontifex (quem aliqui non Cœlestinum, sed Clementem III. hujus Decessorem fuisse autumant) quidnam statuendum esset de hujusmodi Adulteris, qui in eadem prava consuetudine adhuc perseverabant; tale dedit responsum: *Ut separentur omnino, & eis competenti pœnitentia injuncta, perpetua continentia indicatur*; habita potissimum ratione ipsorum pervicaciæ, gravisque scandali, quo Ecclesiam perturbaverant.

Unde patet verus decisionis sensus.

§. 28. Ex ipsa simplici hac rei narratione, facile agnoscis, non ibi quæstionem fuisse de validitate aut nullitate matrimonii, post mortem prioris Uxoris, inter Adulteros contrahendi; sed de pœnitentia Canonica adversus gravissimum crimen irroganda: quæ quidem hujusmodi fuit, ut non modò ipsis Adulteris prohibitum fuerit matrimonio invicem copulari; sed etiam cum alia quâlibet personâ matrimonium contrahere: *præsertim cum in dies suos ambo processerint, & jamdiù publicè in adulterio, & perjurio, ex certa scientia perdurantes, Ecclesiam in gravi scandalo perturbaverint*, ut eadem Decretalis prosequitur.

Alex. III. mens ex alia Decretali eruitur.

§. 29. De validitate quidem matrimonii inter Adulterum & Adulteram, ex instituto agit Alexander III. in Epistola sua Decretali, quæ tamen nostris Compilationibus inserta non est, sed reperitur in Actis Conciliorum Collectionis Harduini præfatæ, *Tom. VI. part. 2. pag. 1838.*, ea verò sic habet: *Ex præsentium latoris confessione percepimus, quod cum ipse quamdam alterius Uxorem in adulterio polluisset, pœnitentiam inde suscepit. Sed postea in eundem incidit, Diabolo instigante, reatum; ac eandem Mulierem, Viro defuncto, sibi in Matrimonium copulavit, eamque asserit in præsenti pro Conjuge retinere.*

In qua vim dirimendi Machinationi tantum tribuit.

§. 30. Super his autem quum Alexandri judicium requireretur; respondit, non (quod tu quidem velles) matrimonium, ratione adulterii, invalidum fuisse; sed nullitati obnoxium fore, si machinatio, aut promissio nuptiarum interveniisset. *Verum quoniam Nos de salute Animarum ipsorum sollicitè compellimur in Domino cogitare, Fraternitati Tuæ &c. quatenus rem ipsam diligenter inquiras, & si tibi constiterit, quod ille, vel illa, in mortem prioris Viri fuerit machinatus, vel si, eo vivente, fidem ipsi Mulieri dederit, se eam in Conjugem recepturum; eos non differas penitus separari.*

Hac semota, jubet procedi de more.

§. 31. Neque hic sistit Alexander, quin etiam dicere non omittit, quid juris esset, si solum adulterium præcessisset; Tunc enim nequaquam matrimonium irritum fore declarat; (quod utique non taceret, si hujusmodi disciplina eo tempore viguisset; quemadmodum supra de eo matrimonio pronunciaverat, in quo ad crimen adulterii accessisset machinatio, aut promissio futuri conjugii); sed jubet procedi in causa secundum Canonicas regulas: *Quod si neutrum istorum constiterit, in causa ipsa juxta Ecclesiasticam consuetudinem, & Canonica statuta procedas.* Si autem quæsieris quidnam hac de re consuetudo Ecclesiastica, & Canonica statuta decernerent; respondemus, satis probabile videri, respexisse Alexandrum ad Concilii Toletani VI., anno sexcentesimo trigesimo octavo celebrati, constitutum, quod extat *Can. de his 33. quæst. 2.*, & in quo præscribitur methodus cum iis servanda, qui post pœnitentiam publicam peractam, in idem reciderent crimen, pro quo subjecti fuerant pœnitentiæ. Canonem hunc, quum tibi vacaverit, legere poteris, atque perpendere; sed frustrà in illo quæras nullitatem matrimonii inter Adulteros ipso jure statutam; deficientibus aliis irritantibus circumstantiis, a Nobis pluriès memoratis.

Objicitur alter Textus Alexandri in CAP. PROPOSITUM.

§. 32. Attamen, quod ibi statutum non reperitur, alibi te fine ullo labore inveniisse affirmabis, in nostra nempe Collectione Gregoriana sub Titulo superius allato, *De eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium. Cap. propositum*, quod est ipsius Alexandri III., ubi sic legitur: *Licet autem in Canonibus habeatur, utt nullus copulet in matrimonio, quam prius polluerat adulterio, & illam maxime, cui fidem dederat, Uxore sua vivente, vel quæ machinata est in mortem Uxoris*; & quidem validum tibi argumentum dices suppetere in ea voce *maxime*, qua indicari videtur nullitas matrimonii inter Adulterum & Adulteram, (de quo Pontifex in superioribus locutus erat), etiam non concurrente machinatione, nec data fide futuri matrimonii.

Responsiones ab aliquibus datæ rejiciuntur.

§. 33. Fortè putabis, Nos, adversus hæc responsionem nostram comparantes, grammaticalem controversiam tecum agitare velle de significatione illius verbi *maxime*; câque de re a Nobis consultum iri libros veterum Canonistarum, præsertim Abbatis, qui in citat. *Cap. Propositum* audacter sustinet vocem illam *maxime*, in relato Textu, æquipollere adverbio *solùm*. Verùm si ita de Nobis opinatus fueris, haud ægre feras Nos tibi respondere, non satis tibi notum esse morem, animumque Nostrum; Nos enim in veritatis inquisitione, nequaquam hujusmodi nugis, levibusque fundamentis innitimur, & quæstiones inutiles prorsus aversamur.

Alexander aliâ ibi quæstionem tractavit.

§. 34. Itaque respondemus, veram Alexandri Pontificis mentem, circa ea, de quibus nunc agimus, minime eruendam esse ex aliquibus verbis, quæ ipsi excidere potuerunt, dum aliam omnino quæstionem definiret. Sed videndum esse potissimum, quid ipse scripserit, quum data opera eam pertractaret quæstionem, quam præ manibus habemus. Porrò Alexander in citat. *Cap. Propositum* respondet Abbati Sancti Albani, qui ab ipso quæsierat, quidnam statuendum esset de quodam homine, qui, vivente Uxore sua, alteram sibi matrimonio copulaverat, insciam conjugii quo is adstrictus erat, & filios ex altera illa procreaverat; Uxore vero defunctâ,

Controversia tunc ab eodem decisa.

renuebat cum prædicta Muliere permanere, sub obtentu, quod invalidum cum ipsa matrimonium contraxerat, legitima Uxore adhuc superstite. Pontifex ergò quum eam circumstantiam magni æstimaret, quod scilicet *præfata Mulier erat inscia, quod ille aliam Uxorem haberet viventem*, nec æquum censeret, prædictum Virum, qui scienter contra Canones venerat, lucrum de suo dolo reportare; statuit, ut, si quidem ipsa Mulier id postularet, divortium inter eos fieret; non verò, si, volente Muliere in hujusmodi connubio perseverare, Vir peteret ab ea separari.

Regula pro interpretanda Legislatoris sententia.

§. 35. Quæstionem hanc definiendam sumpsit Alexander in citat. *Cap. Propositum*; atque ita definivit, ut præcipuam æquitatis, prudentiæque rationem ab illo habitam esse dignoscatur; eaque definitio unicè est attendenda. Si autem, dum Legislator de principali argumento verba facit, quidpiam ab ipso extraneum minus rectè dictum esse comperiatur, minime debet enunciatio haud satis accurata aut Legislatori vitio verti, aut in veritatis præjudicium trahi; neque potest pro regula juris id accipi, quod sic ab eodem Legislatore, veluti prætereundo, dictum fuisse apparet; præsertim quum ipse, opportuniore occasione oblatâ, judicium suum super eadem re apertè declaraverit.

Alexandri mens aliunde turò eruitur.

§. 36. Nos autem in hoc præcisè casu versamur. Idem nimirum Alexander, qui in citat. *Cap. Propositum*, ea verba exciderunt, quibus, ut tibi visum est, negavit, validum matrimonium esse posse inter Adulteros, defuncto legitimo Conjuge, etiam absque aliis irritantibus circumstantiis; Idem, inquam, in alia sua Decretali, quam ex Collectione Conciliorum Harduini supra retulimus, quum directè ab eo quæreretur, an nullum censendum foret hujusmodi Matrimonium; nullum illud esse respondit, si machinatio, aut nuptiarum promissio intervenerint. Isque Pontifex hoc ipsum firmat in *Cap. super eo. De eo, qui duxit in matrimonium &c.* ubi sic habet: *Super eo verò, quod de latore præsentium tuis Literis quæsivisti; an liceat cum ea sibi matrimonium contrahere, quam, aliâ suâ Uxore vivente, sibi de facto matrimonio copulavit; tuæ sollicitudini duximus respondendum, quod si Adultera est in mortem alterius aliquid machinata, sive iste fidem dederit, quod eâdem defunctâ, hanc esset ductarus, secundum Canones ab ejus consortio perpetuò prohibetur; & hæc prohibitio perpetuò est observanda.* Quibus verbis: *perpetuò prohibetur*, &, *prohibitio perpetuò est observanda*, pro ea, qua polles, Canonum scientia, plane intelligis, impedimentum designari, quod a Doctoribus dirimens appellatur, illudque, per hujus Decretalis contextum, ad casum præcedentis machinationis, aut pacti connubii coarctari.

De aliis argumentis ab Episcopo allatis.

§. 37. Superest nunc, ut, licèt prolixior jam hæc Epistola evaserit, quàm Nobis initio propositum fuerat, aliqua tamen addamus, quæ adhuc legere non graveris, quemadmodum præmissis hucusque animum patienter adhibuisti. Nec enim, levioribus prætermissis, quidquam a Nobis præteriri decet ex his, quæ in Literis Fraternitatis Tuæ gravioris sunt ponderis, & momenti.

I. A virtute Sacramenti.

§. 38. Legitimationem Prolis ex Soluto & Soluta procreatæ, quæ fit per subsequens matrimonium, ex Sacramenti virtute derivandam esse putas, eodem Alexandro III. auctore, qui ait: *Tanta est enim vis Sacramenti, ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium habeantur legitimi.* Unde arguis, quod, si isti ex vi Sacramenti legitimantur, nihil obstat, quominùs filii pariter ex adulterio susceptì, tanti Sacramenti virtute, legitimi evadant.

Emendatur lectio Textus adducti.

§. 39. Verùm ubi a te legitur: *Tanta est vis Sacramenti*, Nos legimus: *Tanta est vis Matrimonii*, quemadmodum scriptum est in Decretali Alexandri III. *Cap. Tanta. Qui filii sint legitimi.* Quod si ad integram Decretalem, quæ apud Harduinum est, de more provoces; rogamus, ne te pigeat in marginem quoque oculos conjicere; ibi enim, loco verbi *Sacramenti*, adnotatum reperies aliud *Matrimonii.* Nec aliter profectò res se habere poterat. Vis enim ac dignitas Matrimonii, qua Sacramentum est, in eo est posita, quod gratiam sanctificantem confert, quod unionem hypostaticam Verbi Divini cum humana natura repræsentat, itidemque illam, quâ Christus cum Ecclesia per gratiam conjungitur; non autem in eo sita est, quod spuriam prolem legitimam efficiat. Neque enim hanc efficaciam Jesus Christus tribuit Matrimonio, quum illud ad dignitatem Sacramenti novæ Legis evexit; sed id ab Ecclesia institutum est, cui placuit, pro auctoritate sibi concessa, statuere, ut proles extra matrimonium, non tamen ex adulterio, procreata, per subsequens matrimonium legitima fieret.

Legitimandi vis non a Sacramento, sed a lege Ecclesiastica provenit.

II. Ab exemplo legitimationis prolis incestuosæ.

§. 40. Denique addis, magis abominatam Canonicis Legibus esse prolem incestuosam, quam sit proles adulterina; ideoque, quum illa interdum legitima fiat, hanc etiam pari aut majori ratione legitimari posse. Porrò legitimatur proles incestuosa, ope dispensationis, quæ dicitur *in radice Matrimonii.* Ut autem obtineatur hujusmodi Dispensatio, quæ non sine urgentissima causa concedi consuevit, requiritur quod proles nata sit ex copula non manifestè fornicariâ, sed putativè matrimoniali, quodque impedimentum, quo matrimonii nullitas inducta est, non a jure Divino, aut naturali, sed a jure dumtaxat Ecclesiastico proveniat. Sicque, & non aliter, legitimatur proles incestuosa, vigore dispensationis, quæ dicitur *in radice matrimonii.* Tuum modo est hujusmodi circumstantias aptare ad legitimationem prolis ex adulterio genitæ; quod sanè opus ingenii Nostri tenuitatem excedere fatemur.

Ostenditur non aptari ad legitimationem prolis adulterinæ per subsequens matrim.

§. 41. Hactenus Fraternitati Tuæ satisfacere studuimus, quoad Nobis licuit per angustias temporis, ut plurimum somno detracti; meram gerentes in hac Epistola, ut initio dicebamus, privati Doctoris personam. Nunc demum Epistolæ Nostræ finem facientes, Supremi Pastoris partes resumimus, ut Apostolicam tibi Benedictionem impertiamur; utque præterea te admoneamus, quod, quum ea, quæ ad Nos scripsisti, a Justo Henningio Boëhmero (quantumvis nullam de eo mentionem feceris) sis mutuatus, eaque descripseris ex ejus Opere de Jure Ecclesiastico Protestantium *Tom. 1. pag. 287. & sequentibus*, juxta tertiam Editionem anno 1730. Typis impressam; Sicuti laudabilis foret industria tua, si eo auctore usus esses ad venerabiles Ecclesiæ Catholicæ doctrinas illustrandas, aut si ipsum in iis, in quibus Nobis adversatur, confutare aggressus esses; ita reprehensioni te obnoxium fecisti, dum illius Opus perlegere, atque etiam tacitus transcribere ausus es, ut ad impugnandas Canonicæ Jurisprudentiæ sententias inter Orthodoxos communiter receptas, instructior accederes. At ne forte paterni hujus moniti libertatem in malam partem accipias, Tibi persuasum volumus, non minus sincero charitatis affectu Nos te complecti, ac Fraternitati Tuæ fausta omnia ex animo adprecari.

Admonitio Pontificis.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 5. Decembris 1744., Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Dat. die 5. Dec. 1744.

De

CXIV.

De Apostolicis Constitutionibus circa Ritus Sinenses editis omnimode observandis.

Venerabili Fratri Polycarpo Episcopo Pekinensi in Sinis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Declarationes & Juramenta ab Episc. Pekin. ad S. Sedem transmissa.

REDDITÆ Nobis fuerunt eodem tempore duæ Fraternitatis Tuæ epistolæ, prima quidem die decima mensis Januarii elapsi anni 1743. qua gratiarum actionem Nobis, quod Tibi Episcopatum Pekinensem in Sinis contulerimus, referre studes; altera verò die quinta mensis itidem Januarii currentis anni 1744. data, qua dolens quereris, Te apud Nos tamquam debitæ Apostolicis Constitutionibus ac Decretis obedientiæ reum fuisse peractum. Una insimul cum hisce Epistolis tuis accepimus pariter sollennem jurisjurandi a Te in Episcopali tua inauguratione delati, juxta formam ac tenorem Tibi præscriptum in ipsis Nostris tuæ ad Episcopatum promotionis literis in simili forma Brevis expeditis; Actum; necnon duo alia a Te seorsim præscripta testimonia, alterum quidem de jurejurando super Apostolicæ Constitutionis, quæ incipit *Ex illa die*: alterum vero de jurejurando etiam super alterius Apostolicæ Constitutionis, quæ incipit *Ex quo*, observantia, præstitis. Hisce omnibus conjuncta erant nonnulla etiam præscripta Missionariorum testimonia, qui Te studiosum zelantemque super observantia memoratæ Apostolicæ Constitutionis *Ex illa die*, esse testabantur, quemadmodum tum ipse Sacramento contestaris.

Adhortatio ad exactam Constitutionum observantiam.

§. 1. Sed Fraternitati Tuæ &c. *& infra*: id unum in animo semper fixum permaneat, tam apud Nos ipsos, quàm apud Venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales negotiis & consultationibus quarumcumque Congregationum Apostolicæ hujus Sanctæ Sedis præpositos, plurimum valere hoc unicum & maximum, ad accusationum veritatem falsitatemve dijudicandam comprobandamque, argumentum, novam scilicet post criminum delationes initam agendi rationem. Quamobrem adesto animis, & enitere, ut, quemadmodum Tu spopondisti, & Nos de Fraternitate Tua nobis pollicemur, ita deinceps Te in omnibus rebus geras, ut tuam erga Apostolicas Constitutiones, atque eas præsertim, de quibus agitur, obedientiam, reverentiam, zelumque non solum Nobis, sed universis etiam, probare & reipsa commonstrare ex animo satagas. Hinc enim fore confidimus, ut falsitatis redarguantur accusationes de gestarum rerum ratione a Te hactenus habita instructæ.

Epist. sensus circa Sinensis Ecclesiæ statum.

§. 2. Porro, ut cæteris in tuis Literis a Te propositis satisfaciamus; asseris quidem, quod cum per quatuordecim annos operam laboresque tuos in Sacris Missionibus antea peragendis impenderis, atque adeo optime noveris istarum partium ac populorum ingenia, ac & rerum vices, contestari præ cæteris possis, præsentia certe tempora exposcere, non angustiari vasa carnis, sed dilatari spatia caritatis; ac propterea melius fuisse consultum, res omnes in eodem, quo reperiebantur, statu relinquere, cum in præsentia omnis spes de exigenda a Christifidelibus istarum partium debita Apostolicis Constitutionibus obedientia penitus præcisa videatur: Apostolica namque Sacrosanctum Jesu Christi Evangelium prædicandi libertas, non tam impedita, quàm certe sublata est; quippe quòd Christifideles per vim metumque ad Idolorum templa trahuntur; unde timendum est, ne proximum immineat Sacris Missionibus excidium: Nec Fraternitati Tuæ, nec aliis in Vinea Dei adlaborantibus, insunt vires, quibus per vim etiam Christifideles, ut vestris mandatis eâ, qua par est, reverentia obediant, cogi possint: Tartari pariter, & ipsi Fideles, tam intra Pekini mœnia, quàm in suburbiis, sub gravi duræ servitutis jugo degentes, omni procul dubio antiquis indulgentiis permissionibusque per abusum inhærentes, ne a Dominis ad Imperatorem deferantur, Apostolicarum Constitutionum observantiam periculis ac tormentis posthabebunt; quamvis Fraternitas tua aliique Missionarii per pastorales exhortationes monere obtestarique minime omittant.

Pontifex ostendit necessaria fuisse Constitutionum editionem.

§. 3. At liceat ut Fraternitati Tuæ replicemus, post susceptum consilium onusque per tot annos retinendi servarique faciendi Patrios Sinarum Ritus, priscasque cœremonias, propositis tot tantisque in varias partes trahentibus dubiis & disputationibus, post diuturnam accuratissimamque, adhibitis diligentiis, requisitisque debitis notitiis, eorumdem Rituum & Cœremoniarum discussionem, fieri ne poterat, ut sine gravissimo conscientiæ angore consilia tanta providentia capta, & constitutiones tanta sapientia propositæ amplius differrentur? Certe si obfirmatis Patronorum proscriptorum Rituum Cæremoniarumque hujusmodi sensibus votisque assensum satisfactumque fuisset, nunquam profecto advenisset tempus, verba tua usurpamus, angustiandi vasa carnis? Nos quidem non latet, Vobis deesse cogendi compellendique vires; sed scimus & certi sumus, eamdem inesse vobis virtutem, quam habebant Sanctissimi Jesu Christi Apostoli (si tamen apostolico spiritu ducti ad Evangelium prædicandum ad remotissimos populos accessistis), qui reponentes omnem fiduciam in eo, qui eos confortabat, Deo, & ferventis caritatis zelo, & verbi Divini Ministerio, non solum Gentes ad credendum perducebant; sed credentes etiam, nova Fidei germina, collectumque Jesu Christi gregem providentissime regebant, & suaviter fortiterque incendebant, & excitabant ad illud jucundissimum spectaculum a Minucio Felice descriptum, præsertim ubi ob oculos ponit lætitiam Christifidelium, qui intentatas minas objectaque tormenta despicientes, libertatem suam adversus Reges & Principes erigebant, soli Deo cedebant.

Nec pro obtinenda earum observantia vi coactiva Missionariis opus esse.

Persecutionem adversus Fideles in Sinis, ob Sedis Apostolicæ Decreta augeri non potuisse.

§. 4. Ingenti cum animi nostri dolore, & graviori, quàm explicari possit, mœrore, tuum excepimus sane nuntium de persecutionibus isthic adversus Sacrosanctam Jesu Christi Religionem sævientibus: verum quod hujusmodi persecutiones, si minime fuissent proscripti Ritus Cœremoniæque Sinenses, si minime sublatæ fuissent indulgentiæ permissionesque laudati Caroli Ambrosii Patriarchæ, vel desinerent, vel mitiores fierent, sive prædicandi Evangelium libertas magis coalesceret, nec Christifideles ad Idolorum templa raperentur: Hæc ne ii quidem sibi, qui res juxta humanæ prudentiæ regulas dijudicant, unquam persuadebunt; quanto magis eadem in animum numquam inducent suum ii, quibus pro comperto exploratoque est, quod Christiana Religio inter persecutiones semper increverit adoleveritque.

Nullam conniventiam in causa Fidei adhiberi posse demonstrat.

§. 5. Omnibus jam notum est, in rebus ad Orthodoxam religionem spectantibus, patientiam sive tolerantiam, ubi de superstitione vel idololatria agitur, nullo pacto haberi posse; tunc enim juxta Tertullianum: *Omnis patientia hujusmodi Idololatria.* Cæterum unicum ac singulare solatium, quo Nos dolentes mœrentesque consolamur, inde affertur, quod ex tuis literis perspi-

cimus, Te pro debita Apostolicis Constitutionibus, ac Decretis observantia, probe studiosum planeque acceptum esse. Quamobrem fore in Patre misericordiarum, & Deo totius consolationis confidimus, ut Christifideles proposito Fraternitatis tuæ exemplo, zelo, opera, consiliis, & monitis exciti, Orthodoxam Fidem integram, reliquiarumque gentilitatis omnino puram putamque, ad Principis etiam tenebrarum contemptum despicatumque, constanti pectore confiteri, & coram hominibus Jesum Christum confiteri non erubescant. Nam *utile est & salutare*, ut S. Cyprianus Episcopus, & Martyr verbo & opere docuit, *cum se Episcopus per firmamentum Fidei Fratribus præbet imitandum*. Interea a bonorum omnium Largitore Deo uberrimam cœlestium charismatum copiam Fraternitati Tuæ aprpecantes, Apostolicam Benedictionem Tibi, Venerabilis Frater, etiam peramanter impertimur.

Dat. die 19. Dec. 1744.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIX. Decembris MDCCXLIV. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Cajetanus Amatus.

CXV.

Reformatio Tribunalium Urbis. Firmatur auctoritas Judicum Romanæ Curiæ, & singulorum Jurisdictio certis limitibus præfinitur; confirmantur Decreta super Judicum recusationibus & declinationibus jam edita; & certa forma servanda præscribitur, tum in delendis Vinculis impositis super Locis Montium, Officiis Vacabilibus, & Pecuniis Depositis &c.; tum in Decretis Jurisdictionis voluntariæ in Urbe, & Statu Ecclesiastico interponendis.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

Romanæ Curiæ præstantiam, atque præcipuam justitiæ rectè administrandæ laudem, eidem omnium ubique gentium consensu tributam, summo studio atque opera tueri curarunt Prædecessores Nostri Romani Pontifices; eâque de causâ tum sapientissimas Leges, pro rerum & temporum opportunitate, condiderunt: tum vero, quoties in Judiciorum tractatione aliqua corrigenda, resecanda, aut in meliorem formam redigenda esse censuerunt, id Apostolicis editis Constitutionibus, quarum inferiùs mentionem fieri sæpe continget, præstare non omiserunt.

Reformationes Tribunalium à Romanis Pontificibus identidem peractæ.

Pontificis studium pro recta Justitiæ administratione.

§. 1. Et Nos quidem ipsorum vestigiis inhærentes, ex quo Supremum hoc Justitiæ Solium Dei nutu conscendimus, inter innumeras Apostolatus Nostri curas, illam assidue præ oculis habuimus, ut tam Ecclesiastica, quam civilia Judicia, & maxima, qua par est, integritate ac fide, & rectissimo expeditoque ordine exercerentur. Itaque præter generalem providentiam, qua Ecclesiasticarum Legum conservationi, & veriori earundem interpretationi per universam Ecclesiam pro viribus prospicere non desistimus, ac præter peculiarem Tribunalium Bononiensium Reformationem a Nobis integrè peractam, per Apostolicas Nostras Constitutiones, ex quibus aliarum etiam Provinciarum Curias, per Ecclesiasticæ Ditionis tractum, exemplum & normam capturas esse confidimus; in hac ipsa Romana Curia complures atque perspicuas edidimus significationes nostri ardentissimi studii, quo de justitia in Urbe rectè administranda in primis solliciti sumus; idque potissimum Nobis propositum fuit, & quum Causarum tam Ecclesiasticarum, quàm Civilium aliquas Nobis ipsis cognoscendas, ac definiendas reservavimus; & quum sæpissimè Congregationes Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, ipsaque aliquando Ordinaria Romanæ Curiæ Tribunalia, coram Nobis sententias dicere jussimus; ac denique quum Signaturam Gratiæ nuncupatam, ad quam pleræque lites & controversiæ, præpedito, aut expleto in cæteris Tribunalibus cursu legitimo, & jure concesso, tamquam ad Sacram Principis Aram, deferuntur, semel & iterum singulis annis per Nosmetipsos publicè habuimus; in eâque sententiam nostram tum circa singulas propositas causas protulimus, tum verò, occasione data, circa totam judicandi rationem coram universo Judicum, & Curialium conventu aperire curavimus.

Necessitas prosequendi Tribunalium Reformationem.

§. 2. Cum autem & diuturno nostro rerum forensium usu, & crebris gravium Virorum relationibus & querelis, compertum haberemus, nonnullos abusus in judiciali praxi Tribunalium hujus Nostræ Urbis & Curiæ invectos esse, quibus & justitiæ cursum interverti, aut saltem retardari, & litigantium dispendia magnopere augeri contingeret; illasque potissimum controversias in longum sæpe protrahi, quæ circa Judicum, & Tribunalium competentiam, eorumque recusationes declinationesque, versarentur; Cumque jam commendatâ singulis Tribunalibus earum rerum reformatione, quæ in ipsorum potestate erant, eâque sedulò ab ipsis peractâ, satis agnoverimus, memorata incommoda non omnia posse privatâ Judicum sive Tribunalium auctoritate submoveri; ad ampliorem atque absolutiorem Judiciorum Reformationem, supradictorum Prædecessorum exemplo, deveniendum Nobis esse judicavimus.

Deputatio Cõgregationis Particularis ad hunc effectum.

§. 3. Quamobrem prædictorum omnium abusuum cognitionem delegavimus peculiari Congregationi a Nobis deputatæ, duobus nempe S. R. E. Cardinalibus, ac septem Romanæ Curiæ Prælatis in præcipuis ejusdem Curiæ Tribunalibus actu jus dicentibus; quæ quidem Congregatio, serio studio, longâque indagine, relatos abusus notavit, atque recensuit; & providis efformatis decretis, opportuna Nobis remedia suggessit; ex quibus aliqua, quæ statim approbatione digna judicavimus, statim quoque auctoritate Nostra publicari jussimus, & observari; reliqua verò maturiori examini subjecta, diuturna consideratione, rerum ac temporum opportunitati aptare studuimus; illaque, cum iisdem fere, aliisque Viris in juris scientia & justitiæ administratione apprime versatis, Ministris Nostris, necnon cum aliquibus ejusdem Curiæ Nostræ Causidicis, Forensi facultate doctrinâque præstantibus, communicata; tandem, hac nostra Constitutione perpetuæ legis vim habiturâ, promulgamus, edicimus, atque sancimus.

Cujus Decreta jam edita sunt, partim in præsenti promulgantur.

I. *De executione Citationum, Mandatorum &c. Romanæ Curiæ.*

§. 4. Ac primùm omnium, Jurisdictionem Judicum, & Tribunalium Romanæ Curiæ, quorum auctoritas a Nostra & Romani pro tempore Pontificis auctoritate profluit, nostroque & Pontificio nomine exercetur, sartam tectam servare, ac debita veneratione ab omnibus observari cupientes; Apostolicas Nostras Literas, *De non impedienda executione Citationum, Mandatorum, aliarumque Provisionum Romanæ Curiæ, seu Sedis Apostolicæ* datas Anno MDCCXLII. tertio Kalendas Aprilis, quarum initium est *Pastoralis Regiminis*, omnesque ordinationes ac dispositiones in illis contentas; pœnas quoque adversus quoscumque prædictam executionem impedientes in eisdem comminatas atque statutas, cum cæteris præceptis atque mandatis, ac si prædictæ Literæ per extensum præsentibus insererentur, confirmamus, innovamus, ac de novo statuimus.

Innovatur Constitutio edita 30. Mart. 1742.

§. 5. Et

Refertur suspensio concessa quoad valorem citationum Cameralium non subscriptarum in partibus.

§. 5. Et quamvis post earumdem Literarum Nostrarum publicationem, delatis ad Nos quorumdam conquestionibus, & præsertim ex Provincia nostra Romandiolæ, super abusu Citationum Typis Cameralibus impressarum, quæ vulgo Citationes Camerales nuncupantur; propterea quod a nemine ex Judicibus Romanæ Curiæ subscribi, seu firmari soleant, & nihilominus post legitimam earum exequutionem inhibendi vim habere dicerentur; Nos tunc, ut in re gravi cautè maturèque procederemus, per quasdam Literas Secretariæ Nostræ Status nuncupatæ provisionaliter declarari fecerimus, Citationes hujusmodi a nullo ex Judicibus Romanæ Curiæ propria manu subscriptas, in prædicta nostra Constitutione minimè comprehendi: Postea tamen universo negocio occasione præsentis Reformationis diligentissimè discusso, cum Nobis constiterit, usum prædictarum Citationum nedum doctorum Hominum suffragiis, sed etiam pervetusta, & nunquam aliàs interrupta tum Romanæ Curiæ, tum ipsius Provinciæ Romandiolæ, atque aliarum Status Nostri Ecclesiastici Provinciarum observantiâ comprobari; & quatenus specialis subscriptio in eis indistinctè exigeretur, non modicum inde damnum ac dispendium in Subditos atque Incolas earundem Provinciarum fore profecturum: Nunc demum præsentium Literarum tenore certum ac stabilem cursum Citationibus hujus generis dare, & unà simul quibuscumque fraudibus, quæ per eas fieri possent, quantum in Domino possumus, occurrere volentes: statuimus in primis, ordinamus, ac declaramus, quod sicuti hactenus, & a tempore antiquissimo, ita quoque in posterum unicuique pro arbitrio suo liceat per ejusmodi Citationes Typis Cameralibus impressas debitorem suum absentem, sive aliter sibi obligatum, coram Auditore Generali Causarum Curiæ Cameræ Nostræ Apostolicæ, vel altero ex ejus Locumtenentibus, in Jus & Judicium evocare, etiamsi ipsæ Citationes a nullo ex prædictis Judicibus, immo nec etiam ab eorum Notariis, subscriptæ fuerint; (memoratis Literis Secretariæ Status, Edictis Cardinalium pro tempore Legatorum, & aliis quibuscumque contrariis non obstantibus); dummodo tamen agatur de causis, in quibus ipse A. C. vigore suarum facultatum, aut virtute alicujus Privilegii, quod Instanti de jure competat, sit Judex competens Rei conventi, seu Partis citatæ, etiam in prima Instantia; aliàs prædictæ Citationes neque valeant, neque afficiant, perinde ac si factæ vel exequutæ non fuissent: Cum enim in hujusmodi causis unusquisque de jure debitorem suum etiam verbaliter coram A. C. in jus vocare possit, nihil sanè proponi potest, cur illum pari modo per dictas Citationes Camerales etiam non subscriptas citare, & in jus vocare non valeat.

Sed perpensa veteri consuetudine, earumque utilitate.

Sancitur eadem in posterum valere, in causis, in quibus A. C. est Judex competens in prima Instantia.

§. 6. Quod si aliqua ex prædictis causis, ut præfertur, Privilegiatis, in quibus nimirum A. C. est Judex competens etiam in prima Instantia, reperiatur jam contestata, & introducta coram alio Judice de Partibus, & nihilominus alter ex litigantibus, cui competat variatio Fori, vel vigore Obligationis Cameralis, vel virtute *Leg. unic. Cod. Quando Imper. inter Pupillos, & Viduas &c.*, citaverit coram A. C. cum dictis Citationibus impressis; & non subscriptis: Tunc etiam volumus & mandamus eas exequi, & attendi debere; sed eo casu A. C., vel ejus Locumtenentibus, Causas hujusmodi reassumere non liceat, nisi in statu, & terminis, refectis sumptibus usque tunc factis ab altera Parte, & transportatis actis, expensis illius, qui Forum variare voluerit, ut hactenus laudabiliter observatum fuit.

Et, si partibus competat variatio Fori, etiam postquam Causæ jam alibi introductæ fuerint.

Quæ tamen reassumi debent in statu & terminis, refectis expensis, & transportatis actis.

§. 7. Quoniam verò passim citari solet cum hisce ipsis Citationibus Cameralibus non solum in causis, ut supra, privilegiatis, coram A. C., sub cujus nomine eædem Citationes ut plurimum imprimuntur, sed etiam in aliis Causis indifferentibus coram Cardinali Signaturæ Nostræ Justitiæ pro tempore Præfecto, & ejus Auditore; Idque in quatuor potissime casibus; nempe cum petitur superfessoria ad effectum adeundi plenam Signaturam; Cum citatur pro subdelegatione Judicis in Partibus in gradu recursus; Cum petitur declarari Causam spectare ad unum potius, quàm ad alium Judicem; Et denique cum petitur purgatio attentatorum, in spretum ipsius Signaturæ commissorum: Propterea Nos ex una parte considerantes nullo modo auferendam esse, quin potius diligenter conservandam Subditis Nostrarum Provinciarum & Legationum libertatem illam, qua semper hactenus gavisi fuerunt, recurrendi scilicet pro ipsorum arbitrio, vel ad prælaudatam Nostram Signaturam Justitiæ, vel ad Signaturam, quam habere dicuntur in ventre in sua quisque Provincia Legati Sedis Apostolicæ, eorumque Vice-Legati: Ac de cætero animadvertentes non absurdè eos facere, qui potius ad Signaturam Justitiæ, quàm ad alteram Legatorum, aut Vice-Legatorum recurrunt; quia nempe illas Causas, quarum valor non ascendit ad scuta centum, haud quaquam retinet, seu committit in Curia; sed juxta providas Prædecessorum Nostrorum reformationes, & præsertim recol. mem. Benedicti XIII., eas remittit ad Partes, mediante subdelegatione alterius Judicis in eadem Civitate, seu loco, ubi primus pronunciavit, ad effectum procedendi in gradu recursus per acta ejusdem Notarii, & consequenter absque ulla transportatione actorum, atque insuper sine solutione Propinæ: Contra verò Signatura Legatorum, & Vice-Legatorum, & præsertim illa Cardinalis pro tempore Legati, aut Vice-Legati Provinciæ Romandiolæ, quoties Causæ excedunt tenuissimam summam scutorum quatuor, retinere eas, ut plurimum solet in ipsa Curia, in qua residet Legatus, aut Vice-Legatus; Ex quo sequitur, ut Partes, non sine magno dispendio atque incommodo, & acta prioris Judicis ad ipsam Curiam Legationis transportare, & Propinam novo Judici ejusdem Curiæ solvere cogantur; Immò etiam tot Propinas, quot sunt Capita separata, ex quibus, pro multiplicitate diversarum exceptionum, sententia secundi, vel ulterioris Judicis quam sæpissime componitur.

Utilitas Partium in hujusmodi recursibus.

§. 8. Idcirco statuimus ac mandamus, etiam quoad prædictas Citationes, quas fieri contingat coram Cardinali Signaturæ Præfecto, vel ajus Auditore, prædictum antiquissimum usum in posterum observari, itaut quicumque de dicta Legatione Romandiolæ, aut de aliis Provinciis, Legationibus, vel Guberniis Status Nostri Ecclesiastici, recurrere potius velit ad Signaturam Nostram Justitiæ, quàm ad Signaturam Legati, aut Vice-Legati, hoc pro arbitrio suo facere possit, citando alteram Partem cum dictis Citationibus Cameralibus; nullique liceat earum exequutionem retardare, vel impedire, sub prætextu, quod a Cardinali Præfecto, vel ejus Auditore, aut eorum Notario, subscriptæ non fuerint, sub pœnis expressis in dicta Nostra Constitutione, *De non impedienda exequutione Citationum, Mandatorum, aliarumque Provisionum Romanæ Curiæ*, quam ad has quoque Citationes Cameràles impressas, & non subscriptas, quatenus opus sit, extendimus, & ampliamus, memoratis Literis Secretariæ Status, Edictis Legatorum, cæterisque contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Qui permittuntur fieri etiam per citationes Camerales non subscriptas.

§. 9. At verò, nè utilis, & antiquus istarum Citationum usus transeat in abusum & corruptelam, a prædicta generali regula sequentes casus excipimus & præservamus. Primò videlicet,

Non tamen si præventum fuerit coram Signatura Legatorum, aut Vicele-

Usus citandi per citationes Camera-

gatorum, vel ipsi in causa rescripserint.

si una ex Partibus, mediante Citatione legitimè exequuta, prævenerit aliam coram Signatura Legati, seu Vice-Legati; & multo magis si Legatus, aut Vice-Legatus, qui habeat in suis facultatibus etiam facultatem Signaturæ, in Causa jam rescripserit: Tunc enim non amplius Citationes prædictas coram Signatura Justitiæ, ejusque Præfecto, vel Auditore, attendi volumus, sed solum admitti recursum ad Signaturam Gratiæ, & consequenter nullas alias Citationes attendendas esse, vel afficere, quam Citationes speciales ab Auditore Nostro, & Pontificum pro tempore Successorum Nostrorum, subscriptas.

Citationes prædictæ nō attendendæ, si petatur supersessoria, vel subdelegatio, antequam Judex de Partibus definitivè pronunciet.

§. 10. Item Citationes ejusmodi Camerales, & non subscriptas, pro nihilo haberi volumus, atque impune sperni posse, tam in Causis summæ appellabilis, quatenus citetur ad videndum supersedere usque ad primam Signaturam, quàm in Causis summæ recurribilis, quatenus citetur ad videndum subdelegari Judicem in partibus in gradu recursus, quoties nondum ab ipso Judice de Partibus pronunciatum fuit vel per Sententiam, vel per Decretum definitivum, aut gravamen saltem inferens ejusmodi, quod deinceps per ipsam Definitivam reparari nequeat. Quod si Judex de Partibus in Causa jam decreverit, seu pronunciaverit, ut supra, volumus Citationes prædictas omnino attendi, & inhibere, etiamsi, contra debitum juris ordinem, in Causa summæ appellabilis citatum fuerit ad videndum subdelegari alium Judicem in gradu recursus, vel in Causa simpliciter recurribili citatum fuerit ad videndum supersedere. Et solum in hisce casibus Præfectus Signaturæ, vel ejus Auditor, supplere teneatur defectum Partium, vel Defensorum, mandando supersedere in Causis summæ appellabilis, & respective subdelegando Judicem in gradu recursus, quando Causa est solum recurribilis; Decretis, seu reformationibus Signaturæ, & quibuscumque aliis in contrarium non obstantibus.

Post difinitivam assiciunt.

Errorque Partium in petenda supersessoria, vel subdelegatione Judicis, a Præfecto Sign. Just., ejusve Auditore supplendus est.

Enunciantur alii casus in quibus non est admittendus recursus in suspensivo.

§. 11. Item quando agitur de summa non excedente scuta quinque monetæ in Regione currentis; vel quando jam adsunt in Causa duo judicata consecutiva & conformia; vel quando agitur de mercede diurna, aut menstrua, aut etiam de alimentis futuris; vel quando agitur de restitutione depositi etiam irregularis contra Depositarium, aut de solutione Schedulæ, quæ vulgo dicitur *Pagherò per altrettanti*, aut Literarum Cambii, aut Onerum Cameralium, vel Communitativorum; Et denique cum agitur de solutione Canonum, aut Pensionum Domus; nullum recursum in suspensivo a Cardinali Præfecto Signaturæ, vel ejus Auditore, admitti volumus, sed in prædictis casibus, & quolibet eorum, postquam verificati fuerint coram Judice subdelegato, volumus ac statuimus, ejusmodi subdelegationem non afficere, nisi in solo devolutivo, & sine præjudicio legitimæ exequutionis.

In causis non privilegiatis, & summæ recurribilis, extra Districtum, subdelegandus est Judex in Partibus, cum clausulis opportunis.

§. 12. Item, exceptis Causis, ut supra, privilegiatis, ideſt illis, in quibus A. C. est Judex competens etiam in prima Instantia, vel propter Obligationem Cameralem, aut habentem vim Cameralis, vel propter Privilegium *Leg. unicæ*; Quoad reliquas Causas extra Districtum Urbis, quæ sint summæ dumtaxat recurribilis, ideſt non attingentis quantitatem seu valorem scutorum centum; Nolumus eas in Curia Romana retineri, aut committi posse; sed semper in ipsis subdelegari volumus alium Judicem, quatenus tamen adsit in eadem Civitate, Terra, aut loco, in quo, seu qua pronunciatum fuit primum judicatum, cum solita clausula: *Ad effectum cognoscendi de gravamine, pro admissione, vel denegatione recursus, per acta ejusdem Notarii, & sine solutione Propinæ & Regestri, &, quatenus Partes in eum non consenserint, ad effectum deputandi alium Judicem in sui locum, cum iisdem facultatibus, de consensu ipsarum Partium, sin minus ex Officio*: Itaut aliter factæ subdelegationes, nullius sint roboris ac momenti.

Una citatione executa, & attenta, aliæ non attendantur.

§. 13. Postremò volumus, atque statuimus, quod postquam una ex Partibus aliquam ex prædictis Citationibus impressis, & non subscriptis, exequi fecerit coram Præfecto Signaturæ, vel Auditore; Altera verò, quæ sic citata fuit, in actis comparuerit cum solita protestatione *Nihil fieri*: Nulla alia deinde similis Citatio eandem continens Instantiam, quæ in Partibus fiat, attendatur, sed impunè sperni possit, absque ullo vitio Spolio, vel attentatorum.

Præservantur Privilegia de non avocando & dispositio Constitutionis AD MILITANTIS editæ 30. Martii 1742.

§. 14. Per hæc autem non intendimus Privilegio de Causis non avocandis, aut alteri id genus, si quo fortè gaudeat Civitas, Provincia, vel Legatio aliqua Status Nostri Ecclesiastici, in aliquo derogare vel præjudicare; Multoque minus aliquid innovare circa ea, quæ ad asserendam Ordinariorum jurisdictionem, atque eorundem Decretorum executionem, in Causis potissimum, quæ ad Ecclesiasticam Disciplinam pertinent, distinctè mandavimus & constituimus per Apostolicas Nostras Literas: *De Appellationibus, & Inhibitionibus concedendis vel negandis*, quarum initium est: *Ad militantis Ecclesiæ regimen*, datas tertio Kalendas Aprilis anno millesimo septingentesimo quadragesimo secundo, quas quidem omnibus & per omnia confirmamus & innovamus, & ab omnibus, ad quos spectat, adamussim observari præcipimus.

Provisio super multiplicatione Propinarum differtur.

§. 15. Porrò, quod attinet ad præfatam multiplicationem Propinarum, quæ extra Romanam Curiam in Statu Nostro Ecclesiastico passim frequentatur; Nos etiam super eo, quod æquum fuerit & rationi consentaneum, deinceps, largiente Domino, provide statuemus, cognita prius origine, diligenterque perpensis Causis hujusmodi multiplicationis: quemadmodum pro Tribunalibus Civitatis Nostræ Bononiæ ejusque Comitatus, in altera ex memoratis Constitutionibus nostris, specialibus ordinationibus & decretis id ipsum præstare non omisimus.

II. *De Jurisdictione Tribunalium Urbis.*

§. 16. Ut autem omnia submoveamus obstacula, quæ, propter variarum respectivè jurisdictionum conflictum, promptam celeremque justitiæ administrationem in hujus nostræ Urbis Tribunalibus impedire converant, alteram nostram Constitutionem sub datum xv. Kalendas Martii Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLI. Pontificatus Nostri Secundo editam, quæ incipit, *Quantum ad procurandam*, innovamus pariter, & observari mandamus; per quam videlicet, de Consilio præfatæ Congregationis pro Tribunalium Urbis Reformatione a Nobis specialiter deputatæ, providas fel. record. Innocentii Papæ XII. Prædecessoris Nostri sanctiones per extensum insertas, super Tribunalium sive Judicum Particularium Urbis suppressione, confirmavimus, & in pristinum vigorem & observantiam reduximus, eisdemque inhærentes, nonnullas Judicaturas particulares postmodum erectas ordinationibus opportunis abolevimus.

1. Innovatur Constitutio super suppressione Judicum Particularium edita 15. Febr. 1742.

Declaratur facultas Notarii Burgi limitativè.

§. 17. Declarantes præterea, Notarium Burgi, cujus Officium in præfata Innocentii XII. Constitutione a generali Officiorum particularium suppressione excipitur; habere dumtaxat facultatem scribendi in Causis merè laicalibus, & quatenus Rei conventi sint Incolæ, vel Habitatores Burgi; Hoc autem casu competere illi facultatem hujusmodi in omnibus Tribunalibus Urbis, in quibus pro hujusmodi Causis Incolæ & Habitatores prædicti, juxta eandem Constitutionem Innocentii Papæ XII., conveniri possunt.

2. Jurisdictio Cardinalis Vicarii in Causis me-

§. 18. Jurisdictionem verò Nostri pro tempore in Urbe ejusque Districtu in spiritualibus Vicarii, decernimus, etiam attenta dispositio-

ne

rè Laicalibus prorogari possit, de consensu Partium in actis expressè præstito.

ne prædictæ nostræ Constitutionis, quæ incipit *Quantum ad procurandam*, esse prorogabilem per consensum Partium in Causis merè laicalibus, & inter merè Laicos, etiam spectantibus ad Curiam Capitolinam: Dummodo tamen ipsæ Partes sciant eum esse sibi Judicem incompetentem, & nihilominus ab initio litis, & ante illius contestationem, in Actis sui proprii & competentis Judicis, coram duobus Testibus, expressè consentiant in jurisdictionem ipsius Vicarii, vel per ipsos, vel per suos Procuratores, qui habeant speciale Mandatum ad consentiendum ut supra; aliàs, consensu isto expresse, ut supra, præstito deficiente, omnia acta coram eo facta in Causis prædictis, sint ipso jure nulla & irrita: Causaque per Judicem competentem, ad Instantiam sive Rei, sive Actoris, in quocumque statu, & quandocumque reassumi possit.

Exceptis Causis super executione obligationis Cameralis.

§. 19. Item dummodo in prædictis Causis merè laicalibus non agatur de executione Obligationis Cameralis. Tunc enim volumus, jurisdictionem Vicarii nequidem per consensum expressum esse prorogabilem, sed Causas reassumi posse ex Officio, vel a Curia Capitolina, si Partes, aut saltem Reus conventus, ejus Foro & Jurisdictioni, ut infra, subjectus fuerit, vel ab A. C., prout ab una vel altera Curia præventum fuerit.

Ejusdem Vicarii Jurisdictio privativa in Causis Matrimonialibus, & super Institutione Benef. in Urbe, & Districtu &c.

§. 20. In Causis super Matrimoniis contractis in Urbe, vel alio quocumque loco intra ejus Districtum, in quo Ordinaria seu Episcopalis Jurisdictio nulli alteri competat, prout etiam in Causis super Institutione in Beneficiis Ecclesiasticis in dicta Urbe, & in iisdem locis existentibus, statuimus competere Jurisdictionem Cardinali Vicario, privativè ad A. C., & quæcumque alia Urbis Tribunalia: In aliis verò Causis spectantibus ad ejus Tribunal, contra Clericos non exemptos, videlicet eos, qui sint Clerici Romani ratione Originis, vel Beneficii, vel contra Loca Pia existentia in Urbe, aliisque locis præfatis, declaramus eidem competere in Civilibus Jurisdictionem cumulativè cum solo A. C., & consequenter inter eos locum esse præventioni. Dummodo tamen Clerici, & Loca Pia sint Rei conventi, non etiam si per eos conveniantur Personæ merè Laicales. Tunc enim Vicario, sine consensu expresso Partium, ut supra, nulla competet Jurisdictio.

In Causis contra Clericos non exemptos, cumulativa cum solo A. C.

In aliorum Diœcesibus, & Territoriis intra Districtum, nullam competere Jurisdictionem Cardin. Vicario. Sed exequi posse dumtaxat ejusdem citationes, & Mandata contra Clericos Romanos.

§. 21. Item decernimus, nullam in prima Instantia Vicario competere Jurisdictionem in Diœcesibus, & Territoriis aliorum Episcoporum, sive Ordinariorum, in prædicto Districtu Urbis existentibus, nimirum intra quadragesimum lapidem, sed solum in dictis Diœcesibus & Territoriis pro Causis ad eum spectantibus citare, & procedere posse contra Clericos Romanos, ut supra, ratione Originis, vel Beneficii, qui ibi commorantur; necnon exequi posse Mandata tam realiter, quam personaliter per eum contra ipsos expedita. Et hoc ipsum servari volumus in Diœcesibus sex Episcoporum S. R. E. Cardinalium, qui Episcopi Suburbicarii nuncupari solent: Nam sive Episcopatus isti habeantur pro distinctis & diversis ab Episcopatu Romano, sive dicti Cardinales censeantur in hisce Diœcesibus tamquam Coadjutores Romani Episcopi, neutro casu decet Cardinalem Urbis Vicarium cumulativam cum ipsis Jurisdictionem in prima Instantia habere.

Facultas Vicarii privativa, interponendi Decreta in contractibus Regularium.

§. 22. Item statuimus, Cardinali Vicario, privativè ad A. C. & quoscumque alios, competere facultatem interponendi Decreta in renunciationibus, & aliis quibuscumque contractibus Regularium utriusque sexus, in Cœnobiis, & Monasteriis Urbis, aut præfatorum Locorum, tempore probationis, degentium.

3. Gubernatori Urbis non competere Jurisdictionem contra Clericos &c.

§. 23. Gubernatori autem Urbis, & ejus Tribunali, nullam in Civilibus competere declaramus Jurisdictionem contra Clericos, Ecclesias, aut Loca Pia, sine speciali commissione nostra, vel nostrorum pro tempore Successorum.

4. Causæ Mercedis, & infra sc. 25. judicari possint tam a Vicario, quàm a Gubernatore contra quoscumque.

§. 24. Attamen, ut Causæ Mercedis diurnæ, vel menstruæ, prout etiam Causæ infra summam scutorum viginti quinque, quàm citissimè expediantur, hoc speciali Privilegio eas donamus, ut nempe Laici etiam in Tribunali Cardinalis Vicarii, & respectivè Clerici, & Loca Pia etiam coram Urbis Gubernatore, arbitrio Actoris, validè, & licitè conveniri possint, ita ut nec etiam prætextu obligationis Cameralis, eorundem Jurisdictio valeat declinari.

5. Curia Capitolina quâ Jurisdictionem exercere possit intra districtum.

§. 25. Curiæ verò Capitolinæ jurisdictionem extendi decernimus etiam extra Urbem, & per omnia & singula loca Districtus intra quadragesimum lapidem, sed ad solum effectum citandi, & procedendi in causis merè laicalibus, atque aliàs ad ejus Forum spectantibus, contra Cives Romanos, vel Incolas, vel qui aliter juxta dispositionem Statuti *lib.* 1. *cap.* 41. ejusdem Curiæ Jurisdictioni subjecti sint; nec non exequendi contra eos, & eorum bona merè laicalia, Mandata ab ipsa Curia relaxata, dummodo, Personis vel Bonis in aliquo loco jurisdictionali existentibus, servetur quoad executionem Mandatorum, forma ab eodem Statuto præscripta *dicto lib.* 1. *cap.* 157.

Procedere possit in Causis concursus ad Bona Laici debitoris de directo dominio Ecclesiæ, citra tamen executionem, & subhastationem.

§. 26. In causis autem Concursus super bonis Laici debitoris, qui cæteroquin juxta dispositionem Juris, & Statutorum Urbis, sit subjectus Curiæ Capitolinæ, definimus competere eidem Curiæ jurisdictionem, etiamsi Bona sub concursu posita, sive pro parte, sive in totum, sint de proprietate seu dominio directo Clericorum, Ecclesiarum, Monasteriorum, aut aliorum Piorum Locorum; sed tamen præfatam jurisdictionem competere pro eo tantum, quod pertinet ad deputationem Oeconomi, ad graduationem Creditorum, necnon distributionem, seu consignationem pretii ex dictis bonis emphyteuticis retrahendi, postquam fuerint subhastata, & deliberata. Quo verò ad executionem, subhastationem, & deliberationem ipsorum bonorum emphyteuticorum de proprietate, seu directo dominio, ut supra, non spectare ad Curiam Capitolinam, sed ad A. C., aut Cardinalem Vicarium, aut aliam Curiam Ecclesiasticam competentem: Ita tamen ut Cædula Depositi a Cursore, seu Mandatario, non deponatur in actis Curiæ Ecclesiasticæ, sed statim, & immediatè deferatur ad Judicem Concursus, ut supra.

Magistri Justitiarii non procedant contra Clericos.

§. 27. Nolumus autem Magistros Justitiarios ullam exercere, aut habere jurisdictionem contra Clericos & Loca Pia.

III. *Confirmantur Decreta edita* 10. *Januarii* 1742.

§. 28. Sed quoniam, stabilitis etiam limitibus jurisdictionis singulorum Judicum, & Tribunalium, sæpè contingit eorum auctoritatem, & forum a Partibus declinari, vel in ipso initio, vel in progressu litis, ad defatigandum vexandumque Adversarium, vel etiam in ipsius litis fine, ad evitandam aut differendam Decretorum vel Mandatorum exequutionem; idque obtentu & præsidio Litterarum Patentium, quas multi obtinent ratione diversorum Officiorum & Familiaritatum, ex quibus plura sibi quoad electionem Fori competere Privilegia contendunt; ideo nonnulla Decreta super hoc efformata a prædicta Congregatione particulari pro Tribunalium reformatione a Nobis deputatâ, quæ jam, auctoritatis Nostræ robore munita, publicari jussimus sub die 10. Januarii Anni MDCCXLII., hic per extensum inserta denuo sancimus, & præsentium quoque serie omnino servari mandamus. Eaque sunt tenoris sequentis, videlicet:

Abusus Privilegiorum in Patentatis quoad declinationem Judicis.

Privilegium Fori competat Patentatis solum-

§. 29. *Privilegiati, seu Patentati cujuscumque generis (exceptis Patentatis Sacræ Inquisitionis) fori privilegio gaudere non debeant, nisi in causis,*

modo in Causis concernentibus eorum Officia,

& negotiis concernentibus Officia, & Ministeria, quorum intuitu sunt privilegiati, videlicet ad normam Decretorum, quæ super hac materia prodierunt tempore san. mem. Urbani VIII., ac Innocentii XI., necnon Innocentii XII., itidemque servata forma præscripta per Decreta Congregationis Reformationis Tribunalium die 4. Aprilis Anni MDCCXXXI., itaut, ad tramites præfatorum Decretorum, etiam in prædictis Causis & negotiis concernentibus Officia, & Ministeria Privilegiatorum, seu Patentatorum, quantum attinet ad eorum favorem, renunciatum privilegio videatur per consensum coram alio Judice Ordinario, verbis seu factis præstitum; amplius adjecto, ut prædicto privilegio censeatur itidem renunciatum per consensum æquipollentem, quoties illius allegatio prætermissa fuerit tempore opportuno, hoc est infra tres dies numerandos a die reproductionis Monitorii, seu Libelli, vel Citationis ad dicendum contra Jura.

Nisi privilegio renunciaverint, etiam per consensum æquipollentem.

De Patentatis Rev. Fabricæ S. Petri.

§. 30. *Pariformiter sub eadem lege comprehensi censeantur Privilegiati, seu Patentati Rev. Fabricæ Sancti Petri, prout eos prælaudata Decreta sufficienter comprehendunt, & nominatim quoque aliud Congregationis Particularis solemniter confirmatum per Bullam san. mem. Innocentii XI., quæ incipit* Decet, *sub datum 4. Kalendas Junii Anni MDCLXXXIX., sive sint Commissarii, sive Procuratores, etiam Fiscales, sive Notarii, sive alia quæcumque Ministeria pro eadem Fabrica exercentes, cum nemini eorum liceat allegare Fori declinatoriam in causis, & negociis indifferentibus, ipsamque Fabricam, seu prædicta Ministeria neutiquam concernentibus; rejecta prorsus, ac reprobata quacumque interpretatione, quæ hactenus in contrarium forsan invaluit.*

EXEQUATUR alterius Judicis non requiratur pro executione Mandatorum ser. ser. relaxat. contra Patentatos.

§. 31. *Demum quoad præfatos omnes Privilegiatos, seu Patentatos, ut fraudibus obvietur, utque prætextu privilegiorum, justitiæ cursus retardari non possit, atque inhærendo etiam Decreto aliàs a Congregatione Reformationis Tribunalium Urbis die 3. Junii Anni MDCLXXIX. edito, & subinde confirmato per memoratam Bullam san. mem. Innocentii XI. 4. Kalendas Junii Anni MDCLXXXIX., eadem Congregatio declaravit, & censuit, tam in Causis eorum Ministeria non concernentibus, quàm etiam in Causis Ministeria prædicta concernentibus, in quibus ipsi consensum, ut supra, coram alio Judice Ordinario, seu aliàs competenti præstiterint, nullam requiri licentiam alterius Judicis, ad effectum exequendi Mandata contra eosdem Privilegiatos ser. ser. relaxata, nullumque propterea* Exequatur *peti, ac respective concedi posse.*

Citationes, & Inhibitiones adversus prædicta non attendantur.

§. 32. *Et in omnibus, ac singulis casibus supradictis, Citationes, & Inhibitiones factæ coram quocumque Judice, vel Signatura, vel etiam Auditore Sanctissimi, contra formam horum Decretorum, nullius sint momenti, atque impunè sperni possint absque vitio attentatorum.*

De recusationibus Judicum.

§. 33. Alia pariter Decreta, simul cum præmissis edita, super eâ facultate primos quosque Judices ejurandi tanquam suspectos, quâ plerosque abuti constabat, ad nectendas in limine Judicii inutiles moras, confirmamus, & innovamus; quæ sunt tenoris sequentis.

Prohibentur, in causis quibusdam executivis, & infra valorē scut. 25.

§. 34. *Recusationes Judicum non admittantur in Causis executivis certi generis, videlicet Depositi, & futurorum alimentorum, aliisque designatis per Decreta aliàs tempore san. mem. Clementis XII. edita a Congregatione Reformationis Tribunalium Urbis die 4. Aprilis Anni MDCCXXXI., neque in quibuscumque aliis Causis non excedentibus valorem scutorum vigintiquinque, juxta aliud Decretum die 15. Novembris Anni MDCCXXXII., quæ servari omnino debeant.*

Unica permittitur recusatio Judicis absque causa: in

§. 35. *In cæteris causis, prædictæ recusationes, quæ plerumque ad retardandum Justitiæ cursum usurpantur, reformari, & moderari debeant in posterum, itaut in Causis cujuscumque generis, tam executivis, quàm ordinariis, & in quacumque instantia (exceptis dumtaxat Causis Commissariis) unus tantummodo Judex infra tres dies numerandos a die reproductionis Monitorii, seu Libelli, vel Citationis ad dicendum contra jura, ab unaquaque ex Partibus recusari possit tamquam suspectus, absque allegatione Causæ suspicionis; Cæteræ autem recusationes amplius non admittantur, nisi servata dispositione juris communis; ac proinde Citationes quoad ulteriores recusationes, nempe ad videndum deputari alium, tum coram Capite Tribunalis, tum coram aliis Superioribus, impunè sperni valeant, nisi in eisdem Citationibus certa, atque justa causa suspicionis exprimatur.*

reliquis servetur Jus commune.

IV. *Quando & quomodo deleri possint vincula imposita super Locis Montium, Officiis vacabilibus, & pecuniis depositis.*

§. 36. Ad hæc necessarium ducimus Judicum quoque, ac Ministrorum auctoritatem præfinire, certamque agendi normam præscribere, quoad alterum rerum genus, ex quo commerciorum securitas & singulorum Patrimonia maxime pendent. Ut scilicet fraudibus, quæ passim fieri solent super Locis Montium, Officiis vacabilibus, ac Depositis pecuniarum alicui vinculo suppositis, quantum in Domino possumus, in posterum occurratur, auferimus in primis, atque adimimus, ademptamque ex nunc, & ablatam esse volumus tum a Generali Administratore Locorum Montium, tum a Componendarum Datariæ Nostræ Administratore facultatem omnem cassandi, seu delendi a Locis Montium tam Cameralium, quàm Communitativorum, seu Baronalium, & ab Officiis vacabilibus cujuscumque generis, speciei, vel nuncupationis, clausulam in eis apponi solitam in actu capiendi possessionem: *Dummodo possessio sit vacans, & sine præjudicio habentium meliora, & potiora jura;* priusquam lapsum fuerit integrum biennium a die captæ possessionis cum clausula prædicta; sine præcedenti mandato Judicis competentis, & sine *Exequatur* Thesaurarii Generalis, & respectivè Nostri & Romani Pontificis pro tempore Datarii. Nulli autem ex Judicibus Ordinariis licere amplius volumus intra terminum dictorum duorum annorum Mandata hujusmodi relaxare, seu concedere, cum sola fidejussione approbanda per quemcumque Notarium proprium Officium habentem, seque valide obligare valentem, prout hactenus observari consuevit. Sed Mandata hujusmodi dumtaxat relaxare liceat, vel cum Fidejussione & Cedula Bancaria alicujus publici, atque idonei Urbis Mercatoris, vel cum attergatione totidem aliorum Locorum Montium, quatenus agatur de Locis Montium; & respectivè Officiorum vacabilium, quatenus agatur de Officiis hujusmodi, ab omni vinculo liberorum.

Administratores Montium & Cōponendarum delere nequeant clausulas POSSESSIONIS VACANTIS &c. intra biennium, absque mandato Judicis, & EXEQUATUR Thesaurarii aut Datarii respectivè.

Mandata de delendo intra biennium non relaxentur a Judicibus sine Cedula Bancaria, vel attergatione totidem LL. aut Officiorum Vacabilium liberorum.

§. 37. Item nulli ex Judicibus liceat cassare seu delere ex prædictis Locis Montium, vel Officiis vacabilibus, vinculum ullum Primogenituræ, Fideicommissi, Legati, Multiplici, vel alterius cujuscumque speciei, sub quocumque prætextu, sive ex quacumque causa, etiam permutationis, aut subrogationis aliorum Bonorum, vel Censuum etiam majoris pretii, & proventus, quoties ipsorum Locorum, aut Officiorum alienatio per pactum, vel Testamentum, vel aliam ultimam voluntatem specialiter, & expresse prohibita fuerit.

Vincula Primogenituræ, Fideicōmissi &c. nunquā deleri possint a LL. MM., aut Offic. Vacab. quorum alienatio expresse prohibita est.

§. 38. Deficiente verò speciali prohibitione hujusmodi, liceat eisdem Judicibus Ordinariis delere & cassare vincula ex Locis Montium, vel Officiis vacabilibus, quatenus id petatur ex causa permutationis, vel subrogationis, illaque transferre super Bonis eorum loco recipiendis, vel subrogandis, si evidens recipientis utilitas ita suadere videatur; sed solum hoc eisdem liceat, quando in permutatione recipiantur, & respective subrogentur tot Bona stabilia in Statu Ecclesiastico existentia, aut Census perpetui, tam de jure,

In reliquis, si admittatur permutatio, aut subrogatio, quænam bona recipi possint, aut subrogari, de consensu omnium interesse habentium, saltem legitimè suppleto.

quàm

quàm de facto exigibiles, & legitimè impositi vel ab aliqua Communitate, vel ab aliquo Loco Pio ejusdem Status Ecclesiastici, & quando insuper vel accedat consensus expressus omnium & singulorum interesse habentium, aut habere valentium etiam pro casu remotissimo, vel consensus ejusmodi in casu injustæ denegationis præcedenter fuerit ab eodem, vel alio Judice suppletus, causâ plenè cognitâ, & citatis, ut infra, prædictis interesse habentibus, vel habere quandocumque valentibus. Quod etiam observari volumus, quotiescumque delendum fuerit vinculum evictionis, aut molestiarum.

Quomodo deleri possit Vinculú Depositi, aut Investimentum commutari.

§. 39. Quod si agatur de pretio Locorum Montium, aut Officiorum vacabilium, Bonorum immobilium, aut mobilium, Censuum, Cambiorum, aut aliorum quorumcumque nominum Debitorum, seu de pecuniis ex quacumque alia causa depositis in Monte Pietatis, aut Mensa Nummaria, seu Banco Sancti Spiritus, vel publici alicujus Mercatoris, aut etiam penès Acta, ad effectum, & sub lege investiendi cum aliquo ex prædictis, aut aliis vinculis, in tot Locis Montium: Nulli ex præfatis Judicibus licere volumus ex ejusmodi pretio, seu pecuniis, tale vinculum delere, vel Investimentum Locorum Montium cum alio commutare, nisi Investimentum fiat, vel in tot stabilibus, vel in uno aut pluribus Censibus perpetuis, quæ, & qui legitimè vendantur ab aliqua Communitate, vel ab aliquo Loco Pio Status Ecclesiastici, & insuper accedat, ut supra, consensus expressus interesse habentium, aut is ab eodem, vel alio Judice præcedenter, ut supra, suppletus fuerit.

Vincula deleri, aut Detractiones concedi nequeant, nisi causa cognita, & citatis omnibus interesse habentibus.

§. 40. In omnibus autem præmemoratis casibus, prout etiam cum petitur deleri vinculum aliquod Fideicommissi, Primogenituræ, Legati, Donationis, Multiplici, aut aliud quodcumque ex causa alicujus detractionis cæteroquin de jure permissæ, nempe Legitimæ, Trebellianicæ, Dotis constituendæ, vel restituendæ, vel Æris alieni a Fideicommittente contracti: Non aliter Judici liceat expresè vel tacitè procedere ad vinculorum hujusmodi cassationem, seu deletionem, quàm causâ cognitâ, & legitimè citatis omnibus & singulis illis, quorum interest hujusmodi vincula non deleri, aut quorum quandocumque interesse poterit, etiam pro tempore, & casu remotissimo, juxta modum, & formam infrascriptam.

Omnes substituti etiam remotissimi, & interesse habentes, si domicilium habeant in Urbe, aut Statu Ecclesiastico, citentur personaliter.

§. 41. Quatenus videlicet adsint in Urbe, aut Statu Ecclesiastico, ultra Filios, ac Descendentes illius, qui petit cassationem vinculorum, alii ulteriores Substituti, & præsertim Ecclesiæ, Collegia, Communitates, & Loca Pia, qui, seu quæ aliquod interesse habere possint, etiam pro casu, & tempore remotissimo, in Depositis pecuniarum quomodocumque, ut supra, vinculatis, Fideicommissis, Primogenituris, Donationibus, Legatis, Multiplicis, Evictionibus, Attergationibus, & Reinvestimentis: nemini ex Judicibus Ordinariis liceat aliquod ex prædictis vinculis expresè vel tacitè cassare, & delere, nisi citatis prius legitimè & personaliter in singulis actibus, modo observari solito in Causis, quæ agitantur coram Judicibus Commissariis, omnibus prædictis interesse habentibus, vel, post primam ipsorum Citationem, Procuratoribus per eos legitimè constitutis, etiamsi interesse ipsorum pendeat ab una, vel pluribus conditionibus merè eventualibus, sive a casibus, & temporibus remotissimis, dummodò tamen prædicti interesse habentes, habeant Domicilium in Urbe, aut Statu Ecclesiastico, itaut saltem pro prima vice personaliter citari possint.

Descendentibus illius, qui petit deletionem, &

§. 42. Si verò nullus alius erit ulterior Substitutus, aut interesse habens, præter Filios, & Descendentes illius, qui petit deletionem vinculorum; vel etiam adsint ulteriores Substituti, sive interesse habentes, aliquis tamen ex eis Domicilium suum habeat extra Statum Ecclesiasticum, itaut commodè citari nequeat: Tunc Caput illius Tribunalis, in quo petitur deleri aliquod ex prædictis vinculis, deputare teneatur specialem Curatorem pro Filiis, & Descendentibus petentis, quatenus isti vocati sint, aut aliquod interesse habere possint, tum etiam pro aliis ulterioribus Substitutis, aut interesse habentibus, qui fuerint, ut supra, a Statu Ecclesiastico absentes: In Curatorem verò hujusmodi deputari omninò volumus non aliquem de vulgo, & sine ullo prorsus delectu, ut hactenus fieri consuevit, Petenti, ut plurimum, addictum; sed unum ex viginti quatuor Procuratoribus de Collegio, quem deputans pro sua conscientia censuerit magis idoneum ac diligentem: Nullusque Judex ad petitam deletionem seu cassationem procedere possit, nisi prius Curatore ejusmodi personaliter & legitimè in singulis actibus citato.

substitutis aut interessatis absentibus a Statu Ecclesiastico, deputetur Curator a Capite Tribunalis, unus ex Procuratoribus de Collegio, in singulis actibus legitimè citandus.

Curator teneatur opponere, appellare, & prosequi appellationem usque ad secundum Judicatum inclusivè.

§. 43. Sicuti autem ad hunc pertinebit pro debito suscepti Officii, nedum comparere, & opponere quidquid de jure opponendum erit, sed etiam appellare, & appellationem viriliter prosequi usque ad secundum judicatum inclusivè, si juxta conscientiam suam duxerit, eos, pro quibus deputatus fuit, a Judice primæ Instantiæ fuisse gravatos: Ita consequenter, ne idem Curator debita mercede fraudatus remaneat, volumus, & mandamus, ut ipsi de omnibus & singulis tam functionibus, quàm expensis per eum factis, postquam taxatæ fuerint ab eodem Capite Tribunalis, quamprimum & integrè satisfiat cum fructibus illorum ipsorum Locorum Montium, & Vacabilium, pro quibus tuendis labores suos impenderit, cum privilegio potioritatis & prælationis in concursu aliorum quorumcumque Creditorum, etiam Fisci, & Dotis: Et quatenus agatur de pecuniis depositis cum aliquo ex prædictis vinculis, quæ nullos pariunt fructus: Volumus, ut pro solutione dictarum functionum & expensarum, fiat exequutio manu regia contra eum, vel eos, qui pro deletione vinculorum insteterint, expedienda ab eodem Capite Tribunalis, absque eo quod appellatio ulla, aut recursus pro illa retardanda admitti possit.

Eidem satisfiat ex fructibus LL. MM. seu Offic. Vacab., cum privilegio potioritatis &c., vel ex bonis instantis pro deletione, manu regia.

§. 44. Præterea ut in exequutione prædictarum Citationum nullus collusioni locus relinquatur, neque amplius sub sola fide & assertione illius, qui pro deletione vinculorum instat, citetur aliquis præcedenter ab eo subornatus, loco illius, qui verè citandus esset: Si Cursor, aut Mandatarius benè cognoverit Personam, quæ propter suum interesse, ut supra, citanda est; Volumus eum in relatione exequutionis exprimere: *Feci personaliter contra N. N. mihi benè cognitum.* Si verò is, qui citari debet, Cursori, aut Mandatario benè cognitus non erit: Tunc volumus in exequutione Citationis omninò adhiberi unum saltem Testem de vicinia probum atque honestum, Cursori, & Mandatario cognitum, quique benè cognoscat Personam ejus, qui citandus est, & deinde in relatione exequutionis exprimi: *Feci personaliter contra N. N. cognitum N. N. Testi de vicinia præsenti rogato, & mihi benè cognito.* Judex autem non modo abstinebit a deletione & cassatione vinculorum, nisi prius ipsemet viderit prædictas Citationes personaliter, & legitimè, & juxta formam proximè traditam, exequutas; Sed insuper de hac sua visura in corpore ipsius Mandati fidem faciet: Aliàs Mandatum, quod ab eo relaxabitur, sit ipso Jure nullum, atque irritum, itaut neque a Thesaurario Generali, neque ab Officialibus, aut Depositariis paulò supra memoratis, ullo pacto exequutioni mandari debeat.

Præscribitur modus exequendi citationes personales interesse habentium, sub pœna nullitatis Mandati.

§. 45. Caveant itaque Judices, & respectivè

Contravenientes Ju-

dices, Administratores &c. subjiciuntur refectioni damnorum, & interesse, principaliter & in solidum.

Administratores, Officiales, & Depositarii, necnon Cursores, & Mandatarii, ne quid per eos fiat contra formam, & dispositionem hujus Nostræ Constitutionis: Si quis enim ei ausu temerario contraire præsumpserit, sciat se absque ulla spe veniæ, vel indulgentiæ, ultrà indignationem Nostram, pœnam quoque reductionis in pristinum, ac refectionis omnium damnorum, & interesse, non in subsidium, sed principaliter, & insolidum cum iis, qui prædictorum vinculorum deletionem, seu cassationem indebitè obtinuerint, ipso facto, atque ipso jure incursurum fore.

V. *Qui, quomodo, & quando interponere possint Decreta Jurisdictionis voluntariæ in Urbe & Statu Ecclesiastico.*

§. 46. Reliquum est, ut aliqua etiam opportunè statuamus pro recto usu voluntariæ Jurisdictionis in hac Alma Urbe, & Statu nostro Ecclesiastico exercendæ. Quamvis enim in prædicta Urbe, & plerisque aliis ejusdem Status Nostri Ecclesiastici Civitatibus, Terris, Castris, Oppidis, Locis, atque Provinciis, scitè prudenterque statutum sit, ne aliter Mulieres, & Minores, maximè verò Impuberes seu Pupilli, validè contrahere sive obligari possint, quàm certis præscriptisque adhibitis solemnitatibus, & præsertim quod causa contrahendi, vel distrahendi in scriptis Judici exprimatur; isque, causâ hujusmodi plene cognitâ, & verificatâ, super Contractu, seu Distractu, vel alia quacumque obligatione, Decretum, & auctoritatem suam specialiter interponat: Quia tamen experientiâ compertum est, nonnullos Judices, aut nullâ prorsus, aut leviori tantum negocii causæque cognitione præmissâ, facilè nimium indulgere postulatis eorum, qui aliena sexus simplicitate, vel ætatis imbecillitate, contra jus & æquum abutuntur; atque hinc Mulieribus, Minoribus, Pupillis, qui sub cura, & protectione Principis speciali quadam ratione constituti sunt, nullâ ipsorum culpâ, damna gravissima irrogari.

Provídæ leges circa Contractus, & obligationes Mulierum & Minorum non servatæ.

§. 47. Idcirco ut eorum indemnitati efficaciter consulatur consulatur, volumus in primis, ut in posterum nulli ex Gubernatoribus, Prætoribus, Vice-Ducibus, Vicariis, aut alio quocumque nomine nuncupatis Officialibus, qui actu Terrarum, Oppidorum, Castrorum, & Locorum Status Nostri Ecclesiastici, & præsertim Baronalium, regimen, aut publicum in eisdem munus & officium exercent, Decretum aliquod voluntariæ Jurisdictionis interponere liceat in Contractibus Mulierum, Minorum, vel Impuberum, nisi Laurea Doctorali in aliqua publica, & approbata studiorum Universitate fuerint insigniti, & super hoc in Cancellaria sive actis illius Civitatis, Terræ, sive Loci, publicum & legale documentum intra Mensem a die publicationis hujus nostræ Constitutionis computandum, & respectivè, qui in futurum deputabuntur, in principio sui Magistratus, coram Notario & Testibus in forma legitima deposuerunt: Aliàs decreta ab ipsis interposita nullius sint roboris & momenti, & ipse Judex pœnam infamiæ & perpetuæ inhabilitatis ad quæcumque Officia, & Magistratus, aliasque etiam Corporis afflictivas arbitrio nostro infligendas, ipso jure incurrat: Sublata quavis consuetudine in contrarium. Ne autem in humilibus Oppidis, seu Locis, propterea quod ibi Prætor aut alius Officialis Laurea Doctorali sit destitutus, Mulieres, Minores, vel Impuberes contrahere vel distrahere pro ipsorum indigentia penitus impediantur; volumus eo casu, constituimus, & mandamus, ut pro necessaria Decreti interpositione, ad Episcopum, vel alium ejusdem Loci seu Oppidi Ordinarium Ecclesiasticum, sive ad illius Vicarium Generalem recurratur, etiam si agatur de Bonis laicalibus & inter mere Laicos.

Nulli Judici aut Officiali, nisi sit Juris Doctor, licet interponere Decreta.

Ubi desit Judex Laicus Juris Doctor, recurratur ad Ordinarium Ecclesiasticum.

§. 48. In Urbe verò nulli posthac liceat quacumque auctoritate, & quibuscumque Privilegiis etiam Nostris, & Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum sub quacumque forma concessis suffulto, Decreta voluntariæ Jurisdictionis in contractibus Impuberum, Minorum, & Mulierum interponere, præterquàm Judicibus Ordinariis quatuor dumtaxat Majorum Tribunalium, dummodo tamen Decreta ejusmodi per se ipsos interponant; videlicet Cardinali pro tempore Urbis Vicario, ejusque Vicesgerenti, & Locumtenenti in Civilibus: Gubernatori similiter Urbis, & ejus Locumtenenti in Civilibus: Auditori Generali Causarum Cameræ Nostræ Apostolicæ, & duobus ejusdem Locumtenentibus in Civilibus: ac denique Senatori Urbis, ac duobus ejus Collateralibus: Quo vero ad Pauperum Advocatum ex Collegio Advocatorum Consistorialium assumi solitum, volumus, & ipsum quoque Decreta ejusmodi, sicuti hactenus observari consuevit, interponere posse, sed tamen pro solis Pauperibus, & Domi suæ tantùm, vel in Carceribus, si inibi contractum celebrari contingat, & omninò gratis, itaut nec etiàm a sponte dantibus aliquid exigere aut recipere possit: Nos enim pro effectu præmissorum quascumque concessiones favore aliorum factas, & quæcumque Indulta, & Privilegia etiam Nostra, & Nostrorum Prædecessorum, etiamsi speciali, & individua mentione indigerent, totusque eorum tenor pro sufficienti derogatione præsentibus inserendus esset, revocamus, & annullamus, ac pro nullis, & irritis, & nunquam concessis haberi volumus & mandamus.

In Urbe id non liceat, nisi Judicibus Ordinariis quatuor Majorum Tribunalium, & quidem per se ipsos.

Item Advocato Pauperum, Domi suæ, vel in Carceribus, & gratis.

§. 49. Ut autem tam in Urbe, quàm in reliquo Statu Ecclesiastico, ubi nempè, præter alias solemnitates, justa quoque causa cum Decreto Judicis pro actus validitate requiritur, Decreta ejusmodi non inconsultò, neque oscitanter interponantur: Statuimus, & mandamus, ut Judices prædicti tam Ecclesiastici, quàm Sæculares, quibus, ut supra, sive in Urbe, sive extra, facultatem hanc reservavimus, ac eorum quilibet, antequam deveniant ad actualem Decreti interpositionem, in ipso corpore Instrumenti exprimere primo loco teneantur specialem, certamque causam, sive unam, sive plures, propter quas contractus, sive distractus, aut quilibet alius actus, quo Mulier, Pupillus, aut Minor obligatur, videtur potius utilis, quàm damnosus.

Causa utilitatis Contractus vel obligationis exprimatur in Instrumento.

§. 50. Rursus, ac secundo loco, disertis itidem verbis exprimere teneantur, cum quibus juribus, & scripturis sive publicis sive privatis, Causam seu Causas ejusmodi verificaverint; distincte & singillatim enunciando, quoad jura vel instrumenta publica, cujuslibet eorum diem, mensem, annum, & Notarium; Quo verò ad scripturas privatas, mandando eas in ipso Instrumento per Notarium originaliter inseri, atque alligari.

Item jura & scripturæ, ex quibus evincitur hujusmodi utilitas.

§. 51. Ac tertio demum, non solum jura, & scripturas ejusmodi tam publicas, quàm privatas per se ipsos legere, recognoscere, ac ea majori, qua in Domino poterunt diligentia, examinare, & considerare teneantur, solutâ a Contrahentibus pro transportatione ad Domum Judicis consueta mercede pro viatico, seu viaticis Notariorum: sed etiam, quod illa per se ipsos legerint, recognoverint, & majori, qua potuerunt attentione, consideraverint, medio juramento affirmare.

Et juramentum super visura eorumdem jurium.

§. 52. His autem omnibus adimpletis, sicuti tam Judicem, quàm Notarium ab omni prorsus periculo litis & molestiarum eximimus & liberamus: Ita è contrario, quatenus Judex & respectivè Notarius in aliquo præmissorum defecerint, idest Judex vel certam & specialem causam exprimere, vel jura & scripturas illam verificantia distinctè, ut supra, enunciare, vel super illorum recognitione & examine juramentum proprium interponere; Notarius verò

Non servatâ præscriptâ forma, contravenientes teneantur de damnis & interesse in solidum & principaliter.

scripturas illas, quæ numero privatarum accensentur, inserere, & colligare, prætermiserint; damna omnia & interesse, Mulieribus, Minoribus, ac Pupillis, de proprio, directè, & insolidum cum altera parte, quæ cum eis contraxit, resarcire, ac reparare teneantur. Et nihilominus obligatio Mulieris, Minoris, aut Impuberis sit ipso nulla, & irrita, non obstante quocumque juramento, quod tali casu per fraudem, ac dolum extortum censeatur.

Et obligatio Mulieris &c. irrita remaneat.

VI. *Clausula præservativa.*

§. 53. Decernentes easdem præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod omnes vel singuli supradicti, ac alii quicumque in præmissis quomodolibet jus vel interesse habentes, seu habere prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis, seu aliàs specifica, & individua mentione & expressione digni existant, eisdem præmissis non consenserint, nec ad ea vocati, seu auditi fuerint, tametsi suorum indultorum, vel privilegiorum vigore, consentire, seu vocari semel, vel pluries quoquo modo debuissent, aut ex alia quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis Nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, ac formali & substantiali defectu, notari, impugnari, infringi, in controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari nullatenus posse, sed semper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere debere, & ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari.

Aliter judicari prohibetur: cum Decreto irritanti.

§. 54. Sicque & non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, quavis auctoritate, præeminentia, aut potestate fungentes & functuros, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere, irritum quoque & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis quibuscumque expresè derogatur.

§. 55. Non obstantibus omnibus & singulis præmissis, & quatenus opus sit, Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula, *de jure quæsito non tollendo*, necnon aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Urbis Nostræ, dictorumque Tribunalium, omniumque & singulorum supradictorum, quibusvis, etiam juramento, vel alia quavis firmitate sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, clausulis, decretis, aliisque supradictis in contrarium præmissorum roboratis, seu confirmatis, & innovatis statutis, ac usibus, stylis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, quibus pariter modo, forma, & tenore præmissis, ad effectum præsentium, illis aliàs in suo robore permansuris, amplissimè, ut præfertur, derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio pœnalis.

§. 56. Nulli ergò omnino Hominum liceat paginam hanc nostrarum reformationis, definitionis, statutorum, innovationum, derogationum, voluntatis, mandati, declarationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 21. Dec. 1745.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo quarto, duodecimo Kalendas Januarii, Pontificatus Nostri Anno Quinto.

D. Cardinalis Passionеus.

J. Datarius.

VISA DE CURIA.

J. C. Boschi.

L. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

Public. die 11. *Januarii* 1745.

Altare à Pontifice consecratum, super quo Sacrum fecit, variis Privilegiis decoratur. CXVI.

Carissimo in Christo Filio Nostro Johanni Portugalliæ, & Algarbiorum Regi Illustri.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Carissime in Christo Fili noster, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Lusitaniæ Regis pietas in augendo Ecclesiarum cultu.

DILECTUS Filius Emmanuel Pereyra Sampajus Militiæ Ordinis JESU-CHRISTI Commendator negotiis Majestatis Tuæ apud Sanctam Sedem præpositus sæpissimè Nobis declaravit Regale prorsus consilium ac pietatis plenum, excitandi magnificum Sacellum in Ecclesiâ, quæ in Civitate istâ Lisbonæ Sancto Rocco nuncupata est: Primam totius rei formam cartâ exaratam ac delineatam nostris subjecit oculis, nempe opera sive ex marmore, sive ex ære ducenda, aptissimas & elegantes gemmarum conjunctiones, ac tabulas effingendas ex opere concinnè tessellato, quibus omnibus perficiendis peritissimi hujus Urbis Artifices sedulam modò impendunt industriam, & quæ Nos ipsi (cum absoluta penitus fuerint) invisuros promisimus, antequam Lisbonam transvehantur. Postremò idem Commendator Sampajus Nobis exposuit, gratissimum fore Majestati Tuæ, si, perfecto jam lapide Altaris erigendi in Sacello, quod superiùs innuimus, ad ipsum consecrandum Nos ipsi deveniremus. Itaque cum jucundissimum Nobis sit morem gerere voluntati Majestatis Tuæ, quæ Dei cultum augere semper expetit, & simul nostri Apostolici muneris partibus satisfacere; hinc absque ullâ hæsitatione Nos paratissimos ostendimus, ut hujusmodi Consecrationem susciperemus in Ecclesiâ Sancti Antonii, quæ ad Lusitanos pertinet, die decimaquintâ mensis Decembris anni proximè elapsi, quo in Templo octiduum Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ celebrabatur. Quapropter Venerabilem Fratrem Nostrum Vincentium Episcopum Sabinensem S. R. E. Cardinalem Bichium nuncupatum, olim Apostolicæ Sedis Nuntium apud Majestatem Tuam, designavimus, qui præcedenti vesperâ sacras Reliquias exponeret; & re integrè peractâ, juxta leges, quæ à sacris Ritualibus præscribuntur, Nos posterâ die solemni indicto comitatu ad eamdem Ecclesiam Sancti Antonii venimus, eamque splendidè magnificèque ornatam deprehendimus. Cardinales octo Nobis advenientibus in Ecclesiæ liminibus adfuerunt. Post hæc initium fecimus Consecrationi totius lapidis, qui in parte ejusdem Templi aptissimè collocatus ante fuerat. Postquam, Deo juvante, finem Consecrationi imposuimus, licèt plurium horarum spatium requireret, eam facultatem Nobis haudquaquam tribuimus, quæ à Pontificali conceditur Episcopo consecranti, si debilitatus longo temporis incommodo fuerit, nempe ut alium suo loco substituat, qui sacrum faciat; Sed Nos

Altare ipsius jussu Romæ extructum, a Pontifice consecratur.

ipsi

ipsi super consecrato lapide Missæ Sacrificium celebravimus. Ritus ejusmodi pietatem incredibilem ac Religionem præsetulit, ad quem, præter Cardinales, quos jam memoravimus, omnes quoque Principum exterorum Oratores, Præsules, & Oprimates magnâ frequentiâ convenerunt. Res universa decenter ordinatèque peracta fuit, ob eximiam operam, studium, summamque diligentiam, quâ idem Sampajus Majestatis Tuæ negotiis apud Sanctam Sedem præpositus maximè præcellit.

Prærogativæ Altariù Pontificiorum.

§. 1. Equidem cum Nos ipsi sacraverimus hoc Altare, & super ipso Deo operati sacrum fuerimus, ob hanc causam Pontificium Altare appellandum est, nec ulli licet Sacerdoti ad ipsum accedere, ut Missæ Sacrificium peragat, nisi antea facultas nostra interesserit, juxta morem, & institutum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ Mater, & Magistra cœterarum Ecclesiarum habenda est. Id apertè demonstratur exemplo Altarium, quæ sunt in Ecclesiis Lateranensi, Vaticanâ, aliisque Patriarchalibus hujus Urbis, in quibus Aris solus Romanus Pontifex sacrum facere potest, aut etiam Cardinalis aliquis certis temporibus, factâ tamen priùs à Pontifice potestate, quæ per Apostolicum diploma declaratur. Anno 1588. Sixtus V. Decessor noster Sanctum Didacum solemni ritu inter Cœlites adnumeravit, ac deinde Philippo Catholico Regi dono misit Altare, ad quod sacrum fecerat, cum ritum ejusmodi Canonizationis perageret; Pontificium illud Altare pronunciavit, permisitque Cardinalibus, Episcopis, Abbatibus Thiarâ insignitis, & illis, qui primam Dignitatem in Ecclesiis Metropolitanis, & Cathedralibus obtinerent, demum Generali Ministro Ordinis Minorum Sancti Francisci, ac Priori in Monasterio Sancti Laurentii, Sacrificium Missæ super eodem Altari conficere diebus Festis Domini, Beatissimæ Virginis, Feriâ quintâ in Cœnâ Domini, in celebritate Sanctorum omnium, ac Sancti Didaci, uti constat ex ejus Diplomate, quod die 20. Augusti promulgatum fuit eodem anno, quem paulo ante indicavimus.

Forma Privilegiorum huic Altari adnexorum.

§. 2. Nos quidem instituta Decessorum nostrorum retinere perpetuò volumus; sed quibusdam gravibus causis adducti, paululum declinabimus ab eâ viâ, ac ratione, quam illi pro hujus rei exequutione tenuerunt. Ipsorum sententiæ constanter adhæremus, nemini licere ad Pontificias Aras sacrum celebrare, nisi priùs Apostolicam facultatem pro re gerendâ consequutus fuerit; tamen pro eâdem facultate tribuendâ diversum consilium a Decessoribus nostris suscipiemus; etenim cum Romæ diploma Pontificis toties necessariò requiratur, quoties ad Aras hujusmodi Romæ existentes Missæ Sacrificium indicendum est, & eadem facultas solis Cardinalibus conferatur, nempe cum dies quidam festi peculiares celebrantur; Et cum Sixtus dies etiam illos designaverit, quibus liceret sacrum facere super Altari, quod ad Catholicum Hispaniarum Regem Matritum transvehi jusserat; Nos pietate singulari Majestatis Tuæ permoti, & sperantes etiam ob singularem Dei bonitatem fore, ut reliqui omnes Lusitaniæ Reges eâdem pietatis laude commendentur, absque ullâ dierum, aut Sacerdotum limitatione, Majestatem Tuam, & Reges Lusitaniæ pro tempore futuros constituimus, ut nostro nomine, & Sanctæ hujus Sedis, facultatem impertiant sacrum faciendi ad Altare, quod a Nobis consecratum Lisbonam devehetur; pro certo habentes idipsum negotium tam cautè, ac prudenter à Majestate Tuâ pertractandum esse, ut nihil unquam futurum sit, quod rationi parum consentaneum videatur. Insuper idem Altare perpetuò privilegiatum declaramus, quamvis in Ecclesiâ Sancti Rocchi aliud Altare prædictum simili jam privilegio existat: Regi autem Lusitaniæ pro tempore, item Reginis, cæterisque eorum Consanguineis, & Affinibus usque ad tertium gradum inclusivè, plenariam Indulgentiam, & omnium delictorum remissionem elargimur, quoties Pœnitentiæ Sacramento expiati, & Sacrâ Synaxi refecti, ante ipsum Altare preces ad Deum effundent, ut hæreses extinguat, Christianos Principes ad concordiam deducat, & Sanctam Ecclesiam in altiorem gloriæ & dignitatis locum efferat.

§. 3. Hæc a Nobis præstanda duximus, ut Majestas Tua benevolentiam nostram magis agnosceret, gratique animi studium pro tot beneficiis, quæ in Nos amantissimè congessit. Illud quoque persuasum habeat optamus, hærere defixam animo Nostro Sui memoriam, & quoties sacrum Deo facimus, enixè petere, ut Majestatem Tuam omni cumulet felicitate, cui Nos pariter Apostolicam Benedictionem impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xv. Januarii MDCCXLV. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Dat. die 15. Jan. 1745.

CXVII.

Cum Neophytis in Loco Pio Catechumenorum Venetiis ad Fidem conversis dispensatur super interpellatione prioris Conjugis in Infidelitate relicti, ad effectum contrahendi Matrimonium cum Fideli.

Venerabili Fratri Martino Innico Archiepiscopo Calcedonen., moderno, necnon pro tempore existenti Nostro & Sedis Apostolicæ in Dominio Venetorum Nuntio.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Procœmium.

IN Suprema Catholicæ Ecclesiæ administratione imbecillitati nostræ a Pastorum Principe Jesu Christo impositæ, inter cæteras gravissimas pastoralis officii nostri sollicitudines ac curas, eam præcipuam esse magis magisque in dies experimur, qua & creditarum Nobis Ovium regimini prospicere, & Animarum saluti tenemur consulere.

Loci Pii Institutum.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Priores, & Gubernatores Loci Pii Catechumenorum Civitatis Venetiarum, quod Locus Pius hujusmodi ab usque anno MDLVII. fundatus a tribus Virorum dissimilis conditionis, nempe Regularium, Nobilium, & Civium, ordinibus, quibus pro tempore existens Venerabilis Frater Patriarcha Venetiarum semper præesse debet, jamdudum administrari, regi, & gubernari pergit. In hoc autem Infideles, Judæi, & Turcæ utriusque sexus, in distinctis cubiculis, ab eorum respective Priore, & Priorissa, tamquam in vera & reali clausura, conviventes, Catholicæ Fidei rudimenta, & dogmata edocentur, ac postmodum, præmissis longis diligentibusque examinibus, in propria dicti Loci Pii Ecclesia sacris lustralibus Aquis abluuntur: Illam subinde Priores, & Gubernatores prædicti sibi curam assumunt, ut Neophyti quidem hujusmodi in iis sese, pro suo quisque captu & ingenio, exerceant artibus, ut vitam inde honestè ducant; Neophytæ vero iis eleemosynarum subsidiis coadjuvantur, ut vel in Domino, vel in sæculo nubere possint. Quoniam autem sæpe contingit, utriusque sexus Infideles, Judæos, & Turcas hujusmodi, post contracta gentili ritu matrimonia, vel maritum uxorem, vel uxorem virum seu maritum, ut Catholicam Religionem amplecti possint, deserere, aliosque

Difficultas impediens Matrimonia Neophyt.

captivos

captivos factos, a propriis finibus, & propriis Conjugibus in alias regiones transferri; atque adeo dictis utriusque sexus Infidelibus, Judæis, & Turcis ad Fidem Catholicam conversis deesse modum & opportunitatem, vel quia interdum in hostilibus & barbaris Provinciis, ad quas ne nuntiis quidem patet accessus, commorantur; vel quia ignorant prorsus, in quibus regionibus sint, vel quia itineris longitudo magnam affert difficultatem, ad monendos interpellandosque utriusque sexus Conjuges, *an cohabitare velint sine contumelia Creatoris*; atque hinc fieri, ut non minima novis hisce matrimoniis objiciatur difficultas, qua obstante, sæpissima & gravissima damna consecuta sunt: Eapropter Exponentes præfati, ut hisce incommodis remedium afferre possint, per Nos opportune provideri, &, ut infra, indulgeri summopere desiderant.

Tribuitur Nuntio Facultas dispensandi super interpellatione Conjugum in Infidelitate relicti.

§. 2. Nos igitur dictos Exponentes specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, & quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana Generalium Inquisitorum adversus hæreticam pravitatem auctoritate Apostolica deputatorum consilio, Fraternitati Tuæ, & pro tempore existenti Nuntio Venetiarum, ut cum quibuscumque utriusque sexus Neophytis, vel Infidelibus, vel Judæis, vel Turcis, aliisque personis cujuscumque Sectæ hujusmodi in dicto Loco Pio pro tempore existentibus, seu in illum prius receptis & admissis, ac postmodum inde egressis, verè ad Fidem conversis, qui ante Baptismum matrimonia, ut præfertur, contraxerint, ut eorum quilibet, etiam superstite Conjuge Infideli, Judæo, & Turca, etiam ejus consensu vel requisito & non expectato, vel minime requisito; dummodo etiam Tibi constet summariè & extrajudicialiter, conjugem absentem moneri legitimè non posse, aut monitum, intra tempus in monitione præfixum suam voluntatem significare neglexisse; matrimonium cum quovis Fideli, & Catholico, præmissis prius proclamationibus, seu denuntiationibus a Concilio Tridentino præscriptis, in faciem Ecclesiæ ritè contrahere, ac carnali copula consummare, & in matrimonio sic contracto, quo ad vixerint, remanere libere & licite possint, auctoritate nostra Apostolica dispenses & indulgeas; Præterea matrimonia inter Neophytos hujusmodi, & alios Fideles, & Catholicos alias rite contracta, etiamsi postmodum innotuerit priores Conjuges Infideles, vel Turcas, aut Judæos, nonnullis legitimis impedimentis detentos, suam voluntatem significare minime potuisse, vel ad fidem etiam tempore secundi matrimonii conversos fuisse, ullo unquam tempore rescindi minime debere, sed illa semper firma, valida, & inviolabilia existere & fore, dicta auctoritate decernas & declares, plenam & amplam facultatem & potestatem, eadem auctoritate, tenore præsentium, tribuimus & impertimur; salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Et permittendi celebrationem Matrimonii, per adventum pr. conjugis non rescindendi.

Cum derogationibus opportunis.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 16. Januarii MDCCXLV. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Dat. die 16. Jan. 1745.

D. Cardinalis Passionei.

Esus Carnium diebus Sabbathi per annum, permittitur in Regnis Castellæ, Legionis, & Indiarum. CXVIII.

Venerabili Fratri Henrico Archiepiscopo Nazianzeno, apud Carissimum in Christo Filium Nostrum Philippum Hispaniarum Regem Catholicum nostro & Apostolicæ Sedis Nuntio.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Summarium precum & rationum.

JAMPRIDEM a Dilecto Filio Nostro Trojano Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Aquaviva nuncupato, pro parte Carissimi in Christo Filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici, supplicatum Nobis fuit, ut Regnis Castellæ, Legionis, atque Indiarum, in quibus veteri consuetudine licet edere partes extremas animalium, pedes nempe, alas, colla atque intestina die Sabbathi per totius anni spatium, non tamen diebus Sabbathi per Quadragesimam occurrentibus, aut cum jejunium præcipitur, Apostolica auctoritate licentiam & facultatem impertiremur reliquas etiam partes ipsorum Animalium Sabbatho edendi, uti cæteris Hebdomadæ diebus fieri consuevit: Ea verò causa potissimum in medium ferebatur, arduum prorsus ac difficile esse vetitas Animalium partes satis accuratè ac diligenter secernere a reliquis partibus, quæ in cibum permittuntur, idque molestos scrupulos ac dubietates in animis Fidelium excitare.

Consilium b. m. Card. Bellugæ.

§. 1. Quapropter opinionem b. m. Ludovici, dum viveret, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Bellugæ nuncupati exquisivimus, qui sententiam suam scripto exaratam Nobis declaravit, nempe in Regnis Castellæ, Legionis, & Indiarum, veterem morem obtinuisse, ut Sabbathis simplicibus, idest quibus nullum jejunii, aut Quadragesimæ præceptum indicitur, edere liceret pedes, alas, & colla Animalium; eadem tamen facultate carere Regna Aragoniæ, Valentiæ, Majoricæ, Minoricæ, & Principatum Cathalauniæ, quibus in locis temperantia a carnibus eodem pacto per Sabbathum, quo per dies Veneris observatur. Tandem idem Cardinalis affirmavit eo rem devenisse, adeoque sollicitos & anxios esse populos omnes, qui versantur in illis locis, ubi partibus extremis Animalium vesci solummodo, reliquis autem abstinere debent, ut necessarium duxerit elargiri licentiam & facultatem, quæ a memorato Cardinali Aquaviva, uti dictum est, petebatur.

Pontifex aliorum sententias exquirit ex Hispania, & in Urbe.

§. 2. Consilio tanti Cardinalis, quem Nos semper maximi fecimus ob singularem pietatem, doctrinam & rerum Hispaniarum cognitionem, acquiescere tutissimè poteramus; sed cum nulla diligentia supervacanea judicari deberet in hoc gravissimo negotio, in quo disciplina nimis relaxari, & pravæ consuetudini nova superaddi videbatur ab institutis Ecclesiæ prorsus aliena, aliorum pariter in hac re sententias requisivimus. Itaque postquam certi facti sumus, Episcopos, & Viros Ecclesiasticos Hispanos, sapientiæ, ac pietatis laude insignes, qui in Hispania degunt, in hanc opinionem convenire omnes, non modo utile, sed necessarium esse, populis, quos antea nominavimus, elargiri licentiam & facultatem, ut non solum quibusdam partibus

Animalium, sed omnibus liberè ad mensam utantur per Sabbatha simplicia; & si nequaquam id liceat, illud necessariò consequi, ut illi, qui Deum timent, in maximas angustias ac dubietates adducantur, cæteri vero, qui parum de Ecclesiæ disciplina solliciti sunt, ipsam apertissimè atque injuriosè contemnant; Rem etiam universam præclaris Theologis doctisque viris hic Romæ examinandam proposuimus; Nosque ipsi accurato studio perpendimus.

Rationes & exempla colligit pro concessione Indulti.

§. 3. Ac primum in mentem venit integram abstinentiam a Carnibus indicere per dies Sabbathi, quemadmodum tot aliæ Nationes & plura quoque Hispaniarum loca facere magna religione consueverunt. At Nos (omittimus hic recensere, qualiscumque sit, illorum opinionem, qui hanc consuetudinem edendi postremas Animalium partes tum cæpisse arbitrantur, cum fel. rec. Adrianus I. Egilam Toleti Archiepiscopum vehementer objurgavit, eo quod in Hispania carnes apponerentur die Sabbathi, sicuti in Græcia fieri solebat) Nos inquam permoti exemplo Sancti Gregorii VII. Prædecessoris itidem nostri, qui potius admonens, quam præcipiens, hortatus est Christianos, ut Sabbathi diebus a carnibus abstinerent, nisi forte sollenne aliquod festum iisdem diebus celebraretur; adducti pariter exemplo Innocentii III. Prædecessoris similiter nostri, qui hujusce consuetudinis plurimam rationem habuit; Insuper expendentes doctrinam Sancti Antonini, aliorumque præstantium Theologorum, illos nempe lethali culpæ obnoxios esse, qui die Sabbathi absque legitima causa vescantur carnibus, *in iis locis, ubi consuetudo contraria fuerit*; postremo illud animo cogitantes, non solum in Hispania, sed etiam in quibusdam Galliæ Diœcesibus, veteri instituto, Carnis esum permitti in Sabbathis, quæ inter diem Natalem Domini, ac Festum Purificationis interjiciuntur; his, inquam, causis perducti, primum consilium, quod in mentem venerat, deposuimus, facili conjectura perspicientes maximam difficultatem, quæ futura erat, si consuetudinem diuturnitate temporis confirmatam abrogaremus iis populis, quibus edere postremas Animalium partes permittitur.

Difficultas servandi fines limitatæ licentiæ.

§. 4. Post hoc consilium, aliud Nobis occurrit, nempe veterem consuetudinem ab ea, quæ recentior est, secernere, sive, quod idem prorsus est, solum indulgere ut intestina & partes extremæ Animalium in mensam afferantur, uti consuetudo jamdudum tenuit, at simul auctoritate nostra præscribere, ne reliquæ partes Animalium in cibum sumantur: sed huic sententiæ magnopere adversantur ea, quæ superius commemoravimus, nempe dubietates molestique scrupuli Fidelium ex una parte, & ex altera contemtus abstinentiæ, quam facilè negligerent illi, qui Divino timore parum ducuntur: Quæ cum ita se habeant, solum supererat facultatem largiri, ut diebus simplicis Sabbathi, non vero Quadragesimæ, carnes absque ullo discrimine permittantur: siquidem hoc pacto ratio habetur humanæ fragilitatis ac tenuitatis; pii Fideles ab omni sollicitudine metuque eripiuntur; ac postremo plurimis scandalis aditus intercluditur.

Plenarii Indulti concessio pro Sabbathis non privil.

§. 5. Qua de causa, morem gerentes voluntati ejusdem Philippi Regis Catholici, & obsecundantes vehementi studio tot Virorum, qui in Hispania commendatione pietatis excellunt, Fraternitati Tuæ per præsentes committimus & mandamus, ut nostro nomine, nostraque Apostolica auctoritate, permittas & indulgeas, ut in Regnis Castellæ, Legionis, atque Indiarum, per dies Sabbathi (quibus tamen neque abstinentia consueta Quadragesimæ, neque aliud jejunium præcipitur) quibuslibet Animalium partibus Fideles vescantur; eam vero conditionem adjicimus, nempe si consuetudo hujusmodi postremas Animalium partes edendi diebus Sabbathi, jamdudum in iisdem Regnis invaluerit, & a veritate aliena minime sint pericula Nobis exposita, & ipsa certò subeunda videantur, si Carnium esus ad certas Animalium partes solum redigatur. Interea Apostolicam Benedictionem Tibi, Venerabilis Frater, peramanter impertimur.

Conditiones adjectæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 23. Januarii 1745. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Dat. die 23. Janu. 1745.

D. Card. Passionеus.

De Rotuli partitione inter S. R. E. Cardinales in Urbe residentes tantummodo facienda; deque non residentium accessu ad Curiam, atque recessu &c.

CXIX.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Pontificis studium in exercitio justitiæ distributivæ.

IN Regimine Universalis Ecclesiæ, quod superna dispositione Omnipotens Deus Nobis, licet immeritis, commisit, illius rei cura animum nostrum assidue exercere solet, ut, quid deceat, & quod aptum sit Personis, sedulò prospiciamus, & in id vires nostras auctoritatemque conferamus, ut pro dignitate muneris, officii, & laboris, suum unicuique jus constanter & perpetuo tribuatur.

Accessus Cardinalium ad Curiam, Rotuli capiendi causa, communiter improbatur.

§. 1. Quoniam autem ex eo tempore, quo Nos in minoribus constituti, Romæ versantes, Apostolicæ huic Sanctæ Sedi nostram operam studiumque pro viribus nostris impendebamus, a præclarissimis Viris improbari sæpius audivimus eam consuetudinem, ob quam nonnulli S. R. E. Cardinales longè ab Alma Urbe nostra degentes, bis per annum ad illam ventitabant, ibique incogniti plerumque, & spatio paucorum dierum permanebant, ut cum reliquis S. R. E. præfatæ Cardinalibus Romæ commorantibus in partem *Rotuli*, vulgo ut dicitur, admitterentur, nempe ut acciperent partem, seu portionem illius pecuniæ, quæ, veluti quoddam laborum stipendium, distribui solet ejusdem S. R. E. Cardinalibus prædictis, qui non sine incommodo ad Consistoria, Congregationes, & ad Sacellum Pontificium, ubi Sacra Mysteria celebrantur, conveniunt.

Id nunquam præstitum a SS. D. N.

§. 2. Hæc præstantium Virorum opinio menti nostræ adeo adhæsit, ut cooptati inter ejusmodi S. R. E. Cardinales a fel. rec. Benedicto PP. XIII. Prædecessore nostro, & Ecclesiæ Anconitanæ regendæ ipsius Benedicti Prædecessoris beneficio præpositi, ac deinde a rec. mem. Clemente PP. XII. itidem Prædecessore nostro ad Metropolitanam Ecclesiam Bononiensem auctoritate Apostolica translati, nunquam spatio duodecim annorum Romam venerimus, ut dicti Rotuli fructum, seu partitionem perciperemus; nec Sedes nostræ curæ commissas unquam deseruimus, nisi causa Comitiorum, quæ bis interea temporis indicta fuerunt eisdem Cardinalibus, ut novus Pontifex de more crearetur. Statim vero atque ad Summum Apostolatum, licet immerentes, evecti, normam aliquam super hac re præscribendam censuimus; sed tunc executioni minime demandandam esse existimavimus, eò quod perpauci Cardinales Roma absentes numerarentur, qui proficisci ad Urbem commode possent, ut eamdem Rotuli partitionem, seu partem depoſcerent. Accedebat etiam, quod numerus eorumdem Cardinalium Romæ degentium, pluribus vita functis, adeo imminutus fuerat, ut ipsi solum exiguo detrimento afficerentur, etiamsi absentes pro comparanda

Qui ad Pont. evectus de eâ consuetudine tollenda deliberat.

sibi

sibi Rotuli partitione ad Urbem se conferrent. Attamen cum multi a Nobis Sacro Collegio Cardinales adscripti fuerint, & numerus absentium Cardinalium, qui bis per annum Romam venire fortasse deliberarent, ut Rotuli partem assequerentur, excreverit; & cum plures, quam antea, Cardinales modò in Urbe prædicta commorentur, quibus procul dubio gravius damnum inferretur, si veteri instituto pars ejusdem Rotuli Cardinalibus absentibus tribui deberet, qui statis anni temporibus ob hanc causam Romam accederent; ideo consilium a Nobis jam antea initum, probantibus nonnullis ex Dilectis Filiis nostris ejusdem S. R. E. Cardinalibus, executioni tandem demandandum esse decrevimus.

Non residentes in Urbe, qualibet ex causa, Rotuli expertes esse jubet.

§. 3. Eapropter motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, primùm ea omnia, quæ caventur, & præscribuntur in Constitutionibus dicti Sacri Collegii Cardinalium, & usque in hanc diem observari consueverunt quoad Cardinales de Latere Legatos, tenore præsentium confirmamus: ac insuper illos Cardinales Rotuli fructu omnino carere statuimus & decernimus, (licet bis per annum Romam accesserint), qui longe ab Urbe prædicta detinentur, quamvis id facere necesse sit, ne Sedes Archiepiscopales, aut Episcopales deserant, quas administrandas acceperunt, & quamvis etiam Præfecturam aliquam, sive quodcumque aliud munus a Sede præfata sibi demandatum gerant, sine Episcopali, vel cum Episcopali dignitate conjunctum, quod, si Roma absentes retinent, ejus certe naturæ & conditionis esse existimatur, ut cum ipsorum absentia copulari, &, sine eorum præsentia, Romani Pontificis vigilantia & auctoritate facile possit administrari. Cum vero Cardinales absentes pro suis negotiis expediendis, aut legitimam ob causam ad Urbem se contulerint, veterem consuetudinem & institutum servari volumus, præcipimus, & mandamus; nempe ut Rotuli partem capiant, habita ratione temporis, quo Romæ versantur: ea tamen lege obstricti, ut Nos, seu Romanos Pontifices pro tempore existentes, adeant, nec ab Urbe discedant, antequam a Nobis, seu Romanis Pontificibus Successoribus nostris, abeundi facultatem obtineant. Illos autem, qui sui muneris obliti (quod vix fore credimus) aliter se gesserint, non solum ab omni parte Rotuli percipienda penitus exclusos decernimus; sed præsentibus nostris Literis (quatenus opus sit) obnoxios esse declaramus censuris ac pœnis, quas piæ mem. Joannes PP. XXII. pariter Prædecessor noster irrogavit in Extrav. quæ incipit: *Etsi deceat quoslibet subditorum curam &c.* quam per præsentes pro plene & sufficienter expressam, ac de verbo ad verbum insertam habentes, ad modernos, & pro tempore existentes ejusdem S. R. E. Cardinales extendimus & ampliamus.

Accedentes ad Urbem ex causa legitimâ, partem capere pro tempore moræ.

Servata tamen lege Joannis XXII., super accessu, & recessu, sub pœnis in ea contentis.

§. 4. Decernentes, easdem præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis quomodolibet jus, vel interesse habentes, seu habere prætendentes, iisdem præmissis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi fuerint, tametsi suorum indultorum, vel privilegiorum vigore consentire, seu vocari & audiri semel, vel pluries quoquomodo debuissent, aut ex alia quacumque quantumvis pia, juridica, privilegiata, & rationabili, ac etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, causa, & occasione, colore, seu prætextu, titulo etiam oneroso, & capite etiam in corpore juris clauso, ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam maximo, substantiali, essentiali, & formali, aut incogitato defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, rescindi, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare nullatenus posse, sed ipsas præsentes Literas firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, & ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter & inconcusse observari: Sicque & non aliter per quoscumque quavis auctoritate, præeminentia & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ pro omnimoda literarum executione.

Sublata &c. irritum &c.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac, quatenus opus sit, nostris, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis, & signanter illa, quod Cardinales in Constitutionibus & Regulis per Nos edendis comprehendantur, nisi illæ eorumdem Cardinalium favorem concernant, vel ipsæ edendæ Constitutiones de illorum, seu majoris partis eorum consilio editæ fuerint, ac etiam de jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quibuslibet aliis decretis, statutis, usibus, stylis, & consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis quibuscumque sub quibusvis & quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus & aliis decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, & consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, editis, confirmatis, & approbatis, & quantiscumque vicibus innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium & singulorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter & expresse, ac plenissime & amplissime derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogationes.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 3. Februarii MDCCXLV. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Dat. die 3. Febr. 1745.

D. Card. Passionеus.

Declaratio super Constitutione, quæ incipit: *Sacramentum Pœnitentiæ*, adversus Sollicitantes, Anno MDCCXLI. edita.

CXX.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Pontificis sollicitudo pro recta Ecclesiasticarum legum intelligentia.

APOSTOLICI muneris partes in procuranda, præcipue rerum sacrarum pura illibataque penitus administratione versari debere probe intelligentes, non modo & assiduis hortationibus, & justâ, ubi res postulat, legum

severitate, ut ab Ecclesiasticis quibusque Ministris sancta sanctè tractentur, quantum cum Domino possumus, providere studemus; verùm etiam leges ipsas, ne fortè siniſtris interpretationibus in alterutram extremam partem, aut immoderati rigoris, aut detestabilis laxitatis, perperam detorqueantur, opportune communire ac roborare, pro earumdem tuendo vigore, cum occasio poposcerit, non prætermittimus.

Dubia excitata super sensu Constit. contra sollicitantes.

§. 1. Sane cum Nos aliàs per quamdam nostram Constitutionem, cujus initium est: *Sacramentum Pœnitentiæ*, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Kalendis Junii Pontificatus Nostri Anno Primo editam, omnibus & singulis Sacerdotibus tam Sæcularibus, quàm Regularibus interdixerimus, & prohibuerimus, ne aliquis eorum, extra casum extremæ necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire posset, Confessionem Sacramentalem personæ complicis in peccato turpi atque inhonesto, contra sextum Decalogi præceptum commisso, excipere auderet; Itaut absolutio, si quam impertivisset, nulla, atque irrita omninò esset, tamquam impertita à Sacerdote, qui jurisdictione, & facultate ad valide absolvendum necessariâ, ipsi per Nos vigore ejusdem Constitutionis adempta, privatus existeret, & aliàs prout in memoratâ Constitutione, cujus tenorem præsentibus pro plene & sufficienter expresso & inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri. Cum Nos subinde super ea dictæ Constitutionis parte, quæ mortis articulum respicit, dubitationes quasdam exortas fuisse acceperimus, quarum resolutionem privato cujusque judicio relinquendam minime existimamus, ne Lex incertis conjecturis & opinionibus jactata, in sensus a mente Nostra alienos forsitan distrahatur, ejusque vigor paulatim langueat atque enervetur.

Constitutio confirmatur in omnibus.

§. 2. Hinc est, quod Nos omnem dubitandi rationem, quantum cum Domino possumus, de medio auferre cupientes, Motu proprio, ac ex certa scientiâ, & maturâ deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, memoratam Constitutionem nostram cum omnibus & singulis in ea contentis, tenore præsentium, quatenus opus sit, confirmamus, illamque integre, penitus, & omnino, atque ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari præcipimus, & mandamus. Præterea, habita super his cum Venerabili Fratre Nostro Vincentio Episcopo Prænestino S. R. E. Cardinali Petra nuncupato Pœnitentiario Nostro Majori, ac dilectis Filiis Officii Pœnitentiariæ Apostolicæ Ministris, qui rem jussu Nostro mature perpenderunt, deliberatione, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, edicimus ac declaramus, eâdem Constitutione singulis, ut supra, Sacerdotibus, quemadmodum interdictum non est in mortis articulo personam in prædicto turpi peccato complicem confitentem audire, atque ab hujusmodi quoque culpa rite contritam absolvere, deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit; ita interdici re ipsâ & prohiberi prædicto modo tunc audire & absolvere, ut si alius aliquis Sacerdos non defuerit, etiamsi forte iste alius simplex tantummodo Sacerdos fuerit, sive aliàs ad Confessiones audiendas non approbatus, possit nihilominus ipse Sacerdos simplex Confessionem excipere ac absolutionem impertiri.

Præsertim quoad prohibitionem absolvendi etiâ in artic. mortis, ubi alius Sacerdos haberi possit.

Prohibitio remittitur, si adsit infamiæ aut scandali periculum.

§. 3. Porro, si casus urgentis qualitas, & concurrentes circumstantiæ, quæ vitari non possint, ejusmodi fuerint, ut alius Sacerdos ad audiendam constitutæ in dicto articulo personæ confessionem vocari, aut accedere, sine gravi aliqua exoritura infamia vel scandalo, nequeat; tunc alium Sacerdotem perinde haberi, censerique posse, ac si revera abesset, atque deficeret; ac proinde in eo rerum statu, non prohiberi socio criminis Sacerdoti absolutionem pœnitenti ab eo quoque crimine impertiri. Sciat autem complex ejusmodi Sacerdos, & serio animadvertat, fore se re ipsâ coram Deo, qui irrideri non potest, reum gravis adversus prædictam nostram Constitutionem inobedientiæ, latisque in ea pœnis obnoxium, si prædictæ infamiæ, aut scandali pericula sibi ultro ipse confingat, ubi non sunt: imo intelligat, teneri se graviter hujusmodi pericula, quantum in se erit, antevertere, vel removere, opportunis adhibitis mediis, unde fiat, ut alteri cuivis Sacerdoti locus pateat illius confessionis, absque ullius infamia vel scandalo, audiendæ. Ita enim ipsum teneri vigore memoratæ nostræ Constitutionis declaramus; & nunc quoque ita ipsi faciendum esse districte mandamus & præcipimus.

Quod tamen præverti, aut amoveri jubetur.

Controvenientes nihilominus in artic. mortis valide absolvunt.

§. 4. Quod si idem Sacerdos aut quovis modo sese nullâ gravi necessitate compulsus ingesserit, aut, ubi infamiæ vel scandali periculum timetur, si alterius Sacerdotis opera requirenda sit, ipse ad id periculum advertendum congrua media adhibere de industria neglexerit, atque ita personæ in dicto crimine complicis, eoque in articulo, ut præfertur, constitutæ sacramentalem confessionem excipere, ab eoque crimine absolutionem largiri, nullâ, sicut præmittitur, necessariâ causâ cogente, præsumserit; quamvis hujusmodi absolutio valida futura sit, dummodo ex parte pœnitentis dispositiones à Christo Domino ad Sacramenti Pœnitentiæ valorem requisitæ non defuerint: Non intendimus enim pro formidando mortis articulo eidem Sacerdoti, quantumvis indigno, necessariam jurisdictionem auferre, ne hâc ipsâ occasione aliquis pereat: Nihilominus Sacerdos ipse violatæ ausu ejusmodi temerario Legis pœnas nequaquam effugiet; ac propterea latam in dicta Constitutione majorem excommunicationem, eodemque plane modo, quo ibidem decernitur, Nobis & huic Sanctæ Sedi reservatam, incurret, prout illum eo ipso incurrere declaramus, volumus, atque statuimus. Non obstantibus omnibus & singulis illis, quæ in præfata nostra Constitutione voluimus non obstare, cœteriſque contrariis quibuscumque.

Sed pœnas, & censuras in constit. latas incurrunt.

Præsentium exemplis autoritas tribuitur.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio & extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VIII. Febr. MDCCXLV., Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Dat. die 8. Febr. 1745.

D. Cardinalis Passionеus.

Decretum Sanctæ Universalis Inquisitionis super perpetua inhabilitatione Sacerdotum ad turpia sollicitantium, vel Sacrificio Missæ abutentium ad sortilegia.

Feria V. Die 5. Augusti 1745.

IN Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Quirinali coram Sanctissimo Domino Nostro Domino Benedicto Divinâ Providentiâ Papa XIV, & Emis, ac Rmis DD. S. R. E. Cardinalibus adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus a Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Sanctis-

Sanctissimus Dominus Noster sollicitè animadvertens, quàm grave sit delictum illorum perditorum hominum, qui Sacrosancto Missæ Sacrificio, ac salutaris Pœnitentiæ Sacramento, ad Animarum reparationem a Christo Domino institutis, in illarum perniciem, & damnationem abutuntur, decrevit, quod in posterum Sacerdotes tàm Sæculares, quàm Regulares cujuscumque Ordinis, Instituti, Congregationis, & Societatis etiam de necessitate exprimendæ, vel in actu Sacramentalis Confessionis, sive illius occasione, aut prætextu, ad turpia Sollicitantes, vel Sacrificio Missæ abutentes ad sortilegia, præter pœnas a Jure, & Apostolicis Constitutionibus, ac signanter san. mem. Sixti V., & Gregorii XV. contra eosdem inflictas, perpetuam etiam inhabilitatem incurrant ad præfati Sacrificii celebrationem; Quodque ejusmodi Decretum significetur singulis cujuscumque Ordinis Superioribus, ac Præpositis, ad hoc ut de illo, sicuti, & de prædictis, aliisque Summorum Pontificum Constitutionibus, juxtà præscriptum in generali Decreto Supremæ Inquisitionis diei 15. Decembris 1633. semel saltem in Anno, Feria sexta post Octavam Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis in publica Mensa, vel in Capitulo ad hoc specialiter convocato, ac insuper in quocumque Generali, vel Provinciali Capitulo, vel alio quovis nomine nuncupato Capitulari Congressu suos Subditos, ac Religiosos commonendos curent, ejusdemque commonitionis coram Supremâ Congregatione juratum Testimonium exhibeant.

Paulus Antonius Cappellonus S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis Notarius.

Loco ✠ Sigilli.

Die 21. Augusti 1745. Supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum Palatii Sancti Officii, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Petrum Romolatium Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

CXXI. Annuus Census constituitur pro sartis tectis Basilicæ S. Mariæ Majoris.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Pontificis jus & auctoritas in bona Ecclesiarum, & Loc. Piorum.

AD Romanum spectat Pontificem, tamquam dispensatorem fidelem atque prudentem, quem constituit Dominus super familiam suam, ita de bonis temporalibus ad Ecclesias & Loca Pia pertinentibus disponere, ut si quæ alicui præter necessitatem exuberant, ea sublevandis alterius veris & sibi cognitis indigentiis attribuat. Qua quidem distributiva potestate, ac provida bonorum Ecclesiasticorum dispensatione, Venerabiles Prædecessores Nostros pluries, & variis in casibus, pro rerum opportunitate, utiliter usos esse dignoscitur.

Ipsius devotio erga Basil. S. M. Maj.

§. 1. Sanè per totum vitæ Nostræ cursum, quem hac fere in Urbe assidue transegimus, diversis muneribus & officiis addicti, quæ a Decessoribus Nostris Romanis Pontificibus tenuitati Nostræ demandata fuerunt, Patriarchalem Liberianam Basilicam Sanctæ Mariæ Majoris nuncupatam, peculiari quodam devotionis studio jugiter prosequuti sumus, non solum ex debito venerationis affectu erga Dei Genitricem, cujus titulo & nomine eadem Ecclesia, sub Liberio Romano Pontifice, patefaciente Deo per illustria signa atque prodigia suam hac de re voluntatem, in Exquiliis extructa, ac dedicata fuit; verùm etiam ob insignia Religionis monumenta, quæ in præfata Basilica asservantur; cujusmodi sunt ipsius Deiparæ Imago veteri Fidelium cultu celeberrima, quæ a S. Luca Evangelista depicta piè creditur, & a B. Gregorio Magno sacræ supplicationis ritu ad Vaticanum delata esse memoratur, quo factum sit, ut atrox pestilentiæ flagellum in Urbe Româ tunc sæviens continuò cessarit; Et Sacra Redemptoris Nostri Cunabula, in quibus infantilia membra Filii Dei a Virgine Matre reclinata fuerunt; quæque ex Bethleemitico specu ad eandem Liberianam Basilicam, titulo quoque Sanctæ Mariæ ad Præsepe ob id insignitam, septimo Christiani nominis sæculo delata fuerunt; quibus de rebus in geminis Nostris Operibus de Canonizatione Sanctorum, & de Diebus Festis Beatæ Mariæ Virgini dicatis, accuratè pro viribus, a Nobis est actum. His accedunt insignes aliquot Sanctorum Apostolorum Reliquiæ; tum etiam Corpus Magni Ecclesiæ Doctoris S. Hieronymi Presbyteri, cujus Patrocinio gaudet Bononiense Collegium Sacræ Theologiæ Doctorum, quorum numero Nos olim adscripti fuimus; Item Corpus S. Pii Papæ V. Prædecessoris, & Civis Nostri, pro cujus solemni Canonizatione tantopere olim, quum Advocati Consistorialis munere fungeremur, & voce & scripto adlaboravimus: Denique jucunda sese Nobis offert recordatio B. Nicolai Albergati, itidem Civis Nostri, & Bononiæ Præsulis, olim S. R. E. Presbyteri Cardinalis Tituli S. Crucis in Hierusalem; qui in hac ipsa Basilica Archipresbyteri dignitatem quondam obtinuit; & cui Nos paucis ante Mensibus, solemni judicio, prævia laboriosa Causæ discussione, cum magna animi nostri voluptate, Beatorum honores asseruimus.

Sacra monumenta in eadem asservata.

Item Sanctorum Corpora & Reliquiæ.

Basilicæ restauratio a Pontifice peracta.

§. 2. Cum verò ad summum Apostolatus apicem, nullis Nostris meritis, sed inscrutabili Dei voluntate evecti, insignem hanc Patriarchalem Basilicam in suis Ædificiis, & potissimum in anteriore Porticu, a fel. record. Gregorio Papa XIII. Prædecessore pariter & Cive Nostro vel erectâ, vel restauratâ, magnopere labefactatam ac penè ruinosam invenissemus; reluctantibus licèt præsentium temporum angustiis, atque notoria Ærarii Nostri penuria, arduum hujusmodi restaurationis opus aggressi; Ecclesiæ primum Tecta, & Laquearia vetustate corrupta restituimus, tum intra ipsam Ecclesiam Arcum, & Fornicem ante Sanctissimi Præsepis Sacellum, ad parem cum oppositi Arcu altitudinem elevari, atque ita patentem Ordinis deformitatem emendari curavimus. Mox etiam novam magnifici Operis Porticum, lectissimis lapidibus atque Columnis ornatam, a fundamentis excitari mandavimus; insuper primariam Basilicæ Frontem, marmoreo lapide, & Statuis insignem, in eam, quæ nunc visitur, celsitudinem attolli, in eâque amplam superiorem Porticum aperiri jussimus; ex qua, post celebratam de more unà cum Venerabilibus Fratribus Nostris in eadem Basilica solemnitatem Assumptionis Beatissimæ Virginis, Apostolicam Benedictionem Populo impertiri, pro sacri ritus majestate, commodissime potuimus; ac denique Ædes alteri ex ejusdem Basilicæ lateribus adnexas, quæ jam pridem inceptæ, at medio in opere desertæ jacuerant, à solo extruximus, atque ad totius Ædificii normam exegimus.

Porticus duplicis, & Ædium ædificatio.

Constituendus census pro conservatione Fabricæ.

§. 3. Hæc omnia, Deo adjuvante, a Nobis perfecta sunt, non sine magnis sumptibus, pro quibus tamen sustinendis neque minimum quid attigimus ex pecuniis Cameræ Apostolicæ, sed iis dumtaxat usi sumus, quas pleno jure, & salvis Prædecessorum Nostrorum Constitutionibus,

in alios quoscumque, & in nostros etiam privatos usus convertere potuissemus, easque in honorem Beatissimæ semper Virginis Mariæ libentissime impendimus. Verumtamen quum probe intelligamus, nullum esse Ædificium, quantumvis firmiter constructum, quod lapsu temporis ruinæ non sit subjectum, nisi ad ipsius sarta tecta tuenda certi ac perpetui redditus addicti fuerint; quam etiam ob causam in Canonicis statutis certa quædam fructuum portio pro conservatione Fabricæ Ecclesiæ cuilibet Beneficio adnexæ attributa reperitur; cumque Nobis perspectum sit, adeo imminutos esse proventus & redditus Capituli Basilicæ Liberianæ, ut onus hujusmodi Fabricæ conservandæ eidem imponi minime possit; idcirco post diuturnam atque maturam deliberationem hac de re Nobiscum & cum aliis quoque habitam, in hoc tandem mox declarandum consilium devenimus, quo stabilem, & sufficientem censum, ad effectum, de quo agitur, constitutum fore confidimus.

Sanctuarii Lauretani ampli redditus.

§. 4. Novimus videlicet Lauretanam B. Mariæ Virginis Ædem amplis ditatam esse redditibus, non solum in ipso Lauretanæ Civitatis Territorio, & in aliis compluribus Ecclesiasticæ Ditionis Provinciis, & Civitatibus; sed conspicuos quoque proventus quolibet anno exigere ex Locis Montium, Censibus, Domibus, aliisque fundis in hac Alma Urbe existentibus, partim provenienribus ex hæreditate bo. me. Hieronymi Loterii, aliorumque piorum Testatorum dispositionibus, partim acquisitis cum annuis superextantibus fructibus, redactis ex iisdem Urbanis fundis; quorum quidem fructuum, sive proventuum, post impleta Missarum aliorumque Piorum Operum onera, non exigua portio quotannis reliqua est, ad sustinendos etiam extraordinarios ejusdem Lauretanæ Ædis sumptus largiter sufficiens: prout inspectis jussu Nostro Libris accepti & expensi, aliisque documentis necessariis & opportunis, Nobis compertum est, & liquido constat.

Ex quibus statuit annuâ portionem detrahere.

§. 5. Horum itaque reddituum certam partem, & annuam summam, veluti perpetuum Fabricæ Basilicæ Lilerianæ censum, in ipsius conservationem & reparationem, prout necessitas postulabit, pro tempore erogandam, applicare decrevimus; quod quidem non solum de Apostolicæ potestatis plenitudine facimus, qua, ut supra diximus, de temporalibus bonis uni Ecclesiæ superabundantibus in alterius indigentiæ levamen liberè disponere Nobis integrum est; sed consentaneum quoque videtur cuidam congruentiæ, quæ inter utrumque Sanctuarium prædictum intercedit; dum in Æde Lauretana Beatissima Virgo ab Angelo salutata fuit, & Verbum Patri coæternum naturam nostræ humilitatis ibidem assumpsit; in Liberianâ verò Basilicâ Sacra asservantur Cunabula superius memorata, in quibus idem Verbum Caro factum, & in Antro Bethleemitico ex B. Virgine natum, ab eadem intemerata Parente fuit reclinatum.

Pensionem scut. 500. assignat Fabricæ S. M. Maj.

§. 6. Itaque Motu proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, meràque deliberatione Nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, Fabricæ ipsius Basilicæ S. Mariæ Majoris de Urbe, & pro ea Dilecto Filio Nostro Hieronymo S. Angeli in Foro Piscium S. R. E. Diacono Cardinali Columnæ nuncupato, ejusdem Basilicæ Archipresbytero, ejusque Successoribus Archipresbyteris, annuam summam seu portionem quingentorum scutorum monetæ Romanæ de juliis decem pro quolibet scuto, ex fructibus, redditibus, proventibus, obventionibus, & emolumentis tàm Locorum Montium, quàm Domorum, Censuum, & aliarum quarumcumque proprietatum ad prædictam Sacram Domum Lauretanam spectantium, & hic in Urbe consistentium, Hieronymo Cardinali, & Successoribus Archipresbyteris prædictis, per dilectos pariter Filios Sylvium Tituli Sanctæ Priscæ ejusdem S. R. E. Presbyterum Cardinalem Valenti nuncupatum Congregationis Lauretanæ Præfectum, & Magistrum Xaverium Justinianum ipsius Congregationis Secretarium, eorumque in Præfecturæ, & Secretariatus hujusmodi muneribus pro tempore Successores, tamquam fructuum, reddituum, & proventuum prædictorum administratores, annis singulis, duabus æqualibus solutionibus, pro unâ videlicet in Annunciationis B. Mariæ Virginis, a proxime ventura incipiendo, & alterâ, medietatibus summæ seu portionis hujusmodi, in Nativitatis ejusdem B. Mariæ Virginis immediatè sequenti, festivitatibus, & sic successive de anno in annum ac termino in terminum, integrè persolvendam, & per dictum Hieronymum Cardinalem, & Successores Archipresbyteros prædictos percipiendam, ac in reparationem & restaurationem Ædificiorum dictæ Basilicæ, ut infra, convertendam, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, constituimus & assignamus: Decernentes, Sylvium Cardinalem, & Magistrum Xaverium, eorumque respective Successores reddituum Sacræ Domus Lauretanæ pro tempore administratores, ad integram solutionem dictæ summæ, seu portionis, Hieronymo Cardinali, & Successoribus suis Archipresbyteris prædictis, donec & quousque per Nos, aut aliquem ex Romanis Pontificibus Successoribus Nostris, eidem Basilicæ, pro illius Ædificiorum manutentione, de alio æquè tuto ac securo redditu similis summæ, eisdem modo & forma persolvendo, aliundè commodè provisum fuerit, faciendam, juxta præsentis Constitutionis & assignationis tenorem, fore efficaciter obligatos.

Donec aliter eidé Fabricæ provideatur.

De administratione, & versione hujusmodi reddituum.

§. 7. Volumus autem quod tam dictus Hieronymus Cardinalis, quàm quilibet ex Successoribus suis dictæ Basilicæ pro tempore Archipresbyteris, annuam summam, seu portionem prædictam, a Nobis, ut supra, constitutam & assignatam, singulasque quantitates ducentorum & quinquaginta scutorum dictæ monetæ in singulis terminis superius statutis exigendas & percipiendas per Exactorem Capituli & Canonicorum dictæ Basilicæ, penes mensam nummariam Montis Pietatis de eadem Urbe, in proprio & particulari computo, intitulando nempe: *Fabrica della Basilica di S. Maria Maggiore*, ad ipsius Cardinalis Archipresbyteri, & duorum Canonicorum Fabriceriorum nuncupatorum ejusdem Basilicæ liberam dispositionem, deponere omninò teneantur; itaut Ordines eidem Monti Pietatis dirigendi subscribi debeant a prædicto Cardinali Archipresbytero, & Canonicis Fabriceriis pro tempore; & quod pecuniarum ejusmodi depositum semper distinctum & separatum esse & manere debeat, neque pecuniæ prædictæ ullo unquam tempore cum aliis redditibus, & proventibus Capituli; & Canonicorum prædictorum, confundi vel immisceri possint; sed ab ipso Cardinali Archipresbytero pro tempore ipsius Basilicæ, cum consilio & ad insinuationem Canonicorum Fabriceriorum prædictorum ejusdem Capituli, in reparationem, & restaurationem tam Ecclesiæ, quàm utriusque novæ nempe & veteris Domus Canonicalis, aliorumque annexorum ejusdem Basilicæ, exceptis tamen Cappellis Sixtina, & Paulina nuncupatis, aliisque Cappellis de Jurepatronatus in eadem Basilica existentibus, quarum reparationis & restaurationis onus earum respectivè Patronis incumbit, dumtaxat erogari debeant. Pari quoque ratione statuentes, quod Capituli & Canonicorum prædictorum Ratiocinator, ejusmodi dispositi rationes, & computa propria, distincta, & separata habere teneatur.

§. 8. Ve-

De residuis.

§. 8. Verum quia contingere poterit, ut integra summa dictorum quingentorum scutorum in restaurationem & reparationem prædictam quolibet anno non insumatur, contra autem fieri poterit summam longè majorem pro restauratione & reparatione ejusmodi quandoque necessariam esse; idcircò Nos eidem Hieronymo Cardinali, & Successoribus Archipresbyteris prædictis, per easdem præsentes, licentiam & facultatem tribuimus & impertimur, ut ipsi residuales summas, quæ singulo quoque anno superfuerint, pro suo, & Canonicorum Fabriceriorum prædictorum arbitrio, in Locis Montium Cameralium non Vacabilium dumtaxat reinvestire libere & licite possint & valeant.

Prohibitio aliter erogandi, sub pœna reintegr. de proprio.

§. 9. Mandamus autem & districtius inhibemus, nè pecuniæ prædictæ, aut Loca Montium ex eisdem pecuniis acquisita, eorumque fructus redditusque, in alios quoscumque, quàm in necessarios refectionis & restaurationis Ædificiorum prædictorum usus, ullo unquam tempore erogentur, aut insumantur; Quod si secus etiam in minima pecuniarum hujusmodi parte quandocumque fieri vel attentari contingat, contrafacientes ad debitam refectionem & reintegrationem de proprio faciendam omnino teneantur.

Clausulæ.

§. 10. Præsentes quoque Nostras Literas, etiam ex eo quod quicumque in præmissis quomodolibet interesse habentes eisdem non consenserint, aut vocati, seu auditi non fuerint, aliaque quavis de causa quantumvis juridica & legitima, de ullo subreptionis, & obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis Nostræ, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, aut in controversiam revocari, seu ad terminos juris reduci nullatenus posse; sed eas semper validas, firmas, & efficaces existere, & ab iis, ad quos spectat, & in futurum spectabit, inviolabiliter observari: Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, & quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Derogationes.

§. 11. Non obstantibus quoad ea, quæ præsentibus adversantur, quibuslibet testamentariis dispositionibus, ac ultimis voluntatibus quorumcumque piorum Testatorum, quas quidem, ad præmissorum effectum, auctoritate Apostolica commutamus; ac, quatenus opus sit, de jure quæsito non tollendo, & de præstando consensu, aliisque Nostris, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis, necnon quibuslibet Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam in Synodalibus, Provincialibus, & Universalibus Conciliis editis, innovatis, & confirmatis, dictæque Sanctæ Domus, & Ecclesiæ Lauretanæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis Sanctæ Domui prædictæ sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie in contrarium præmissorum quomodolibet concessis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis & individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, exprimerentur & insererentur, præsentibus pro plene & sufficienter expressis & insertis habentes, ad effectum præsentium, illis aliàs in suo robore permansuris, harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio.

§. 12. Nulli ergò Hominum liceat paginam hanc Nostræ ordinationis, assignationis, applicationis, commutationis, derogationum, statuti, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 11. Febr. 1745.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo quarto, tertio Idus Februarii, Pontificatus Nostri Anno Quinto.

D. Cardinalis Passionei.

J. Datarius.

VISA DE CURIA.

J. C. Boschi.

L. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

Celebratio Cappellæ Pontificiæ in Basilica S. Mariæ Majoris die Festo CONCEPTIONIS Beatæ Mariæ Virginis decernitur.

In Consistorio Secreto habito die 26. Novembris 1742.

Venerabiles Fratres.

PATERNA animi Nostri commiseratione non minus quàm consilio vestro permoti statuimus, publicas in hac Urbe preces indicere, ut Pater Misericordiarum Deus dignetur vota Nostra respicere, quæ ad pacem Christianorum Principum unicè tendunt, & ad optatam tranquillitatem Orbis, qui (quod nemo Vestrum ignorat) horribili malorum procella concutitur.

In plures itaque Urbis Ecclesias variæ distribuentur Missiones, ut per veram peccatorum pœnitentiam obsecrationes, & vota fiant coram Deo magis accepta, & unusquisque ad Sanctæ Indulgentiæ fructum percipiendum magis aptus ac paratus accedat. Cessabunt Sacræ Missiones pridie Festum CONCEPTIONIS Virginis Immaculatæ, in quo solemni die Nos Cappellam Pontificiam in Liberiana Basilica haberi volumus. Quod quidem non hoc anno tantùm, sed singulis quibusque annis fieri mandamus, ac præcipimus, ut Cappella hæc Pontificia in honorem Immaculatæ Virginis quotannis celebranda cæteris annumeretur, ut nimirum ipsa Beatissima Virgo a Deo pro Nobis implorare dignetur, quod petimus; suoque patrocinio non minus Catholicam Religionem, quàm hanc Apostolicam Sedem benignè tegere velit, ac fovere. Hoc Vobis significandum esse censuimus.

Sequitur Decretum de Cardinali, a quo Missarum solemnia dicta die celebranda sunt.

Cum Sanctissimus Dominus Noster BENEDICTUS PAPA XIV. *in Secreto Consistorio diei 26. Mensis Novembris proximi præteriti alloquutionem habuerit Eminentissimis Patribus, qua publicas in Urbe indictas preces, ut Pater misericordiarum Deus sua vota respiceret, quæ ad Pacem Christianorum Principum, & ad optatam Orbis tranquillitatem unice tendunt, significavit; Eosdemque de Missionibus in variis Urbis Ecclesiis distributis certioratos reddidit, ut quisque Fidelium per veram peccatorum pœnitentiam Plenariæ, quam indulsit,*

Indulgentiæ fructum uberiorem perciperet, nec non ut Beatæ Mariæ Virginis Interceſſione, cujus Conceptionis *Feſtum imminebat, ferventiùs Urbs tota depoſceret, ſingulis annis in Baſilica Liberiana Pontificiam Cappellam, ipſa recurrente* Conceptionis *die, perpetuò habendam decrevit. Ut autem de Cardinali celebrante in prædicta ſic inſtituta Cappella in futurum conſuleret; Pontificum Prædeceſſorum ſuorum exemplo, qui in recurrentibus anni ſolemnitatibus Miſſas celebrandas nonnullis S. R. E. Cardinalibus, quibus vel ordinis, vel muneris ratione id congruè competere videbatur, aſſignarunt, a Cardinali pro tempore Burgheſiani Sacelli Protectore ſingulis annis die Feſto* Conceptionis *Beatæ Mariæ Virginis, ſive dicta Cappella Papalis in Liberiana Baſilica, ſive propter obveniens aliquod impedimentum in Palatii Apoſtolici, vel Vaticani, vel Quirinalis, publico reſpectivè Sacello habeatur, ſemper, & ubique Pontificalem Miſſam fore concinendam, ſtatuit: Hanc verò Sanctiſſimam ſuam voluntatem, perpetuis futuris temporibus valituram, idem Dominus Noſter ſuæ vivæ vocis oraculo in Diariis redigendam, ac in forma Decreti publicandam, ubi neceſſitas expoſtularet, ex injuncto mihi officio demandavit. In quorum omnium, & ſingulorum fidem præſens hoc documentum proprio charactere ſubſcriptum, ſolitoque ſigillo munitum dedi Romæ die 3. Decembris 1742. ejuſdem Sanctiſſimi in Chriſto Patris Pontific. III.*

Ignatius Reali Apoſtolicis
Cœremoniis Præfectus.

CXXII. De Proceſſione Generali in Solemnitate Sanctiſſimi Corporis Christi, tempore Apoſtolicæ Sedis vacantis, in Urbe peragenda.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Pontificis providentia in futurum tempus extenditur.

Pastoralis ſollicitudinis officium, quantum Nobis ex alto conceditur, omni ex parte implere ſatagentes, non ſolum ea, quæ ſub oculis noſtris geruntur, opportunis legibus aptè ordinare atque dirigere ſtudemus; verum etiam providentiæ noſtræ intuitum ad ea intendere non omittimus, quæ poſt expletum a Nobis hujuſce mortalis vitæ curſum, ubi Omnipotenti Deo, qui numeravit dies noſtros, ita placuerit, aut fieri neceſſariò debere, aut evenire poſſe proſpicimus.

Solemnitas Corporis Christi vacante Apoſtolica Sede pluries occurrit.

§. 1. Sanè ex quo in hac Romana Urbe a prima fere ætate diverſis in gradibus commorati ſumus, meminimus, non ſemel, ſed iterùm, ac tertiò jam contigiſſe, ut, vacante, per obitum Romani Pontificis, Apoſtolica Sede, ſolemnitas Corporis Christi recurreret, in qua, ex pia Urbani Papæ IV. Prædeceſſoris Noſtri inſtitutione ac lege, & fructuosâ univerſæ Catholicæ Eccleſiæ conſuetudine, poſt exacta Paſchatis & Pentecoſtes ſolemnia, viviſicum Euchariſtiæ Sacramentum, continuatâ per dierum Octavam celebritate, & publicis Supplicationibus a Chriſtiſidelibus percolitur. Cumque hujuſmodi Supplicationibus, ſive Proceſſionibus, vivente Romano Pontifice, initium det prior illa & ſolemnior Supplicatio, quæ incipiens ab ipſo Pontificiarum Ædium Vaticani Sacello, præeuntibus & ſubſequentibus omnibus tam Sæcularis, quàm Regularis Cleri, Romanæque Curiæ & Pontificiæ Aulæ Officialium Ordinibus, per congruum viarum ambitum, ad Baſilicam Principis Apoſtolorum procedit, ibique terminatur; vacante, ut prædiximus, Apoſtolica Sede, Nobiſque, per mortem recol. mem. Prædeceſſorum Noſtrorum Benedicti Papæ XIII., & Clementis Papæ XII., intra Apoſtolicorum Comitiorum ſepta commorantibus, quæſtionem hanc, non ſine ſententiarum atque ſtudiorum varietate, audivimus agitari; an ſcilicet in eodem Vaticano, an verò in Lateranenſi Patriarchio, ſolemnis illa, & generalis, de qua ſupra dicebamus, Supplicatio peragenda eſſet. Et quidem præmiſſis in caſibus, Noſtris primùm oculis aſpeximus, deindè etiam aliorum relatione audivimus, præfatæ ſolemnitatis celebritatem duplici Supplicatione inchoatam fuiſſe, quarum altera in Baſilica S. Joannis in Laterano, altera verò ſimul eodem tempore in Baſilica S. Petri in Vaticano habita fuit; Diviſionem autem factam fuiſſe eorum, qui primæ hujuſmodi generali Supplicationi intereſſe tenebantur; nonnullis videlicet ad unam, aliis verò ad alteram ex prædictis Baſilicis accedentibus, prout vel ratione, vel imperio, vel etiam propria voluntate atque arbitrio adducti fuerunt.

Cum diviſione Proceſſionis generalis, communiter improbata.

§. 2. Quod quum Noſtrâ, & aliorum etiam complurium ſententiâ, nec Eccleſiaſticis regulis ac ritibus, nec piæ Prædeceſſorum Noſtrorum menti, conſentaneum eſſe judicaverimus; neque verò abſque notabili Divini Cultus imminutione, & Populi ſcandalo, reipſa fieri contigerit; Nos, cupientes tantæ ſolemnitatis initia, communibus omnium ordinum ſtudiis, eoque maximo cultus ſplendore, quo potiſſimum fidelium mentes ad debitum erga Divinæ bonitatis myſteria venerationis affectum excitantur, omni tempore concelebrari; Motu proprio, & ex certa ſcientia, poſt maturam deliberationem hac de re habitam, hanc in poſterum præcepti Noſtri formam volumus eſſe perpetuam, quâ de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſtatuimus atque mandamus, ut, ſicuti Sede plena de manè Feriæ V. poſt Feſtum Sanctissimæ Trinitatis, unica Supplicatio, ſive Proceſſio Generalis Sanctissimi Corporis Christi in Urbe peragi conſuevit, ita eâdem Apoſtolica Sede vacante, ubi Solemnitatem prædictam, anno vertente, celebrandam eſſe contingat, unica pariter in Urbe Generalis Proceſſio habeatur, cum interventu omnium & ſingulorum, qui de cætero hujuſmodi Supplicationi generali adeſſe tenentur; quorum nomina, & incedendi ordo, aliis Noſtris Apoſtolicis Literis hac ipſa die manu Noſtra ſubſcriptis diſtinctiùs expreſſa reperiuntur.

Præſcribitur celebratio unicæ Proceſſionis generalis, uti mos eſt, Sede plena.

§. 3. Dum autem pro hujuſmodi generali Supplicatione Sede vacante, ut præfertur, habenda, congruum opportunumque locum deligere, & conſtituere mente animoque verſabamus; illud Nos maximè permovit, quod animadvertimus, in cæteris per Chriſtianum Orbem Civitatibus, tempore Epiſcopalis Sedis vacantis, nihil mutari ſolere circa locum, aut Eccleſiam, in quo, ſeu qua, Epiſcopo vivente, quotannis præcipua hujuſmodi Proceſſio Corporis Christi celebrari ſolet. Itaque quemadmodum in Urbe, Sede plena, Proceſſio Generalis hujuſmodi in Vaticano celebratur, quantumvis Pontifex in ejuſdem Vaticani Ædibus actu non commoretur, ſed in Quirinali Palatio degat, vel etiam eundem extra Urbem moram trahere contingat; ita nihil obſtare cenſemus, quominus, etiam defuncto Pontifice, Proceſſio Generalis die Feſto Corporis Christi in Vaticano pariter celebretur; quin potius id ſatis congruum & opportunum fore judicamus, habita ratione tum Vaticani Conclavis, in quo Collegium S. R. E. Cardinalium, ad maximum in Terris opus peragendum, tunc temporis permanet, tum frequentiæ Populi, qui hac de cauſa per eos dies ad Vaticanum confluit.

Et quidem de more apud Baſilicam S. Petri in Vaticano.

§. 4. In-

Processionis ordo, & iter.

§. 4. Inchoanda igitur erit prædicta Supplicatio generalis a Basilica Vaticana, ea hora, quæ a Congregatione Cardinalium in Ordine Priorum indicetur. Et quidem Missæ Sacrificium per eum, a quo Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, ut infra, deferendum erit, ad Altare Cathedræ S. Petri celebrabitur. At quoniam plures causæ obstant, quominus tempore Sedis vacantis amplior ille ambitus, atque splendidior viarum apparatus servetur, qui, vivente Pontifice, sive is præsens sit, sive absens, observari consuevit; statuimus, prædictam Supplicationem per brevius illud iter procedere, eodemque apparatu perfici, quo jam alias, vacante Apostolica Sede, in eodem Vaticano factam fuisse constat; in ejus quoque regressu, volumus, omnes & singulos, qui in Processione interfuerint, cum intortitiis accensis, intra eamdem Basilicam de more dispositos, usque ad extremum manere: ac demum, Sanctissimo Sacramento super Altare majus, Confessionis videlicet Principis Apostolorum, per manus Diaconi Episcopo adstantis collocato, & consuetis precibus devotè decantatis, ab ipso Episcopo celebrante trina benedictione cum eodem Sacramento super Populum data, angustam sanctamque celebritatem absolvi.

Electio Antistitis, qui deferat Sanctissimum Sacramentum Sacro Cardinalium Collegio tribuitur.

§. 5. Et quia prædicta Supplicatio, quæ sic, ut præmissimus, Nostræ hujus Ordinationis vigore celebranda erit, nequaquam habenda est pro peculiari Processione Basilicæ Vaticanæ; quæ quidem Basilica propriam Supplicationem peragit in die Octava CORPORIS CHRISTI; sed locum tenere debet generalis illius Supplicationis, quam, Sede plena, Romanus Pontifex celebrare solet, & in qua Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ab ipso Pontifice, vel, eo impedito, ab antiquiore ex S. R. E. Cardinalibus defertur; hinc est, quod, Sede Apostolica, ut præfertur, vacante, volumus, ut a Collegio prædictæ S. R. E. Cardinalium, hoc est a Congregatione trium Cardinalium in quolibet Ordine Priorum, & a Cardinali ejusdem S. R. E. Camerario, triduo ante Solemnitatem CORPORIS CHRISTI, aliquis eligatur & deputetur, qui præfatum Augustissimum Sacramentum deferat; unus nimirum ex Patriarchis, sive Archiepiscopis, aut Episcopis in Romana Curia præsentibus, cui ministrare debebunt Sacri illi Ministri, qui in Cappellis Cardinalitiis Officio Diaconi & Subdiaconi sunt perpetuò addicti.

Ministri, & Assistentes enunciantur.

§. 6. Acolythi pariter Cappellæ Pontificiæ, necnon ejusdem Cappellæ Clerici, aliique inferiores Ministri, in propriis Officiis ritè ministrabunt, sub directione eorum ex Pontificis Cæremoniarum Magistris supra numerum, qui, juxta Constitutionem a san. mem. Decessore Nostro Clemente Papa XII. de rebus Sede vacante peragendis editam, cum aliis ingredi Conclave non permittuntur.

Item Cantores ejusdem Cappellæ Pontificiæ Hymnos & Laudes de more concinentes, & Missæ celebrationi intererunt, & totam Supplicationem in suo gradu & ordine prosequentur.

Umbellam verò seu Baldacchinum, iidem ferè suis respectivè vicibus deferent, qui, vivente Pontifice, ejusmodi decorantur prærogativâ. Ejusdemque Umbellæ latera, tam Officiales virgæ rubeæ cum intorticiis, quàm Servientes Armorum, sive Mazzerii Papæ nuncupati, cum Maziis argenteis, & Milites Helvetici cum suis Decurionibus atque Tribunis, militari ritu armati, claudent, & respectivè custodient.

Nullam verò peculiarem Crucem volumus elevari, sub qua tota Supplicatio incedat; sed propriam Crucem a singulis tam Sæcularis, quàm Regularis Cleri, Capitulis, Ordinibus, sive Corporibus, ex quibus Processio componitur, de more erectam deferri. Cursores etiam Cardinalis pro tempore Urbis Vicarii, quemadmodum Sede plena mos est, totum Processionis Ordinem dirigere mandamus.

Sacra Suppellex, lumina, & apparatus, unde desumi debeant.

§. 7. Sacræ autem Vestes, necnon Ostensorium, Thuribulum, Candelabra, argentea Funalia, Umbella, seu Baldacchinum, & reliqua suppellex ad Sacram Functionem necessaria, ab Apostolico Sacrario, seu respectivè a Pontificia Floreria, subministrari debebit. Cerei quoque, quotquot necessarii erunt, sumptibus Cameræ Apostolicæ provideri; ac demum Porticuum Vaticani, & reliqui ambitus apparatum, Apostolicarum Ædium Aulæis, ut vivente Pontifice, moris est, & in reliquo, ejusdem Cameræ Apostolicæ sumptibus, adornari præcipimus.

§. 8. Denique Pontificios Milites Urbanos per totum Processionis iter dispositos de more adesse, eamdemque subsequi, & custodire jubemus.

Executio generaliter injungitur.

§. 9. Quapropter omnibus, ad quos spectat, & ad quos in casu pro tempore spectabit, committimus, & mandamus, ut quæcumque, ad Divini Cultus & Religionis incrementum ac decus, hac Nostra Constitutione statuimus & ordinavimus, singuli pro virili parte respectivè impleant, & ab aliis impleri curent. Specialiter autem Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, iisque potissimum, qui pro tempore in quolibet Ordine Priores existent, una cum ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Camerario, injungimus, ut opportuna mandata atque præcepta, pro præmissorum omnium executione expediant. Itemque ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus pro tempore Camerario, Vice-Cancellario, & Majori Pœnitentiario, ut omnes sibi respectivè Subditos Ministros, & Officiales, eorumque Collegia, sive Ordines, qui hujusmodi Processioni Generali de more adesse debent, sub consuetis præceptis & pœnis, adesse compellant; Ac demum Cardinali, qui pro tempore in Urbe, ejusque Districtu, Romani Pontificis Vicarius existet, ut omnes Cleri Sæcularis & Regularis Ordines, qui, vivente Pontifice, eidem pariter Supplicationi interesse solent, Collegia, Capitula, etiam Basilicarum Patriarchalium, & Collegiatarum etiam insignium, aliosque omnes etiam necessariò exprimendos, sub consuetis pariter præceptis, ac pœnis, auctoritate sibi a Nobis in perpetuum harum tenore delegata, jubeat interesse.

Clausulæ præservativæ & derogatoriæ.

§. 10. Has enim Nostras Literas, & in eis contenta quæcumque, perpetuò firma, & efficacia existere volumus, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, atque ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quomodocumque spectabit, plenissimè observari; Sublata omnibus & quibuscumque, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus prædictis, eorumque Collegio, & Ordinum respectivè Prioribus, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerario, aliter decernendi & statuendi facultate; & non obstantibus, si quæ in contrarium facientes adesse dicantur, Apostolicis Constitutionibus & Ordinationibus quibuscumque; Necnon quarumcumque Ecclesiarum, Basilicarum, etiam Patriarchalium, & Collegiatarum insignium, & quorumvis Ordinum, Congregationum, Institutorum, Collegiorum, Communitatum, ipsiusque Cleri Urbis, & Personarum singularium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, & quavis alia firmitate roboratis Privilegiis, Statutis, Constitutionibus, usibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiamsi de iis, eorumque respectivè tenoribus expressa & individua mentio habenda foret; quibus omnibus & singulis, aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad præmissorum effectum, plenissimè & amplissimè motu

pari

pari derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio pœnalis.

§. 11. Nulli ergo Hominum liceat paginam hanc Nostrarum Constitutionis, Ordinationis, voluntatis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 16. Febr. 1745.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo quinto, quartodecimo Kalendas Martii, Pontificatus Nostri Anno Quinto.

D. Card. Passionеus.

J. Datarius.

Visa de Curia.

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

Schedula Motus proprii, de qua fit mentio in Constitutione.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Motu proprio &c.

Omnibus & singulis Officialibus Romanæ Curiæ, qui aliàs juxta antiquum ejusdem Curiæ morem, & ritum, in generali Pontificia Processione Sanctissimi Corporis Christi cum albis intortitiis, Apostolica Sede plena, interesse solent ac debent, quoties Processionis celebritatem hujusmodi, tempore prædictæ Sedis Vacantis, occurrere contigerit, quemadmodum illius tunc peragendæ formam Apostolicis nostris Literis hac ipsa die sub Plumbo datis in perpetuum præscripsimus, ita præsentis nostri Motus proprii &c. Schedula districtè præcipiendo mandamus, ut ipsi pro eorum debito & condigna erga tantum Sacramentum veneratione, celerique & tranquilla actus hujusmodi expeditione, sub pœna privationis a perceptione emolumentorum ratione suorum respectivè Officiorum per duos continuos menses ex tunc proximè futuros eis obvenientium, aliisque arbitrio tunc existentium S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, quibus dictarum Literarum nostrarum executionem injunximus, in contrafacientes infligendis, in eadem Processione ordine infra assignando, absque ulla contradictione aut replicatione, vel interpellatione incedere debeant. Nos etenim eisdem Officialibus, atque omnibus & singulis eorum Ordinibus, ac Collegiis quibuslibet, super quæstionibus & controversiis quoad procedendi Ordinem, silentium imponimus, donec aliter a Nobis aut Successoribus nostris Romanis Pontificibus, vel competentibus Judicibus, definitum fuerit in Judicio petitorio, quod eis earumdem tenore præsentium reservamus.

Officiales autem Cameræ, Cancellariæ, & Pœnitentiariæ Apostolicarum, quibus consuetum in eadem Processione locum præservamus, volumus eodem incedere Ordine, quo descripti reperiuntur in Rotulo a Nobis sub initio, & quolibet Pontificatus Nostri anno subscribi solito, seu in aliis Rotulis a Romanis Pontificibus Successoribus nostris pro tempore subscribendis: Quorum Rotulorum seriem, & ordinem, ne vacante Apostolica Sede prædicta, de eorum vigore, & subsistentia hæsitari contingat, ad præmissorum effectum tantùm, ex nunc, prout ex tunc, & è contra confirmamus, & approbamus; Ac, quandocumque casus obvenerit, hujusmodi Ordinem seu seriem Rotuli ultimo loco a Romano Pontifice tunc proximè defuncto subscripti, illiusque integrum tenorem, ante ipsum Processionis prædictæ initium per unum ex Pontificiis Cursoribus de more legi, & recitari præcipimus. Quo verò ad alias Personas, de quibus in dictis Literis meminimus, eorum nomina, Officia, & incedendi Ordinem, ut infra, præscribimus, videlicèt:

Præcedentibus Alumnis Hospitii Apostolici, & Orphanotrophii; tum Ordinibus Regularium, Parochis Ecclesiarum Urbis cum Stolis, Clero, atque Capitulis Ecclesiarum etiam Collegiatarum Insignium, & Basilicarum etiam Patriarchalium, ordine suo.

Officiales Cancellariæ Apostolicæ, necnon Cameræ, Pœnitentiariæ, aliique in consueto Rotulo descripti, juxta Ordinem ibi adnotatum.

Cantores Papæ.

Gubernator Conclavis } Simul.
Gubernator Urbis }

Ambo cum Rocchetto & Mantelletta nigra, & cum intortitiis, quæ ab aliquo ex ipsorum Familiaribus Nobilibus deferri poterunt.

Duo Acolythi cum Funalibus argenteis.

Duo alii Acolythi cum Candelabris.

Acolythus cum Navicula.

Acolythi duo cum duobus thuribulis.

Duodecim ex Officialibus virgæ rubeæ cum intortitiis a lateribus.

Servientes Armorum a lateribus.

Item a lateribus Milites Helvetici cum suis Tribunis.

Antistes deferens Sanctissimum Sacramentum cum Diacono & Subdiacono sub Baldacchino.

Duo alii Acolythi cum Funalibus argenteis.

Minister de Mitra.

Auditor Cameræ } Simul.
Thesaurarius Generalis }

Patriarchæ.

Archiepiscopi.

Episcopi,

juxta eorum gradum, & respectivam antianitatem, nulla ratione habita assistentiæ Solio Papæ.

Prothonotarii Apostolici Participantes tam de numero, quàm supra numerum, aliique in eorum Scamno locum habentes.

Abbates habentes locum in Cappella.

Generales Ordinum habentes locum, ut supra.

Auditores Rotæ, cum Magistro Sacri Palatii.

Clerici Cameræ, ejusdemque Præses.

Referendarii Votantes Signaturæ Justitiæ, cum ejusdem Auditore.

Abbreviatores de Parco majori.

Advocati Consistoriales, cum Procuratore Fiscali, & Commissario Cameræ.

Procuratores Ordinum.

Referendarii Baldacchinum deferent ab Altari Cathedræ S. Petri usque ad Portam Basilicæ.

Officiales Collegii S. Petri a Porta Basilicæ usque ad Catenam Palatii.

Magistri Viarum, aliique ejusdem Officii Ministri, a Catena ad finem Peristylii.

Officiales Collegii S. Pauli ab una ad alteram extremitatem Peristylii.

Natio Florentinorum per aliud Brachium Peristylii usque ad Portam Ferream.

Natio Senensium a Porta Ferrea usque ad Altare Confessionis S. Petri.

Servientes Armorum, & Cursores Cardinalis Vicarii cum suis Maziis totam Processionem custodiant, & hortentur ad procedendum, & non permittant sub finem aliquos exire cum intortitiis, nec ea extinguere, nisi data per Antistitem Benedictione super Populum cum Sanctissimo Sacramento.

Militum Urbanorum turmæ Processionem

sequantur

sequantur atque custodiant, & fiant solitæ mortariorum explosiones in consuetis locis.

Quocirca Gubernatori Conclavis, & Gubernatori Urbis, ejusdemque Urbis Vicesgerenti tunc & pro tempore existentibus, per easdem præsentes committimus & mandamus, ut in consuetis respectivè locis adstantes, necnon aliis Cæremoniarum Apostolicarum Magistris Supranumerum, qui etiam tunc & pro tempore extra Conclave existent, ut, pro eorum Officii debito, præsentis Mandati nostri schedulam, & in eis contenta quæcumque, singuli pro virili parte exequi & observari faciant: Notariis quoque Cameræ Apostolicæ, ut prædictis Conclavis & Urbis Gubernatori, ac Vicesgerenti assistant, describentes nomina singulorum contumacium & inobedientium, quos præmissis, & gravioribus etiam pro excessuum qualitate pœnis puniri & mulctari volumus. Præsentes quoque, & desuper si videbitur expediendas Literas, semper validas, & efficaces fore & esse, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, ad quos quomodolibet spectat, & spectabit in futurum, inviolabiliter observari; sicque & non aliàs per quoscumque Judices &c. etiam prædictæ S. R. E. Cardinales, sublata &c. judicari &c. debere, irritumque &c. attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra & Cancellariæ prædictæ Regula *de jure quæsito non tollendo*, & privilegiis, ac indultis, & Literis Apostolicis, Collegiis prædictis, eorumque singularibus Personis, etiam in limine eorumdem Collegiorum erectionis, concessis, cæterisque Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac prædictorum Collegiorum etiam juramento &c. roboratis statutis &c. cæterisque contrariis quibuscumque; cum clausulis opportunis.

Fiat motu proprio P.

ET quod dictæ Regulæ, necnon Privilegiorum, & Indultorum prædictorum quomodolibet concessorum tenores etiam veriores, ac Datæ, habeantur pro expressis, seu in toto, vel parte exprimi possint in Literis etiam per viam de Curia, si videbitur, expedien. Et de perpetuis mandato, commissione, derogatione, voluntate, aliisque præmissis, ut supra in dictis Literis latissimè extenden. Volumus autem, quod sola præsentis nostri Motus proprii Schedulæ Signatura sufficiat, & illius quoque exempla, seu transumpta, etiam impressa, manu alicujus Notarii publici subscripta, & personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ Sigillo munita, ubique fidem faciant in judicio, & extra illud: Regula quacumque contraria non obstante. Fiat P.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem quartodecimo Kalendas Martii Anno Quinto.

Publicatæ die 18. Martii ejusdem anni.

CXXIII. Jubilæum pro Italia, & Insulis adjacen. concessum, extenditur ad Regnum Galliæ.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Universis Christifidelibus præsentes Literas inspecturis, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium. CUM multorum charitate refrigescente ita sæpe malitia hominum abundat, ut in durissima nos incidentes tempora, maximis laboremus periculis; omnia utriusque legis instituta, Prophetarum, & Apostolorum exemplis firmata, satis superque testantur, unum nobis, idque tutissimum paratum esse perfugium in precibus, & jejuniis, quibus Dei misericordiam flectere atque implorare satagimus. Hinc est, quod Italiæ populis ejusque Insulis adjacentibus tot calamitatibus divexatis hoc præsens Jubilæum indiximus, & ad magnam Divini auxilii spem omnes ereximus.

§. 1. Benedictus PP. XIV. *In Supremâ Catholicæ Ecclesiæ administratione &c. ut supra Pag. 254.*

Extensio Jubilæi ad Galliæ Regnum, adjecto onere orandi pro Rege.

§. 2. Hos ergo Divinæ misericordiæ uberrimos fontes in Galliæ quoque Regnum, ejusque Provincias, nobis cura est derivare, ob id præcipuè, ut ibi ab omnibus, qui harum cœlestium largitionum participes fieri volunt, præter onera à Nobis præscripta, gratiæ omninò habeantur quàm maximæ Omnipotenti Deo, cujus unius beneficio Cariissimus Noster in Christo Filius Ludovicus Rex Christianissimus à gravissimo & deplorato morbo nuper convaluit. Omnes igitur Galliarum cœtus pro Principis salute & imperii diuturnitate vota nuncupaturi, toti sese in preces effundant, ut, qui solus est dominantium Dominus, dies super dies Regis adjiciat, & cor ejus in manu tenens, faciat, ut ambulans in præceptis ejus, semper speret in Domino, & in misericordia Altissimi non commoveatur.

Auctoritas Transumptis tributa.

§. 3. Ut autem præsentes Nostræ, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam faciliùs deveniant, volumus ut earumdem præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die XVIII. Februarii MDCCXLV. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Dat. die 18. Febr. 1744.

D. Cardinalis Passionеus.

De Jubilæi Concessione pro Regno Galliæ; a cujus Indulgentiæ beneficio excluduntur Refractarii. CXXIV.

Cariissimo in Christo Filio Nostro Ludovico Galliarum Regi Christianissimo.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Cariissime in Christo Fili Noster, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Pontifex consilia pacis in Rege laudat & fovet.

NULLIS verbis explicare satis possumus voluptatem singularem, quam Nobis attulerunt literæ Majestatis tuæ die 24. Januarii ad Nos scriptæ, ex quibus consilia deprehendimus ad pacem Europæ conciliandam aptissima, quam Nos quidem unicè atque ardentissimè exoptamus: Itaque Majestati tuæ gratias agimus maximas, simulque adjungimus, id Nobis inusitatum, aut novum minimè contingere: Quippe regalem indolem, animique tui præclaros sensus jampridem cognitos habemus, ex quibus etiam facilè conjecimus, Dei beneficio Majestatem tuam ex gravissimo morbo relevatam fuisse, & prospera nunc uti valetudine, ut tanquam Angelus pacis dissidia componeret, ac populis redderet tranquillitatem.

§. 1. Illud

Expetitam Jubilæi extensionem concedit, adjecta lege orandi pro incolumitate ipsius Regis.

§. 1. Illud quoque à Nobis depoſcit Majeſtas tua, ut Jubilæum in Italia atque Inſulis adjacentibus nuper à Nobis promulgatum, Regnis pariter, ac Provinciis ditioni tuæ ſubjectis concedamus; in quo ſanè voluntati tuæ morem libentiſſimè gerimus, ob eam potiſſimùm cauſam, quod Galliarum Populi partem Chriſtiani gregis eximiam conſtituant. Quapropter, his noſtris Literis adjunctum accipiet Majeſtas tua, quod expetit, Breve Apoſtolicum, nihil omninò diverſum ab eo, quod Italiæ, & Inſulis adjacentibus elargiti ſumus, niſi quod tuis populis eam conditionem ſuperaddimus ad obtinendum Jubilæum, ut Deo referant gratias, qui Majeſtati tuæ priſtinam ſanitatem reſtituit, eumque precentur enixè, ut incolumem & felicem Majeſtatem tuam diutiſſimè conſervet. Pro certo habemus neminem ex illis reperiri, qui opus hujuſmodi libenti animo non ſuſcipiat, cùm tot tantiſque lætitiæ ſignis apertiſſimè declaraverint, ſe planè intelligere magnitudinem accepti beneficii, & plurimum momenti ac ponderis poſitum eſſe in proſpera valetudine Majeſtatis tuæ ad publicam felicitatem ſtatuendam: Et quidem Nos ipſi Deo Optimo Maximo preces ob eandem canſam aſſiduò perſolvimus, cùm rem Divinam facimus, idemque inſtitutum perpetuò retinebimus.

Refractarii Conſtit. UNIGENITUS gratiarum Apoſt. Sedis expertes declarantur.

§. 2. Cùm autem Brevis Jubilæi quod Majeſtati tuæ impertimur, nihil novi contineat vel diverſi ab eo, quod jam Italiæ atque Inſulis adjacentibus propoſuimus, ejuſque ſolùm extenſio ad tuos populos nuncupari debeat; ideò nullam habendam de iis mentionem duximus, qui in tuis Regnis parvi faciunt Conſtitutionem *Unigenitus*, ejuſque auctoritatem temerè labefactant; cùm præſertim ignorare neminem arbitremur, participes Indulgentiæ fieri nullo modo poſſe, qui pervicaciam hujuſmodi nondum depoſuerint. Equidem obſecundare jam videtur Deus voluntati ſtudiiſque Majeſtatis tuæ, quibus ardenter cupit, ut quicumque ditioni tuæ ſubjicitur, eidem Conſtitutioni omninò pareat, & illam, quo par eſt, honore proſequatur. Tam præclarum conſilium, pioſque conatus, abſque fructu inanes cadere Deus nequaquàm patietur; imò certam ex Divina bonitate ſpem animo concipimus, fore ut pervicaces, omni contentione depoſitâ, ſequantur exemplum clariſſimi Regis, qui Sanctæ huic Sedis certiſſimis argumentis obſervantiam ſuam continuò teſtatur, & Eccleſiæ Decretis obſequenter obtemperat.

Pervicacium correctio ſperatur.

§. 3. Quod reliquum eſt, Majeſtatem tuam paterna benevolentia complectimur, & Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè elargimur.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die XX. Febr. MDCCXLV. Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

Dat. die 20. Febr. 1745.

Cajetanus Amatus.

CXXV. Clericorum Regularium Theatinorum Ordini unus locus Conſultoris in Congregatione Sacrorum Rituum perpetuo attribuitur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Pontificis ſtudium erga Ordin. Cler. Regul.

INSIGNEM Clericorum Regularium Theatinorum nuncupatorum Familiam, dum olim minores Dignitatum gradus tenebamus, eo, quo par erat, benevolentiæ & amoris ſtudio adeo proſequebamur, ut in hoc Sacroſancti Apoſtolatus apice, licet immeriti, modo conſtituti, majoribus Apoſtolicæ noſtræ charitatis, benignitatiſque teſtimoniis complecti ſummopere optemus; in hanc enim cogitationem animum noſtrum jure & merito inducunt lucu-

Card. Thomaſii laudes.

lenta pietatis & religioſæ præfectionis exempla, cum ſacrarum Doctrinarum ſplendore, atque æterna animarum ſalute conjuncta, quæ ab initio illius inſtitutionis in Catholicæ Eccleſiæ utilitatem verbo & exemplo in dies proferre pergunt Religioſiſſimi ejuſdem Alumni: Poſtulant enim, & a Nobis expectant illi præcipue Viri, qui huic familiæ nomen dederunt, & ejus gloriam longe lateque propagarunt, ut juſtos & debitos honores iiſdem perſolvamus. Unus inſtar omnium enituit, Nobis (quod ſemper maximi facimus) ſumma neceſſitudine conjunctus, immortalis memoriæ vir, & Venerabilis Dei Servus Joſephus Maria, dum vixit, S. R. E. Presbyter Cardinalis Thomaſius nuncupatus, doctrinæ præſtantia, morum ſanctimonia, & auſteriſſima vivendi forma clariſſimus & ſpectatiſſimus, qui ſummo genere natus, adoleſcens adhuc, jure prioris ætatis abdicato, humaniſque rebus valere juſſis, præclarum hoc Inſtitutum amplexus eſt, & ex uberrimis Patrum fontibus, & ex venerandæ antiquitatis Codicibus ſtudia, vigilias, omneſque elucubrationes ſuas in Proximi commodum, & in Eccleſiæ præſidium derivavit: Alter vero, Cajetanus Merati, non ita pridem ejuſdem veſtigia attingere alacriter ſtuduit, & egregia ſuæ eruditionis ſpecimina, quæ omnium judicio probantur, & manibus teruntur, ſcriptis etiam mandavit.

Item Cajetani Merati.

§. 1. Cum igitur a Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris quamplurima prodierint exempla Nobis ad imitandum relicta, quibus in hac Alma Urbe noſtra alia officia nonnullorum Religioſorum Cœtuum Alumnis ita ſemper adhiberunt, ut munera hujuſmodi tamquam ſibi debita vindicantes eorum Præſides, quo laudabilius exercerentur, optimum quemque ſuorum omni ſtudio atque cura conquirerent; Hinc eſt, quod Nos Motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine volumus ac decernimus, ut deinceps perpetuis futuris temporibus unus ex Conſultoribus Congregationis Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. præfatæ Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitæ, ſuccedente illius pro tempore vacatione, uni ex Congregationis Dilectorum Filiorum Clericorum Regularium Theatinorum nuncupatorum profeſſoribus concedi & aſſignari debeat.

Statuitur unum Cler. Reg. Theatinum Sacr. Rit. Conſultorem ſemper eſſe.

§. 2. Decernentes, eaſdem præſentes Literas ſemper firmas, validas & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, pleniſſime ſuffragari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon prædictæ Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Clauſulæ ad perpetuam & derogation.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XX. Martii MDCCXLV. Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

Dat. die 20. Martii 1745.

D. Card. Paſſioneus.

CXXVI. Capitulo Generali Fratrum Eremitarum Sancti Augustini facultas conceditur eligendi deinceps Priorem Generalem ad vitam in Officio mansurum.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Sollicitudo Pontificis pro conservatione Regularis Disciplinæ.

INTER maximas Nostras gravissimasque curas, quibus propter rerum magnitudinem summopere anxios, & fere non exanimatos, quotidie Nos tenet Pastoralis Officii munus tot tantisque difficultatibus obnoxium; illa sæpe, & vehementer quidem animum Nostrum urgere solet, quæ ad tuendam, instaurandamque regularem sacrarum familiarum disciplinam conferre posse videtur; Quamplurimum enim Catholicæ Ecclesiæ interesse putamus, ut qui Sæculo valere justo, in pœnitentiæ castris, Christo Duci, sacramento se obstrinxerunt, Apostolicæ Sedis præsidio & auctoritate, charismata meliora semper æmulentur, & ad perfectæ beatæque vitæ fastigium (licet non uno sibi proposito itinere, sed diversis hinc inde arreptis semitis) contendentes, facilius deinde in viam mandatorum, charitatis igne succensi, currere pergant.

De variâ ratione Regiminis Ordinum Regul.

§. 1. Illud verò, quod hoc tam difficile & tam arduum iter, aut impedire, aut saltem tardare videtur, ab eo usque tempore, quo in expediendis Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum negotiis operam qualemcumque Nostram adhibebamus, in causa esse, a probatis Viris sæpe intelleximus, Generalium Præsidum certis statisque temporibus vicissitudines, ac mutationes: Valde enim mirabamur sacras hujusmodi familias, ut (secus ac in more positum est apud nonnullas alias) quem semel maturo consilio, & veluti auspicato, sibi adscivissent in earum administratione Rectorem, eumdem, non tam in hoc munere exercitatum, quam, id quod magis est, in omnibus domesticis negotiis expertum, perpetuo non retinerent; & elabi sinerent gubernacula e manu illius, qui frequenti usu, tanquam optimo Magistro, cursum Navis prospere moderabatur: Hinc a quamplurimis regularis disciplinæ studiosissimis cultoribus ad Nos demissè delatum est, quod ob susceptа a longè dissitis terræ partibus maxima itinera, quibus conficiendis præcipue dolent, plerumque intercedere non solum rei familiaris jacturam, sed dissolutionem, aut saltem remissionem animorum, quos a severiori vitæ instituto, quod profitentur, a silentii legibus, quibus obstringuntur, ab omnibus Mundi illecebris, quibus renuntiarunt, & ab assiduo rerum divinarum contemplationis studio, cui se devoverunt, ipsamet negotiorum ratio, & natura, Urbium, hominumque frequentia, & diversarum gentium commercium solent detorquere; Neminem enim ipsimet ignorare arbitrantur, quanta in appetendis honoribus cupiditate deflagrent quamplurimi ambitiosi homines tum cum præfinita exiguo, & brevi annorum curriculo publica munera, ad novos iterum Magistratus cupiendos rursum viam facile aperiunt; hinc crebras contentiones, miserrima Christianæ charitatis naufragia, studio, & arte obtrectationes quæsitas, & longè omnium acerrimos motus invidiæ, sæpe excitari, non sine gravi cordium ipsorum ægritudine, merito semper deplorarunt. Licet enim in nonnullis Regularium cœtibus, ubi Generalium Præsidum munus non nisi ad eorum vitam explebatur, postmodum statuto temporis spatio alligari Apostolica hæc Sancta Sedes benignè indulserit, multæ tunc allatæ & perpensæ sunt causæ, quæ quidem congruæ aptæque temporibus videbantur; sed non ferunt usus & vicissitudines rerum, semper retineri commode posse, quæ ante probabantur; & hominum mores & ingenia, facti rationem, & consilium utiliter aliquando mutari Nos docent.

Pontificis studium erga Ordinem Fr. Erem. S. Augustini.

§. 2. Cum itaque, sicut accepimus, dilectorum Filiorum Fratrum Eremitarum S. Augustini Generalibus Comitiis, pro Prioris, aliorumque Superiorum Generalium electione, in Civitate Nostra Bononiensi habendis modo dicta sit dies, operæ pretium duximus ea a Nobis capienda esse consilia, quibus ejusdem Ordinis utilitati & commodo auctoritate Nostra prospiciamus. Maximi enim omni tempore fecimus insignem hujusmodi familiam, tum propter ejusdem Sancti Augustini tutissima atque inconcussa dogmata ab illius Alumnis tradita, ac servata; tum propter eximios Viros, quos edidit, pietate & doctrina præstantes, & quorum instar omnium bo. mem. Henricus, dum vixit, S. R. E. prædictæ Presbyter Cardinalis Norisius nuncupatus, cujus olim in minoribus constituti, amicitia fruebamur, licet quarumcumque gentium linguis celebretur, a Nobis tamen sine speciali laude, tanquam Romanæ Ecclesiæ prædictæ splendidissimum lumen, nunquam est nominandus.

Card. Norisii laudes.

Jubet deliberari in Capitulo Gen. de Electione Prioris Gen. ad vitam.

§. 3. Quamobrem licet Generales memorati Ordinis Priores ad vitam hoc munus exercere consueverint, in sexennium deinde contractum a fel. recor. Sixto PP. V. Prædecessore Nostro per quasdam suas in simili forma Brevis expeditas literas; Nos, quibus tanquam provido Patri familiæ, incumbit onus habendi rationem ingentium sumptuum, quibus premitur Ordo ipse pro itu, & reditu a dissitis ab Italia Provinciis pro Capitulis Generalibus de Sexennio in Sexennium habendis, hisce, nedum aliis incommodis, quantum cum Domino possumus, consulere cupientes, ac Fratrum prædicti Ordinis Vocalium præsertim singulares personas a quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absoluras fore censentes; ac memoratas Sixti Prædecessoris prædicti literas, munus Prioris Generalis ejusdem Ordinis ad Sexennium tantum duraturum continentes & præscribentes, quarum tenorem præsentibus pro expresso haberi volumus, harum serie annullantes, & nullius roboris, & momenti ad effectum infra dicendum dumtaxat, esse declarantes; Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnibus & singulis Fratribus dicti Ordinis, votum sive suffragium in Capitulo Generali memorati Ordinis mense Junio in dicta Civitate Nostra Bononiensi, benedicente Domino, celebrando habentibus & ferentibus, præcipimus & mandamus, ut ipsi antequam pro electione Prioris Generalis conveniant, in unum, ut moris est, congregati, Deum, ac Ordinis decus, illiusque incrementum, commodumque, & utilitatem præ oculis habentes, dissidiis prius, partiumque studiis, quæ religiosam quietem & regularem observantiam conturbare solent, procul amotis atque eliminatis, hoc dubium sibi proponi curent: *An munus Prioris Generalis ejusdem Ordinis a Capitulo Generali hujusmodi in posterum ad vitam explendum sit*: Initis subinde super ejusmodi dubio secretis suffragiis, illisque collatis, si duæ ex tribus suffragiorum prædictorum partibus super eodem dubio in unum convenerint, illud admissum, alioquin duabus ex tribus partibus prædictis in illud minime accedentibus, rejectum intelligatur.

Alias facultates concedit.

§. 4. Præterea motu, scientia, & potestate similibus, iisdem Vocalibus per præsentes plenam, liberam, & omnimodam facultatem & potestatem, postquam præmissa impleverint, seu propositum dubium sic, ut præfertur, admissum fuerit, Priorem Generalem juxta regularia dicti Ordinis Instituta per Sedem prædictam approbata, servatis alias servandis, eligendi concedimus. Demum si contingat Priorem Generalem, sicut præmittitur, ad vitam eligi, Definitorio Generali memorati Ordinis plenam itidem facultatem tribuimus & impertimur, quidquid ei visum fuerit, quoad Officia Vicarii Generalis, Procuratoris Generalis, ac Assistentium, quoad tempus, quo Officia prædicta, si Prior Generalis electus fuerit ad vitam, durare debent, providendi, decernendi, & declarandi. Mandantes propterea omnibus Vocalibus, & Definitorio præfatis, ut omnia, & singula acta, & gesta in Capitulo Generali prædicto, juxta præmissa in præsentibus Nostris literis contenta, ad Nos transmittere teneantur, ut illa approbemus, & confirmemus.

Derogat contrariis in specie, & in genere.

§. 5. Non obstantibus præfatis Sixti, necnon aliis Clementis VIII., & Pauli V. Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum Literis, quibus tempus, quo munera, seu Officia Assistentium dicti Ordinis durare debent præscriptum reperitur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis prædicti, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Cæterum si contingat Priorem Generalem, ut præfertur, ad vitam minime eligi, per præsentes non intendimus supradictis Sixti, ac Clementis, & Pauli Prædecessorum prædictorum Literis in aliquo derogare, imò illas in suo robore in omnibus & per omnia remanere mandamus.

Dat. die 31. Mart. 1745.

Datum Romæ, apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXXI. Martii MDCCXLV. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

D. Cardinalis Passionеus.

CXXVII.

Providetur Regimini Civitatum, & Locorum Ditionis Ecclesiasticæ, eveniente obitu Gubernatorum.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

AD Populorum regimen Divino prorsus consilio, absque ullis meritis Nostris, evecti, eorumque utilitatibus, quantum in Domino possumus, consulere satagentes, hanc potissimum administrandæ reipublicæ rationem tenere consuevimus, ut, animadversis rerum in diem occurrentium eventis, si quæ forte incommoda, aut damna ex illis ortum habuisse novimus, ea opportunis adhibitis remediis emendare, si vero similia in posterum evenire posse prospicimus, eadem providis constitutis legibus præcavere, quoad Nobis integrum est, studeamus.

Causæ præsentis Constitutionis.

§. 1. Cum itaque non ita pridem contigerit, ut duarum Pontificiæ Ditionis Nostræ Civitatum, Beneventanæ scilicet, atque Narniensis, Gubernatores, in ipso eorum muneris exercitio, diem obierint extremum; Cumque dilecti Filii utriusque Civitatis prædictæ Magistratus, sive Consilia, jus sibi esse contenderint, statim post suorum respective Gubernatorum decessum, aliquem eligendi ac deputandi, qui Gubernatoris Officium & munus exerceret, donec novus earundem Civitatum Gubernator a Nobis electus & deputatus fuisset; Nos hujusmodi agendi rationem, nec ubique, nec semper tutam atque proficuam fore judicantes, ideoque certam ac generalem legem in hujusmodi casibus perpetuò servandam præscribere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine decernimus, atque statuimus, ut eveniente in posterum obitu alicujus Prælati ex Pontificiæ Ditionis prædictæ Civitatum Gubernatoribus, sive Præfectis, cujus Locumtenens existat, quemadmodum existere par est, ad hujusmodi Locumtenentem ipso facto transeat, atque transire censeatur munus & Officium Gubernatoris, seu verius ejusdem muneris administratio, cum omnibus auctoritatibus, jurisdictionibus, & facultatibus necessariis & opportunis pro ipsius muneris exercitio, & cum perceptione omnium & singulorum emolumentorum & jurium, quæ ab hujusmodi Gubernatore percipi consueverunt; idque munus usque ad electionem & deputationem novi Gubernatoris a Nobis aut a Successoribus Nostris faciendam, ab eodem Locumtenente debeat exerceri.

Gubernatori Prælato decedenti substituitur ipsius Locumtenens.

§. 2. Ubi verò aliquem Gubernatorem inferioris ordinis, aut Vicesgerentem, per Apostolicas tamen Literas in forma Brevis deputatum, ex hac vita migrare contingat; Volumus, Procuratorem Fiscalem, actualem ejusdem Gubernii Ministrum, & a Procuratore Fiscali Generali Urbis per ipsius Literas Patentes deputatum, ipso facto similiter in hujusmodi Gubernii munere, cum iisdem jurisdictionibus, facultatibus, & emolumentis, usque ad novi Gubernatoris, aut Vicesgerentis deputationem, ut supra, succedere.

Gubernatori non Prælato, Procurator Fiscalis.

§. 3. In locum verò defuncti Gubernatoris, qui per simplices Literas Patentes deputatus fuerit ad Gubernium alicujus Oppidi sive Loci, cujus regimen sub immediata directione Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium ad consultanda Pontificiæ Ditionis negocia deputatæ administratur, quoniam in iis quoque locis Procurator Fiscalis a prædicto Procuratore Fiscali Generali Urbis deputatur, decernimus pariter, ad Procuratorem Fiscalem hujusmodi, Gubernatoris Officium, facultates, & jura, usque ad novi Gubernatoris electionem, ipso facto deferri.

Idem statuitur in Gubernіis, Sacræ Congregationi immediate subjectis, quæ conferuntur per Literas Patentes.

Quid in aliis Gubernіis inferioris Ordinis.

§. 4. Quod si jurisdictio defuncti Gubernatoris leviorum tantummodò Causarum cognitionem habentis, alterius Gubernatoris sive Præfecti auctoritati & jurisdictioni subjecta esset; (cujus porrò conditionis non pauca Locorum Gubernia in præfata Ditione nostra esse dignoscuntur); mandamus hujusmodi Superiori Gubernatori, sive Præfecto, ut interea, dum novus a Nobis aut a Successoribus Nostris Gubernator deputetur, aliquem Pro-Gubernat. in defuncti locum subrogare non differat.

Quid in Legationibus Romandiolæ, & Ferrariæ.

§. 5. In Provincia verò, seu Legatione Romandiolæ, ubi alicujus Civitatis Gubernium a Prælato administratum, per hujusmodi Prælati decessum, vacare contigerit, ejus administratio ad tempus, & cum omnibus juribus, & facultatibus, ut supra, ad defuncti Locumtenentem ipso facto deferatur; si verò defunctus Gubernator Prælatus non fuerit, ad ipsius Provinciæ Legatum S. R. E. Cardinalem, sive ad ejusdem Provinciæ Præsidem, pertinebit eum deputare, qui Gubernatoris munia, usque ad alterius electionem & deputationem, exerceat: Quod pari-

ter observari volumus in Guberniis, quæ intra Ferrarienſis Legationis fines exiſtunt.

Quid in Legationibus Bononiæ, & Urbini.

§. 6. In Legationibus autem Bononienſi, & Urbinatenſi, ſi quando aliquis Gubernator, durante ſui muneris exercitio, è vita migraverit, ideoque neceſſaria interim fuerit alterius deputatio, hæc ab illis fiet, quibus jus eſt in duabus hiſce Legationibus Gubernatores Locorum reſpective eligere, ac deputare.

Clauſulæ, Decreta, & Derogationes.

§. 7. Volumus demum, has noſtras Literas, omniaque & ſingula in eiſdem ſtatuta atque præſcripta, ſemper valida & firma exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus in ſingulis reſpective locis, & caſibus perpetuò ſortiri & obtinere, & ab iis, ad quos pro tempore quandocumque ſpectabit, pleniſſime obſervari; ſublata omnibus & quibuſcumque, etiam S. R. E. Cardinalibus, etiam de Latere Legatis, & Apoſtolicæ Sedis Nunciis, necnon Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditoribus, aliter decernendi & ſtatuendi poteſtate; & ſi ſecus ſuper his per quoſcumque quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus. Non obſtantibus quarumcumque Provinciarum, Civitatum, Oppidorum, Terrarum, Caſtrorum, & Locorum prædictæ Ditionis Eccleſiaſticæ Statutis, Conſtitutionibus, uſibus, conſuetudinibus etiam immemorabilibus, etiamſi eorum Magiſtratus, ſive Conſilia, non ſemel, ſed pluries in præmiſſis caſibus Gubernatores pro interim elegerint & deputaverint, eorumque electiones ac deputationes hujuſmodi a Nobis, aut a Prædeceſſoribus Noſtris quandocumque, & pluries etiam fuerint toleratæ; quas quidem electiones ac deputationes, ad effectum declinandi hujus Noſtræ Conſtitutionis obſervantiam, nullatenus ſuffragari, aut attendi debere, & tamquam de facto, non autem de jure peractas, & attentatas; nullum ſtatum inducere aut firmare poſſe decernimus & declaramus.

Status in contrarium non attendantur.

Sed ſolum Privilegia Apoſtolica in Sac. Congregatione approbata.

§. 8. Verum ſi aliqua ex præmiſſis Civitatibus, Terris, Oppidis, Caſtris, aut Locis, Apoſtolicum ſibi Privilegium adverſus earumdem præſentium tenorem atque præſcriptum, ſibi aſſerat conceſſum eſſe, volumus hujuſmodi Privilegia in forma authentica intra ſex menſes a die datæ præſentium exhiberi, & in prædicta Congregatione S. R. E. Cardinalium ad conſultanda Ditionis Eccleſiaſticæ negocia deputatorum, examinari; & quatenus eadem Privilegia vera, legitima, atque vigentia, non autem præſumpta, aut jampridem caſſata, & annullata reperiantur, debitam de ipſis rationem haberi, eademque ſuos reſpective effectus ſortiri mandamus. Si verò hujuſmodi Privilegia vel intra prædictum tempus non exhibeantur, vel exhibita in præfata Congregatione probata non fuerint, tunc in illis quoque Civitatibus, Oppidis, Terris, Caſtris, & Locis, has Noſtras Literas, atque omnia & ſingula in eis contenta, locum habere, & in præmiſſis reſpective caſibus inviolabiliter obſervari debere, volumus & jubemus.

Sanctio.

§. 9. Nulli ergò omnino Hominum liceat paginam hanc noſtræ Conſtitutionis, Ordinationis, Præcepti, Statuti, Decreti, Mandati, & Voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Dat. die 1. Apr. 1745.

Datum Romæ, apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLV. Kalendis Aprilis, Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

D. Card. Paſſioneus.

J. Datarius.

VISA DE CURIA.

J. C. Boſchi.

L. Eugenius.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Public. die 10. ejuſdem menſis & Anni.

Indultum vacandi operibus ſervilibus, diebus aliàs de præcepto, vel ex voto Feſtivis, pro Diœceſi Nicienſi. CXXVIII.

Venerabili Fratri Carolo Franciſco Epiſcopo Nicienſi.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

INTER ſollicitas omnium Chriſti Ovium curas gratiſſima Nobis obveniunt ſolatii argumenta, quæ ex Epiſcopali vigilantia, in qua Canonicæ Diſciplinæ opportuna ſunt locata præſidia, Domino miſerante, ſuſcipimus; non ſine enim ingenti gaudio ex altiſſima hac Apoſtolatus ſpecula Paſtores perſpicimus vigiles ſtare ſuper cuſtodiam ſuam, & crediti ſibi gregis ſervandi zelo ferventes, ad Divini honoris cultum, animarumque ſalutem cogitationes omnes & vires adeò ſollicitè ſtudioſèque intendere, ut Paſtorum Principi, qui conſtituit eos ſuper familiam ſuam, fideles ſe ac prudentes probare ſatagant.

Epiſcopi poſtulata.

§. 1. Intelligit propterea Fraternitas Tua, quàm libenti animo literas tuas, eximiis in hanc Sanctam Sedem obſervantiæ ac reverentiæ ſenſibus refertas, & paſtoralis vigilantiæ & charitatis notis inſignes, exceperimus, quibus, cum in luſtranda iſta Diœceſi cuncta ad Sacrorum Canonum normam & decorem Domus Dei pro injuncto Tibi miniſterio exigere & componere nitereris, delatas Tibi, & in dies adhuc deferri narras a Parochis, & Confeſſariis, undique querimonias, per quas iſtius Diœceſis Fideles ingentem admodum Feſtorum dierum numerum cauſantes, & alendæ vitæ neceſſitatem obtendentes, ac finitimorum populorum, apud quos Feſtorum dierum numerus non eſt adeo auctus, exempla objicientes, a vetitis laboribus minime abſtinere poſſe queruntur. Quoniam autem præſentiſſima licèt, per ſaluberrimas Edictorum Conſtitutiones, & ſalutaria monita a ſapientia tua adhibita remedia fruſtra eſſe animadvertis, & Epiſcoporum Conventum, quem, ut pote veteris diſciplinæ egregius æmulator, ſummopere optare oſtendis, a perturbata nimis temporum conditione interpellari proſpicis, ut conſcientiarum ſecuritati & Eccleſiaſticæ obſervantiæ ſalubriter conſulas, ab hac Petri Cathedra, quæ Sacerdotalis omnis dignitatis & auctoritatis fons eſt, & origo, Apoſtolicæ poteſtatis & benignitatis opem ac ſubſidium requiris & poſcis, quo ſa. mem. Benedicti PP. XIII. Prædeceſſoris Noſtri veſtigiis inhærentes, iſti etiam Diœceſi, perinde atque cum aliis actum eſt, Apoſtolica auctoritate permittere & indulgere dignemur, ut in aliquibus Feſtis Fideles, audita Miſſa, laborare valeant, manentibus cum obligatione integra præcepti omnibus diebus Dominicis per annum, diebus Natalis Domini, Sancti Stephani, S. Joannis, Circumciſionis, Epiphaniæ, Reſurrectionis, & ſequentis diei, Aſcenſionis Domini, Pentecoſtes, & ſequentis diei, Feſto Corporis Chriſti, S. Joannis Baptiſtæ, SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, Omnium Sanctorum, ac etiam quinque Feſtivitatibus B. M. V., ſcilicet Purificationis, Annunciationis, Aſſumptionis, Nativitatis, Puriſſimæ Conceptionis, necnon Patroni Regni, & Titularis cujuslibet Loci, dummodo tamen reliquis diebus de præcepto, ſive ex voto Communitatum, audita Miſſa, Fideles in iſta Tua Diœceſi commorantes, tuta conſcientia valeant publicè laborare.

Tenor Indulti.

§. 2. Nos quidem sapientissimum consilium, Sacerdotalis vigilantiæ & charitatis tuæ dignissimum, collaudantes, ac precibus optatisque tuis annuentes, Tibi per præsentes committimus, & mandamus, ut omnibus utriusque sexus Fidelibus in tua Diœcesi existentibus, exceptis omnibus Diebus Dominicis, Natalis Domini, Sancti Stephani, Sancti Joannis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis & sequentis diei, Ascensionis Domini, Pentecostes & sequentis diei, Corporis Christi, Sancti Joannis Baptistæ, SS. Apostolorum Petri & Pauli, & Commemorationis Omnium Sanctorum; præterea quinque dicatis B. M. V. Immaculatæ Festis diebus, scilicet Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis, & Conceptionis, necnon Sancti Patroni aut Titularis cujuslibet Loci, pro hominibus ejusdem Loci dumtaxat, in quibus integra maneat præcepti obligatio; in reliquis diebus Festis, sive per hanc S. Sedem præceptis, sive per Synodales istius Diœcesis Constitutiones, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa Voti per majores suos facti, quod quoad hanc partem etiam Auctoritate nostra Apostolica per Te commutari volumus, præceptis, audita Missa, labori manuum suarum incumbere, servilibusque operibus sine ullo prorsus conscientiæ scrupulo vacare possint, Auctoritate Nostra Apostolica concedas, indulgeas, & permittas.

Pontificiæ benevolentiæ significationes, cum adhortatione &c.

§. 3. Ex hac autem prolixa planèque Paterna voluntate, qua votis tuis, quantum cum Domino possumus, obsecundare cupimus & curamus, probe intelligis quam præclare de Sacerdotali virtute, & insignibus animi tui dotibus sentiamus. Perge igitur, Vener. Frater, ministerium tuum implere, & Pastoralem sollicitudinem ac vigilantiam Ovibus fidei tuæ commissis ita impendere, ut eas ad æternæ salutis pascua feliciter perducas. Pastorem interea & Episcopum Animarum nostrarum Christum Jesum suppliciter poscimus, ut labores tuos, ad uberiorem animarum fructum, gratiæ suæ munere preveniat & sequatur; ac Fraternitati Tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Dat. die 11. Apr. 1745.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XI. Apr. MDCCXLV. Pont. Nostri Anno Quinto.

Cajetanus Amatus.

CXXIX.

Instructio super Dubiis ad Ritus Ecclesiæ, & Nationis Cophtorum pertinentibus. De tempore conferendi Sacramentum Confirmationis, ejusque Ministro. De recipiendis ad communionem Pastoribus Schismaticis. De Ordinatione Infantium; ac de continentiæ lege, & Horarum Canonicarum recitatione, quoad Diaconos in puerili ætate ordinatos.

Dilectis Filiis, Justo Maraghi, in universa Ægypto Vicario Generali, & Jacobo a Cremisir Ordinis Minorum S. Francisci Strictioris Observantiæ, Præfecto Missionis Apostolicæ in Ægypto, cæterisque Missionis Cophtæ Missionariis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecti Filii, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

EO quamvis tempore, quo pro demandato Nobis Apostolicæ servitutis onere tot tantisque curis circumdamur, ut penè obruamur, delata ad Nos fuerint nonnulla Postulata a Religioso Viro Jacobo a Cremisir Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Strictioris Observantiæ, & Missionum Apostolicarum in Ægypto Præfecto: Nihilominus in eo, qui infirmitatem Nostram misericorditer regit, confidentes, operam studiumque nostrum ad proposita enodanda dubia libenter adjecimus, in spirituale electi illius Gregis solatium, qui magno licet intercedente Terrarum spatio a Nobis dissitus sit, Paterno tamen Cordi Nostro charitate proximus efficitur.

Nationis Cophtæ merita in S. Sedem.

§. 1. Quas sanè Pontificiæ sollicitudinis, & providentiæ partes cum a nemine desiderari patiamur, qui verum Deum per veram fidem agnoscat; peculiari sibi illas vindicat jure Inclyta Cophtorum Natio, quæ præcipui cultus, ac Filialis obsequii, quo Romanam Ecclesiam omnium aliarum Matrem & Magistram prosequitur, non semel luculenta, & perenni digna laude præbuit specimina; Præsertim verò in Sacra Oecumenica Florentina Synodo, in qua fel. rec. Eugenio PP. IV. Prædecessore Nostro expetitam diu Græcæ Latinæque Ecclesiæ Unionem promovente, vetere ejusdem Unionis incendi desiderio visa est, palamque edocuit, oportere membra sub uno in Terris Capite indivisa consistere. Id ipsum quoque testata est Successoribus Romanis Pontificibus Pio IV., & Gregorio XIII. omni conatu in præmissæ Unionis fœpum enitentibus; Ac apertius etiam Clementi VIII., ad quem solemni, & honorifica decreta Legatione, obsequentis animi, ac devotæ in Romanam Ecclesiam voluntatis publica exhibuit Testimonia. Hanc quoque egregiam propensionem adhærendi Romanæ Ecclesiæ planè perspectam habuit alter Noster Prædecessor Urbanus PP. VIII., qui zelo, & sedulitate pari in id potissimum incubuit. ut prædicta Ecclesiarum Unio indissolubili charitatis fœdere pro virili parte firmaretur.

Missionariorum ex Ord. S. Francisci laudes.

§. 2. Alacriores tamen præ omnium rationum momentis ad hanc exequendam Pastoralis Officii partem Nos effecit jampridem concepta, intimeque cordi Nostro infixa spes majoris incrementi Catholicæ Religionis, & lucri Animarum, quibus erudiendis in Superiori, ac Inferiori Ægypto, & in Urbe Principe Cairo, strenuam, invictamque navant operam Apostolici Missionarii ex Franciscana ut plurimum Familia adlecti, qui nullo laborum aspectu territi, sed induti fortitudine ex alto, in summa rerum ac temporum difficultate, Nationem illam toto olim Orbe Terrarum celeberrimam, nunc verò assiduis ærumnis attritam, ac penè confectam, verbo vitæ informant, vigilesque laborant, ut novi in diem palmites in Vineam Domini traducantur.

Examen adhibitum super Dubiis, quorum resolutio differtur.

§. 3. Adhibitis itaque in consilium nonnullis Ven. Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, Dilectisque Filiis Consultoribus in Congregatione Supremæ & Universalis Inquisitionis contra hæreticam pravitatem confidentibus, exquisitisque, quò maturius deliberare possemus, aliorum etiam doctrinâ & prudentiâ præstantium Virorum suffragiis, eorumque præsertim, quibus Orientalium mores, Ritus, & Instituta, longo usu & experientia essent cognita planèque perspecta, privati Nostri laboris accessione singulorum sententias scripto traditas expendimus, atque libravimus. Cum tamen ad singula definienda Dubia in præsentiarum quamplurima desiderentur; idcirco hæc Apostolica scripta Missionariis exhibenda mandavimus, ut ea, quæ definitivo reliquorum dubiorum judicio facem quodammodo præferre valeant, ad Nostri Apostolatus auditum quamprimum deducenda curent.

DUBIA.

DUB. I. *Cum Fideles Cophti Catholicam profitentes Religionem a Baptismo Ritu Ecclesiæ Latinæ collato hoc potissimum nomine abhorreant, quod Baptizatis una simul non conferatur Sacramentum Confirmationis: Quæritur, an in casu, quo Sacerdos Ritus Cophti commodè adiri nequeat, permittendum sit PP. Missionariis illico post Baptismum Confirmationem conferre?*

DUB. II.

DUB. II. *An Parochis Ritus Cophti, qui a Schismate redeunt ad Catholicæ Ecclesiæ Unitatem, tribuenda sit facultas administrandi Catholicis Sacramenta Parochialia, qua prius potiebantur inter Schismaticos; quamvis eadem administratio, nullo existente Parocho Catholico, demandata sit PP. Missionariis?*

DUB. III. *An Cophtis proprio Ritu in ætate puerili ad Diaconatus Ordinem promotis, ubi legitima ad contrahendum Matrimonium ætas advenerit, liceat nedum primum, sed alterum quoque inire Matrimonium, ex vi dispensationis obtentæ a PP. Missionariis absque ullo speciali Indulto Apostolico.*

DUB. IV. *An dicti Diaconi Officium Divinum recitare teneantur.*

Ad I. Dub. Disciplina Ecclesiarum Orientalium in conferendo Sacram. Confirm.

§. 4. Quod attinet ad primum, planè compertum Nobis est, veteri more & disciplina invaluisse apud Cophtos, ut abluti Sacro Regenerationis Lavacro illico ab eodem Sacerdote post absolutas Baptismatis Cœremonias Sacro Chrismate liniantur, ut præ aliis testatur Thomas a Jesu *in suo Tractatu de Conversione Gentium lib. 7. cap. 7.* De simultanea tamen utriusque Sacramenti administratione non una eademque fuit agendi ratio cum Græcis apud Orientales Ecclesias residentibus, & illis, qui commorantur in Italia, & Insulis eidem adjacentibus. Quemadmodum enim Græcis Incolis Italiæ expresè vetita est administratio utriusque Sacramenti ab eodem Ministro contemporanee facienda; Ita patientia quadam, & facilitate Sedis Apostolicæ factum est, ut unum, & alterum Sacramentum ab eodem Sacerdote in Oriente Græcis conferretur; Nec defuere idcirco Theologi, qui hujusmodi tolerantiæ, vestem & imaginem tacitæ Dispensationis obducerent.

Propositi Dubii inspectio duplex.

§. 5. Quo opportunè præmisso, apte distinguenda sunt, diversoque jure censenda duo, quæ exinde profluunt, extrema: Aliud enim est, quod Cophti ex Indulgentia Apostolicæ Sedis licitam sibi adstruant collationem utriusque Sacramenti, servato Orientalis Ecclesiæ Ritu, ab eadem Apostolica Sede non expresse vetito, sed tolerato: Longe verò diversum, quod tolerantiam in pejorem partem detorquentes, abhorreant a Baptismo Ritu Latino collato, hoc potissimum nomine, quod seorsim a Confirmatione administretur. Idcirco sicuti lenitati, & patientiæ Sedis Apostolicæ consonum videri potest, quod Cophti in suo jamdiù recepto, & ab eadem Sede tolerato usu perseverent; Ita ferendum non est, quod Baptismum Ritu Latino, & seorsim a Confirmatione collatum, acerbo alienoque animo perhorrescant.

Disciplina Ecclesiæ Occidentalis circa idem Sacramentum.

§. 6. Præterea licèt apud Occidentales etiam Ecclesias in more posita quandoque fuerit Baptismatis, & Confirmationis simultanea collatio, & hæc consuetudo in aliquibus Diœcesibus anteacto tempore inoleverit, juxta exempla relata a *Vicecomite in Tract. de Confirmat. cap. 14.*, & a *Martene de antiqu. Eccles. Rit. lib. 1. cap. 2. art. 1.*; Nihilominus abrogato prorsus a Romana Ecclesia aliarum Matre & Magistra hujusmodi more, consultissimis Summorum Pontificum Decretis provide cautum est, ut renatis Fonte Baptismatis conferretur Sacramentum Confirmationis in ea solum ætate, in qua Fideles, evacuatis quæ erant parvuli, intelligerent, tantum inter se differre Baptismum & Confirmationem, quantum in naturali vita distat generatio ab incremento; seque per Baptismum fuisse quidem ad militiam receptos, per Confirmationem verò ad pugnam roboratos; & ad perferendos agones per Gratiam instructos. Ex quo fit, ut rigide animadverti in eos oporteat, si qui forte sanctioris hujusce disciplinæ instituta refugerent, aut contemnerent; omnemque curam adhibendam esse, ut ab errore, & cæcitate, Ecclesiæ Latinæ adeo injuriosa, retrahantur.

Quam nefas est improbare.

§. 7. Verùm attributa; juxta propositum thema, Sacerdotibus Latinis facultate conferendi statim post Baptismum, Confirmationem, tantum abest, ut Orientales captivari possint in obsequium veritatis, ut immò animo semper obfirmatiore suæ adhærerent sententiæ, erga quam facilem se ac pronam Apostolica Sedes exhiberet. Præterea Hæretici, & Schismatici, qui improbo pravoque ut plurimum ingenio Catholicorum facta interpretantur; vel inconstantiæ notam inurerent Latinis, a suscepta semel probataque disciplina deflectentibus; vel suo exemplo eos commovisse, & in suas traxisse partes superbè dictitarent, ipsa temere vertentes officia pietatis in elationis argumentum.

Consequentiæ declarationis expetitæ, quoad Schismaticos & Hæreticos.

§. 8. Si itaque ea sit Nationis Cophtæ conditio, ut Fideli Populo Confirmatio administrari nequeat ab Episcopis, quibus hujus Sacramenti administrandi ordinaria potestas commissa est; minime Nos latet, eandem administrandæ Confirmationis potestatem ex Indulto Apostolico ad Sacerdotem, vel Missionarium, pro modo necessitatis quandoque deferri posse. Hujusmodi delegatio nec nova, nec inusitata videri debet, cum S. Gregorii Magni, aliorumque Romanorum Pontificum Nostrorum Prædecessorum sanctissimis innitatur exemplis. Cum enim sæpe contigerit, Christifideles Pastoris solatio esse destitutos, & Episcopis ob distantiam Locorum impossibile vel difficile admodum fuerit, Populorum necessitatibus præsentes fieri; in hanc partem Episcopalis Ministerii vocati sunt Sacerdotes, dummodo uterentur Chrismate ab Episcopo ritè benedicto & consecrato: Ne aliàs contingeret, Fideles rem sanctitatis plenam cunctando negligere, vel decedere sine hoc Sacramento Divinis muneribus cumulato, & ad nostram sanctificationem instituto.

Indultū concedi potest ad utilitatem Fidelium.

§. 9. Apostolici igitur Missionarii, non suæ auctoritatis incremento, sed lucro tantùm Animarum inhiantes, qua par est sedulitate & diligentia inquirant, an Catholico Gregi, super quo vigilias custodiunt, desit præsentia Pastoris; an difficilis, vel impossibilis sit frequens illius accessus; an fidelis Populus in casu necessitatis versetur; & an demum circumstantiæ in unum collectæ præmissis consonent exemplis, ac parem expoſcant providentiam. Integra porro, sinceraque fide ea omnia quamprimum renuncient Sanctæ Sedi, ut re tota sedulo cognita, intimèque perspecta, deliberare possit, an, & cui potissimum Presbytero, tanquam Ministro extraordinario, tribuenda sit hæc auctoritas confirmandi, & Episcopale hoc munus obeundi.

Examinandū an adsit legitima causa.

§. 10. Ipsi interim Missionarii, quibus datum est exhortari in Doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere, satagant, ut fidelis Populus ab errore ad veritatem, ab odio ad obsequium erga Baptismum Ecclesiæ Latinæ reducatur, utque Gens illa tandem agnoscat, pia sanctaque ordinatione fuisse dispositum, ut seorsim a Baptismate conferretur Sacramentum Confirmationis iis, qui in provectiori essent ætate, & ad percipiendam virtutem Sacramenti accommodata.

Pravæ opiniones interim corrigendæ.

§. 11. Hæc quoad primum Dubium. Quo verò ad secundum, licet in sui primordio Catholica Ecclesia hæresim ejurantibus non semel ostenderit dura, ut eos potaret vino compunctionis; ideoque promotos ad Sacros Ordines solius Laicæ Communionis participes voluerit; ab hac tamen severitate judicii successivis temporibus temperatum est, & ipsi Nicenæ Synodi Patres *Canone 8.* ultro consensere, quod Novatiani in Sacris Ordinibus constituti, ab errore in semitam veritatis reduces, nedum permanerent in Ordine Clericali, sed etiam obtentarum

Ad II. Dub. Indulgentia Ecclesiæ in recipiendis lapsis.

Dignitatum honore (providis tamen adjectis legibus) fruerentur. Hanc quoque piæ Matris Ecclesiæ lenitatem in amplexum Filiorum occurrentis, experti sunt Donatistæ. Siquidem Catholici Præsules, qui gemino adstipulante Edicto Marcellini Proconsulis, eos pro agenda Religionis causa advocaverant in illum Conventum Ecclesiasticis monumentis tantopere celebratum, quò facilius ad veræ Fidei cultum, & unitatem allicerent, retentionem gradus Episcopalis antea adepti, veluti quoddam conciliandæ pacis præliminare, illis consulto obtulere.

Missionarii Officia.

Pastoribus conversis, qui digni sint, permittitur retentio gradus, arbitrio Vicar. Gen.

§. 12. Præclara hæc lenitatis argumenta attento Nobiscum animo repetentes, æquum visum est, ut Parochi Ritus Cophti, valide tamen ac rite ordinati, qui ex atrâ errorum, in quibus versabantur, caligine, in lucem Catholicæ veritatis emergunt, capaces sint etiam inter Catholicos Administrationis Sacramentorum Parochialium, quâ prius in Schismate potiebantur, quamvis hæc ipsa spiritualis auctoritas, nullo existente Parocho Catholico, tributa etiam sit Patribus Missionariis, & ab illis exerceatur. Hanc autem capacitatem, quæ singulis inest, ita temperandam esse decernimus, ut non omnes indistinctè hoc Pastorale munus sibi assumant, sed ii tantùm, quos Vicarius Generalis Dominico Gregi præfecerit; qui pietate, castis moribus conspicui sint; qui bonorum exemplo præluceant; & in quorum reditu ad Ecclesiam nihil fictum, aut simulatum, sed certum sinceræ Conversionis indicium deprehendatur.

Ad III. & IV. Dubium. Cophtorum mos in ordinatione Infantium.

Conditiones ab iis servandæ.

§. 13. Præterea qui a Vicario Generali inter alios præelecti fuerint, abstineant ab exercitio dictæ auctoritatis, quousque non reportaverint necessariam in utroque foro absolutionem, rehabilitationem, necnon dispensationem ab Irregularitate, Censuris, & pœnis, lapsis in Hæresim canonicè inflictis. Ritu præterea Catholico administrent Sacramenta. Nullum eisdem cum Schismaticis in Divinis sit consortium, ex quo hæresis, pravæque mentis suspicio suboriatur; Sed interjecto cum Schismaticis pariete, corde puro, conscientia bona, fide non ficta, præcepta Matris Ecclesiæ, quæ denuò eos in Christo genuit, intemeratè custodiant.

§. 14. Ex hac porrò indulgentia uberem in dies spiritualium gaudiorum messem expectamus, lucrum scilicet Animarum ad gremium Ecclesiæ redeuntium: Probè enim intelligent, Nos Pastoris Jesu Christi vicem in Terris tenentes, tantùm quærere, & salvum velle, quod perierat; Ovesque inventas, non virga timoris, sed officio charitatis, ad Ovile congregare.

Franciscani Instituti spiritus quoad jurisdictionem Parochorum.

§. 15. Nec conqueri jure poterunt Missionarii suam auctoritatem hoc pacto videri imminutam, si oportunè in memoriam revocaverint, quæ ab eorum Patre, & Institutore Sancto Francisco in suo Testamento scripta leguntur: *Et si haberem tantam sapientiam, quantam Salomon habuit, & invenirem pauperculos Sacerdotes in Parochiis, in quibus morantur, nolo contra eorum voluntatem prædicare*: Cui sententiæ consona sunt documenta S. Bonaventuræ in suo Tractatu, *Quare Fratres Minores prædicent: Temperatissimè*, inquit Sanctus Doctor, *disposuit divina Sapientia, & instituit Sedes Apostolica, ut per Ordines prænotatos in prædicatione, & Confessione defectus Cleri suppleatur, & Animæ salventur, & nec in spiritualibus, nec in temporalibus Jus Clericorum aliquatenus minuatur.* Parique censura, in simili negocio cum Græcis Melchitis nuperrimè discusso, a Nobis definitum est: *Licere tantum Fratribus Ordinis Minorum Sancti Francisci Custodiæ Terræ Sanctæ Parochialia munia obire circa Græcos Melchitas, eisque Sacramenta administrare in iis locorum, & temporum circumstantiis, quibus omnino deficiat modus habendi Parochum, aut alium Antistitem Græci Ritus.*

De eodem.

§. 16. Neque etiam perperam timeant Missionarii sibi in Vinea Domini, tanquam Operariis tota die otiosis, & a bono opere torpentibus, nullam, vel exiguam occasionem impendendi laboris esse relictam. Prædicandum est ab illis sanctum Christi Evangelium, & docenda Mysteria Christiano Homini necessaria ad æternam salutem; explicanda vitia, quæ declinare, virtutes, quas sequi oporteat; adhibenda medela sauciatis per Sacramentum Pœnitentiæ; Tum alia quoque administranda sunt Sacramenta in subsidium Presbyterorum Ritus Cophti; nihil demum derelinquendum est, quod ad Animarum salutem, & Religionis incrementum pertinere possit. Potissima tamen sollicitudo conferenda est, ut Sacerdotes Cophti a Fidei unitate, rectâque semitâ declinantes, erroris depulsa caligine, ad unionem, & amplexum Catholicæ Ecclesiæ revocentur, eorumque numerus augeatur; hoc enim pacto Vinea Domini Sabaoth refloresceret, optatumque fructum salutis, benedicente Domino, dabit in tempore suo.

§. 17. Ad tertium, & quartum Dubium gradientes, pro faciliori & accuratiori illorum examine juvat præmittere, verificari practicè & in concreto apud Cophtos, quod in abstracto, & pro suo ingenio disputant inter se Latini Theologi, & Canonistæ, de Ordine sacro Infanti ante rationis usum, vel ante pubertatem collatio. Præmaturam hujusmodi Ordinationem apud Cophtos veteri usu, & disciplina invaluisse testatur Pater Thomas a Jesu *dicto Oper. de Conversion. Gent. lib. 7. pag. 361.*: *Conferuntur*, inquit, *Ordines, excepto Presbyteratu, omni ætati, etiam immediatè post Baptismum Parvulis, simulque dantur Tonsura, & quatuor Gradus, & Diaconatus, & Subdiaconatus; nec hisce conferendis interstitia, vel tempora particularia determinata sunt. Ubi Sacros Ordines recipiunt, castitatem, & abstinentiam pollicentur, jejunare videlicet diebus Mercurii, & Veneris, & tempore Adventus, & Quadragesimæ &c. Insuper etiam Quadragesimis Apostolorum Petri & Pauli, & Assumptionis. Quando autem Infantulis, aut Pueris, Sacri Ordines conferuntur, pro eis spondent, & hæc vota observant ipsorum Parentes, donec decimum sextum ætatis Annum, aut circiter, exegerint.*

§. 18. Hanc quoque vigentem inter Cophtos consuetudinem assumendi ad Ordinem Diaconatus constitutos in ætate infantili, confirmat suo testimonio Carolus Franciscus a Breno *in Manuali Mission. Oriental. tom. 1. lib. 3. cap. 2, num. 5.*; idemque usus evincitur in Litteris P. Berna. Missionarii Societatis Jesu datis Anno 1706. Cairo ad P. Solerium, magni nominis, probatæque doctrinæ Bollandistam: memoratis in iisdem litteris *Cophtorum*, seu *Jacobitarum* moribus & institutis, advertit, Diaconos promotos in ætate sex vel septem Annorum, in immensum excrevisse numerum, cæteroquin necessarium, ne Ecclesia debitis fraudetur obsequiis; neve Divina Mysteria absque decenti Ministrorum cultu & frequentia celebrentur, quemadmodum videre est *in continuatione Bollandi tom. 5. Mens. Jun. pag. 132.*

Ætas in Ecclesia Occid. requisita ad recipiendos Ordines.

§. 19. Nemo adeo rudis est, qui ignoret in Ecclesia Occidentali diversos Ordines, & Ministrorum Gradus fuisse institutos, & in sua ritè tempora dispositos. Primâ etenim Tonsurâ initiandi sunt prædiți usu rationis; qui in septimo ætatis Anno præsumitur. Minoribus verò Ordinibus licèt determinata ætas a Sacris Canonibus præstituta non sit, adhuc a septimo ad decimum quartum Annum conferri solent, concurrentibus tamen in Ordinando qualitatibus desideratis a Tridentino *sess. 23. de Reform. cap. 5. & 11.* Porrò ejusdem Tridentinæ Synodi lege cautum est, ad Subdiaconatum ætatem vigesimi

secundi Anni, ad Diaconatum vigesimi tertii, ad Presbyteratum vigesimi quinti, ad Episcopatum trigesimi esse necessariam; eo tantùm inter Sacros Ordines & Episcopatum recurrente discrimine, quod pro Sacris Ordinibus satis sit unius, vel alterius respectivè Anni inchoatio, pro Episcopatu verò complementum trigesimi Anni requiratur.

Ordinatio Infantis est ILLICITA, sed VALIDA.

§. 20. Si tamen in hujusmodi providè institutarum Legum contemptum contingeret fortasse ab Episcopo legitima auctoritate suffulto non solùm Minores, sed etiam Sacros Ordines Infanti conferri; concordi Theologorum, & Canonistarum suffragio definitum est, *validam*, sed *illicitam* censeri hanc Ordinationem, dummodo nullo laboret substantiali defectu materiæ, formæ, & intentionis in Episcopo Ordinante; non attentâ contrariâ sententiâ, quæ raros habet Assecias, & quæ supremis Tribunalibus, & Congregationibus Urbis numquam arrisit. Æquè tamen certum & exploratum est, per hanc Ordinum collationem non subjici Promotos obligationi servandæ Castitatis, nec aliis oneribus ab Ecclesia impositis; cum electio status a libera cujusque pendeat voluntate, & Altissimo nostra, non autem aliena, vota reddere teneamur.

At non imponit onera Ordini adnexa.

Vetus disciplina temperata est, quoad promotos per vim.

§. 21. Obsolevit enim vetus illa Ecclesiæ Disciplina, quæ coactè, aut per vim Promotos ad Sacerdotium, & Episcopatum, duro subjiciebat jugo servitutis, & observationis onerum & legum cuicumque Ordini impositarum, spretâ quavis protestatione Ordinati, vel Promoti, contra vim illatam, spretâque declaratione animi a suscepto Ordine abhorrentis. Insuper licèt usque ad sæculum duodecimum consueverint Parentes Filios in infantili ætate positos in sacris Monachorum Cœnobiis devovere, & Divino Famulatui mancipare, perpetuò vetito egressu è septis Monachorum; attamen mitioribus Clementis III., Cœlestini III., & Tridentinæ Synodi Decretis abrogata fuit Lex illa, contra quam naturæ, & liberi arbitrii jura clamare videbantur.

Et quoad oblatos Religioni.

Ratihabitio post usum rationis emissa, an imponat obligationem servandi onera.

§. 22. Non desunt tamen graves Theologi, qui accuratiori etiam examine rem intimè scrutentur: Ajunt siquidem, Infantes promotos ad Sacros Ordines, ubi sui compotes jam fuerint, disertè esse interrogandos super intentione permanendi, nec ne, in Ordine sibi collato. Si firmo deliberatoque animo palàm assenserint; eo casu censent eos obstringi voto Castitatis; sin minus, licitum sit eisdem ad sæcularia vota transire, suspensâ exercendi Ordinis potestate.

Item de Ordinato ante pubertatem.

§. 23. Alium expendunt casum Theologi, Ordinis suscepti post usum rationis, sed ante pubertatem. Affirmant ita Ordinatum tunc solùm obligari voto servandæ Castitatis, quando Ordinationem *expressè* ratam habuerit, vel *tacitè* aliquo exteriori signo, puta quia ministraverit in Ordine suscepto, vel quia pensum diurnum horarum Canonicarum more aliorum absolverit: Quousque ratihabitio non superveniat, iidem Theologi nullam Ordinato imponunt obligationem recitationis Officii Divini; immo censent tamdiu interdictum exercitium Ordinis suscepti, quamdiu Ordinatus in ætate impuberi attingat alteram ætatem a sacris Canonibus Promovendis ritè præstitutam.

§. 24. Expensa huc usque in abstracto ad tramites Legum Canonicarum, quibus Ecclesia Occidentalis informatur, facilem viam sternunt resolutioni non solum tertii Dubii, in quo quæritur: *An Diaconis Ritus Cophti licitæ sint primæ, & ulteriores Nuptiæ*; sed etiam quarti, in quo quæritur: *An dicti Diaconi teneantur Divinum Officium recitare.*

Ordinationes Infantium Cophtorum validæ.

§. 25. Et sanè si Missionarii, qui Dubia proponunt, ultro consentiunt, apud Cophtos Ecclesiasticam Hierarchiam perseverare in suis Ordinibus, & gradibus aptè dispositam; si sacræ illæ Ordinationes nullo laborant substantiali defectu ex parte materiæ, vel formæ: si demùm, sublato illo, qui olim aderat, dissidentium opinionum conflictu, nemo est, qui hodie validam non fateatur Ordinationem a Ministro etiam Schismatico factam: necessariò sequitur, ut quemadmodum in Ecclesia Occidentali *validè* conferuntur Ordines sacri etiam Infantibus, ita Cophtis sacer Diaconatus Ordo in infantili ætate *validè* conferatur.

Sed nòn imponunt onera, absque ratihabitione.

§. 26. Immo si in Ecclesia Occidentali, ut præmissum est, eximuntur ab obligatione recitationis Divini Officii non solum Pueri, sed etiam Impuberes assumpti ad Ordinem sacrum, nisi confirmata jam ætate suam Ordinationem expressè, vel tacitè ratam habeant: Ex paritate rationis idem ferendum est in hac quoque parte judicium de Diaconis Ritu Cophto in tenera ætate ordinatis, recurrente in uno, & in altero casu defectu liberi assensus, singulis ad electionem, & professionem status necessarii.

Quare præscribitur exploratio voluntatis, ad normam Concil. Tolet. II.

§. 27. In Concilio Toletano II. relato *in Can. de iis, dist.* 28. ubi sermo instituitur de iis, *quos voluntas Parentum a primis Infantiæ annis Clericatus Officio mancipavit*, hæc disciplinæ regula opportunè præscribitur: *Ubi octavum decimum ætatis suæ compleverint annum, coram Cleri Plebisque conspectu voluntas eorum de expetendo Conjugio ab Episcopo perscrutetur, quibus si gratia Castitatis Deo inspirante placuerit, Subdiaconatus Ministerium, habita probatione Professionis suæ, a vigesimo anno suscipiant &c. Quibus autem voluntas, propriæ interrogationis tempore, desiderium nubendi persuaserit, concessam ab Apostolo licentiam auferre non possumus.* Canonicæ hujus sanctionis littera apertè edocet, Infantes a Parentibus Ecclesiasticis Ministeriis dedicatos, exacto decimo octavo anno ab Episcopo interrogari oportere, an velint in sancto perseverare proposito, vel temporale inire Conjugium. Ab hujusmodi rectè agendi semita non deflectat Præfectus Missionis; sed Diaconos in prima ætate ordinatos apertè interroget per se ipsum, si commodè fieri possit; sin minus, per alium a se deputatum, & quæ illorum sit mens & voluntas, diligenter exploret.

Quæ fiat expleto ætatis anno XVI.

§. 28. Hæc porro interrogatio, & inquisitio fiat postquam Diaconi DECIMUM SEXTUM ætatis Annum excesserint; consonum quippe est, Diaconos eo tempore deliberare, quo, juxta Tridentini Decreta, in quacumque Religione tam Virorum, quàm Mulierum solemnia Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ vota per Regularem Professionem emittuntur. Si completo decimo sexto anno Interroganti responderint, nolle diutius in Diaconali Officio persistere; liceat illis primum, eoque legitimè soluto, alterum quoque inire Matrimonium. Certiores præterea fiant, nulla Ecclesiastica lege, vel præcepto, ad recitandum Officium Divinum, vel preces a Clero Cophto usitatas compelli.

Qui sæcularia vota elegerint, iis non prohibentur secundæ nuptiæ.

§. 29. Nec turpe videri debet, aut indecorum, Diaconis a quavis Ecclesiastica Lege solutis aditum ad iteratas Nuptias aperiri. Pro libertate secundi Matrimonii Sacræ clamant Litteræ, & Doctoris Gentium saluberrima consilia. Ad Fœminas sermonem instituens Apostolus in *Epistola ad Romanos cap.* 7. *Si autem*, inquit, *mortuus fuerit Vir ejus, liberata est a lege Viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio Viro*: Et in II. *ad Corinth. cap.* 7.: *Dico autem non Nuptis, & Viduis: Bonum est illis, si sic permaneant, sicut & Ego: Quod si non se continent, nubant; melius est enim nubere, quam uri.* Demum Ep. I. ad Timoth. *cap.* 5. florentis ævi Viduas denuò ad Matrimonium, & ad sobolem procreandam hortatur, ne forte in contemptum Castitatis sordibus incontinentiæ coinquinentur.

Qua freti auctoritate Orientalis Ecclesiæ Patres graviter erroris arguunt, & tamquam hæreticos damnant, qui putant, post primæ Uxoris obitum nefas esse ad secunda vota transire, ut videre est apud Petrum Arcudium *de Concordia Eccles. Occident. & Orient. lib. 7. cap. 27.*

Contra, eligentibus perseverare in ministerio Ecclesiæ.

§. 30. E contra si Diaconi Ritus Cophti, completo decimo sexto anno, Interroganti, & illorum voluntatem inquirenti seriò ac deliberatè responderint, velle se in adepto Ordine perseverare, & Ecclesiasticis vacare muneribus; eo casu sub districti severitate judicii Secundæ Nuptiæ illis apertè interdicantur, clamante Apostolo, Ep. I. ad Timoth. *cap. 3. Diaconi sint unius Uxoris Viri.*

Quibus inhibetur etiã omnis bigamia.

§. 31. Insuper, cum Personas Deo consecratas maximè puritas, sanctitasque deceat, provide *Canones Apostolici 17. & 18.*, quos præcipua veneratione, & cultu Ecclesia prosequitur, prohibent Episcopis, Presbyteris, & Diaconis nedum *bigamiam propriam*, quæ profluit ex secundo Matrimonio, sed etiam *similitudinariam* ortam ex primo Matrimonio cum Vidua, vel Corrupta, contracto. Disposita per Canones Apostolicos innovata fuerunt *in Canone 3.* Concilii Trullani; cujus auctoritas licet in Ecclesia Occidentali recepta non sit, illam tamen Orientalis Ecclesia suscipit, & veneratur. Alexius Aristenius (magni nominis apud Orientales Auctor, quemadmodum Balsamon, & Zonaras inferiori loco citandi) præfati Canonis Trullani Glossator, ita scribit: *Illum, qui binis implicatus est Nuptiis post Baptismum, aut Pellicem retinet, aut Viduam, aut ab alio dimissam, aut Meretricem, aut Servam, aut Scenicam ducit, non posse Episcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum, aut Hypodiaconum fieri, juxta decimum septimum, & decimum octavum Apostolorum Canones, decernunt.*

Sub adepti gradus periculo.

§. 32. P. Bernat apud Bollandistas *loco citato* propiùs ad rem accedens, testatur, Diaconos Cophtos vinculo secundi Matrimonii alligatos *adepto gradu excidere*, & ab Ordinis anteà collati ministerio suspendi. Nec sanè deest huic Disciplinæ satis firmum rationis præsidium. Cum enim Diaconi opportuno tempore interrogati, libero & deliberato actu voluntatis ratam Ordinationem habuerint, & novum quoddam vitæ genus ratificando elegerint, ac professi fuerint; deliberato pariter voluntatis actu censendi sunt se subjecisse Legibus Ordini ratificato, & vitæ instituto necessariò connexis, ac Legi præsertim prohibenti secunda Connubia, & Bigamiam, adeo ut nefas sit a proposito resilire.

De matrimoniis Diaconorum.

§. 33. Toti hactenùs fuimus in examine secundarum Nuptiarum: Nunc verò aliqua *de primis* attingenda sunt, ut singulis propositi Dubii partibus satis fiat.

Disciplina Ecclesiæ Occid. & Orquoad Cœlibatum Sacr. Ministrorum.

§. 34. Quamvis antiquissimo tempore, ad augendam Clericalis Militiæ Sanctitatem, utraque Ecclesia Occidentalis, & Orientalis æquè præscripserit, nedum Presbyteros, sed alios etiam in SS. Ordinibus constitutos in perpetuo Cœlibatu versari debere, & hanc custodiendæ Castitatis obligationem numquam remiserit aliarum Mater & Magistra Romana Ecclesia: Secùs tamen contigit tractu temporis in Ecclesia Orientali, ut apertè evincitur ex *Can. aliter. distinct. 31., cap. quæsitum. de pœnit. & remiss., & cap. cum olim. de Cleric. conjugat.* Quibus sanctionibus consonæ sunt Literæ Apostolicæ fel. record. Gregorii XIII. Prædecessoris Nostri datæ ad Patriarcham Maronitarum, legendæ apud Thomam a Jesu in supra memorato Opere pag. 490. ibi: *Cum Stephanus Papa tradat, Orientalium veterem esse traditionem, ut eorum Sacerdotes Matrimonio copulati sint, cumque id illis numquam interdixerit Ecclesia, nec videtur interdicendum Maronitis; Lex enim Cœlibatus semper gravis visa est Græcis, propterea Conjugium permissum est illis &c. Permittendum id itaque videtur Maronitis, dummodo ad Matrimonium non compellantur, qui cœlibes esse vellent, sed ad id potius piis hortationibus inducantur.*

Quid apud Græcos.

§. 35. Junguntur Matrimonio Græci in Minoribus Ordinibus constituti, & Uxore retenta, ad majores Ordines, & ad Sacerdotii gradum rite promoventur: Ubi tamen contigerit, eos in Statu Cœlibi Sacris Ordinibus insigniri, a quacumque spe contrahendi Matrimonii dejiciuntur, ut fusè edocet *Gloss. in Canon. Diaconi. distinct. 28.*

Nuptiæ post susceptum Diaconatum interdictæ.

§. 36. Quin obstet declaratio, & protestatio de expetendo Conjugio in ipsa susceptione Ordinis Sacri emissa a Diaconis; qua concurrente, compatibiles videntur Nuptiæ cum simultaneo Diaconatus Ministerio, ad præscriptum *Canonis 10.* Concilii Ancyrani, relati *in Canon. Diaconi. dist. 28.*: *Quicumque Diaconi constituti, in ipsa ordinatione protestati sunt, & dixerunt, oportere se Uxores ducere, cum non possint sic manere, ii si Uxorem postea duxerint, in ministerio maneant, eo quod hoc sit illis ab Episcopo concessum; si qui autem, hoc silentio præterito, & in Ordinatione, ut ita manerent, susceptí sunt, postea autem ad Matrimonium venerunt, ii a Diaconatu cessent*: Siquidem Balsamon, qui Canonem illum accuratè expendit, expresè rejicit in illo dispositã, inquiens: *Hunc Canonem ne sequaris;* & innixus solidiori doctrinæ Sexti Canonis Synodi Trullanæ, inefficacem esse concludit assensum dictæ protestationi quoquo modo præstitum ab Episcopo Ordinante, *Sextus enim Canon* (sunt illius verba) *Synodi in Trullo deponendos decernit Presbyteros, & Diaconos, qui post Ordinationem matrimonium contraxerint. Quod fit autem contra Canones, nec ex permissione Episcopali, nec ex eo tantum, quod tacuerint, concedetur, ut quod consistere nequit.*

Confirmatur.

§. 37. Eadem est quoque Sententia Zonaræ de Canone supra relato Concilii Ancyrani; immò ad removendam antinomiam duorum Canonum, nempe Ancyrani, & Trullani, qui inter se colliduntur, sextæ Synodi Decreta sequenda proponit: *Cum igitur sibi invicem hi Canones manifeste adversentur, sextæ Synodi Canon, qui & posterior fuit, & magis cum Apostolico Canone consentit, servari debet:* Nec diversimode etiam sentit Aristenius, qui in hoc auctoritatum conflictu adhæret partibus Concilii Trullani; Ait enim: *Sed huic Canoni opponitur sextus sextæ Synodi Canon, non omnino ei, qui Cœlebs ad Hypodiaconi, aut Presbyteri gradum venit, concedens Matrimonio sibi Fœminam conjungere, sed eum, qui hoc ausus fuerit, deponi jubens. Et vim retinet ille Canon; sed hic in desuetudinem abiit.*

Matrimonia Diaconi Græci, & illicitum & nullum.

§. 38. Diù multumque agitata est inter Theologos controversia illa, plena jurgii, ac dissidii: An solum illicitum, vel potiùs illicitum & invalidum reputari deberet Matrimonium initum in Ecclesia *Orientali* post collationem Sacrorum Ordinum, quemadmodum nullum & irritum reputatur in Ecclesia *Occidentali*. Placuit sane pluribus, *validum*, sed *illicitum* censeri debere hujusmodi matrimonium, tum quia Canonicæ Sanctiones, & Decreta Ecclesiæ Occidentalis illud irritantia, protendi non possunt indole sua ad Ecclesiam Orientalem; Tum quia Canones Synodi Trullanæ, quorum semper a Græcis commendata fuit auctoritas, nullibi expresse annullant, & irritant matrimonium post Sacros Ordines contractum. Strenuè contra pugnarunt alii pro omnimoda invaliditate: Et saniori certe consilio; utpote tuentes sententiam majoribus suffragiis suffultam, & menti Congregationum Urbis consentaneam. Nulli-

tatem

tatem Matrimonii satis erui posse judicarunt ex ipso *Canone* 3. Concilii Trullani his verbis; *Eis nefario videlicet dissoluto Conjugio.*

Consentit auctoritas Imp. Justiniani.

§. 39. Favet etiam eidem Sententiæ auctoritas Imperatoris Justiniani, qui in Codice a Gothofredo illustrato *lib. 1. de Episc. & Cleric., Novell.* 45. hujusmodi Nuptias nefarias, & incestuosas appellat; & soboli inde procreatæ notam illegitimitatis, & turpem Paternæ incontinentiæ maculam inurit. Et licet in Juribus Ecclesiasticis Potestati Laicæ sola relicta sit gloria obsequendi, non auctoritas imperandi; In subjecto tamen casu loquitur Imperator relative ad SS. Canones, ibi: *quæ & Sacris visa sunt Canonibus.*

Præmissa quatenus procedant.

§. 46. Satis hæc videri possunt pro examine tertii, & quarti Dubii, semper tamen præ oculis habita firmiterque retenta hypothesi, quod quæstio usque modo instituta referenda sit ad Diaconos ordinatos in prima ætate Ritu Cophto inter Schismaticos, qui post reditum ad Orthodoxam Ecclesiam, & post ratihabitionem Ordinis factam apud Catholicos in Statu cœlibi, vindicent sibi postea legitimi Jura Conjugii.

Cophti in infantia Ordinati, Matrim. inire nequeunt, post ratihabitionem.

§. 40. Omnia itaque in unum perstringentes, si, ex hucusque dictis, Græcis ad Ordines Sacros jam promotis expresse vetitæ sunt non solùm *secundæ*, sed *primæ* etiam Nuptiæ; Pari sanè jure in proposito themate prohibenda est Diaconis ordinatis in tenera ætate celebratio *quarumcumque Nuptiarum*, postquam ipsi in ætate jam confirmata, serio deliberatoque animo consensere in Ordinationem jamdiù susceptam, illamque publica declaratione ratificarunt; proindeque Patribus Missionariis omnis adimitur potestas super hoc dispensandi.

De his qui Ordinationē tacite ratam habuerunt, & Nuptias cōtraxerunt, ante ejuratū Schisma.

§. 47. At suspicari Nobis non temerè licet, crebrius in praxi alium dari casum a præmissa hypothesi longè diversum. Sæpissimè etenim contingit, a Diaconis apud Schismaticos in ætate infantili ordinatis, ubi ætas adolevit, ratam haberi apud eosdem Schismaticos Ordinationem, si non expresse, saltem tacitè, v. g. ministrando in Ordine susceptо; & ab ipsis subinde contrahi Matrimonium. Demum ab erroribus, in quibus versantur, quærunt in sinu Catholicæ Ecclesiæ salutare perfugium, sub spe tamen obtinendæ Dispensationis super Matrimonio jam inito, ut in statu conjugali legitimè perseverent.

Etiam post ejuratum Schisma.

§. 41. Nec opitulari quoquo modo potest Cophtis salutare propositum ejurandi Schismaticorum errores, seque devovendi ex animo unioni Catholicæ Romanæ Ecclesiæ. Si enim Divina tantùm adspirante aura, nulloque humano impellente consilio, in piæ Matris gremium se receperint, & ad Nos confugerint; facilè etiam intelligent, ejusdem Catholicæ Ecclesiæ Disciplinæ & observantiæ eos conformari oportere; Ideoque subjici legi Cœlibatus, quam Promoti ad Ordines Sacros, sive Latini sint, sive Græci, in Romana Ecclesia sanctè & inviolatè custodiunt.

Hi stricto jure ab Uxoribus separandi.

§. 48. Casus iste quò frequentior est, eò etiam explicatu difficilior. Etenim si, ad tramites jam expensarum rationum, ipso jure irrita sunt Matrimonia post Ordinem Sacrum contracta; necessariò sequitur, Diaconos in reditu a schismate ad unitatem Ecclesiæ non posse pedes tenere in diversis, unum in Divinis, alterum in carnalibus, sed illico separari debere a quovis Uxoris consortio. Quis erit tamen, qui non agnoscat ac fateatur, hanc separationem gravem obicem obtrudere properantibus in viam salutis, ac plurimum obstare, ne inita de Conversione consilia ad exitum perducantur?

De recitatione Divini Officii.

§. 42. Imminet etiam Diaconis ratam habentibus suam Ordinationem onus dictim recitandi Officium Divinum; de quo instituitur quæstio *in quarto dubio.*

An expediat dispensationem concedere.

§. 49. E contra verò si facilè cum Diaconis dispensetur in Matrimonio post Sacrum Ordinem contracto (quod tamen omnino novum, ac inusitatum non esset, ut perperam nonnulli arbitrantur), ineluctabiles sese objiciunt difficultates in dicta Dispensatione exequutioni demandanda. Siquidem cum apud Fideles, etiam Ecclesiæ Orientalis, nulla sint & irrita Matrimonia post Ordines Sacros celebrata; dispensatio grave illis scandalum ingereret, & acerbè quererentur, maximum infligi vulnus Ecclesiasticæ Disciplinæ.

Ecclesiæ Occidentalis Lex eam imponit Sacris Ministris.

§. 43. In Ecclesia Occidentis imposita est Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis dicta obligatio, quamvis nullum Ecclesiasticum Beneficium fuerint assequuti. Cohæret enim Ordini Sacro diurnum pensum Horarum Canonicarum; Illudque veteri traditione acceptum, & immemorabili consuetudine in more positum fuisse, docet communior Theologorum opinio.

Si dispensetur, necessaria esset renovatio consensus.

§. 50. Insuper cum res sit de Matrimonio in radice nullo; Dispensatio suffragari non posset, nisi renovato, ac denuo in faciem Ecclesiæ ritè præstito a Conjugibus consensu. Hanc verò renovationem consensus novam omnino putarent Cophti, vel fortasse refugerent, tamquam plenam aleæ; probè intelligentes, unum, & alterum Conjugem posse pro libito abstinere a præstando assensu, immo potiri facultate se se in libertatem vendicandi.

Similis consuetudo in Ecclesia Orientali.

§. 44. Quantum assequi potuimus conjectura, & testimonio Monachorum Ritus Cophti in Urbe degentium, quos ea de re percunctari non prætermisimus, Diaconi, Subdiaconi, & Presbyteri Ecclesiæ Orientis nulla lege expressa, Canone, aut Concilii Decreto adiguntur ad recitationem Officii Divini; quia verò positi in hujusmodi ministerii gradibus tenentur Omnipotenti Deo orationes, & sacrificium laudis offerre, etiam apud Orientales laudabilis invaluit consuetudo recitandi Divinum Officium.

Quæ legis vim habere debet; ut definitū fuit de MARONITIS.

§. 45. Memoriæ proditum est, Patriarcham Maronitarum plura proposuisse Dubia Prædecessori nostro Gregorio XIII. ut supremo illius, & Apostolicæ Sedis judicio definirentur. Legitur §. 6. hoc potissimum: *Creamus*, inquit Patriarcha, *Pueros quinque vel sex Annorum Subdiaconos, sine obligatione legendi Horas Canonicas:* En Apostolica Definitio relata in sæpe memorato Opere P. Thomæ a Jesu: *Tenentur etiam omnes Ordinati ad Horas Canonicas, saltem illi Nationi consuetas, & a Viris doctis recognitas, non solùm Beneficiati, sed etiam qui sunt in Sacris, sine Beneficio.* Qua de re, si Disciplina Ecclesiæ Orientalis subjicit obligationi & præcepto recitandi Officium Divinum *more Nationis* generatim omnes in Sacro Ordine constitutos; Eadem sanè obligatio, idemque præceptum persolvendi Horas Canonicas *more suæ Nationis* afficiet Diaconos Cophtos, qui per solemnem ratificationem tempore habili emissam denuo assensum præstitere Ordini Sacro in infantili ætate susceptо.

Faculta dispensandi aliàs a S. Sede concessa.

§. 51. Cæterum, ut mox innuimus, indubiis Ecclesiasticæ Historiæ monumentis edocemur, alias dispensatum fuisse, ut Orientales ad Unitatem redeuntes perseverarent in fœdere Matrimonii post Sacros Ordines contracti. Exemplum hujusmodi Dispensationis exhibent Apostolicæ Literæ fel. rec. Innocentii IV. Prædecessoris Nostri Anno 1244. datæ ad Magistrum & Priorem Fratrum Prædicatorum Terræ Sanctæ, quibus idem Pontifex inter alia indulget, ut per Fratres dicti Ordinis, *qui deputantur ad prædicandum Jacobitis, Neostritis, Georgianis, Græcis, Armenis, Maronitis, Mossolinis, aliisque Nationibus in Partibus Orientalibus constitutis &c. dispensari valeat, ut illi ex Nationibus numeratis, qui*

post susceptionem Sacrorum Ordinum, vel in gradibus, & casibus a Divina minimè Lege prohibitis, Matrimonia, contraxerunt remaneant in eisdem. Extat dictarum literarum Exemplar authenticum Romæ in Archivo Ordinis, exscriptum ad fidem Autographi asservati in Cœnobio Viterbiensi, ut videre est in novissimo Bullario Dominicano, edito & illustrato ab Antonino Bremond dicti Ordinis Alumno *tom. 1. pag. 136.*

Suspenditur Resolutio.

§. 52. Sed hæc exempla tanti non sunt, ut Nos statim ea sequi velimus. In hoc gravi negocio, in quo multa desunt, quæ scitu digna sunt, hæremus adhuc; & præcipuum Pontificiæ sollicitudinis munus esse intelligimus, nihil intentatum relinquere, quod ad singulas circumstantias enucleatè assequendas pertinere possit.

Missionarii jubentur circa subjecta capita distincte referre.

§. 53. Partes erunt igitur Vicarii Generalis, ac Præfecti Missionis, cæterorumque Missionariorum, ad quos præsentem Instructionem deferri volumus, Articulis infra subjectis congruum ac dilucidum exhibere responsum, Nosque certiores quam primum efficere, ut tandem firmo, ut ajunt, pede deliberare possimus.

I. An spes ulla affulgeat proximi reditus alicujus Episcopi ad sinceram cum Catholica Ecclesia Unitatem.

II. An rebus in eo, in quo hodie sunt, statu manentibus, expediat, tribui uni, vel pluribus Presbyteris facultatem extraordinariam administrandi Sacramentum Confirmationis: Cui, vel quibus dicta facultas tutò delegari possit, ut Sacro Chrismate præcipue liniantur Filii orti a Parentibus Catholicis post hæresim ejuratam, & abluti Sacro Baptismate, saltem a Sacerdote Latino.

III. An in casu concessionis hujusmodi facultatis, expediat monere Sacerdotes, ne ea utantur administrando Confirmationem Infantibus immediate post Baptismum (nisi in casu necessitatis), sed in ea tantum ætate, qua Confirmandus virtutem Sacramenti valeat mente percipere.

IV. An Diaconi Ritus Cophti attingant hodie eximium illum numerum, qui a Scriptoribus præfertur. An Diaconi ordinati in ætate puerili, ministrent adulti in Ordine suscepto, & in statu cœlibi, itaut inferri possit, eos ante Nuptias ratam Ordinationem habere; Cum compertum sit, teste P. Benart, *eos a Puero functionibus Ecclesiasticis assuescere*, & in magno numero ordinari, *ne aliquando desint, qui Ecclesiæ Ministeriis operam navent.*

V. An & quomodo tolli possit, & radicitus extirpari abusus conferendi Ordines ante legitimum tempus, & induci, quoad ætatem Ordinandorum, observantia Decretorum Concilii Tridentini, quam in casu simili, ad Catholicæ Fidei præsidium, & Disciplinæ Ecclesiasticæ augmentum, Gregorius XIII. plurimum commendavit Patriarchæ Maronitarum in illis verbis: *Inducendi sunt Maronitæ, ut Concilii Tridentini Decreta observent sess. 23. cap. 12.*

VI. An plus commodi & utilitatis vel potiùs scandali & detrimenti allatura sit rei Catholicæ Dispensatio super Matrimonio inito post Ordines Sacros, libratis in utramque partem omnium rationum & circumstantiarum momentis.

Adhortatio.

§. 54. Enixe demum expetimus ea omnia, quæ Evangelici Præcones, ad Animarum salutem, ad Catholicæ Fidei propagationem, & spirituale solatium Nationis illius, quam intima complectimur charitate, opportuna esse cognoverint. Interim Deum, a quo sancta desideria, recta consilia, & justa sunt opera; enixe rogantes, ut Ovibus, ac Pastoribus suorum charismatum dona multiplicet, eisdem optati eventus auspicem, Apostolicam Benedictionem ex animo impertimur.

Dat. die 4. Maji 1745.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 4. Maji MDCCXLV. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

De Jejunii Disciplina conservanda, vel reintegranda. De Dispensationibus generalibus pro Oppidis, aut Diœcesibus integris, nonnisi certa ratione, & justa de causa, petendis, & concedendis.

CXXX.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, & Episcopis universis, gratiam & communionem Sedis Apostolicæ habentibus.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Sollicitudo Pontificis pro conservatione Ecclesiasticæ Disciplinæ.

Libentissime quidem amplectimur, quæ Nobis offeruntur, occasiones ad Vestros animos excitandos, ut Ecclesiasticæ disciplinæ reparandæ sedulam curam conferatis: Etenim Summi Pontificatus dignitati, ad quam Nos, licet immerentes, evecti fuimus, conjunctam esse intelligimus sollicitudinem aliarum Ecclesiarum, Nobisque commendatam, qui plane tenuitatem virium nostrarum non ignoramus.

Jejuniorum observantia a Conc. Trid. Episcopis cõmendata.

§. 1. Cùm itaque præsentium literarum argumentum totum sit de Jejunio, quod tempore Quadragesimæ, veteri Ecclesiæ instituto ac lege, Fidelibus indicitur; supervacaneum ducimus longam orationem conficere de Quadragesimæ Institutione, & Patrum, & Conciliorum omnes super hac re in medium proferre auctoritates. Difficile id quidem Nobis parum videretur: sed potius alienum, & nullo modo consentaneum Vobis, quos doctrinæ laude, Canonum, & Sacræ Historiæ cognitione præstantes arbitramur. Porrò ad scribendas has literas adducti fuimus gravissimis illis verbis Tridentinæ Synodi, quæ *sess. 25. de Reformat.* præcipit Episcopis, omne studium impendere, ut Fideles ipsorum curæ traditi magna religione perficiant ea, quæ a Sacris Canonibus præscribuntur: *Ut illis omnibus, & iis præcipuè sint obsequentes, quæ ad mortificandam carnem conducunt, ut ciborum delectus, & jejunia.*

Pontificis sententia circa quæstiones de Jejunio.

§. 2. Ubi primum Bononiensem Ecclesiam administrandam suscepimus (ad quam beneficio Clementis XII. fel. rec. ab Sede Anconitana translati fuimus) Mandatum evulgavimus (quod Libro primo Institutionum Nostrarum pro Viris Ecclesiasticis decimoquinto loco continetur): In illo plures difficultates indicavimus, ob quas minimè solvendos Jejunii legibus putabamus illos, qui ob legitimam causam, & legitima prius auctoritate interposita, Quadragesimæ abstinentiam non observarent, minimè, inquam, solvendos a jejunio, itaut liceret ipsis quolibet die mensam bis instituere, non unicâ vice, vespertinâ superadditâ Refectione, quæ permitti jejunantibus consuevit.

Leges ad eas dirimendas promulgatæ.

§. 3. Tandem in hac Pontificia Sede collocati, rem totam in examen iterum revocavimus, & præstantissimis quoque Viris demandavimus, ipsam diligenter accuratèque perpendere, ac suas deindè opiniones Nobis exponere. His peractis, hujusmodi controversiæ finem tribuere constituimus, illudque decrevimus, nè ulla in posterum, sive peculiaris, sive generalis pro aliqua Civitate, vel Oppido concedatur facultas adhibendi carnes ad mensam tempore Jejunii, vel Quadragesimæ, nisi conditio servandi Jejunii, sive unius comestionis, interponatur; & illud quoque monitum addatur, nequaquam licere mensam eandem carne, ac piscibus instruere. Equidem declinatis hac ratione nimium implicatis quæstionibus, existimavimus unicam singulis diebus comestionem inducere illis etiam, qui

carni-

carnibus uti, cum Jejunium indicitur, ritè obtinuerunt; & pravam illam consuetudinem, quæ apud multos jam nimis invaluerat, penitus evellere, afferendi nempe carnes in mensam cum piscibus, postquam ipsi Quadragesimalis abstinentiæ præcepto soluti fuerunt, ob eam potissimùm causam, quod grave detrimentum saluti ab esu piscium accipiant.

Quæ executioni mandantur.

§. 4. Hæc apertissimè constant ex nostris Apostolicis Literis, quas in formâ Brevis dedimus ad omnes Episcopos Orbis Catholici anno 1741., quarum primæ incipiunt: *Non ambigimus*, alteræ verò: *In suprema*. Nos profectò nulli unquam elargiti sumus vesci carnibus, cum tempus Quadragesimæ, sive aliud Jejunium præcipitur, nisi indictâ, scriptâque conditione, quam superius commemoravimus. Maximam pariter lætitiam percepimus, cum redditæ Nobis fuerunt plures Epistolæ, ac Mandata vestra, Literis nostris Apostolicis omninò consentanea, quibus pro virili parte contendistis adducere Populos vobis subjectos, ut propositam in illis disciplinam piè servarent.

Excitatæ difficultates per organum Pœnitentiariæ Apost. solvuntur.

§. 5. Interim promulgatis iisdem Apostolicis Literis, quas paulò ante nominavimus, plures cavillationes excogitatæ sunt a nonnullis, uti Nos antea facili conjectura suspicati fuimus. Plures etiam quæstiones propositæ Nobis fuerunt, exigui quidem ponderis ac momenti, quemadmodum Nos opinamur; cum illæ, vel ipsius Legis verbis, vel sensu penitus corruant ac dissolvantur. Attamen Sacro Tribunali nostræ Pœnitentiariæ, rerum hujusmodi conscio ac peritissimo, easdem quæstiones expendendas commisimus, quibus omnibus plenè cumulatèque, quoties opus fuit, satisfecit.

Archiep. Compostellæ plura dubia proposuit.

§. 6. Archiepiscopus Compostellæ, in Hispaniarum Regnis Primus Inquisitor, nuperrime vita functus, longam ad Nos dedit Epistolam, qua plures recensebat difficultates, quæ Literis nostris Apostolicis adversabantur, quominus executioni mandarentur; eò quod nonnulli Theologi in diversas opiniones ac sententias abirent in solvendis quibusdam quæstionibus, quibus Literæ nostræ Apostolicæ causam & occasionem præbebant; ac proinde de illis Judicium Nostrorum exquirebat. Equidem Archiepiscopi Literæ Nos gravissimis ac difficillimis temporibus occupatos deprehenderunt. Attamen, dum quæstiones in ipsis expositas percurrimus, visum Nobis est non quidem expeti, ut iis quæstionibus responsum fieret, ipsisque solutis, nullum impedimentum, sive obstaculum nostris Literis Apostolicis superesset; sed potius ut objectis cavillationibus ad optatum finem ipsæ minimè adducerentur. Accedit etiam, quod Epistola Archiepiscopi multis argumentationibus, & obscuris vocibus redundabat: quamobrem, licet plures hortarentur, ne ullum Archiepiscopo responsum redderemus; illi tamen satisfecimus, res præcipuas ex ejus literis delibantes, & quæstiones omnes ad certum numerum redigentes. Primùm Nostris occupationibus tribuendum testati sumus, quod tardè ipsi responsum daremus, ejus studium commendavimus, & etiam magnopere probavimus, quod anceps ac dubius ad hanc Sanctam Sedem confugerit, ut consilium exposceret. Deindè prolatis quæstionibus satisfacere non prætermisimus, illum tamen monentes de Instituto Summorum Pontificum, qui leges condere solent, disciplinam decernere, neque ullam habere rationem illorum, qui dubitandi causas objiciunt, ut quæ constituta sunt, perturbent ac evertant.

Quibus Pontifex satisfecit per Literas Apost.

Hæ pro norma habentur in similibus.

§. 7. Vix redditis Literis, Archiepiscopus paulò post vitæ cursum absolvit: Itaque non immeritò suspicamur, responsa Nostra, quæ literis continebantur, haud cognita fuisse & perspecta illis, qui quæstiones excitaverant. Post hæc alii pariter ex Hispanis Episcopis nonnullas ex iisdem quæstionibus Nobis proposuerunt; quare iisdem responsis usi sumus, quæ tradita prius Archiepiscopo Compostellæ a Nobis fuerant. Non defuerunt etiam præstantes inter Italos Theologi, qui Literas nostras Apostolicas datas anno 1741. egregiis commentariis illustrarunt: Idem contigit Responso, quod fecimus Archiepiscopo Compostellæ *die 8. Julii anno* 1744., quod sanè integrum suis Libris præfigendum curaverunt.

Earum exemplum Episcopis mittit.

§. 8. At quoniam Libri ejusmodi ad Vos fortasse nondum pervenerunt, vel curis aliis distenti illos percurrere minime potuistis, his Literis Encyclicis adjungimus illas pariter, quas (uti dictum sæpius est) ad Archiepiscopum Compostellæ jam pridem scripsimus, ut quæ disciplina Vestris in Diœcesibus tenenda sit, planè cognoscatis, ac ne Vos deterreant difficultates, si quæ a captiosis hominibus concitentur.

Sequitur tenor Apostolici Brevis superiùs impressi num. XCIX. *pag.* 203.

Quæstionibus hisce sublatis, alii abusus tollendi.

§. 9. Cum hæc ità se habeant, satis muneri nostro fecisse videmur, ne illi, quibus licet carnes edere, cum Jejunium tempore Quadragesimæ, vel extrà Quadragesimam Fidelibus perscribitur, ùnius comestionis limites excedant, ac ne piscibus simul & carnibus parari sibi mensam patiantur, neve cavillationes perscrutentur, ut legi tenebras offundant. Pauca tamen adhuc supersunt, quæ remedium à Nobis deposcunt.

Dispensationes generales nimis sæpe petuntur.

§. 10. Siquidem advertimus jam multis ab hinc annis non solum plures in qualibet Italiæ Urbe, vestra auctoritate, dissolvi a Quadragesimali abstinentia, sed etiam magno studio contenditis, ut universam Civitatem, totamque Diœcesim eadem abstinentia liberemus. Hinc factum est, ut in quibusdam Civitatibus ac Diœcesibus jam per multos annos Fideles universi, absque ullo discrimine, carnibus per Quadragesimam utantur.

Quid inde timendum.

§. 11. Id quidem maximam Nobis affert sollicitudinem, eo quod deprehendimus certis Testimoniis, in quibusdam Regionibus Septentrionis, toto Quadragesimæ cursu, lactis & ovorum usum liberè permitti, qua per plures annos eandem facultatem petierint, & ab Sede Apostolicâ consecuti fuerint: quamobrem illi Populi sibi in animum induxerunt, non esse rursus ad Pontificem confugiendum pro hujusmodi facultate impetranda, sed priores concessiones singulis annis acceptas sufficere, ut lactis & ovorum consuetudo per Quadragesimam comprobetur.

Conc. Trid. mens circa dispensationes.

§. 12. Præterea maximi facienda esse ducimus ea verba Trident. Concil. *Sess. 25. cap. 18. de Refor. Sicuti publicè expedit, Legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius, evenientibus casibus, & necessitatibus, pro communi utilitate satisfiat; sic frequentius Legem solvere, exemploque potius, quàm certo personarum, rerumque delectu, petentibus indulgere, nil aliud est, quàm unicuique ad Leges transgrediendas aditum aperire.*

Pontificis sanctio jam edita.

§. 13. In Literis nostris Apostolicis, quas *anno* 1741. ad omnes Catholicos Episcopos dedimus, huic corruptelæ viam præcludere cogitavimus ea ratione, illisque verbis, quæ rursum hic subjicimus: *Debitum igitur Paternæ uniuscujusque vestrùm sedulitatis & charitatis officium jure postulat, ut omnibus notum faciatis & annuntietis, nemini quidem sine legitima causâ, & de utriusque Medici consilio, multitudini verò, veluti Populo, aut Civitati, aut Genti indiscriminatim integræ, nonnisi gravissimâ, & urgente necessitate, & in casibus per Sacra Canonum Statuta præscriptis, cum debita Apostolicæ hujus Sanctæ Sedis reverentia, a Quadragesimali Jejunio dispensationem, toties quoties opus fuerit, concedendam, nec*

audacter fidenterque usurpandam, nec superbè & arroganter ab Ecclesia, sicut alibi in more positum esse accipimus, esse postulandam.

Ratio servata in concedendis Disp. general.

§. 14. Porro Nos hanc normam secuti sumus, cùm multitudinem, veluti Populum, aut Civitatem integram, Quadragesimali abstinentia immunem declaravimus. In primis loci Episcopus id postulare a Nobis debuit, ac de gravissimâ, urgentique necessitate suum testimonium interponere. Deinde carnes minimè permissæ fuerunt, si lactis, & ovorum usus satis esse videretur. Tum verò facultas edendi carnes tribui solum consuevit, cum interposito Episcopi testimonio id omninò necessarium judicaretur; nec sufficiens necessitati remedium afferri constaret, si ova solum, & lacticinia concederentur. Quoties autem abstinentia Quadragesimæ nostra auctoritate soluta fuit, certos tamen dies præscripsimus, quibus integra abstinentia servaretur, nempe diem Cinerum, dies quatuor temporum, vigilias præcepto obeundas, dies Majoris Hebdomadæ a Dominica Palmarum. Quandoque recensuimus etiam totam hebdomadam Cinerum; Aliquando etiam indiximus abstinentiam Feriis sextis, ac Sabbatis, etiamsi facultas a Nobis tradita, lactis & ovorum usum solum complecteretur. Postremò eam conditionem semper addidimus, ne Jejunii lex unius per diem comestionis ullo modo violaretur, ac ne simul in mensa carnes & pisces apponerentur.

Verificatio causæ ab Episcoporum judicio pendet.

§. 15. Dum rationem hujus consilii nostri seriò perpendimus, haud plene acquiescimus, ob eam sollicitudinem ac dubitationem, nè causa ab Episcopo loci prolata, quam Nos legitimam credidimus ad solvendam Quadragesimæ abstinentiam, ejus naturæ fortasse non sit, quæ veram & urgentem necessitatem contineat. Quippè illud Nobis semper ante oculos propositum habuimus, ut nihil a ratione alienum, nihil inconsultò ac temerè faciamus. Hærent pariter animo defixa Sancti Bernardi verba ad Pontificem Eugenium *lib. 3. de Consideratione cap. 4.: Facitis hoc, quia potestis: Sed, utrum debeatis, quæstio est, & quomodo*: Attamen fidem præstitimus iis, quibus præstanda fuerat, Episcopis nempè locorum. Non enim alio pacto exerceri potest sollicitudo peculiarium Ecclesiarum, ac Diœcesum, nisi fides habeatur Episcopis, a quibus illæ administrantur. Sed in posterum, ut gravissimum hoc negotium tutiùs, quàm fieri possit, geratur, molestum vobis non sit, animum iis advertere, quæ subjicimus.

Causæ pro concedendis dispensationibus personalibus.

§. 16. Non ignoratis ab Innocentio III. Prædecessore Nostro *Cap. Consilium, de observatione jejuniorum*, inter causas legitimas solvendi abstinentiam a Carnibus jejunii tempore, recenseri veram, & existentem reipsa ægritudinem: *Præterea de illis, qui in Quadragesimâ, vel in aliis jejuniis solemnibus infirmantur, & petunt sibi ejus Carnium indulgeri, respondemus: quod, cùm non subjaceat legi necessitas, desiderium infirmorum, cùm urgens necessitas exigit, supportare potes & debes, ut majus periculum in eis evitetur.* Item statuerant multò ante Innocentium III. Patres octavi Concilii Toletani *Can. 9.*, quod anno 653. celebratum fuit: *Quisquis absque inevitabili necessitate, atque fragilitatis evidentis languore, seu etiam ætatis impossibilitate, diebus Quadragesimæ esum Carnium præsumpserit attentare, non solùm erit reus Resurrectionis Dominicæ, verùm etiam alienus ab ejusdem diei Sancta Communione... Illi verò, quos aut ætas incurvat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat, non antè prohibita violare præsumant, quàm a Sacerdote permissum accipiant.*

Aliæ omino requiruntur pro generalibus.

§. 17. Nemo est, qui non intelligat hujusmodi causas satis esse, ut aliqui a Jejunii legibus & abstinentia immunes existimentur; non autem, ut Populus, vel integra Civitas idem privilegium obtineat. Quis enim sibi persuadere possit, Cives universos alicujus Urbis, vel Diœcesis, eodem tempore gravissimo morbo teneri, vel in eodem discrimine versari omnes, ut periculosam ægritudinem contrahant? Nisi forte eos morbos intelligamus, qui ab æris intemperie, vel infectione promanant, de quibus paulò post verba faciemus. Quis credat unquam, Populum universum alicujus Diœcesis vel communi languore penitus extenuatum, vel extrema senectute confectum?

Quadragesimalium ciborum caritas non est causa sufficiens pro disp. gen.

§. 18. Neque verò causa sufficiens habenda est, ut aliqua Civitas, vel Populus abstinentia Quadragesimali liberetur, ipsique Carnes permittantur, si forte pisces, vel ova caro pretio vendantur. Sicut enim Urbes habent egenos Cives, ita etiam opulentos; e quibus etiam alii vitæ sustentationem labore ac sudore sibi comparant, alii verò patrimonio ac divitiis satis superque abundant. Itaque si pro emendis piscibus grave pretium solvendum sit, id quidem egenis Civibus, non verò divitibus suffragatur. Id asserunt etiam nonnulli Theologi haud severioris disciplinæ, quorum sententiam recensuimus Capite nono Libri tertii nostrarum Institutionum, quas Bononiæ Typis impressimus.

Nec Militum stationes.

§. 19. Illud etiam inane commentum prorsus existimari debet, solvendas esse abstinentia Quadragesimæ Civitates, vel Diœceses, ubi exercitus versantur, eòquod Milites in iis locis permanentes abstinentiæ leges minimè observant. Id potius animos Civium inflammare deberet ad jejunium ritè religiosèque suscipiendum, ut nempè Milites tanta virtute temperantiæ permoti, ipsorum exemplum sequantur. Illud solum pro legitima causa in medium proferri potest, Copias Militum tantam afferre Civitati penuriam herbarum, atque olei, licet Quadragesimæ Jejunio non obtemperent, ut harum rerum pretia summopere augeantur. Tunc autem eadem statuenda sunt, quæ paulo ante diximus, cum pisces, & ova cariori pretio comparantur.

Nec alia ex peculiaribus causis supra recensitis.

§. 20. Igitur peculiares morbi, quamvis frequentes, in posterum pro causa solvendæ abstinentiæ non adducantur, nisi forte Civibus universis iidem morbi communes habeantur ob aliquam aëris corruptionem: neque in posterum herbarum, olei, piscium, & ovorum pretia tanti ponderis esse censeantur, ut omnis Civitas, vel Diœcesis, ab instituto Quadragesimæ Jejunio ac temperantia liberari contendat. Quod si veras, ac legitimas a Nobis causas ad hanc facultatem obtinendam expetitis, duas potissimum percensebimus, quarum prima ex jure Canonico, altera verò ab ipsa rerum magistra experientia deprompta est.

Causæ legitimæ. I. Deficientia piscium, olei &c.

§. 21. Innocentius III., quem superius nominavimus, *eodem Cap. Consilium, de observatione jejuniorum*, Archiepiscopo Bracarensi postulanti, quâ pœnâ plectendos judicaret illos, qui tempore Quadragesimæ a Carnibus non abstinuerant ob summam rerum caritatem, & angustiam, itaut plures fame enecarentur, respondit his verbis: *Cum autem quæsieris, quæ sit illis pœnitentia injungenda, qui diebus Quadragesimalibus, tempore quo tantæ famis inedia ingruebat, quod magna pars populi propter inopiam annonæ periret, carnes comedere sunt coacti; respondemus: quod in tali articulo illos non credimus puniendos. Preces tamen Domino pro illis & cum illis effundas, ne ipsis aliquatenus imputetur; quia bonarum mentium est, ibi timere culpam, ubi culpa minimè reperitur.* Si quis hoc tempore Episcopus, adductus exemplo Bracarensis Antistitis, idem consilium peteret a Sede Apostolica, tanquam ineptus, ac sim-

Disciplinæ veteris rigor.

plex

plex haberetur : Sed illo Ecclesiæ felicissimo seculo maximi pendebatur, uti æquum est, Quadragesimæ præceptum. Hinc magna severitate inquirebantur illi, qui minimè paruissent, licet talis causa intercederet, ut liberi ab eodem præcepto viderentur : nec ulla ratio habebatur Virorum Principum, licet ipsorum incolumitas cum Reipublicæ felicitate conjuncta putaretur; uti Nos fusè ostendimus in decima quinta nostrarum Institutionum Libri primi. Sed iis omissis, & aliis bene multis, quæ in hanc rem congeri a Nobis possent, illud primum delibabimus ex responso Innocentii III., tunc Quadragesimæ abstinentia solvi posse integram Civitatem, vel Diœcesim, cum reipsa non suppetunt ea, sine quibus præceptum Quadragesimæ observari nequit. Itaque si revera in aliquo loco neque oleum, neque pisces comparari possint, tunc Incolis ejusdem loci permitti fas est, ut lacte, & ovis utantur : Si hæc autem revera deficiant, tunc Carnis, salubris tamen, edendæ facultas concedetur, interposita semper jejunii servandi conditione.

Exemplum dispensationis concessæ pro Insulis Americæ.

§. 22. Insula Sancti Dominici in America Meridionali in temporalibus paret Charissimo in Christo Filio nostro Ludovico Galliarum Regi Christianissimo, nec ei ullus præest Episcopus. Præfectus Patrum Societatis Jesu anno 1742. a Nobis quæsivit, an ex concessione sibi facta a Sede Apostolica dispensandi super esu carnium, ovorum, & lacticiniorum tempore jejuniorum, & Quadragesimæ, dici posset, sibi etiam datam fuisse facultatem dispensandi nedum particulares personas, sed etiam multitudinem hominum, & omnes sui districtus Incolas, quando coram Deo id expedire judicasset : habitoque responso, facultatem ei fuisse concessam dispensationem indulgendi particularibus hominibus, non autem multitudini hominum, & omnibus Incolis sui districtus, pro concessione exoravit. Pro causa exposuit veneficam piscium qualitatem; exiguum piscatorum numerum, qui longè ab Insula piscantes, pisces deferebant aut fœtentes, aut corruptos ob nimios calores; paupertatem earum gentium, quæ oleum emere non poterant pro cibis Quadragesimalibus necessarium; deficientiam denique olerum, & leguminum, quæ in ea regione facilè corrumpuntur, aut a vermibus consumuntur. Re subinde mature discussa coram Nobis in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis *die 12. Aprilis anno* 1742., habitâ ratione regionis nimis remotæ, a qua quolibet anno impossibilis erat ad Sedem Apostolicam recursus; indulgentes necessitati Fidelium degentium in Insulis Ditionis Gallicæ in America, facultatem concessimus Præfectis Missionum illarum partium, ut in casu veræ, & ineluctabilis necessitatis, & tantùm de anno in annum, præfataque vera necessitate durante, & non aliter, nec alio modo, uti possent & valerent cum fidelibus Populis ipsorum regimini commissis dispensare super esu ovorum, & lacticiniorum, & etiam carnium tempore Quadragesimali, indictâ simul cum hujusmodi dispensatione observantia jejunii per unicam comestionem, oneratâque prædictorum Præfectorum conscientiâ, si adamussim juxtà præscriptum concessâ facultate usi non fuissent.

II. Causa, Morbus epidemicus.

§. 23. Sed jam ad experientiam deveniamus. Quindecim ab hinc annis per totam fere Europam morbus invaluit, qui pectoris inflammationem inferebat, ita tamen, ut ex una Civitate in aliam, & ex una Provincia in aliam hæc funesta lues promanaret. Id contigit annis 1730. 1733. 1740. Licet autem morbus ejusmodi, qui universos hominum ordines, atque ætates corripiebat, lentam solùm in pectore inflammationem excitaret, tamen senibus matura jam ætate debilitatis extremam afferebat perniciem : nam ex ipso febres acutissimæ, ac mortales sequebantur. Idem morbus in periculum trahebat juniores etiam, qui paululum infirmo pectore laborarent. Postremò multorum pectora adeò labefactavit, ut gravissima deinde mala provenerint. Aliàs quoque morbos hujus generis, pectoris inflammationem magno cum periculo afferentes, ægros in discrimen vitæ adduxisse, Medici Scriptores luculenter testantur.

Medici audiendi super qualitate morbi.

§. 24. Itaque, si Medicinæ Professores accisti, monitique graviter, ut nihil a veritate alienum respondeant, unanimi consensu fateantur (uti nobis ipsis accidit, cum adhuc Bononiæ versaremur) morbum esse talis naturæ, qualem superius commemoravimus, itaut nulla ætas libera, & incolumis esse queat; & affirment, illis ipsis, qui inter Cives salvi & integri numerantur, eandem perniciem imminere; id præterea conferre plurimum ad ejusmodi luem depellendam, aut evitandam, si tum ægrotantes, tum sani a piscibus, & oleo, & quandoque pariter a lacte, & ovis abstineant, si, inquam, res ita se habeat, tum procul dubio causa sufficiens judicanda est, quæ experientiæ innititur, & quæ semper probata, & in posterum probanda videtur, ut nempe Populus, seu Civitas integra a carnibus abstinendi præcepto non teneatur.

Eorum attestationes exhibendæ.

§. 25. Neque ulla difficultas removere vos debet a consulendis Medicis, qui præstantiores habeantur. Cavendum pariter, ut quidquid revera senserint, scripto testari non prætermittant; quæ conditio si desit in posterum, nulla unquam facultas Civitati, aut Diœcesi, carnibus aut lacticiniis vescendi tempore Quadragesimæ tribuetur : quippe id necessarium omninò videtur. Accedit etiam, quod Medici facilitate quadam incredibili peculiares quidem Cives a Quadragesimæ præcepto liberos, & immunes decernere soleant; (de quâ re gravissimè monendi a vobis sunt, ne suas animas indulgendo nimis aggravent) : Cum verò pro universis Civibus idem statuendum proponitur, tum se difficiles, anxios, ac sollicitos præstare, Nos ipsi experti sumus. Postremò si velint percurrere ea, quæ in Italia, & extra ipsam præclarissimi Auctores Medici Typis evulgarunt, facilè deprehendent, abstinentiam, ciborumque parsimoniam ab illis magnopere commendari; discrimen inter morbos constitui; & certis rationibus ostendi, in curandis quibusdam morbis nequaquam requiri, ut jusculum, & carnes, loco piscium olei, & herbarum substituantur; in aliis verò juvare plurimum, si sublatis carnibus, cum indicitur jejunium, oleo, vel lacte ægrotantes utuntur : Demum advertent, quàm diligenter, accuratèque scribant de pectoris incommodis, cum in omnibus generatim excitantur, ne corripiantur eodem morbo, qui adhuc incolumes a communi lue supersunt.

Quid observandum pro indulgendo esu carnium, & ovorum.

§. 26. Hæc vobis indicanda putavimus. Reliquum est, ut Vos hortemur, nè tam facile suscipiatis negotium petendæ facultatis utendi carnibus, & lacticiniis tempore Quadragesimæ pro universa Civitate, vel Diœcesi. Quippe abrumpenda tandem est consuetudo, ob quam jam per tot annis in quibusdam locis hæ facultates tribui consueverunt. Illud etiam experientiâ a Vobis compertum erit, delicatis quoque, ac mollibus abstinentiam Quadragesimæ nullam inferre perniciem; neque plures ob hanc causam inter ægrotos, vel mortuos recenseri.

Episcopi ne facile petant Dispensationes generales.

Præmissis non servatis, Dispensatio denegabitur.

§. 27. Hanc rationem, & institutum Nos ipsi secuti sumus Romæ, ac Bononiæ (cujus Sedem adhuc retinemus,) cum nuper Quadragesimæ tempus ageretur. Si vos id quoque præstabitis, neque facilè a Nobis pro universa Civitate, vel Diœcesi, facultatem solvendi Quadragesimæ abstinentiam postulabitis, vel (si necessarium id arbitremini) non aliter, quàm servatis præmissis conditionibus Dispensationis instantia ad Nos deferretur, non solùm ii fructus provenient, quos jam indicavimus; sed etiam repulsæ pudorem evitabitis, Nosque pariter eâ molestiâ vindicabitis, quam ferimus, dum votis vestris minimè obsecundamus. Postremò vos omnes peramanter amplectimur, & Apostolicam Benedictionem Vobis, Populisque vestris impertimur. Datum ex Arce Castri Gandulphi die 10. Junii 1745. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Dat. die 10. Jun. 1745.

CXXXI. Electio Joannis Van-Stiphout in Episcopum Harlemensem nulla & illicita declaratur; cum censuris, & inhibitione, ne Consecrationem suscipere præsumat.

Dilectis Filiis Universis Catholicis in Fœderato Belgio commorantibus.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecti Filii, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Schismaticorum pervicacia.

HIERONYMO de Boch e vivis ad districtam rationem de illegitima probrosaque sua in Pseudo-Episcopum Harlemensem cooptatione a Pseudo-Archiepiscopo Ultrajectensi Petro Joanne Meyndarts funestissimi Schismatis istic Patrono dudum facta, deque sua illicita, nefaria, sacrilega, & contra suprema Apostolicæ hujus Sanctæ Sedis mandata, ac Sacrorum Canonum sanctiones, fucatis cœremoniis accepta consecratione, reddendam, die XI. Mensis Decembris anni proxime elapsi evocato a Pastorum Principe æternoque Judice Jesu Christo, cujus vices in terris Nos plane immerentes gerimus; sperandum quidem erat, fore nimirum, ut ipse Petrus Joannes scelestissimus execrandæ perduellionis antesignanus, quem neque paterna Prædecessoris nostri fel. rec. Clementis PP. XII. ac Nostra monita, neque vibrata toties in ipsum omnium Ecclesiasticarum censurarum fulmina ad saniorem mentem redegerant, tam infelici ejusdem Hieronymi exitu perculsus, e sceleribus suis emergens, ad meliorem frugem rediret, & fructus pœnitentiæ dignos faceret. Verum iniquitatis filius nec conscientiæ angoribus tactus, nec tot censurarum Ecclesiasticarum formidine deterritus, nec ad tantum symmystæ sui exitium perterrefactus, sed veluti is, qui lætatur, cum male fecerit, & exultat in rebus pessimis, temerario ausu ac præfracta fronte non solum eidem Ecclesiæ Harlemensi primum Generalem Vicarium, deinde Episcopum constituit & designavit die XV. Mensis Maji currentis anni quemdam Schismaticum Virum Joannem Van-Stiphout Amstelodami Pseudo-Pastorem; verum ad Nos etiam literas dedit, quibus Nos de temeritate sua, detestabilique Pseudo-Episcopi designatione certiores faciens, patrati quoque criminis ac sceleris confirmationem a Nobis expostulat.

Pseudo-Episcopi electio.

Ultrajectensis Pseudo-Archiepiscopi auctoritas nulla, Episcopatus

§. 1. Ad tantam audaciam pene concidimus, nec possumus satis aptis verbis explicare & debitis lacrymis deflere tam pervicacem perditi hominis in malitia sua gloriantis, & sceleribus scelera adjicientis insaniam furoremque. Etsi autem per alias in simili forma Brevis literas tum laudati Clementis Prædecessoris, tum Nostras, quarum tenores hisce præsentibus literis pro insertis haberi volumus, tam ipsius Petri Joannis electionem & consecrationem in Pseudo-Archiepiscopum Ultrajectensem, quàm defuncti Hieronymi de Boch electionem, consecrationem, & jamdudum obsoleti Episcopatus Harlemensis erectionem irritam, inanem, illicitam, illegitimam, ac sacrilegam, & utrumque excommunicatum, anathematizatum, atque a Catholicæ Ecclesiæ communione segregatum, ac prorsus Schismaticum vitandum, esse ac fore, & utrumque nullam vel minimam Jurisdictionem Episcopalem, aut pro Animarum regimine auctoritatem unquam habuisse & habere declaratum fuerit; ac propterea nulla pariter, irrita, & inanis ficta Harlemensis Episcopatus erectio, ac dicti Joannis Van-Stiphout asserta in Pseudo-Episcopum Harlemensem designatio; tamen Prædecessorum nostrorum, ac potissimum ejusdem Clementis Prædecessoris, sacrarum legum morem & exempla secuti, quemadmodum alias fecimus, tradita Nobis e Cœlo potestate, electionem Joannis Van-Stiphout in Pseudo-Episcopum Harlemensem a Pseudo-Archiepiscopo Petro Joanne, & ab ejus fictis Canonicis factam, assertique Episcopatus hujusmodi erectionem, nullam, inanem, nefariam, illegitimam ac sacrilegam declaramus, eamque rescindimus, delemus, abrogamus.

Harlemensis irrita restitutio.

Nova electio damnatur, & annullatur.

§. 2. Deinde sub pœna Excommunicationis ipso facto & sine alia declaratione incurrendæ mandamus districteque indicimus eidem Joanni Van-Stiphout, ne ullam Episcopalem Jurisdictionem exerceat, ne pro suscipiendis Ordinibus Dimissorias literas dare, ne Pastores, Missionarios, Ministros, Deservitores, aut alios, quocumque nomine vocentur, ad Animarum curam & sacramentorum administrationem, quovis etiam necessitatis prætextu, constituere ac deputare audeat: ac proinde, si quis per ipsius Literas Dimissorias Ecclesiasticos Ordines susceperit, se suspensum, ac propterea irregularitati obnoxium esse sciat, si susceptos Ordines exercuerit. Quascumque vero antedictorum Officiorum deputationes quocumque nomine sive jam factas, sive faciendas, cum omnibus inde sequutis prorsus irritas, nulliusque momenti declaramus.

Inhibetur electo quilibet jurisdictionis actus.

§. 3. Præterea sub eadem pœna Excommunicationis ipso facto & sine alia declaratione incurrendæ mandamus tam eidem Joanni Van-Stiphout, ne se cuiquam Archiepiscopo, aut Episcopo consecrandum præbeat, quàm ipsi Pseudo-Archiepiscopo Petro Joanni, aliisque Archiepiscopis & Episcopis, ne eumdem inaniter electum Episcopum Harlemensem consecrare audeant. Has autem pœnas decernimus sine præjudicio illarum, quas tam Electus Pseudo-Episcopus, quàm Elector Pseudo-Archiepiscopus noverint se incurrisse.

Necnon Episcopalis Consecrationis susceptio.

§. 4. Cæterum, Dilecti Filii, gaudium, & corona nostra, quemadmodum præclara vestra in Catholicæ Fidei & Religionis Orthodoxæ confessione virtus & constantia, rebus ipsis semper probata, & Apostolicis laudibus commendata, Nos dubitare non sinit, quin non solum ad præcavendam, sed ad procul amandandam propulsandamque etiam omnem execrandi Schismatis luem maximopere enitamini; ita paterna nostra erga Vos caritas haud patitur, quin paterni cordis nostri curas cogitationesque ad Vos convertamus, sollicite monentes atque adhortantes, ut in ea vocatione maneatis, in qua vocati estis, repudiata illorum vafritie, qui incautos pellicere ad se conantur. Date quotidie magis operam, ut Seductores intelligant, Vos ad verum Christi Domini Ovile, & ad ejus in

Admonitio & cohortatio ad Catholicos.

terris

terris Vicarium pertinere. Spectaculum facti estis Mundo, Angelis, & hominibus, qui Vos indutos Catholicæ lorica veritatis, & galea salutis, adversus hostes, non minus occulta rabie, quam aperta blandiloquentia insidiosos, strenue pugnare undique circumspiciunt, ac vestram animi fortitudinem invictamque constantiam eximiis laudibus extollunt; non sine incredibili nostra lætitia ac solatio, qui tantam virtutem plurimi facimus, servatamque a Vobis Catholicæ Ecclesiæ, Nobis Romanæque Sedi fidem singulari amore prosequimur; cujus pignus esse volumus Apostolicam Benedictionem, quam cum uberrima cœlestium charismatum copia conjunctam, Vobis, Dilecti Filii, peramanter impertimur.

Dat. die 26. Junii 1745.

Datum Romæ, apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die XXVI. Junii MDCCXLV. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Cajetanus Amatus.

Public. eodem die, mense & Anno.

CXXXII. Damnatio, & Prohibitio Libri, cujus titulus est; *Illustrissimorum, ac Reverendissimorum Archiepiscopi Utrajectensis, & Episcopi Harlemensis Instrumentum Appellationis ad Concilium Generale futurum, a duobus Brevibus a Sanctissimo alias expeditis ad Catholicos in Fœderato Belgio.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a præcavendis animarum periculis.

ALTISSIMO Divinæ providentiæ consilio imposita imbecillitati Nostræ suprema Catholicæ Ecclesiæ procuratio, atque adeo commendata Nobis a Pastorum Principe Jesu Christo, cujus vices plane immerentes gerimus, assidua pascendi universi Dominі Gregis cura, jure ac merito exigit ac requirit, ut ad eumdem Gregem in unitate & integritate servandum custodiendumque semper advigilantes, inter gravissimas Apostolici ministerii Nostri partes eam præcipuè reputemus, qua procul ejiciamus amandemusque perditos homines, ne sub inducta Pastoris larva Oves Christi venenatis fraudulentium fallaciumque doctrinarum suarum pascuis pelliciant ac decipiant, & ne eas a Christi Ovili separantes, ad perditionis viam agant atque perducant.

Schismaticorum seditiosus Libellus.

§. 1. Cum itaque nomine duorum assertorum Antistitum, quos re ipsa haud legitimè, sed nulliter electos, ac sacrilege consecratos, & supremis Apostolicæ hujus Sanctæ Sedis præceptis inobedientes & contumaces, alias Nos a Catholicæ Ecclesiæ communione separavimus & sejunximus, ac separatos & sejunctos esse declaravimus, & publicè denunciavimus, in lucem prodierit quidam libellus anno MDCCXLIV. editus sine Typographi nomine, & sine loci indicatione, sed hoc dumtaxat titulo: *Illustrissimorum, ac Reverendissimorum Archiepiscopi Ultrajectensis, & Episcopi Harlemensis Instrumentum appellationis ad Concilium Generale futurum, a duobus Brevibus, quæ præseferunt nomen SS. D. N. Benedicti XIV. scriptis ad universos Catholicos in Fœderato Belgio &c.* Nos, licet titulus ipse præfatum libellum proscriptione dignum esse & fore, aliisque censurarum Ecclesiasticarum, quibus Romani Pontifices Prædecessores Nostri hujusmodi appellationes damnarunt proscripserùntque, notis, reipsa obnoxium esse demonstret; atque adeo haud necesse sit, ad illum damnandum ac reprobandum, animadvertere rationes atque momenta in eodem libello ad comprobandum dictum titulum adducta, utpote fallacia, schismatica, & seditiosa; nihilominus postquam accuratissimo tam Nostro, quàm aliorum examini subjecimus, Apostolica demum censura perstringendum ac proscribendum duximus.

Damnatur, & imprimi, legi, ac retineri prohibetur, sub censuris.

§. 2. Auditis itaque plurium in Sacra Theologia insignium Magistrorum suffragiis, de plurimorum quoque Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium ad hoc specialiter deputatorum sententia atque consilio, libellum præfatum uti continentem propositiones falsas, seditiosas, scandalosas, captiosas, ad schisma ac eversionem Hierarchiæ Ecclesiasticæ pellicientes, & Apostolicæ Sedis prædictæ auctoritati injuriosas, & Ecclesiasticæ jurisdictionis eversivas, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, damnamus & reprobamus; Ipsiusque libelli impressionem, descriptionem, lectionem, & usum omnibus & singulis Christifidelibus, etiam specifica, & individua mentione & expressione dignis, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrenda, a qua nemo a quoquam (præterquam a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente) nisi in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere, omnino interdicimus. Volentes, & eadem auctoritate mandantes, ut quicumque libellum hujusmodi penès se habuerit, illum, statim atque præsentes literæ ei innotuerint, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquisitoribus tradere atque consignare teneantur; hi vero exemplaria sibi sic tradita illico flammis aboleri curent.

Similia scripta pariter prohibentur.

§. 3. Insuper omnia alia scripta, vel manu exarata, vel typis excusa, in quibus ejusmodi errores, aut illorum aliqui quomodolibet renovantur, vel defenduntur, seu eos in posterum, quod absit, renovari aut defendi contigerit, sub eadem pœna, auctoritate, & tenore præfatis proscribimus itidem, & damnamus, ipsiusque libelli impressionem, descriptionem, retentionem, & usum, sicut præmittitur, omninò prohibemus: In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Publicationis effectus, & exemplorum auctoritas.

§. 4. Ut autem eædem præsentes literæ ad omnium notitiam facilius perducantur, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus, & auctoritate prædicta decernimus, illas ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, necnon Curiæ Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Cursoribus Nostris, ut moris est, publicari illarumque exempla ibidem affixa relinqui; Sic verò publicatas, omnes & singulos, quos concernunt, perinde afficere, acsi unicuique illorum personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent: ipsarum autem literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eamdem prorsus fidem tam in judicio, quàm extra illud ubique locorum haberi, quæ haberetur eisdem præsentibus, si exhibitæ forent, vel ostensæ.

Dat. die 26. Junii 1745.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem die XXXVI. Junii MDCCXLV. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

D. Card. Passionеus.

Public. eodem die, mense & Anno.

CXXXIII. Privilegium elevandi Crucem more Archiepiscoporum, conceditur Episcopis Eystetensibus.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. AD Pastoralis dignitatis fastigium, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, per ineffabilem Divinæ Sapientiæ atque bonitatis abundantiam evecti, ad ea, quæ Ecclesiarum quarumlibet gloriam, earumque Præsulum splendorem & honorificentiam respiciunt, libenter intendimus, ut Præsules ipsi potissimum de laudabili bonorum operum exemplo commendatione digni, per Nostri Ministerii partes, optatis gratulentur eventibus, propterea eos pii Pastoris affectu prosequimur, ac plenis favoribus confovemus, prout sublimium personarum, locorum, & temporum qualitatibus debita consideratione pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Ecclesiæ Eystetensis illustres prærogativæ. §. 1. Cum itaque, sicut accepimus, annus millesimus ab Institutione & erectione Ecclesiæ Eystetensis in Morgaviensi Germania, tunc Gentilibus Incolis, Idolisque ipsorum cultui dicatis referta, decurrat, seu prope elapsus sit; ipsique Ecclesiæ Sanctus Wilibaldus ex Regali Anglorum Sanguine ortus primo loco, posteà verò felicis recordationis Ebejardus, qui postmodum sub nomine Victoris Secundi ad Summi Apostolatus Apicem assumptus est, ex propinquo Henrici Imperatoris sanguine, in Episcopos & Pastores præfecti fuerint, & in Majori Sancti Wilibaldi, & in alia Ecclesiis Civitatis, vel Diœcesis Eysteten., Sanctæ Valburgæ ipsius Sancti Wilibaldi, dum in humanis ageret, Germanæ Sororis Ossa permultis miraculis clara in summa veneratione asserventur, ac ipsorum Sancti Wilibaldi, & Sanctæ Valburgæ ope, & præsidio, necnon ejusdem Sancti Wilibaldi Successorum Eystetensium Episcoporum zelo, & opere, in illis Partibus Fana diruta, & Orthodoxa Fides feliciter fundata & promota, & postmodum contra falsa Lutheri, & Calvini dogmata fortiter defensa respectivè extiterint; Et Civitas, & Diœcesis Eystetensis, coadjuvante Venerabili Fratre Joanne Antonio libero Barone de Freyberg moderno illarum Episcopo, pluribus Monasteriis aucta sit, ipseque Joannes Antonius Episcopus, recurrente mox sæculo, seu centesimo anno post nongentesimum ab ipsius Ecclesiæ Eysteten. Institutione, & erectione prædictis, hujus Sæculi, seù præfati anni centesimi Festivitatem solemniter celebrare, Reliquiasque præfati Sancti Wilibaldi ad Altare Argenteum propriis sumptibus ad id magnifice extructum, Sacrisque Supellectilibus opulenter refectum, transferre, ut etiam accepimus, intendat.

Moderni Episcopi pia merita. §. 2. Nos, qui in agro Domini, divina disponente clementia, meritis licèt imparibus, præsidemres, nil in Domino ardentiùs exoptamus, quàm ea augeri, & promoveri, quæ cultui Omnipotentis Dei, ac Sanctorum suorum Reliquiarum Venerationi & Ecclesiarum Præsulibus decori, & majestati incrementum afferre valeant, eidemque Joanni Antonio Episcopo specialem gratiam facere volentes, ipsumque Joannem Antonium Episcopum a quibusvis suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes; Motu proprio, non ad prædicti Joannis Antonii Episcopi, vel alterius pro se super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, eidem Joanni Antonio Episcopo, ut ipse, & ejus Successores, Ecclesiæ Eysteten. Præsules pro tempore existentes, insignio Rationalis ab ipsius Ecclesiæ Eysteten. institutione & erectione hujusmodi, ad instar Archiepiscoporum, jam gaudentes, de cætero perpetuis futuris temporibus Crucem in Civitate & Diœcesi præfatis, ac in quibusvis functionibus publicis, & privatis, non tamen in præsentia Archiepiscopi, nisi de ipsius consensu, & salvo in omnibus Jure Metropolitico, ante se elevari, & gestari facere, illâque uti libere & licite possint & valeant, Apostolica Auctoritate, tenore præsentium, concedimus & indulgemus, ipsumque Joannem Antonium Episcopum, ejusque Successores Ecclesiæ Eysteten. Præsules pro tempore existentes, super eisdem præmissis a quoquam quavis auctoritate, & quovis prætextu, colore, vel ingenio molestari, inquietari, perturbari, vel impediri nullatenus unquam posse, neque debere.

Ipsi & Successoribus conceditur Indultum gestandi Crucem ante se elevatam &c.

Clausulæ ad Perpetuam. §. 3. Præsentes quoque ex quocumque capite, quantumvis juridico, & legitimo, de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, vel intentionis Nostræ, vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari nunquam posse, sed eas semper & perpetuo validas, firmas, & efficaces fore & esse, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, nec eas sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehensas, sed semper ab illis exceptas esse & fore, ac Joanni Antonio Episcopo, ejusque Successoribus dictæ Ecclesiæ Eysteten. Præsulibus pro tempore existentibus perpetuò suffragari; Sicque, & non aliàs, per quoscumque Judices, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, dictæque Sedis Nuncios, judicari, & definiri debere, & si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus; non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, dictæque Ecclesiæ Eysteten., etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus contrariis quibuscumque.

Decretum irritans, cum derogationibus.

Sanctio. §. 4. Nulli ergo omninò Hominum liceat hanc paginam Nostræ absolutionis, Concessionis, Indulti, Decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 3. Julii 1745. Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo quinto, quinto nonas Julii Pontificatus Nostri Anno Quinto.

CXXXIV. Ne Confessarii a Pœnitentibus exquirant Sociorum in crimine, seu complicum nomina &c.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis Regnorum Portugalliæ, & Algarbiorum.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Pontificis studium in avertendis animarum periculis. SUPREMA omnium Ecclesiarum sollicitudo, & Divina Jesu Christi omnium Pastorum

Principis, cujus vices planè immerentes gerimus, Caritas assiduè urget Nos, ut pro commissâ divinitus imbecillitati nostræ universi Dominici gregis curâ semper advigilantes, periculis animarum, sicubi fortè superimpenderint, per omnes Christiani Orbis Populos ac Nationes, opportunè, quantùm cum Domino possumus, occurramus; atque iis præcipuè Regnis & Locis peculiari quodam Apostolicæ nostræ Caritatis studio, auctoritatisque providentiâ consulamus, in quibus, cum Fides, Religio, Pietas quammaximè floreant, callidus humani generis hostis nocere Fidelibus, dum aperto bello desperat, per insidias molitur; in Angelum scilicet sese lucis transfigurans, & ementitâ boni specie incautis illudens; quâ ex arte non minora sæpe animarum detrimenta, quàm ex aggressione manifestâ, esse proventura nequissimus veterator confidit.

Refert abusum interrogandi Pœnitentes de nomine complicis, seu Socii criminis &c.

§. 1. In harum autem fraudum numero computamus, quod in florentissimis Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis, & Ditionibus, quibus Vos Antistites summâ cum Sacerdotalibus virtutis vestræ commendatione præsidetis, & quibus pro singulari erga Catholicam Ecclesiam, atque Apostolicam hanc S. Sedem observantiâ, meritæ debentur laudes, nuper evenisse non sine ingenti animi nostri dolore cognovimus. Pervenit enim haud ita pridem ad aures nostras, nonnullos istarum partium Confessarios, falsâ zeli imagine seduci se passos, sed a zelo secundùm scientiam longè aberrantes, perversam quamdam, & pernicio sam praxim in audiendis Christifidelium confessionibus, & in saluberrimo Pœnitentiæ Sacramento administrando invehere, atque introducere cæpisse; ut videlicet, si fortè in pœnitentes incidissent socium criminis habentes, ab iisdem pœnitentibus socii hujusmodi, seu complicis nomen passim exquirerent: atque ad illud sibi revelandum non inducere modò suadendo conarentur; sed, quod detestabilius est, denuntiatâ quoque, nisi revelarent, absolutionis sacramentalis negatione, prorsus adigerent atque compellerent; imò etiam complicis ejusdem nedum nomen, sed habitationis insuper locum sibi exigerent designari: Quam illi quidem intolerandam imprudentiam, tum procurandæ complicis correctionis, aliorumque bonorum colligendorum specioso prætextu colorare, tum emendicatis quibusdam Doctorum opinionibus defendere non dubitarent; cum revera opiniones hujusmodi vel falsas, & erroneas sequendo, vel veras, & sanas malè applicando, perniciem tam suis, quàm pœnitentium animabus conscisserent; ac sese præterea plurium gravium damnorum, quæ inde facilè consecutura fore prævidere debuerant, reos coram Deo æterno Judice constituerent.

Scandala inde exorta.

§. 2. Et verò jam secuta fuisse multa ejusmodi damna, infelici experientiâ compertum est: Nec fieri potuit quin eâ de causâ & oblocutiones, & scandala, & non Ministrorum tantùm, sed sacri etiam ipsius Ministerii odium, & animorum ingens conturbatio in Populo fideli exorta sint. Tristia Nos hæc nuntia cum accepimus, simul audivimus, contra exitialem hujusmodi abusum protinus justâ indignatione pro munere suo commotos fuisse Dilectos Filios nostros S. R. E. Cardinales Nunum a Cunha in iisdem Portugalliæ & Algarbiorum Regnis Generalem Inquisitorem, & Thomam de Almeyda Patriarcham Lisbonensem; atque utrumque sollicitè glisceuti malo compescendo, atque etiam eradicando adlaborasse.

Item Cardd. Inquisitoris, & Patriarchæ sollicitudines.

Damnat relatam praxim.

§. 3. Nos autem, ne in tam gravi animarum discrimine ullâ ex parte Apostolico nostro Ministerio deesse videamur, neve mentem hac super re nostram apud Vos obscuram, aut ambiguam esse sinamus; Notum Vobis esse volumus, memoratam superiùs praxim penitus reprobandam esse, eamdemque a Nobis per præsentes nostras in formâ Brevis literas reprobari, atque damnari, tanquam scandalosam, & pernicio sam, ac tam famæ proximorum, quam ipsi etiam Sacramento injurio sam, tendentemque ad sacrosancti sigilli Sacramentalis violationem, atque ab ejusdem Pœnitentiæ Sacramenti tantopere proficuo & necessario usu Fideles abalienantem.

Episcopis mandat, ut eam inhibeant, & extinguant.

§. 4. Eapropter, Venerabiles Fratres, quamquam de pastorali vestrâ vigilantiâ nihil est quod dubitemus; Supremi tamen officii quoque nostri esse censemus, alacritatem ipsam vestram hac mentis nostræ apertâ significatione, & Apostolicis insuper hortationibus nostris intensiùs acuere & excitare, ut pro se quisque vestrum opportunioribus, quascumque prudentia suggesserit, initis rationibus, & efficacioribus quibusque Juris remediis, quoad opus fuerit, contra delinquentes Ministros adhibitis, noxiam hujusmodi novitatem strenuè insectemini, ac pene nascentem opprimatis, neque patiamini traditis curæ vestræ ovibus ibi offendiculum parari, ubi salus a Christo posita est, ab eoque Divinæ misericordiæ fonte illas averti ac deterreri, ad quem ab eodem Redemptore nostro, ad abluendas dealbandasque in Sanguine suo animas, amantissimè invitantur. Interea, dum a zelo vestro, ac prudentiâ, luculentiora Nobis certò pollicemur vestræ pietatis & observantiæ argumenta, Apostolicam Benedictionem cum uberrimâ cœlestium charismatum copiâ conjunctam, Vobis, Venerabiles Fratres, ex animo impertimur.

Transumptis fidem haberi jubet.

§. 5. Volumus autem, ut præsentium transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigilli Personæ in Dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, & adhiberi posset, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VII. Mensis Julii MDCCXLV. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Dat. die 7. Julii 1745.

CXXXV.

De Capacitate Canonicorum Regularium Lateranensium, & Sanctissimi Salvatoris, ad obtinenda Beneficia Ecclesiastica sæcularia, cum cura, & sine cura, atque Pensiones Ecclesiasticas.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

QUOD inscrutabili Divinæ Providentiæ consilio Nobis immerentibus demandatum est Apostolicæ servitutis Officium, inter gravissimas curas, quarum penè obruimur multitudine, hanc etiam Nobis imponit, ut eas controversias dirimere, atque aliquando de medio tollere studeamus, quæ jampridem diu agitatæ, magno Ecclesiasticæ disciplinæ detrimento indecisæ adhuc adhuc pendere dignoscuntur; idque potissimum, ubi & rei controversæ gravitas, doctorum Virorum judicio, visa est Apostolicæ Decisionis oraculum postulare; & ipsi Romani Pontifices Prædecessores Nostri ejusmodi decisionis edendæ consilium aliàs susceperunt; tametsi, quominus id perficerent, aliorum fuerint negociorum occupationibus præpediti.

Controversia super capacitate Canonicorum Regularium ad Beneficia sæcularia sæpe ab Auctoribus tractata.

§. 1. Celebris jamdudum est controversia, an Canonici Regulares capaces sint obtinendi & retinendi Ecclesias Parochiales sæculares, absque Indulto Apostolico. Quam quidem controversiam tum veteres tum recentiores Ca-

noniſtæ tractarunt, in ſuis Commentariis ad *Cap. Quod Dei timorem, de ſtatu Monachorum*; nec defuerunt inter Eccleſiaſticarum rerum Scriptores, tum Italos, tum ex Regionibus ultra Montes poſitis, qui hujuſmodi quæſtionem accuratè examinaverint. Hac ipſa de re, flagitantibus Canonicis Regularibus Lateranenſibus, bonæ memoriæ Franciſcus Maria Pitonius magni quondam nominis in Romana Curia Advocatus, ac deinde Epiſcopus Imerienſis in Partibus Infidelium, & ſanctæ memoriæ Benedicti Papæ XIII. Auditor, amplum compoſuit volumen, quod licet nunquam Typis vulgatum, a Nobis tamen viſum, atque perlectum eſt. Præterea dilectus Filius Cæſar Benvenuti Abbas Generalis Canonicorum Regularium Lateranenſium, non multos ante annos, in lucem edidit Opus a ſe conſcriptum, pro aſſerendo Canonicis ſui Ordinis jure obtinendi præfatas Parochiales, abſque Indulto Apoſtolico; in quam etiam ſententiam plures clarorum Juriſperitorum Conſultationes editæ ſunt, ac Typis impreſſæ in Bullario Canonicorum Regularium Sanctiſſimi Salvatoris. Denique innumeri propemodum ſive Theologi, ſive Juriſconſulti, in ſuis Operibus, quæſtionem hanc inſtituerunt; quorum aliqui eò uſque progreſſi ſunt, ut prædictos Canonicos Regulares, nedum ad obtinendas ſæculares Eccleſias Parochiales ad præſentationem Patronorum ſive Eccleſiaſticorum, ſive Laicorum, ſed ad alias quaſcumque Parochiales Eccleſias ad liberam Ordinariorum collationem ſpectantes, etiam per concurſum, aſſequendas, & ad ſe ſiſtendum hujuſmodi concurſibus, abſque Indulto Apoſtolico, habiles atque capaces aſſerere non dubitaverint. Tum a Parochialibus Eccleſiis gradum faciendo ad Canonicatus Metropolitanarum, Cathedralium, & Collegiatarum Eccleſiarum, horum quoque abſque Apoſtolica diſpenſatione adipiſcendorum, capaces eos eſſe ſuſtinuerunt. Et quod magis notatu dignum videtur, idem planè affirmarunt de Beneficiis ſimplicibus, & Penſionibus Eccleſiaſticis; plura congerentes exempla hujuſmodi Canonicorum Regularium, qui, abſque Romani Pontificis Indulto, tum ad regendas Parochiales Eccleſias ſæculares, & ad obtinendos Canonicatus atque Præbendas in Eccleſiis Collegiatis, Cathedralibus, & Metropolitanis; tum etiam ad Beneficia Eccleſiaſtica ſimplicia, nimirum abſque Animarum Cura, vel reſidentiæ onere, adminiſtranda, e Clauſtris exierunt.

Reſolutiones Congregationum, & Summorum Pontificum Decreta.

§. 2. Sanè quum in Congregationibus Venerabilium Fratrum Noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium ad diverſi generis negocia cognoſcenda auctoritate Apoſtolica deputatorum, examinatum ſæpe fuerit hujuſmodi aſſertum jus Canonicorum Regularium; ſæpe reſponſum eſt, eos, abſque Apoſtolico Indulto, ad ſæculares Parochias promoveri non poſſe. Ita reſpondit Congregatio Concilii de anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo primo, ejuſque reſponſum approbatum fuit a ſanctæ memoriæ Prædeceſſore Noſtro Gregorio Papa XIII. Ita decrevit Congregatio Epiſcoporum & Regularium de anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo primo, expenſis prius rationibus fusè deductis a Procuratore Generali Canonicorum Regularium Lateranenſium; atque hoc pariter Decretum a piæ memoriæ Clemente Papa X. confirmatum, deindeque ad Canonicos quoque Regulares Sanctiſſimi Salvatoris extenſum fuit. Cumque iidem Canonici Regulares Decretis prædictis minime acquieſcerent; oblatâ occaſione cujuſdam Cauſæ *Placentinæ* in Congregatione Concilii propoſitæ Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo tertio, in qua agebatur de quodam Canonico Regulari Lateranenſi præſentato ad Parochialem Eccleſiam ſæcularem; quamvis Apoſtolicum Indultum eidem conceſſum fuiſſet; additum tamen fuit in Reſcripto, ipſis petentibus, ut omnia, quæ præceſſerant ſuper hac re Decreta unirentur, utque, auditis Procuratoribus Generalibus, certa & univerſalis Lex in hac materia conſtitueretur; idque a ſanctæ memoriæ Innocentio Papa XII. Prædeceſſore Noſtro per Apoſtolicas Literas in forma Brevis fuit confirmatum.

§. 3. Hæc tamen Decretorum unio, & generalis Cauſæ diſcuſſio minimè peracta fuit. Verum anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo decimo tertio Procurator Generalis Canonicorum Lateranenſium poſtulavit a felicis recordationis Prædeceſſore pariter Noſtro Clemente Papa XI., ut totius Cauſæ cognitionem prædictæ Congregationis Concilii Tridentini Interpretis examini & judicio ſubjiceret; ad hoc ut eadem Congregatio illam diſcuteret ac definiret, *in mero puncto Juris communis, Concilii Tridentini, Profeſſionis, & Inſtituti Canonicorum, independenter & præciſivè ab omnibus Reſolutionibus & Decretis Sacrarum Congregationum, judicatis quorumcumque Tribunalium, Reſcriptis, & Oraculis Summorum Pontificum, tàm favorabilibus, quàm contrariis Ordini Canonicorum Regularium, a temporibus Gregorii XIII., uſque in præſens emanatis*, ſuper quo Pontificium *juxta petita* Reſcriptum obtinuit.

Clemens XI. Congregationi Concilii committit Cauſæ diſcuſſionem.

§. 4. Juvat credere, tunc exiſtentem, alioſque deinceps prædictæ Congregationis pro tempore Secretarios, pro debita erga Pontificis mandatum obſervantia, diligenter curaſſe, ut Cauſa iſthæc in Congregatione proponeretur. Equidem dum Nos in minoribus conſtituti, eodem Secretarii munere fungeremur, plurium annorum curſu nihil intentatum reliquimus, ut & prædicta controverſia ad examen revocaretur, & congruâ tandem deciſione tolleretur; ſed minimè licuit, novis ſemper impedimentis objectis, negocium hoc ad optatum finem perducere. Verumtamen minimè dubitabamus (quod etiam prædictis Secretariis, qui ante Nos fuerunt, perſuaſum fuiſſe cenſemus), quin interim inviolatè ſervaretur præcitatum Decretum anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo primo a Congregatione Epiſcoporum & Regularium editum, & a Clemente Papa X. confirmatum; quum potiſſimum & ipſorum temporibus, & Nobis etiam hujuſmodi Secretarii Officium obeuntibus, frequenter eveniſſet, ut ab Apoſtolica Dataria, tam ad ipſam Concilii Tridentini, quàm ad aliam Epiſcoporum & Regularium Congregationem, remitterentur petitiones Canonicorum Regularium, qui pro obtinenda aliqua Parochiali Eccleſia ſæculari, ad quam a Patronis præſentati fuiſſent, vel pro aſſequendo Canonicatu Eccleſiæ Cathedralis aut Collegiatæ, ab aliquo Epiſcopo ſibi collato, Apoſtolicum Indultum poſtulabant. Unde conſequens erat, ut opportunis adhibitis diligentiis pro Cauſæ propoſitione ad normam Reſcripti Clementis Papæ XI., non admodum intereſſe videretur, ſi ipſi Canonici Regulares ejuſdem Cauſæ deciſionem minime urgerent.

Quæ hucuſque variis ex Cauſis dilata fuit.

§. 5. At verò quum a ſanctæ memoriæ Benedicto Papa XIII. Anconitanam Epiſcopalem Eccleſiam regendam accepiſſemus, ſtatim ac ad eandem, uti par erat, præſentes acceſſimus, ſero didicimus Noſtram hac de re opinionem Nos fefelliſſe. Siquidem in ea Civitate nonnullos Canonicos Regulares invenimus, qui, poſt relatum Decretum anni milleſimi ſexcenteſimi ſeptuageſimi primi, nullo ſuffulti Apoſtolico Indulto, ſed de licentia tantum ſuorum Prælatorum Regularium, ad Parochias ſæculares, vel ad Canonicatus in Cathedrali Eccleſia promoti, e Religioſis Clauſtris migraverant. Quin etiam unum ex his invenimus, qui quum ſæculare Beneficium, quod olim obtinuerat, reſignaſſet;

Abuſus a Sanctiſſimo Domino Noſtro reperti in Diœceſi Anconitana.

tamen

tamen extra Clauſtra ſimiliter, in habitu Presbyteri ſæcularis degebat. Atque hujus quidem conſcientiæ ſecuritati, pro Noſtri muneris ratione, conſulere non omiſimus, implorata eidem diſpenſatione ab Officio Pœnitentiariæ Apoſtolicæ, cui rem totam referentes, demonſtravimus jam moraliter impoſſibile Oratori fore, clauſtralis vitæ inſtitutum, & Religioſum habitum reſumere; quum & octogenario major eſſet, & mala valetudine laboraret.

Item in Bononienſi.

§. 6. Deinde paucis poſt annis a felicis recordationis Clemente Papa XII. Prædeceſſore Noſtro ad Epiſcopatu Anconitano ad Metropolitanam Cathedram Bononiæ Patriæ Noſtræ tranſlati; idem omnino in hac etiam Civitate & Diœceſi obtinere comperimus. Contigit autem, quemdam Canonicum Regularem Lateranenſem ad Eccleſiam Parochialem ſæcularem de Jurepatronatus Laicorum a Patrono Laico nominari; cumque Nos, ante hujuſmodi nominationis admiſſionem, præter conſenſum Abbatis Generalis ipſius Ordinis, Apoſtolicum inſuper Indultum Nobis exhiberi poſtularemus, eâque de re apertiſſimum Clementis Papæ X. Decretum anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo primo editum extare diceremus; mirati profecto ſumus, quum Nobis reſponderi audivimus receptam eſſe in toto Canonicorum Regularium Ordine ſententiam, quod præfatum Clementis X. Decretum omne robur amiſiſſet, & in ſuſpenſo remaneret, ex quo Clemens XI. anno milleſimo ſeptingenteſimo decimo tertio, ut ſupra dictum eſt, quæſtionem illam de ratione obtinendarum a Canonicis Regularibus Parochiarum ſæcularium, an ſcilicet conſenſus eorum Abbatis Generalis, nullo interveniente Apoſtolico Indulto, ad hoc ſufficiens eſſet, Congregationi Concilii examinandam tradiderat. Equidem Nos hujuſmodi reſponſioni, quam agnovimus omni ſoliditate deſtitutam, minimè acquievimus; neque porrò Canonicus ille Regularis ad regimen Parochialis Eccleſiæ, ad quam præſentatus fuerat, a Nobis admiſſus fuiſſet, niſi prius Apoſtolicam diſpenſationem petiiſſet, atque impetraſſet. Verùm ex hoc plenius cognovimus, quàm neceſſarium eſſet huic controverſiæ aliquando finem imponere, ac certam atque univerſalem regulam ſtabilire ſuper Canonicorum Regularium capacitate ad obtinendas Parochiales Eccleſias, Canonicatus, aliaque Beneficia Eccleſiaſtica ſæcularia, vel de licentia dumtaxat eorundem Superioris Regularis, vel nonniſi accedente Apoſtolicæ diſpenſationis auctoritate. Pro quo tamen nihil a Nobis tunc temporis factum fuit; quum ſatis eſſe duxerimus, aliarum Diœceſum curam propriis Paſtoribus relinquentes, in commiſſæ Nobis Eccleſiæ procuratione vigilare.

Qui vincunt neceſſitatem decidendi quæſtionem.

§. 7. Jam verò, nullis Noſtris meritis, in ſublimi Apoſtolatus culmine conſtituti, Noſtras eſſe partes reputavimus, quæſtionem hanc ſuprema tandem deciſione terminare, &, pro conceſſa Nobis auctoritate, declarare, an prædicti Canonici Regulares, tàm Lateranenſes, quàm Sanctiſſimi Salvatoris, de licentia tantum ſuorum Superiorum Generalium valeant Parochiales Eccleſias ſæculares, & in Eccleſiis Metropolitanis, Cathedralibus, aut Collegiatis, Canonicatus atque Præbendas, ac demum Beneficia Eccleſiaſtica ſimplicia obtinere, aut Penſiones Eccleſiaſticas percipere; an verò, præter hujuſmodi Superiorum Regularium licentiam, Apoſtolicæ quoque auctoritatis requiratur acceſſio.

Pontifex deciſionē edere intendit.

§. 8. Porrò quam methodum piæ memoriæ Clemens XI. pro hujus quæſtionis enodatione præſcripſerat, eam laudatiſſimi Pontificis mente dignam ſemper exiſtimavimus; eidemque propterea inhærentes, cupienteſque rem ipſam, antequam illius examen alteri committeremus, privatis Noſtris ſtudiis penitiùs introſpicere, tempus illud, quod menſe Octobri proxime elapſo a publicis audientiis vacuum habuimus, in Biblotheca Noſtra domeſtica inſumentes, quamplurimos illic exiſtentes Libros, alioſque etiam rariores è celebri Bibliotheca dilecti Filii Noſtri Dominici Tituli Sancti Bernardi ad Thermas Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyteri Cardinalis Paſſionei nuncupati Brevium Noſtrorum Secretarii, ad Nos allatos, avidè evolvimus; ſedulò inquirentes, quid Juri communi, quid Concilii Tridentini ſanctionibus, quid Profeſſioni ab ipſis Canonicis Regularibus emiſſæ, ac demum quid eorundem Inſtituto magis conſentaneum eſſet; ac ſuper his omnibus prolixam Diſſertationem, Canonici Juris principiis, & Hiſtoricis notionibus innixam, non quidem Pontificiæ auctoritatis jure, ſed privati Doctoris diligentiâ, elucubravimus.

Cauſam privatis ſtudiis expendit.

Et ſuper ea Diſſertationem ſcribit.

§. 9. Quamvis verò, ex præſcripto relati Decreti Clementis Papæ XI. hujuſce controverſiæ examen in Congregatione Venerabilium Fratrum Noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum haberi debuiſſet; nihilominus ſatius eſſe duximus totam hujuſmodi Cauſam ad Nos avocare, non quidem, ut ipſi per Nos, abſque aliorum conſilio, eam definiremus, ſed ut ſolemnior atque commodior ipſius controverſiæ diſcuſſio accuratiſſimâ maturitate perageretur, prout ex inferiùs dicendis revera præſtitum fuiſſe apparebit.

Controverſiam ad ſe avocat.

§. 10. Siquidem in conſilium hac de re nobiſcum aſſumpſimus Venerabilem Fratrem Noſtrum Vincentium Epiſcopum Prænestinum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem Petra, necnon Dilectos Filios Noſtros ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyteros Cardinales, de Gentilibus, Cavalchinum, Tamburinum, & Beſozzium reſpectivè nuncupatos, omnes, penultimo excepto, prædictæ Congregationi Concilii Tridentini adſcriptos, tres verò etiam priori loco memoratos, olim, dum in minoribus agerent, ejuſdem Congregationis Secretarios, alterum autem a pluribus annis ipſius Præfectum. His adjunximus Dilectum Filium Magiſtrum Joſephum Alexandrum Furiettum ſæpedictæ Congregationis Concilii Secretarium, necnon alios Prælatos præcipua Romanæ Curiæ munera obeuntes, nimirum Dilectos pariter Filios Magiſtros Joannem Jacobum Millo Datarium, Clementem Argenvillers Auditorem, & Xaverium Juſtinianum Subdatarium Noſtros; ex Regularibus autem Petrum Aloyſium de la Torre Abbatem Ordinis Sancti Benedicti, Congregationis Caſſinenſis in eadem Romana Curia Procuratorem Generalem, & olim in ſua Congregatione Sacrorum Canonum Profeſſorem; duoſque Societatis Jeſu Presbyteros, Dominicum Turanum Officii Pœnitentiariæ Apoſtolicæ Conſultorem Theologum, & Ægidium Mariam Giulii Sacrorum Canonum Profeſſorem, eorumdemque in Collegio Germanico-Hungarico de Urbe Lectorem.

Cardinales, Prælatos, Theologos, & Canoniſtas in conſilium adhibet.

§. 11. His omnibus, & ſingulis præfatam Diſſertationem Noſtram communicavimus, in qua apertè declaravimus, Nos meram, ut præfertur, Doctoris privati perſonam in ea geſſiſſe, nec aliis ademptam voluiſſe libertatem in contrarium opinandi, ſi ita jus & ratio ſuaderent; datoque illis trium & amplius menſium ſpatio, ut totius rei examen ad normam Juris communis, Concilii Tridentini, Profeſſionis, & Inſtituti Canonicorum Regularium utriuſque prædictæ Congregationis exigerent: juſſimus, ut ſinguli ſuum ſuffragium aperirent, ac literis conſignatum Nobis exhiberi curarent.

Eorumque libera ſuffragia exquirit.

§. 12. Neque verò opus eſſe judicavimus, ipſos prædictorum Canonicorum Regularium Ordines ad Cauſam dicendam excitare, ut ſive per ſe, ſive per alios, ea deducerent, quæ facere

Canonicorum Regularium interpellatio ſuperflua.

posse putarent pro eorum asserto jure obtinendi Beneficia sæcularia absque Apostolico Indulto; tum quia rationum, quæ in utramque partem afferri solent, referta sunt, ut initio dicebamus, Theologorum, Canonistarum, aliorumque Scriptorum Ecclesiasticorum Volumina; tum quia post ipsum Clementis XI. Rescriptum, ut pariter supra adnotavimus, & Franciscus Maria Pitonius, prolixâ Dissertatione, in qua Canonicorum Lateranensium defensionem suscepit, & istorum Abbas Generalis Cœsar Benvenuti, in suo Opere in publicam lucem emisso, quæcumque ad Causam facere poterant, juxtà singula Capita in præcitato Clementis XI. Decreto indicata, & a Nobis in prædicta Dissertatione Nostrâ, ut præfertur, ordinatè ac singillatim expensa, latissimè sunt prosequuti; Tum demum quia noluimus novum ipsis Canonicorum Regularium Ordinibus imponere sumptuum onus, postquam toties super eadem re Jurisconsultorum Curiæ Nostræ operam, & calamum adhibuerunt.

Præmissorum suffragia expenduntur.

§. 13. Quum itaque prædicti omnes a Nobis requisiti, intra præfinitum tempus suffragium quisque suum Nobis obtulissent; (excepto præfato Vincentio Episcopo Cardinali, quoniam ipse in suis Commentariis ad Constitutiones Apostolicas, suam hac de re sententiam pluribus in locis aperuerat, & jampridem Typis vulgaverat); Nos illorum scripta attentè perlecta diligentissimè expendimus; eademque, una cum prædicta Dissertatione Nostra, Dilecto Filio Magistro Nicolao Antonello, Prælato Nostro Domestico, & Archivii Pontificii in Arce Sancti Angeli existentis Custodi, in eodem Archivo diligenter asservanda tradidimus; ut perpetuis futuris temporibus constare valeat, quàm cautè & consideratè in hac Causa definienda agere voluerimus.

Pontifex de consilio &c. & motu proprio &c. declarat, Canonicos Regulares incapaces cujuslibet Beneficii Sæcularis, aut Pensionis Ecclesiasticæ.

§. 14. Et quoniam prædictorum omnium concors fuit sententia; (unius enim dissensus, in duodenario Consulentium numero, uniformitatem non tollit); iidemque in eo convenerunt, quod neque Canonici Regulares Lateranenses, neque Canonici Regulares Sanctissimi Salvatoris, Beneficium quodlibet Ecclesiasticum sæculare obtinere, aut quamlibet Pensionem Ecclesiasticam percipere valeant, absque auctoritate Apostolicæ Sedis; Nos eorundem consilium & sententiam sequentes, atque etiam motu proprio, & certa scientia, atque Apostolica auctoritate, hac Nostra in perpetuum valitura Constitutione statuimus, decernimus, & declaramus, eosdem Canonicos Regulares, absque Indulto Apostolico, ut præfertur, cujuscumque Beneficii Ecclesiastici sæcularis, sive cum adnexo animarum curæ, aut residentiæ onere, sive etiam Beneficii simplicis, & sine cura, ac personalem residentiam non requirentis, & cujuscumque Pensionis Ecclesiasticæ, verè incapaces esse, & censeri debere; eisdemque nec Jus commune, nec Tridentinæ Synodi Decreta, neque Professionem ab ipsis emitti solitam, aut eorum peculiare Institutum, neque demum ullam contrariam consuetudinem, usum, possessionem, seu quasi, aliumque omnino titulum, pro hujusmodi prætensa capacitate ullatenus suffragari.

Prohibet eisdem egressum è Claustris absque Indulto Apostolico, ratione Beneficiorum Curatorum, aut Residentialium.

§. 15. Proindèque non amplius permittendum, aut ullo modo ferendum esse, ut aliquis ex ipsis, sola interveniente ejusdem Superioris, sive Abbatis Generalis licentia, consensu, aut prætensa auctoritate, ad animarum curam in Ecclesiis Sæcularium assumendam, & exercendam, vel ad Canonicatus, sive Præbendas, Dignitates, vel alia quomodocumque nuncupata Officia, aut Beneficia residentialia in Ecclesiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, aut Collegiatis obtinenda, è Religiosis Claustris exeat, discedat, & extra ea moretur; sed necessarium omninò, semper, & quandocumque esse & fore speciale Apostolicæ Sedis Indultum, tam ut iidem Canonici Regulares hujusmodi Ecclesiasticorum Beneficiorum Sæcularium, sive cum animarum cura, sive cum residentiæ onere adnexo, capaces fiant, & existant; quam ut ad ea assequenda, regenda, & retinenda, è Claustris discedere, & extra ea degere licitè possint. Similiter omnium & quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum simplicium nuncupatorum, aut Ecclesiasticarum Pensionum quarumlibet, eosdem incapaces esse declaramus, & ad ea assequenda ex se inhabiles haberi debere decernimus: At si aliquando aliquem ex ipsis, sive pro Religiosis ipsius indigentiis, sive ob meritum personale, sive alio quocumque titulo, aut causa, de uno aut pluribus hujusmodi Beneficiis simplicibus, vel de una, aut pluribus Ecclesiasticis Pensionibus ab Apostolica Sede provideri contingat; decernimus, non ideo hujusmodi Canonicum Regularem è Religionis suæ Claustris exire, aut extra ea vitam degere posse; sed in suis Religiosis Domibus, ut anteà, & sub legitima suorum Superiorum Regularium obedientia manere debere statuimus; contravenientes verò omnibus & singulis pœnis, adversus Regulares Apostatas latis atque statutis, subjicimus; & iisdem re ipsa & cum effectu affici & coerceri mandamus.

Provisos de Beneficiis simplicibus, aut Pensionibus Ecclesiasticis intra Claustra manere jubet, sub pœnis contra Apostatas.

Ipsis tamen Indulta Apostolica facilius concedenda esse agnoscit.

§. 16. Et quidem Canonici Lateranenses, quique a Sanctissimo Salvatore nomen habent, non verbo, aut specie tantum, sed revera & proprie Regulares existunt, ipsisque cum aliis omnibus cæterorum Ordinum Regularibus, communia sunt Vota solemnia, Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ; ideoque, quatenus Regulares sunt, æque ac Monachi, cæterique Religiosis quibusque Ordinibus adscripti, incapaces sunt Beneficiorum Ecclesiasticorum Sæcularium, absque Apostolicæ Sedis auctoritate, & dispensatione. Quia tamen, (ut Innocentius III. ait in præcitato *Cap. Quod Dei timorem.*) Regulæ inserviunt laxiori; æquum est, majorem cum ipsis indulgentiam adhiberi, &, ubi eorumdem Superiorum Regularium consensus adsit, benigniori quadam facilitate, per Apostolicæ auctoritatis Indulta, ad Sæcularia Beneficia eosdem admitti. Verùm ut in hujusmodi casibus omnia ritè rectèque procedant; sequentes Regulas, inviolabiliter, respectivè, sub pœna nullitatis Collationis Beneficiorum, tenendas & observandas, eâdem Apostolica auctoritate præscribimus atque statuimus.

Præscribit Patronis formam præsentandi Canonicos Regulares ad Ecclesias Parochiales, aut Canonicatus.

§. 17. Ubi nempe agatur de Beneficiis Ecclesiasticis Sæcularibus, pro quorum collatione Concursus indici non solet, veluti sunt Ecclesiæ Parochiales de Jurepatronatus Laicorum, & in Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, aut Collegiatis Ecclesiis, Canonicatus, atque Præbendæ (exceptis tamen Theologali, & Pœnitentiaria Præbenda, quarum utraque prævio semper Concursu provideri debet); & quidem ubi hujusmodi Beneficia de jurepatronatus sive Ecclesiastico, sive Laicali existant; & cessantibus quoad Beneficia Jurispatronatus Ecclesiastici reservationibus & affectionibus Apostolicis; integrum esse volumus Beneficiorum Patronis, aliquem ex prædictis Canonicis Regularibus, quem idoneum judicaverint, ad ea Beneficia præsentare, seu nominare; dummodò præsentatio, seu nominatio fiat cum expressa præservatione Beneplaciti Apostolici. Postquam verò præsentatus, seu nominatus Canonicus Regularis, præsentationem seu nominationem de se factam acceptaverit, cum clausula de obtinendo Beneplacito tam Superioris Generalis sui Ordinis, quàm Sedis Apostolicæ; ad ipsos præsentantes seu nominantes pertinebit, consensum exquirere Superiorum Regularium; Qui si ex discessu hujusmodi Canonici Regularis, ad animarum curam, seu ad Canonicatum in

Item Superioribus Regularibus, qua ratione licentiâ impertiri debeant.

Ecclesia Sæculari obtinendum evocati, nullum Ordini detrimentum obventurum esse, in Domino reputaverint; multoque magis, si perspectam habentes vitam ab hujusmodi præsentato seu nominato religiosè institutam, & studia ab eodem in Religione laudabiliter peracta, illius operam utilem atque proficuam fore Ecclesiæ illi, cujus servitiis deputatur, in Domino pariter judicaverint; requisitum assensum in scriptis præbentes, testimonium insuper adjicient de ipsius præsentati seu nominati idoneitate, tam quoad mores, quàm quoad doctrinam, sive ad animarum curam, sive ad Præbendam Canonicalem; super quorum veritate ipsorum Superiorum conscientiam districtè oneramus. Sed & ab Ordinario, sive ab Ordinariis Locorum, in quibus ipse Religiosus præsentatus aut nominatus per aliquod tempus commoratus fuerit, requirendum erit, utrum ipsis aliquid adversus illius vitam & mores relatum fuerit, vel aliàs legitimè constiterit.

Ordinariorũ attestationes exquirendæ.

His omnibus justificatis, concessionẽ Indulti judicio Pontificis reservat.

§. 18. Quæ omnia, videlicet præsentatio, seu nominatio, & respectivè acceptatio cum adjectis clausulis præservativis supra enunciatis; item Superiorum Regularium consensus, eorundemque attestatio; Ordinariorum quoque favorabile testimonium; exhibenda erunt nostro, sive Successorum Nostrorum Romanorum Pontificum pro tempore Datario, qui, factâ Nobis, aut Successoribus Nostris, prædictorum omnium relatione, si ita Pontifici videbitur, Literas Apostolicas super concessione hujusmodi Beneficii eidem Canonico Regulari præsentato seu nominato ad illius vitam facienda, statim expediri jubebit; vel aliàs, de ejusdem Pontificis mandato, ante ipsam expeditionem, prædictæ Congregationis Tridentini Concilii Interpretis consilium exquiret.

Eadem respectivè servãda in provisionibus ad Ordinarios pertinentibus sine Concursu.

§. 19. Idipsum, quantum rei natura, & circumstantiarum diversitas patitur, tunc etiam observari volumus & mandamus, quoties Ordinarius ipse Canonicum Regularem Lateranensem, aut Sanctissimi Salvatoris, ad Ecclesiam Parochialem, quam in casu particulari sine concursu conferri posse contigerit, sive ad Canonicatum absque Concursu pariter providendum, & ad ipsius Ordinarii liberam dispositionem & collationem pertinentem, promovendum putaret. Decernentes, in hujusmodi casibus nihil ab Ordinariis propria auctoritate fieri posse; sed Romano pro tempore Pontifici rem totam deferri; item consensum Superiorum Regularium, juxta formam superius a Nobis præscriptam, exquiri, & obtineri; omniaque demum, ut præfertur, ad Datarium pro tempore transmitti, ut is, relatione Pontifici facta, opportunum super expediendis Litteris Apostolicis mandatum accipiat.

Canonici Regulares ad Concursus admitti nequeunt.

§. 20. Ubi verò agatur de Beneficiis Ecclesiasticis Sæcularibus, ad quæ Concursus de jure indici, & haberi debet; cujusmodi plerumque sunt Ecclesiæ Parochiales ad liberam Ordinariorum collationem spectantes, itemque Ecclesiæ Parochiales de Jurepatronatus Ecclesiastico, & in Ecclesiis Cathedralibus, Metropolitanis, aliisque, Præbendæ Theologalis, & Pœnitentiaria; statuimus, nullum Canonicum Regularem, sive Lateranensem, sive Sanctissimi Salvatoris, etiam accedente licentia ipsorum Superiorum Generalium, ad hujusmodi Concursus accedere posse: ipsisque Episcopis, sive aliis Ordinariis quibuscumque, districte inhibemus, sub pœna nullitatis Concursus, ne prædictos Canonicos Regulares ad hujusmodi Concursus admittere præsumant, sine prævio Beneplacito Apostolicæ Sedis; pro quo obtinendo sequentem methodum inviolabiliter tenendam, atque servandam præscribimus.

Sed licentia impetranda

§. 21. Quoties videlicet Episcopus, aut alius Ordinarius, inter eos Sæculares Presbyteros, sive Clericos, qui ad Concursum pro Ecclesiæ Parochialis, aut Præbendæ Theologalis, vel Pœnitentiariæ collatione & provisione habendum, sunt accessuri, neminem ad hujusmodi Parochiam aut Præbendam idoneum revera esse, in Domino judicaverit; & è contrario aliquem ex Canonicis Regularibus ad prædictas Ecclesiam, aut Præbendas respectivè aptum, & idoneum existere noverit; Romani Pontificis pro tempore existentis judicio rem totam deferet; a quo si illi indultum fuerit, ut hujusmodi Canonicum Regularem ad Concursum admittere valeat, tunc ab eodem Religioso Canonico requirere debebit, an forte, accedente consensu ipsius Superiorum Regularium, hujusmodi Concursui se sistere vellet. Quod ubi is facturum se esse affirmaverit; idem Episcopus Superiores Regulares rogabit pro hujusmodi consensu, seu licentia; quam tamen ipsi Superiores nequaquam impertiri debebunt, nisi simul testati fuerint, & nullum proprio Ordini detrimentum extiturum, si religiosus vacantem Parochiam, aut Præbendam assequatur, & eundem, anteactæ vitæ ac doctrinæ merito, dignum esse, qui ad illam promoveatur.

Ipsa Provisio a Summo Pontifice perficienda.

§. 22. Hisce omnibus in antecessum exactè servatis, licebit Canonicum Regularem ad Concursum admittere; Et nihilominus si eum præ cæteris probari contigerit, ipsa Parochiæ, seu Præbendæ concessio a Romano Pontifice expetenda erit; transmissis ad Datarium pro tempore omnium præmissorum documentis; ut hic, facta relatione Pontifici, opportuna pro expeditione mandata recipiat.

Quid in concessione Parochiæ, aut Præbendæ Theologalis seu Pœnitentiariæ, extra Concursum.

§. 23. Si autem contigerit, ut habito Concursu pro Ecclesiæ Parochialis, aut Præbendæ Theologalis, vel Pœnitentiariæ provisione, nullus ex Concurrentibus de Clero Sæculari idoneus repertus fuerit; aut si, hujusmodi Concursu indicto, intra præfinitum tempus nemo ex Clero Sæculari ad illum accesserit; Episcopus autem vacantem Ecclesiam, aut Præbendam alicui Canonico Regulari Lateranensi, aut Sanctissimi Salvatoris utiliter concedi posse crediderit, pari modo Apostolicum assensum ad hoc exquirere debebit; habitoque rescripto juxta petita, quod, annuente Pontifice, in ea verba conceptum esse poterit: *pro gratia, servatis servandis*; tunc Episcopus cum ipso Canonico Regulari, & cum ipsius Superioribus ea servabit, quæ superius a Nobis præscripta sunt; ac de præmissorum omnium implemento opportuna documenta ad Datarium transmittet, Romano pro tempore Pontifici exhibenda, ut, eo jubente, ad concessionem hujusmodi Ecclesiæ aut Præbendæ per Literas Apostolicas procedi possit.

De resignationibus, Coadjutoriis, Collationibus Beneficiorum simplicium, & Pensionum reservationibus, Pontificis judicium esto.

§. 24. Denique, quod pertinet ad Ecclesiarum Parochialium, aut Canonicatuum renunciationes, seu resignationes, vel Coadjutorias, necnon collationes Beneficiorum Ecclesiasticorum simplicium, aut Pensionum Ecclesiasticarum reservationes; quum in his omnibus, non solum ex superius dictis, propter Regularem qualitatem Resignatarii, aut Coadjutoris deputandi, sive de prædictis Beneficiis aut Pensionibus providendi, verùm etiam ratione tituli intrinseci hujusmodi collationum, Apostolicæ auctoritatis interventus semper & omnino requiratur; Nos Romanorum Pontificum Successorum Nostrorum arbitrio & prudentiæ omnia relinquenda esse ducimus. Confidimus autem, neminem fore ex præfatis Successoribus Nostris, qui in hujusmodi casibus, præter alia ad resignationes, aut Coadjutorias admittendas, sive constituendas, & ad Beneficia simplicia conferenda, vel Pensiones Ecclesiasticas reservandas, de jure requisita, rerum insuper ac personarum

ratione

ratione habita, ea quæ superius a Nobis circa præmissas concessiones statuta sunt, præ oculis habere, & maturè perpendere omittat.

Obtinentes Parochias, aut Canonicatus Sæculares, intra Claustra degere nequeunt.

§. 25. Equidem inspecto Cononicorum Lateranensium, & Sanctissimi Salvatoris Regulari Instituto, non licet eis, quoad vivunt, post solemnem Votorum Professionem, è Religiosis Claustris discedere, & a Superiorum Regularium obedientia se subtrahere. Quamvis autem, ut antea dictum est, hujusmodi Legi subjecti sint & esse debeant etiam post assequutum aliquod Sæculare Beneficium simplex, aut Ecclesiasticam Pensionem, cujusmodi certis in casibus ab Apostolica Sede Regularibus concedi & assignari contingit; attamen satis patet, neque permanentiam intra Claustra, neque immediatam Superioribus Regularibus subjectionem consistere ullo modo posse cum animarum cura, aut cum Canonica Residentia, si aliquem ex iisdem Canonicis Regularibus Ecclesiam Parochialem, aut Canonicatum & Præbendam, vel Dignitatem, aut aliud Sæculare Beneficium Ecclesiasticum personalem Residentiam requirens contingat quomodolibet obtinere.

Quæstiones super delatione habitus Regularis, & retentione Socii ejusdem Ordinis.

§. 26. Illud verò Dubium in Congregationibus hujus Urbis & Curiæ frequenter discussum ac disputatum fuit; an scilicet hujusmodi Canonici Regulares, post adeptam in Ecclesiis Sæcularibus Parochiam, sive Canonicatum, e Claustris egressi, retinere deberent habitum sui Ordinis, an verò Clericorum Sæcularium vestibus uti possent; Item de iis, qui ad Parochorum Officium sunt promoti, quæsitum fuit, an alterum Canonicum Regularem, dum possent, in sui consortium assumere, & apud se habere tenerentur. Super quibus non una fuit sententia, tam prædictarum Congregationum, quàm eorum, quos nuper a Nobis in consilium adhibitos esse memoravimus. Verum Nos, justis & rationabilibus de causis animum Nostrum moventibus, decernimus atque statuimus, prædictos Canonicos Regulares, sive ad animarum curam gerendam, sive ad Canonicatum obtinendum in Ecclesiis Sæcularibus, e Claustris egressos, habitum Clericalem Sæcularem assumere posse, & ab obligatione secum retinendi Socium sui Ordinis, liberos & immunes esse, & fore. Eosdem tamen monitos volumus, ne, propterea quod extra Religiosa Claustra vitam degunt, & Clericorum Sæcularium habitum deferunt, ideo se absolutos aut dispensatos esse arbitrentur ab observatione Votorum, quibus se in Regulari Professione Deo manciparunt; sed sciant, se teneri eadem Vota servare & implere in iis omnibus, quæ cum animarum Rectoris, aut Canonici Sæcularis Officio conjungi possunt. Episcopo autem, sive Ordinario Loci, per omnia subjecti sint; ipsumque etiam Superioris Regularis loco agnoscant & colant. Ac demum suas partes esse intelligant, sanctioris conversationis exemplo, sedulitate in officio obeundo, frugalis vitæ parsimonia, copiosa eleemosynarum largitione, veluti quibusdam religiosæ perfectionis insigniis, etiam in habitu Sæculari, pro Canonicis Regularibus in oculis hominum se gerere.

Absolvuntur ab hujusmodi obligatione; additis paternis monitionibus &c.

Provisi de Parochia, aut Canonicatu Sæculari non possunt a Superioribus Regularibus ad Claustra revocari.

§. 27. Quæsitum præterea fuit, utrum hujusmodi Canonici Regulares, qui Parochialem Ecclesiam, vel Canonicatum Sæcularem essent adepti, possent a suis Superioribus Regularibus, legitimis ex causis, ad Religionis Claustra revocari; qua etiam de re non satis conformia prodierunt judicata. Sed convenientibus in unam sententiam his, qui hac occasione a Nobis consulti fuerunt, Nobis visum est statuere ac declarare, prædictos Superiores Regulares hujusmodi facultate destitutos esse, ubi agatur de Sæcularibus Parochiis, aut Canonicatibus in Titulum conferri solitis, & alicui ex prædictis Canonicis Regularibus in perpetuam administrationem ritè concessis; sed ad Episcopum dumtaxat, sive ad Ordinarium loci pertinere, concurrentibus causis canonicis, ad legitimam contra illos privationem per sententiam procedere: vel aliàs ipsos, justis pariter de causis, ad animarum curam inhabiles, & ab ea perpetuò suspensos declarare; quo casu hi, qui sic per sententiam privati, aut perpetuò suspensi existent, utique Religiosum habitum resumere, & ad propria Claustra redire teneantur.

In casibus tamen hic enunciatis, ad eadem redire compelluntur.

§. 28. Denique disputatum fuit, utrum Canonicus Regularis, si resignaverit Ecclesiam Parochialem, aut Canonicatum Sæcularem, quem obtinuerat, habitum Regularem resumere, & Religionis Claustra iterum ingredi debeat; itidemque an id locum habeat, ubi de prædictis per sententiam privatus, vel a Parochialium munium exercitio perpetuò suspensus, sive ad ea obeunda inhabilis declaratus fuerit; atque etiam, ubi Coadjutorem in Parochia aut in Canonicatu eidem deputari contingat; vel post laudabilem operam in Canonicatu per annos quadraginta assiduè præstitam, privilegium Jubilationis, ut vocant, ipsi fuerit concessum. Et in his quidem cum distinctione procedendum censentes, ut omnem dubitandi occasionem perpetuo removeamus, decernimus atque statuimus, Canonico Regulari, qui se Parochia, aut Canonicatu abdicaverit, vel iis per sententiam legitime privatus, vel ad gerendum Parochiæ regimen inhabilitatus, & ab eodem perpetuò suspensus fuerit, ad habitum Regularem, & Instituti sui Monasteria redeundum esse. Non ita verò si, extra casum perpetuæ inhabilitationis, & suspensionis, Coadjutorem habuerit in Canonicatu, aut in Parochialis curæ regimine, vel per Jubilationem a servitio Chori fuerit exemptus; quum & ii, qui Coadjutorem habent in affectæ valetudinis aut ingravescentis ætatis subsidium, teneantur in loco Parochiæ, aut Canonicatus residere; ut præsto sint, quoties legitimum Coadjutori impedimentum obvenerit, ipsius Parochiæ, aut Chori necessitatibus, quoad poterunt, inservire; & qui Jubilationem obtinuerunt, valeant pro libito Chorum frequentare, atque etiam, non obstante hujusmodi Jubilatione, si Divinorum Officiorum ratio id exigat, possint ad servitium Ecclesiæ revocari.

Non vero in casu Coadjutoriæ, aut Jubilationis.

§. 29. His porrò declarationibus atque decretis, quæ prævia matura deliberatione, auditoque, ut præfertur, nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum, aliorumque prudentum atque doctorum Virorum consilio, per has Nostras Literas ferimus, atque Apostolica Auctoritate statuimus; pluribus controversiis finem factum iri confidimus; Eâdemque operâ tam Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis, quàm ipsis, de quibus agitur, Ordinibus Regularibus, utiliter consultum esse existimamus; Episcopis nempe, sive Ordinariis, quorum frequentes audivimus querelas, super nimia facilitate, qua hujusmodi Canonici Regulares ad Ecclesias Parochiales aut Canonicatus Sæculares convolabant, solâ muniti licentia ipsorum Superiorum Regularium; quos quidem suspicabantur in ea concedenda haud difficiles se præbere, ubi de turbulentis hominibus, aut ipsi Religioni inutilibus ageretur: Ipsis verò etiam Canonicorum Regularium Lateranensium, & Sanctissimi Salvatoris Ordinibus, quos peculiari semper benevolentia prosecuti sumus; ex quibus non paucos probitate ac doctrina insignes, suorumque respective Ordinum amantes, & olim, quum in minoribus ageremus, & postquam etiam Apostolicam hanc Sedem tenemus, aperte conquerentes audivimus, non raro evenire, ut deprecatorum studio & auctoritate, cui Superiores obsistere aut nollent aut non auderent,

Præmissarum declarationum, & decretorum æquitas, & utilitas.

illos

illos ex Collegis suis cogerentur amittere, ex quorum permanentia majorem utilitatem atque splendorem consecuturus erat ipsorum Ordo; a quo iidem multos annos hanc in spem educati & aliti fuerant, ac religiosis virtutibus, optimisque disciplinis imbuti.

Clausulæ de perpetua Literarum firmitate.

§. 30. Quocirca easdem præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod Canonici Regulares prædicti, aut quilibet alii etiam speciali nota & expressione digni, in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, aut ad ea vocati & auditi non fuerint, aut ex alia quacumque causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quolibet defectu notari, impugnari, in jus vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, aut quodcumque aliud juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari posse; sed easdem præsentes semper firmas, validas, & efficaces esse & fore, ac ab omnibus & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodocumque spectabit, inviolabiliter observari; sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, dictæque Sedis Nuncios, & alios quoslibet quavis auctoritate & potestate fungentes, & quandocumque functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari, & definiri debere, & si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Derogationes opportunæ.

§. 31. Non obstantibus, quatenus opus sit, Innocentii III. Prædecessoris prædicti dispositione in prædicto Capitulo, *quod Dei timorem*, necnon, de jure quæsito non tollendo, aliisque Nostris, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis, ac quibusvis Apostolicis, etiam in Universalibus, Provincialibusque Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus, Ordinis quoque Canonicorum Regularium, & utriusque eorum Congregationis prædictæ, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, Ordinationibus Capitularibus, usibus, stilis etiam quantumvis inveteratis, & quacumque ultimi status existentia, aliisque in contrarium præmissorum quomodolibet facientibus vel extantibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis utrique vel alterutri Congregationum prædictarum, earumque Monasteriis, Superioribus, & personis in genere, vel in specie quomodolibet forsan concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium & singulorum tenores, formas, Causas, & occasiones præsentibus pro plene & sufficienter expressis & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, specialiter, expresse, ac plenissimè & amplissimè motu pari derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

De exemplorum auctoritate.

§. 32. Cæterum quia difficile foret, ipsas præsentes Nostras Literas ad singula loca, ubi opus esset, deferri; volumus, ut earum transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, tam in judicio, quàm extra, quæ eisdem præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis.

§. 33. Nulli ergo omnino Hominum liceat paginam hanc Nostræ Constitutionis, definitionis, declarationis, statutorum, decretorum, atque Ordinationum infringere, vel eidem ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLV. septimo Idus Julii, Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Dat. die 9. Julii 1745.

D. Card. Passionеus.

J. Datarius.

Visa de Curia.

J. C. Boschi.

L. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicat. die 23. ejusdem Mensis, & Anni.

CXXXVI.

Consecratio Joannis Van-Stiphout in Pseudo-Episcopum Harlemensem damnatur; ac suspensionis & excommunicationis sententia in ipsum edicitur.

Dilectis Filiis Universis Catholicis in Fœderato Belgio commorantibus.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecti Filii, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Sollicitudo Pontificis ne Catholici contagione Schismatis attingantur.

Tam præclaram quidem de egregia virtute & constantia vestra rebus ipsis semper probata & Apostolicis etiam laudibus commendata, gerimus opinionem, ut plane persuasum habeamus, Vos nullis ad procul amandandam omnem execrandi schismatis luem, & ad Catholicam Fidem Orthodoxamque Religionem palam ubique profitendam tuendamque, Apostolicæ nostræ caritatis, sollicitudinis, exhortationisque novis stimulis indigere. Verum pro demandata infirmitati nostræ a Supremo Pastorum Principe æternoque Animarum nostrarum Judice Jesu Christo universalis Ecclesiæ suæ procuratione obstricti, facere non possumus, quin Vos sæpe de sacrilega perditorum hominum temeritate & audacia edoceamus, atque insimul admoneamus, ut quamcumque tenuissimam suspicionem per insidias veteratorum Schismatis patronorum cuipiam vestrum de eorum reconciliata Nobiscum gratia & communione forsitan injiciendam ab animis vestris penitus removeatis.

Electio Pseudo-Episcopi nulla.

§. 1. Postquam enim per alias nostras in simili forma Brevis Literas die 26. Mensis Junii proxime elapsi currentis anni MDCCXLV. ad Vos datas, typis etiam impressas, & publici juris factas, Electionem Joannis Van-Stiphout Amstelodumi Pseudo-Pastoris in Harlemensem, Hieronymo de Boch e vivis sublato, Pseudo-Episcopum, a Petro Joanne Meyndarts Pseudo-Archiepiscopo Ultrajectensi, & ab ejus fictis Canonicis factam, assertique Episcopatus Harlemensis erectionem nullam, inanem, nefariam, illegitimam ac sacrilegam declaravimus, rescidimus, delevimus & abrogavimus; nec ad ipsius Petri Joannis de sua detestabili Pseudo-Episcopi Harlemensis designatione, petitaque a Nobis patrati criminis confirmatione, scriptam Epistolam respondimus; binas nuper Nobis inscriptas & clanculum redditas accepimus Epistolas, alteram quidem ipsius Petri Joannis Meyndarts die 30. Mensis Julii, alteram verò ejusdem Joannis Van-Stiphout die 29. dicti Mensis Julii proximè præteriti hujus anni datas. Hic autem de sua inani designatione & sacrilega Consecratione præscribit; ille vero de nulla a Nobis data responsione primum conqueritur, deinde de eadem abs se facta Consecratione significat, tum causam obtendit, qua adductus, ad tantum scelus paulò citius, demto ternario Episcoporum numero,

Ejusdem Consecratio, & subdolæ Schismaticorum artes.

perfi-

perficiendum devenit, diuturnum scilicet morbum, in quem inciderat; ex quo liberatus, instantissimis plurimorum suorum Symmystarum querimoniis satisfacere coactus fuit, ne Episcopalis successionis ordo istic jamdudum interruptus, & ab Apostolica hac Sancta Sede nunquam post primam interruptionem agnitus, imo semper explosus, in præsentia morte sua abrumperetur. Quamplurimis demum fucatisque verbis uterque suam erga Apostolicam hanc Sanctam Sedem Nosque ipsos observantiam obediantiamque protestantes, incautis illudere videntur.

Pontifex iterum rejicit electionem, Consecrationem damnat, Cõsecratum suspendit.

§. 2. Nos itaque Literas hujusmodi, quæ callida arte conscriptæ, præclaram quidem obsequii reverentiæque speciem præseferunt, re ipsa vero latentes suffusi veneni dolos continent, posthabentes ac penitus rejicientes, pro debito nostræ servitutis supremæque potestatis officio, primùm designationem electionemque ipsius Joannis Van-Stiphout in Pseudo-Episcopum Harlemensem, cum extincti Episcopatus erectione, iterum inanem ac nullam fuisse, esse, ac fore, tenore præsentium Literarum nostrarum, Apostolica auctoritate decernimus & declaramus: quemadmodum, tenore & auctoritate paribus, Consecrationem dicti Joannis Van-Stiphout, minime assistentibus ex præscripto Sacrorum Canonum duobus aliis Episcopis, nullaque Apostolica dispensatione obtenta, a memorato Pseudo-Archiepiscopo Ultrajectino toties omnium Ecclesiasticarum censurarum fulminibus perculso, & ab omni exercitio Episcopalis Jurisdictionis & Ordinis suspenso, contra suprema Apostolicæ hujus Sanctæ Sedis mandata, factam fuisse, esse, ac fore illicitam, nefariam, sacrilegam, & execrandam, itidem decernimus & declaramus; ac proinde ipsum temere nulloque jure Electum Joannem Van-Stiphout omni Ecclesiastica & spirituali jurisdictione pro animarum regimine carere; atque illicite consecratum, ab omni exercitio Episcopalis Ordinis esse suspensum.

Tam ab exercitio jurisdictionis, quàm Ordinis.

§. 3. Mandamus propterea districteque interdicimus memorato Joanni Van-Stiphout, sub pœna Excommunicationis ipso facto sine alia declaratione incurrendæ, ne audeat Pastores, Missionarios, Ministros, aut alios, quocumque nomine nuncupentur, ad Animarum curam & Sacramentorum administrationem quovis etiam necessitatis prætextu, constituere ac deputare. Simul etiam palam edicimus & declaramus, omnes & singulas prædictorum Officiorum deputationes pro Animarum regimine quocumque nomine factas, aut fortasse faciendas, cum omnibus inde secutis, prorsus irritas esse, ac nullius roboris & momenti. Rursus eidem Joanni Van-Stiphout præcipimus & inhibemus, ne, sub simili Excommunicationis pœna, audeat illicite Sacramentum Confirmationis, aut Ordines conferre, aut quoquo pacto Ordinem Episcopalem, a quo suspensus est, exercere.

Ejus communionem vitandam denunciat.

§. 4. Vobis autem, Dilecti Filii, graviter injungimus ac vetamus, ne antedictum Joannem Van-Stiphout pro vero Episcopo Harlemensi habeatis & agnoscatis, neve cum eodem ullo pacto, præsertim in Divinis, communicetis; aut ab ipso, vel ab aliis per ipsum perperam & inaniter deputatis, Sacramenta aut Ordines accipiatis. Noverit enim, qui Ordinibus initiatus ab ipsis fuerit, suspensionis se vinculo constrictum, atque irregularitati præterea obnoxium, si susceptos Ordines exercuerit.

Ordinationes illegitimas fore declarat.

Adhortatio.

§. 5. Reliquum est, ut paternis curis nostris filialis obedientiæ fideique vestræ officia respondeant. Nullum enim jucundius dolori nostro solatium afferri potest, quam ut intelligamus, Vos caute ambulantes, non vocem alienorum audire, sed Pastorem sequi, & domum ædificare supra firmam petram. Ac Vobis, Dilecti Filii, Apostolicam Benedictionem, quam cœlestis præsidii pignus, atque adversus potestates tenebrarum arma & scutum esse optamus, peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 28. Augusti MDCCXLV. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

Dat. die 28. Aug. 1745.

Cajetanus Amatus.

Publicat. eodem die, mense, & Anno.

CXXXVII.

Decreta quædam à Cardinali Patriarcha Lisbonensi edita collaudantur & confirmantur.

Dilecto Filio Nostro Thomæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali de Almeyda nuncupato.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili Noster, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Collaudantur Cardin. Patriar. Decreta.

SINGULAREM voluptatem sensimus, ea pertlegentes, quæ graviter, ac sapienter a Te constituta sunt ac die 12. Martii Anno MDCCXLIII. evulgata, ut omnibus innotescerent: Cognovimus pariter ardentissimum studium, quo tùm Regulares, tùm Sæculares aliosque tuæ Pastorali Curæ commendatos vehementer excitas, ut iisdem mandatis diligenter obtemperent.

Officia Hebd. Maj. de die celebrari.

§. 1. Primo loco præcipis, ut Vespertina Officia, quæ feriâ V. Majoris Hebdomadæ fieri consueverunt in Ecclesiis Sæcularium, ac Regularium, ad certam horam solùm protrahantur; & ipsarum Fores ad mediam horam post Occasum Solis occludantur; nec manè ante pateant, quàm solis Ortus illucescat: Siquidem cognitum, perspectumque habebas ad honestos mores labefactandos causam præberi, cum magna frequentia Virorum, ac Mulierum nocturno tempore in ea templa conveniret; quam sanè veterem consuetudinem ideo Prædecessores tui nunquam improbarunt, quod ii nocturni Fidelium conventus tunc temporis pietatem, ac Religionem solùm præseferebant.

Adorationem SS. Sacramenti de nocte continuari per certas personas.

§. 2. Secundo loco, ne spatio illius noctis Divina Eucharistia Cultu debito careret, sapienter indixisti Viris Ecclesiasticis, eorum Ministris, & Fratribus Sodalitatum, quæ a Venerabili Eucharistiæ Sacramento nuncupantur, ut occlusis Templi foribus, alternatim Christo Domino piè religiosèque obsequantur, qui sub panis specie continetur.

Conciones item horis diurnis haberi.

§. 3. Tertio loco, cum Passio Salvatoris nostri intempestivis horis a Concionatoribus celebrari soleret, ideò pro tua singulari prudentia decernis, ut mane Feriæ VI. Majoris Hebdomadæ hi sermones habeantur, statim ac Evangelium, quod eo die canitur in solemni Officio, absolutum fuerit; ubi verò consuetudo obtinuit, ut nocte ejusdem Feriæ VI. verba faciant Concionatores, alia hora post meridiem ejus diei seligatur, ita tamen, ut Fores Ecclesiæ designato antea tempore observari queant.

Comessationes ab Ecclesiis eliminari.

§. 4. Quarto loco, cum illi, qui Ecclesias adibant Feria V. Majoris Hebdomadæ (quæ Sancta vulgò appellatur) peculiares quosdam cibos secum deferrent, quibus deinde etiam in ipsis Ecclesiis uterentur, ita ut cultum Dei Templo consentaneum, & legem jejunii impudenter violarent; cum, inquam, hanc corruptelam sine magno animi tui mœrore pati ac dissimulare minimè posses, opportuna remedia attulisti, gravissimis sententiis, ac pœnis in eos promulgatis, qui cibos ejusmodi per illos dies venderent, vel ipsos manducare etiam in sacris Ædibus non dubitarent.

Quæ subjiciuntur judicio Summi Pontificis.

§. 5. Hæc potissimùm ex Decretis tuis delibata ob eam causam commemoravimus, ut ipsa diligenter a Nobis perlecta dignoscerès; neque prætermisimus cætera, quæ in iisdem Decretis habentur, nempe vehementem cohortationem, ut Ecclesiis cultus exhibeatur, ne Deus hâc gravissimâ quidem injuriâ atque impudentiâ lacessitus, ad iracundiam concitetur: Postremo cum Decreta hujusmodi probari a Nobis magnopere deposcas, ut nostrâ auctoritate corroborata perpetuò firmentur, & homines faciliùs ad illa observanda inducantur, hoc Tibi responsum faciendum existimavimus.

Vetus Officiorum nocturnorum consuetudo.

§. 6. In primis consentaneum quidem antiquis Ecclesiæ Institutis fatemur, ut noctis tempore Divina Officia celebrarentur: Imperitus enim disciplinæ Ecclesiasticæ prorsus videretur, qui ignoraret, Majoribus nostris per multa sæcula positum in more fuisse, ut nocturnis Vigiliis solemnia Festa, ac Mysteria prævenirent, & canendis Divinis laudibus, sanctisque precibus occupati, noctes integras simul in Templis traducerent. At vero diuturnitate temporis adeo labefactari cœpit hæc pia consuetudo, ut tribus Majoris Hebdomadæ diebus Vigiliæ solùm statuerentur; & ob eam causam Officia illorum dierum (eo quod nocte fieri solerent,) *Matutini Tenebrarum* adhuc nominantur: Vigiliæ quoque permissæ fuerunt ante diem Natalem, & Epiphaniam Domini; Diœceses autem, quæ disciplinæ laude commendantur, *Matutinos Tenebrarum* à nocturnis horis ad postmeridianas traduxerunt; Vigiliis etiam consuetis ante Festum Epiphaniæ, matutinas horas usque ad meridiem subrogarunt; Cum tamen pristinum Ecclesiæ Institutum retinere vellent in Pervigilio Natalis Domini, nempe post mediam noctem rem Divinam conficere, & populum in certas Ecclesias confluentem admittere, cautum diligentissimè fuit, ut corruptelis omnis aditus intercluderetur; & cum difficile id visum fuisset, virtute præstantes Episcopi decreverunt, ut nocte quidem in Ecclesia, sed clausis illarum Foribus, hæc sacra Officia peragerentur.

Quæ utiliter immutata fuit.

Sacræ priorum sæculorum Agapæ.

§. 7. Agnoscimus pariter animi tui consilium ab Ecclesiæ moribus minimè alienum, eoquod coërcendum putaveris illorum intemperantiam, qui sanctissimis Majoris Hebdomadæ diebus in Templa se conferunt, ibique certis quibusdam cibis indulgent. Equidem magnis laudibus prædicantur a Sacris Scriptoribus *Agapæ*, sive honestissima convivia, quæ fideles post acceptam Divinam Eucharistiam pluribus Sæculis inibant, ut mutuæ inter Christianos benevolentiæ publicum testimonium ostenderetur, & certis diebus egentes ac miseri liberali divitum opulentia sustentarentur. Itaque, si ejusmodi convivia plena honestatis, quæque ad charitatem exercendam inducta primò fuerunt, & magnâ cum innocentiâ per longum temporis spatium conservata, penitus abrogare oportuit, ob graves offensiones, & scandala, quæ diminare ex illis cœperunt, ita ut nemo sit, qui non probet Ecclesiæ Decreta, quibus ea convivia de medio auferuntur; nemo sane prudentiam tuam, & consilium non commendabit, qui pravam edendi licentiam ab Ecclesiâ removere ac penitùs eliminare voluisti, cùm præsertim eâ nefariâ intemperantiâ jejunii Leges, sanctissimis etiam diebus frangerentur, quas Majores nostri tantâ severitate, ac religione coluerunt, ut nihil omninò degustarent, & cyathum quoque frigidæ recusarent.

Ob invectos abusus nunc interdictæ.

Plura de his petenda ex Libris SSmi Dñi Nostri.

§. 8. Supervacaneum ducimus ad hæc probanda proferre in medium sacræ antiquitatis documenta; cum satis eruditorum hominum testimoniis confirmentur. Accedit, quod ipsa luce clariùs innotescunt ex iis, quæ Nos ipsi congessimus in quatuor Libros a Nobis magno labore conscriptos *De Canonizatione Sanctorum*, & *in Ecclesiasticas Institutiones*, quas Bononiæ confecimus, cum in illam Sedem (quam nunc etiam retinemus) translati fuimus; Alia pariter argumenta desumi possunt ex aliis nostris *Commentariis in Sacra Jesu Christi*, *Matrisque ejus Festa*, *ac Missæ Sacrificium*, quibus plurima sane addidimus, dum in Summo Pontificatu versamur, & quæ vernaculâ linguâ primum a Nobis exarata, nuper jussu nostro in Latinam conversa fuerunt.

In Sacellis Pontificiis, & in Basilic. Vaticana fit concio post Evangelium.

§. 9. Omittimus verba facere de hora, quam pro habenda concione Dominicæ Passionis statuisti: Idem planè mos ac disciplina jampridem invaluit in præclaris Italiæ Diœcesibus, & in ipsa Vaticana Basilica, ubi Nos in Minoribus positi Theologalem Præbendam obtinuimus: Siquidem Feriâ VI. Majoris Hebdomadæ, post recitatam in Choro Domini Passionem, Concio de ipsa statim instituitur: Idem fieri consuevit in Pontificio Sacello coram Nobis ipsis, Cardinalium Collegio, & reliquis Ordinibus, quibus facultas est in eum Locum conveniendi.

Præmissa Decreta approbantur, & confirmantur.

§. 10. Cum igitur tua Decreta præsentibus Ecclesiæ moribus & Institutis consentanea planè videantur, ea libentissimè adprobamus, & Apostolicæ auctoritatis pondus adjungentes, præcipimus observari penitus, sublatâ quâcunque contrariâ consuetudine, quamvis ad honestum finem inducta fuerit, & longo spatio temporis inveteraverit; Etenim pravum hominum ingenium, & morum corruptela id necessariò requirit, ut de medio tollantur ea, quæ licet initio virtutem præseferrent, labente cursu temporis virtutem ipsam corrumpunt ac labefactant.

Adhortatio.

§. 11. Interea, Dilecte Fili Noster, tuis, ac tuorum precibus Nos vehementer commendamus; & quoniam Vineam Domini Tibi creditam tam feliciter colere susceptisti, ne prætermittas operam ac laborem impendere, ut fructus in diem magis excrescat; ne te deterreant ullæ difficultates, quæ tuis præclaris conatibus objiciuntur; Nos profectò semper ad tutandam Religionem, & morum integritatem paratos invenies: Postremò Tibi Benedictionem Apostolicam, tuoque populo peramanter impertimur.

Dat. die 31. Aug. 1745.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem die XXXI. Augusti MDCCXLV. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

CXXXVIII.

Dierum Festorum de Præcepto, æstivis mensibus occurrentium, reductio, pro nonnullis Locis Regni Poloniæ.

Venerabili Fratri Episcopo Posnanien.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Agrorum cultura Mensibus Æstivis assiduam operam exigit.

NUPER pro parte tua Nobis expositum fuit, quod dilecti Filii Universitates, & homines, necnon Incolæ agrorum præsertim culturæ addicti, istius tuæ Diœcesis Posnanien., propter Cœli rigorem in istis partibus gravissimum, in mensibus potissimum Julio, Augusto, & Septembri ad faciendas messes aliosque Terræ fructus colligendos, & agros in spem futuræ messis præparandos aptioribus, Festos dies de Ecclesiæ præcepto, quamvis inviti, servare minime valeant, ac propterea operum hujusmodi causa, non sine conscientiæ angoribus, debitum Deo in iis diebus cultum negligere coacti, ad Fraternitatem tuam sæpissime confugiunt ut licentiam ipsis impertiaris, qua sibi liceat per eosdem Festos dies, exceptis Dominicis, agros

Dispensatio ab observantia dierum Fest. petitur ab Ordinario.

colere, & servilibus mechanicisque laboribus impune vacare, ne ipsis eapropter non leve damnum, quemadmodum accidit, proveniat; Fraternitas vero tua, ut incommodis hujusmodi tibi bene cognitis aliquo pacto consulatur, Nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Qui ad S. Sedem recurrit.

§. 1. Nos igitur, qui divinum cultum quantum cum Domino possumus promovere, & adaugere debemus, considerantes præmissa omnia, & opportunum, quoad Nobis integrum est, ac salutare remedium hac in parte adhibere cupientes, dictosque Incolas, homines, aliosque culturæ addictos, specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium tantum consequen. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ per præsentes committimus & mandamus, ut veris existentibus narratis, si contingat aliquod Festum de præcepto Ecclesiæ, seu per Synodales ejusdem Diœcesis Constitutiones, per hebdomadas prædictorum Julii, Augusti, & Septembris Mensium extra Dominicas occurrere, eo casu festum hujusmodi, præterquam illud Assumptionis B. M. Virginis Immaculatæ, quod in suo proprio, quo occurrit die solemni cultu celebrari volumus & mandamus, in Dominicam immediate sequentem, seu aliam a Te præscribendam auctoritate nostra Apostolica transferas, illudque in eadem Dominica celebrari facias & cures; præscriptis tamen iis cautelis, quas juxta datam Tibi a Domino prudentiam duxeris esse præscribendas, tam quoad onus audiendi Sacrosanctum Missæ Sacrificium, quam quoad cætera opera servilia exercenda.

Conceditur, Festivitates infra Hebdomadas eorum Mensium occurrentes, ad diem Dominicum transferri.

Excepto Festo Assumptionis B. M. V.

§. 2. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus & Ordinationibus, necnon dictæ Diœcesis, Locorum, Terrarum, Oppidorumque, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogationes.

In Choro, & in Officio nihil innovetur.

§. 3. Cæterum per translationem Festorum hujusmodi non intendimus aliquid innovari tam quoad servitium Chori, quam quoad celebrationem Divinorum Officiorum.

Dat. die 1. Sept. 1745.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die Prima Septembris MDCCXLV. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

D. Cardinalis Passioneus.

Simile Indultum jampridem concessum fuerat pro Diœcesi Vilnen., tali forma conceptum.

UT per tres antedictos menses liceat ipsis ad sua exercenda rusticana opera incumbere, translato in primam Julii Dominicam Festo Visitationis Sanctissimæ Dei Genitricis, & in secundam ejusdem Mensis Dominicam Festo Sanctæ Mariæ Magdalenæ, in tertiam Festo Sancti Jacobi, in quartam Festo Sanctæ Annæ; In Augusto, & Septembri, quæ occurrunt Sanctorum Festivitates, una quælibet in proxima sibi Dominica celebretur; unâ excepta Deiparæ in Cœlum Assumptæ, quæ in suo proprio recurrente die solemni cultu agi debeat. Volumus autem ut in Choro, Divinisque Officiis, nihil innovetur, nec a pristino ritu discedatur, sed ea peragantur in assignatis jampridem diebus. Ii vero, quibus hoc paternæ facilitatis nostræ beneficio utendum est, studeant interno ardentiori animorum obsequio compensare, quidquid externæ celebritatis ipsis imminuere necesse fuit. Quod Fraternitatem tuam strenuè curaturam confidimus &c. Dat. &c. die XVII. Maji 1743. Pont. A. III.

D. Card. Passioneus.

Fructus Censuum, Cambiorum &c. a Communitatibus Ditionis Ecclesiasticæ contractorum ad æquitatis rationem reducuntur. CXXXIX.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Motu proprio &c.

CI è stato riferito da Persone degne di tutta fede, che alcuni de' nostri Sudditi nelle gravi angustie, in cui si sono trovate le Comunità del nostro Stato Ecclesiastico per l'ultimo passaggio ed' accantonamento delle Truppe straniere, che incominciò l'anno 1742.; scordati affatto dell'obbligo, che a ciascuno impone la natura medesima, in vece di sollevare e soccorrere a tutto lor potere la Patria ed il Principato, tratti e trasportati dall'ingordigia di vil guadagno, non hanno avuto rossore di opprimere ed' aggravare maggiormente le Comunità di esso nostro Stato con usure esorbitanti di cinque, sei, sette, e ancora otto, e nove per cento, abusando dell'estremo bisogno, in cui quelle erano di trovar danaro; Anzi taluno di essi nostri Sudditi rivolgendo la commune e pubblica calamità in privato e vergognoso Mercimonio, aver preso da altri danaro a minore interesse, per poi darlo alle sudette Comunità a più gravi, e maggiori usure.

Excessus fructuum conventorum.

§. 1. Quindi è, che volendo Noi da un canto comprimere la soverchia avidità di costoro, e dall'altro isgravare per quanto ci è possibile le sudette Comunità del riferito ingiusto peso; Seguendo l'esempio di parecchi altri Prencipi, e specialmente di Clemente VIII., e del Ven. Servo di Dio Innocenzo XI. nostri glorioſi Prædecessori, i quali per via di legge generale ridussero i frutti de' Censi imposti similmente dalle Comunità, e respettivamente delle Doti, e Compagnie d'Uffizio a quella moderata ragione, che correva comunemente ne' tempi loro: Col parere, e consiglio d' una Congregazione particolare di quattro Cardinali, e sei Prelati, tenuta di nostr'ordine li 30. dello scaduto Agosto sopra il riparto delle spese fatte, e debiti contratti per causa di detto Passaggio ed'accantonamento, dalle predette Comunità: Di nostro Moto proprio, certa scienza, e pienezza nella nostra Sovrana Podestà, ordiniamo e commandiamo, che tutti e singoli Censi creati, ed'imposti, oppur anche Cambj, ed'altri debiti fruttiferi passivamente contratti dal giorno, e tempo, ch'entrarono le Truppe Estere dentro i confini del nostro Stato Ecclesiastico, da qualunque Comunità, e Università di esso Stato, compresevi anche le quattro Legazioni di Bologna, Ferrara, Romagna, ed Urbino, come pure tutti i Luoghi Baronali, (eccettuando solamente la Legazione d'Avignone, e il Ducato di Benevento) oppure da Persone private, ad' intuito però e contemplazione, e con promessa di relevazione di esse Comunità, sopra qualunque sorte di Beni, tanto Urbani, che Rustici in qualsisia Provincia, Città, Terra, Castello, Territorio, e Luogo del medesimo Stato, di qualunque prezzo, valore, qualità, quantità, e denominazione, con qualsivoglia obbligo, eziandio giurato, di Guaren-

Reducuntur ad 4. pro 100.

tigia, o Camerale, in favore di Persone del medesimo nostro Stato, e soggette al nostro temporal Dominio, siano, e s'intendano dal giorno d'oggi in poi creati, imposti, e contratti alla sola ragione di scudi quattro per cento, e non più, come Noi in virtù della presente Cedola di nostro Moto proprio da ora in poi li riduciamo, e moderiamo: Salva però sempre alle medesime Comunità la facoltà di ricomprare li medesimi Censi, come anche con espressa dichiarazione, che rispetto a gli altri Censi, e Cambj, che sono stati imposti, ò contratti a meno del quattro per cento, non s'intenda per questo fatta alcuna mutazione, o innovazione.

Idque respectu subditorum, cujuscumque ordinis &c.

§. 2. In sequela di che vogliamo, e dichiariamo, che le Comunità, e Università suddette Debitrici di dette Persone soggette al nostro temporal Dominio per Causa di detti Censi, ò Cambj, ò altri Debiti fruttiferi da esse Comunità, ò da altri per loro eziandio obbligati come principali, principalmente, & in solido, ò in altro qualunque modo eziandio in forma della nostra Camera Apostolica, per qualunque Scrittura pubblica, ò privata, e con qualsivoglia licenza, e facoltà contratti, non siano tenuti ed obbligati, nè possino essere forzati, e costretti per i frutti da decorrere da oggi in avvenire, che alla sola ragione di scudi quattro per ogni centinajo, ed anno, ancorche li Creditori siano Persone costituite in qualunque dignità Ecclesiastica, ò Secolare, Privilegiate, e Privilegiatissime, cosicchè per la loro Dignità, o altro qualunque titolo, fosse bisogno per comprenderle di speciale & individua menzione; E molto più se fossero (lo che Noi però non vogliamo credere) Chiese, Monasterj, e Luoghi Pii, Cavalieri di qualunque Ordine Militare, anche Gerosolimitani, Compagnia di Gesù, ò Monaci delle Undici Congregazioni, ò altri Regolari, rispetto a' quali li sudetti Contratti sarebbero anche più ingiusti, e vergognosi: Che perciò vogliamo & ordiniamo, che niuno affatto di tali Creditori, che abbia dato, come sopra, danaro ad alcuna di dette Comunità del Nostro Stato, e direttamente, o indirettamente sotto il proprio, o anche sotto nome altrui, a maggior interesse del quattro per cento, resti escluso, ed esente da questa nostra riduzione, e moderazione, per essere così mente, e precisa volontà Nostra.

Decretum irritans, sublatâ &c.

§. 3. E che così da qualunque Giudice Ordinario, o Delegato, eziando Uditor Generale dalla nostra Camera, Uditori di Rota, Chierici di Camera, e Cardinali eziandio Legati a Latere, debba giudicarsi, definirsi, tolta ad essi, e a ciascuno di loro facoltà, ed autorità di giudicare, e decretare altrimente; dichiarando Noi per nullo, irrito, e di niun valore tutto ciò, che da qualsivoglia con qualunque autorità, scientemente, o ignorantemente sarà giudicato, fatto, o attentato contro questa nostra volontà, e disposizione.

Derogationes.

§. 4. Non ostante qualsisia Costituzione, ed Ordinazione Apostolica, Statuto, Consuetudine, Legge, e Natura di qualunque Provincia, Città, Terra, Castello, e Luogo, ancorchè muniti con giuramento, o confermati dalla Santa Sede, Legati de Latere, e Governatori, Obligazioni fatte in qualsivoglia forma eziandio della Camera Apostolica, Sigurtà, Rinunzie, e Giuramenti, Privilegj, & Indulti, e particolarmente quelli di non essere compresi sotto qualunque Legge, e Costituzione, se non essendo specialmente nominati, Regola de Jure quæsito non tollendo, o altra qualunque Regola della nostra Cancellaria, ed altre quali si vogliano, Lettere Apostoliche sì Nostre, che de' Nostri Predecessori sotto qualsisia tenore, e forma, e con qualsivoglia clausole derogatorie di derogatorie, e Decreti irritanti concesse, e pubblicate, anche per via di Legge universale, e anche più volte confermate, ed innovate, in favore di qualunque Chiesa, Collegio, Ordine, Ospedale, Luogo Pio, Congregazione, Università, Città, e Luogo, e Persone di qualunque Preeminenza, e Dignità: Alli quali tutti, e singoli, avendone qui il loro tenore per espresso, e di parola in parola registrato & inserto, per quanto siano direttamente o indirettamente contrarj a questa Nostra riduzione, & all'esecuzione di questa Nostra determinata volontà, e non altrimente &c. in amplissima forma deroghiamo.

Dat. die 7. Sept. 1745.

Dato dal Nostro Palazzo Apostolico di Monte Cavallo questo dì 7. Settembre 1745.

BENEDICTUS PAPA XIV.

CXL.

Sacras Missiones in Diœcesibus Regni Neapolitani frequenter haberi suadetur. Earum directio demandatur Cardinali Spinellio Archiepisc. Neapolitano, cum facultatibus &c.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, & Ordinariis Regni Neapolitani.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Pontificis munus duplex, propagandæ, & conservandæ Religionis.

GRAVISSIMUM Supremi Apostolatûs Ministerium, quod Nobis immerentibus delatum fuit, duo potissimùm requirit: primum nempe ad Sanctam Religionem amplectendam eos Populos adducere, qui illam vel nunquam susceperunt, vel susceptam infortunio misero, funestoque deseruerunt; alterum verò, Religionem ipsam sartam tectam diligenter in iis locis tueri, in quibus integra Divino beneficio conservatur. Porro nomine Religionis non intelligimus ea solum, quæ ad salutem obtinendam necessariò fide tenenda sunt; sed etiam, quæ præstari debent operibus, ut vitam moresque Christianæ disciplinæ consentaneos ostendamus, ac beatissimam in Cœlis felicitatem post hujus vitæ curriculum assequamur.

Utrumque opus ab Apostolica Sede jugiter urgetur.

§. 1. Equidem Romani Pontifices Prædecessores Nostri, ut huic muneri satisfacerent, omni tempore Viros pietate ac doctrinâ præstantes elegerunt, qui Fidem Catholicam in omnes terræ partes disseminarent; quorum exemplis inhærentes, pro tenuitate virium nostrarum, ac temporum difficultatibus, Nos pariter idem Institutum retinuimus. Secundo loco Romani Pontifices omnem curam semper impenderunt, ut morum disciplinam, & sanctitatem labefactatam, ac jacentem in illis Diœcesibus excitarent, ubi solius Episcopi studium, & opera pro re gerenda satis esse non putabantur: Nam vel Apostolicos Visitatores in eas Diœceses miserunt, vel aliis remediis usi sunt, quæ magis idonea viderentur. Idem consilium Nos quoque secuti sumus, quoties Fidelium corruptelæ ad aures nostras pervenerunt, ut negligentiæ notas, cùm ante Supremum Judicem steterimus, quo possumus, studio declinemus. Etenim Vicarios Apostolica auctoritate præditos non semel designavimus, qui Diœceses, ubi opus esset, ad pristinam disciplinam restituerent: Multas Epistolas dedimus peculiaribus Episcopis, vel pluribus simul, vel etiam universis, ad ipsorum sollicitudinem exstimulandam; alia quoque consilia, ac rationes inivimus, quas hic recensere supervacaneum est.

Populorum indigentiæ.

§. 2. Post hæc dissimulare minimè possumus, exploratum Nobis esse, vestris in Civitatibus probos quidem homines versari, sed longè plures inveniri perditas, qui præsertim in montanis locis, & a vestris Sedibus valdè sejunctis, vitam ab omni virtute alienam traducunt; qui si a Fide non aberrant, uti confidimus, corruptis tamen moribus, ac flagitiis, in se concitant Divinam iracundiam, & properant ad sepulchrum, quin antea dignos Pœnitentiæ fructus ostendant.

Quibus remedia comparantur.

§. 3. Equidem veſtram Noſtramque diligentiam id magnopere poſtulat; ne in tam gravi negotio deſides, atque ſocordes non ſine crimine videamur. Quapropter de opportunis remediis diù cogitavimus, ac primùm ad Deum Patrem luminis confugimus; preces quoque noſtras ad Beatam Virginem convertimus, cujus Natalitio die has literas ſcribimus; Deindè vos hortandos cenſuimus, ut ea, quæ ſubjicimus, pro bono veſtrarum Diœceſum, executioni ſtrenuè demandetis.

Miſſionum utilitas experimento probata.

§. 4. Quo tempore Nos ipſi in minoribus conſtituti munus Promotoris Fidei per plures annos exercuimus, cujus eſt, accurato ſemper examine virtutes ac merita illorum perpendere, qui inter Sanctos referendi ſunt; quo etiam tempore per plures annos fuimus a Secretis Sacræ Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, qui pro ratione ſui muneris ſummopere contendunt de medio auferre corruptelas, quæ Diœceſes labefactant; inſuper cum plures Epiſcopos doctrinæ laude, ac pietatis ſtudio præclaros eo temporis ſpatio familiari conſuetudine cognoverimus; ac poſtremo cum Sedem Anconitanam antè Pontificatum tenuerimus, ac deindè in Bononienſem translati (cujus adminiſtrationem cum Summo Pontificatu conjunctam gerimus) in illâ ſupra decennium morati ſimus, diuturnâ experientia edocti perſpeximus, ad improbos mores corrigendos, qui vel ſerpere incipiunt, vel nimis jam invaleſcunt, vel tandem diuturnitate confirmati Diœceſes latiùs occuparunt, nihil magis conferre, quàm alienam opem ac vires implorare, videlicet Sacras Miſſiones ubique indicere, præſertim in iis locis, quæ magis a Civitatibus ſejunguntur.

Eæ in Epiſcoporum adjumentum inſtitutæ.

§. 5. Et profectò Viri Miſſionarii meritò comparantur Joanni Apoſtolo, ejuſque Sociis, qui acciti fuerunt ex aliâ Navi, ut operam ſuam præberent Petro atque Andreæ in Mari laborantibus, itaut non poſſent ob copiam incredibilem piſcium retia deducere, uti conſtat ex Evangelio Sancti Lucæ *cap.* 5., quod Maldonatus his verbis interpretatur; *Debent Eccleſiæ Paſtores, cùm ipſi per ſe aut impoſito, aut ſuſcepto oneri non ſufficiunt, alios, a quibus juvare poſſint, advocare.* Idem prorſus, ante Maldonatum, Janſenius adverterat *in Concordiâ Evangelicâ c.* 25.

Et a Sanctiſſimis Viris promotæ.

§. 6. Cùm Fidei Promotorem egimus, virtutes examinavimus, & res præclarè geſtas a Dei Famulis Juvenali Ancina Salutiarum Epiſcopo, Cardinali Roberto Bellarmino Archiepiſcopo Capuano, Alexandro Sauli primùm Aleriæ, ac deindè Papiæ Epiſcopo, quem Nos ritu ſolemni inter Beatos recenſuimus; ac poſtremo a Sanctis Vincentio de Paulis, & Joanne Franciſco Regis, quos Pontifices Deceſſores Noſtri ritè in Album Sanctorum retulerunt. Itaque, cùm egregia facinora horum præſtantium Virorum expenderemus, apertiſſimè cognovimus, incredibilem gloriam tribus primis eveniſſe in cura animarum adminiſtrandâ, ob eam cauſam potiſſimùm, quod omne ſtudium poſuerint, ut Sacræ Miſſiones in ſuis Diœceſibus aſſiduè peragerentur. Duos autem, quos poſtremo loco nominavimus, charitate erga Deum, & Proximum maximè præditos, ornatoſque deprehendimus; ac potiſſimùm Sanctus Vincentius de Paulis eam certiſſimè probavit, eo quod Miſſionariorum Congregationem inſtituerit, & ipſemet (donec incolumitas corporis permiſit) Miſſiones eaſdem exercuerit. Joannes quoque Regis ſancto charitatis igne conflagraſſe palàm oſtendit, ob ſingularem alacritatem, quâ difficiles & aſperrimos montes adire non dubitavit, ut ignaros Populos Chriſtianâ doctrinâ ac moribus imbueret, & ad bonam frugem traduceret, quoties ab ipſo Epiſcopi, aut ejus Præpoſiti id poſtularent.

§. 7. Illud etiam non ignoratis, in more poſitum eſſe Epiſcopis, ut ſtatis temporibus ad Sac. Congregationem Concilii Tridentini Interpretem de ſuis Eccleſiis referant, earumque ſtatum planè exhibeant. Itaque cum Nos ipſi Secretarii munere fungeremur, quoties in aliqua Diœceſi Miſſiones indictas fuiſſe relatum fuit, toties juſſu Congregationis ejuſdem, vel Summorum Pontificum, hoc conſilium magnopere commendavimus in reſponſis, quæ ad Epiſcopos fieri conſueverunt, eoſque incendere non prætermiſimus, ut laudabiliter inceptum proſequerentur. Non ſemel etiam Epiſcopos redarguere juſſi fuimus, qui pios Miſſionarios non accirent, ut languentem, ſicut ipſi aſſerebant, in Populo pietatem, & in Viris Eccleſiaſticis diſciplinam excitarent, & in utriuſque peccandi licentiam cum ſcandalo junctam coërcerent.

Item a Congr. Concilii ſæpe commendatæ.

Et ab Epiſcopis Regni Neap. frequentatæ.

§. 8. Typis impreſſa eſt hiſtoria rerum geſtarum a Benedicto XIII. de Nobis optimè merito, Nationis veſtræ ornamento, & Beneventanæ Eccleſiæ per plures annos Archiepiſcopo. In lucem pariter edita fuit vita Cardinalis Innici Caraccioli, qui Sedem Averſæ magna virtutis commendatione tenuit, & Epiſcopi de Cavaleriis, qui Troyæ Eccleſiam ſumma pietate, ac ſtudio religionis adminiſtravit. Si vobis antè oculos unquam propoſuiſtis, vel in poſterùm eos libros proponetis, intelligetis profectò, maximos ſibi, Populiſque ſibi traditis fructus eveniſſe ex Sacris Miſſionibus, quas ſuis Diœceſibus compararunt. Nos quidem has hiſtorias accuratè legimus, & magnâ cum voluptate typis evulgata vidimus ea omnia, quæ Viri illi præclariſſimi ſæpius Nobis explicaverant, cùm adhuc in terris verſarentur. Etenim Benedictus XIII. operâ noſtrâ, dum Pontificatum gereret, ſemper uſus eſt; Alios autem, quos nuncupavimus, non ſemel alloqui Nobis opus fuit, eiſque literas dare, quibus eorum negotia expedirentur.

Peculiaris experientia SS.D. Noſtri.

§. 9. Tandem Sacrarum Miſſionum utilitatem ac neceſſitatem Nos ipſi compertam habuimus, quoties illas accivimus in Diœceſim Anconitanam, quo tempore Nobis commendata fuit; & quandiù Bononienſem Eccleſiam Noſmet præſentes adminiſtravimus; Et nunc etiam curamus diligenter, ut eædem Miſſiones quandoque indicantur ab eo, qui juxtà normam, & conſilia a Nobis perſcripta, vices Noſtras obtinuit. Tùm planè agnovimus veritati conſentaneum eſſe, quod Paulus Segneri Societatis Jeſu, Concionatoris, Scriptoris, ac Miſſionarii laude clariſſimus, ſcriptum reliquit, nempe: *Miſſionum tempore tot Concionatores meritò nuncupari poſſe, quot perculſi piis exercitationibus ad Pœnitentiam inflammantur, ſuoque exemplo alios pertrahunt ad eandem virtutem exercendam: Ex illis autem Miſſionibus magis copioſum fructum dimanare; quibus majori frequentiâ populus interſit, eâ prorsùs ratione, quâ ignis magis augetur, ſi plures in unum locum carbones congerantur.*

§. 10. Quocircà neque novum, neque incertum, neque a Nobis excogitatum dici poteſt hoc remedium, quod Populi corruptelis corrigendis proponitur. Antiquum illud eſt, malis curandis aptiſſimum, & fortaſſe unicum, quod tot Epiſcopi pietatis gloriâ inſignes magna cum utilitate ſuis in Diœceſibus adhibuerunt, quod Nos ipſi toties experti ſumus, & Vos etiam, qui procul dubio Populum vobis commiſſum Sacris Miſſionibus aliquando recreaſtis.

Divina gratia implorandа.

§. 11. Sed, ne virtute ſua careat ejuſmodi remedium, preces ad Deum effundendæ ſunt; quippè: *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Deindè ſeligendi ſunt Miſſionarii doctrinæ laude præſtantes, quive Populum diligenter inſtituant. Nam meritò ſuſpicamur, idque non ſine lacrymis ac mœrore ſcribimus, ſuſpicamur, inquam,

Inſtructio Fidelium potiſſimus Miſſionis ſcopus.

plures

plures animas ex illis, quæ Nobis, ac Vobis traditæ fuerunt, ad interitum ruere, eò quod res necessarias *necessitate medii*, ut ajunt Theologi, penitùs ignoraverint. Illi potissimùm Missionarii vocari debent, qui postquam labes & scandala populi certo deprehenderint, ipsorum gravitatem ac turpidinem suis Concionibus ostendant, & vehementer arguere possint. Id constat testimonio Sancti Marci *cap.* 3., ubi Christus eligit Apostolos, *ut mitteret eos prædicare*; Idem etiam desumitur ab Actis Apostolorum *cap.* 6., ubi ipsi prædicationem verbi, tanquam peculiare munus sibi demandatum, testantur: *Non est æquum, nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* Idem S. Paulus docuit 1. ad Corinth.: *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare*: & Epist. 2. ad Timoth.: *Testificor coram Deo & Jesu Christo, qui judicaturus est vivos & mortuos, per adventum ipsius, & regnum ejus, prædica verbum, insta opportunè, importunè.*

Missionariorum agendi ratio.

§. 12. At verò Missionarii suæ vitæ ratione, atque exemplis, Populum ad virtutem incendere debent. *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum*, inquit idem Apostolus ad Titum: Sanctus Lucas *in Actis Apost.* testatum reliquit, quod Salvator Dominus: *Cœpit facere & docere.* Postremò Missionarios Deo se penitùs devovere fas est, nec ullam admiscere cupiditatem inanis gloriæ, vel spem emolumenti, licèt exigui, dum Populis erudiendis incumbunt. Equidem magno fructu cumulatas fuisse accepimus Missiones, quæ peractæ sunt, cùm Sanctus Carolus Borromæus Mediolanam Sedem teneret; Idem nunc etiam contingit operâ ac virtute Oblatorum, quos ille instituit, quique a Sancto Ambrosio nuncupantur: Nam præ cæteris illud perscriptum habent, ne ulli incommodum afferant, & ne ulla causâ vel ratione unquam moveantur, ut aliquid dono accipiant, quemadmodum ab Actis Ecclesiæ Mediolanensis, quæ anno 1599. Typis edita fuerunt *par.* 5. *pag.* 841. clarè deprehenditur. Ad S. Joannem Chrysostomum mentem convertite, qui *in Homiliâ 46. super Matthæum* fatetur, universum terrarum Orbem ab Apostolis traductum fuisse ab errore ad veritatem, a veteri superstitione ad Christianam disciplinam amplectendam, non quod mortuos ad novam vitam revocaverint, sed quia solutum avaritiâ & omni cupiditate animum penitùs habuerint: *Quid est enim, quod eos magnos ostendit? pecuniarum contemptus, gloriæ despectus, ab omnibus vitæ negotiis ereptio; quæ si non habuissent, etsi mortuos suscitassent, non solùm nullos juvissent, sed etiam Seductores æstimati essent.*

Operarii è Civit. Neapolitana suppetent.

§. 13. Civitas Neapolis affluit magnâ copiâ Ecclesiasticorum, qui pietate, doctrinâ, & pro agendis Missionibus experientiâ valde commendantur. Plenæ sunt etiam Virorum hujusmodi, Congregationes Sedis Archiepiscopalis, Patris Pavonis, & Sacerdotum, qui a Sancto Gregorio nomen accipiunt, qui Pii Operarii vocantur, ac tandem non desunt Domicilia Sacerdotum, qui Sancti Vincentii de Paulis institutum dato nomine sequuntur. Messis quidem multa est, sed Operarii sufficient, si ita distribuantur, ut Populorum utilitas atque necessitas postulabit.

Dirigente Opus Card. Spinellio Archiepisc.

§. 14. Adhibitis Dilectum Filium Nostrum Cardinalem Spinellium Neapolis Archiepiscopum, cujus consilio res tota gerenda erit: ob hanc causam literas ad ipsum damus, ab eoque petimus, ut hanc provinciam suscipiat; facultatem quoque tribuimus, ut alios sibi Adjutores in tam gravi negocio assumat, vel illos etiam in suum locum sufficiat; cum Nos minimè lateat, quàm variis curis distineatur, & quot labores subierit, ac in præsentia subeat, ut Vinea Domini diligenter excolatur. Si quis Vestrûm Missiones expetit, ad ipsum Cardinalem Archiepiscopum confugiat, qui Ministros idoneos designabit, ut necessitas requiret: ipsorum numerum constituet, & rationem quoque temporis habebit, quo Sacræ Missiones absolvantur; nam ipse pro suâ sapientiâ satis intelliget, nequaquam uno tempore omnia simul perfici posse.

Cui facultates necessariæ concedantur.

§. 15. Indigent Missionarii facultatibus extraordinariis, quas Nos libenter illis ex thesauro Ecclesiæ conferemus, ut præclarissimum opus ipsi feliciter prosequantur. Eas facultates indicabimus Cardinali Spinellio, ut Missionarii ad illum accedentes, sive ad alium ipsius loco suffectum, facilè obtineant, quæ magis conferre ad Dei Gloriam, & animarum salutem judicaverint.

Quid pro Provinciis Samnii, & Calabriæ.

§. 16. At vero perspicimus difficultates, quæ facilè retardabunt Missionarios, ne ad Samnites, & Calabros iter suscipiant. Attamen, cùm versentur in illis Locis Patres Dominicani, & Societatis Jesu, ipsorum Præpositi Generales jussu nostro Provinciales adducent, ut ex suis Religiosis Viris aliquos eligant, qui Missiones illic exerceant; neque emolumentum percipiant a Clero, sive a Magistratibus Locorum, ubi Missionibus operam præbebunt. Ipsorum nomina ad Cardinalem Spinellium descripta mittentur, ad quem Samnitum, & Calabriæ Episcopi confugient, ut in eorum Diœcesibus rectè Missiones ordinentur, quemadmodum futurum procul dubio confidimus in aliis Diœcesibus, quæ ab Urbe Neapoli non adeò remotæ sunt.

Fiducia de pietate Regis utr. Siciliæ.

§. 17. Sed notam velut inurere videremur eximiæ pietati, & religioni Charissimi in Christo Filii Nostri Caroli Utriusque Siciliæ Regis Illustris, nisi Vos moneremus exposcere ab ipso Rege, ut suam auctoritatem & gratiam, si pro Missionibus operam præbebunt. Ipsorum nomina ad Cardinalem Spinellium descripta mittentur, ad quem Samnitum, & Calabriæ Episcopi confugient, ut in eorum Diœcesibus rectè Missiones ordinentur, quemadmodum futurum procul dubio confidimus in aliis Diœcesibus, quæ ab Urbe Neapoli non adeò remotæ sunt.

Epiſc. præire debent exemplo.

§. 18. Finem his Literis, ne longiusculæ videantur, imponimus, exemplum Sancti Regis Josaphat vestris oculis subjicientes. Sacerdotes, veluti quidam Administri, ipsi Regi victori præibant, qui: *docebant populum in Juda, habentes librum Legis Domini, & circuibant cunctas Urbes Juda, atque erudiebant populum*: *cap.* 17. *lib.* 2. *Paralipom.*: Nec Regi satis fuit uti Sacerdotum opera, sed ipsemet ad Populum Bersabeæ se contulit, & *usque ad Montem Efraim, & revocavit eos ad Dominum Deum patrum suorum*: uti *cap.* 19. describitur. Idem Vobis imitandum constituite; nec solùm per Diœceses Sacerdotes mittite, sed illas Vos ipsi perlustrate, quoties graviora negotia Vobis id permittent: Etenim Populus vestrâ præsentiâ, ac virtute permotus, ad viam Domini capessendam magis incendetur. Si aliquod incommodum ferendum est, Deum facilius hoc pacto commovebitis, ne pœnas exposcat a Vobis, ob negligentiam, quâ Diœcesim aliquandò invisere, & in vestris Sedibus commorari, uti oportebat, omisistis, quod Nonnullis ex Vobis contigisse certò scimus. Verum huic etiam malo in diem gliscenti non deerunt Apostolicæ providentiæ partes. Interim Vestrûm memoriam, Vestrique Gregis, animo nunquam deponemus, quoties ad Altare Rem Divinam operabimur. Vobis etiam, & Vestræ curæ commendatis Populis, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Diœceses visitare, & in iis residere.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem die 8. Septembris 1745. Pont. Nostri Anno Sexto.

Dat. die 8. Sept. 1745.

CXLI.

De Cautelis præstandis in conficiendis Processibus super fama sanctitatis Servorum Dei. De prohibendis Imaginibus Spiritus Sancti sub humana specie depicti. De aliis superstitionibus non tolerandis.

Venerabili Fratri Joseph Episcopo Augustano.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Inquisitiones peractæ super vita & moribus Sororis Crescentiæ.

Sollicitudini nostræ dudum relatum fuerat, in Civitate Imperiali Kauffbura, quam incolunt simul Orthodoxi, ac Lutheranæ professionis sectatores, vitam degere sanctimonialem quamdam, Crescentiam nomine, adeò sanctitatis opinione celebratam, ut assiduus ad eam concursus fieret hominum etiam virtute & genere illustrium. Quapropter, multiplici experimento edocti, inanes aliquando affectatæ sanctitatis larvas obtendi, atque etiam ab animarum Directoribus, ob suos peculiares fines, eosque interdum minus rectos, deprædicari & divulgari; datis ad Fraternitatem tuam Litteris die 17. Maji superioris Anni 1744., Discretioni tuæ commisimus, ut in prædictæ Sororis Crescentiæ vitam & mores inquireres, deque illius agendi rationibus, sive bonis, sive malis, certiores Nos redderes.

§. 1. Quamvis autem ante Litterarum nostrarum adventum, eadem Soror Crescentia extremum diem obiisset; ideoque expirasse dici posset nostra Tibi directa commissio; attamen Fraternitas tua Pastoralis vigilantiæ partes esse judicavit, graves quosdam atque prudentes Viros ad hoc subdelegare, ut in ejusdem Defunctæ mores eam inquisitionem explerent, quam, ipsâ vivente, fieri cupiebamus.

§. 2. Hujus itaque inquisitionis acta, aliaque ad rem pertinentia, unà cum Epistola tua scripta die 24. Maji proxime elapsi, ad Nos allata fuerunt; & Nos quidem Epistolam ipsam statim legimus & perpendimus; ipsa verò acta, aliaque adnexa, Viris expertis tradidimus redigenda in summarium; quod deinde, simul ac per tot alias, quibus distinemur, occupationes & curas Nobis licuit, cum ipsis authenticis actis & documentis conferre non prætermisimus.

Ex Processu nihil eruitur supra communem vitæ probitatem.

§. 3. In his omnibus equidem nihil offendimus, ex quo defuncta Soror Crescentia de affectatæ sanctitatis crimine argui possit. Verùm ex ipsis Testium dictis (etiamsi integra fides iis adhiberetur, nec ulla justa adesset suspicio, eos ad favendum prædictæ Sorori præcedenter instructos fuisse,) illius quidem vitam ad normam probitatis exactam, & gravibus exemptam criminibus agnoscere Nobis visi sumus; nullam tamen heroicam virtutem, nullum signum, sive miraculum ab Omnipotenti Deo, ipsius intercessione, patratum deprehendisse, ingenuè fatemur.

Idea Operis SSmi D. N. De Canonizatione Sanctorum.

§. 4. Non ignotum Tibi esse Opus *De Canonizatione Sanctorum* a Nobis conscriptum, ex Fraternitatis tuæ Litteris intelleximus. In quo Opere elaborando, postquam ultra viginti annos in munere Promotoris Fidei versati fuimus, qualemcumque operam Nostram conferre opportunum duximus; non ut doctrinæ laudem ac nominis celebritatem consequeremur; sed ut certam ac tutam methodum traderemus dirigendi seriem Causarum Beatificationis & Canonizationis, quæ ob varias opiniones Scriptorum, qui in negociis Congregationis Sacrorum Rituum non satis versati fuerant, aliquo modo involuta ac perturbata videbatur; utque omnium oculis pateret, quàm cautè ac diligenter Apostolica Sedes in hujusmodi Causarum examine se gereret.

Caute procedendum in conficiendis Processibus super fama sanctitatis.

§. 5. Inhærendo itaque Regulis in eo Opere expositis, quæ non equidem a Nobis conditæ, aut primum excogitatæ, verùm ex præfatæ Congregationis disciplina collectæ, & in aliorum usum productæ fuerunt, satis agnovisse poterit Fraternitas Tua, hujusmodi Causis initium fieri a conficiendis Processibus propriâ & Ordinaria auctoritate Episcoporum, sive aliorum Ordinariorum Præsulum. His tamen minimè properandum esse in demandanda confectione hujusmodi Processuum; sed expectandum esse congruum temporis intervallum ab obitu illius Dei Servi, sive Ancillæ, de cujus virtutum, aut miraculorum fama inquirendum sibi esse duxerint; neque verò admovendam esse operi manum, nisi præcesserit vera & legitima fama virtutis heroicæ, aut miraculi ad illius Servi Dei intercessionem, sive invocationem, a Deo patrati; Nihil enim frequentius esse, quàm post mortem alicujus fidelis Viri, aut Mulieris, magnam sanctitatis vel miraculorum opinionem in populo oriri, ac potissimùm si ab aliquibus de industria rumor foveatur; quæ tamen opinio, nisi veritate innixa sit, vel ipso temporis lapsu languescere, & interire, vel etiamsi hominum artificiis aliquandiu sustentari pergat, perspicuis tandem Divinæ Sapientiæ consiliis destrui, & confundi consuevit. In conficiendis autem hujusmodi Processibus, præcipuè considerandum esse extremum mortis articulum; in quo nisi aliquid illustre & sanctitate conspicuum se obtulerit, reliquæ omnes inquisitiones supervacaneæ remanent. Denique ubi a Defuncto, vel, ipso jubente & probante, ab alio quolibet, aliquid scriptum fuerit; ne in præfatis concinnandis Processibus inutiliter tempus, aurumque insumatur; ante omnia ad trutinam revocanda esse hujusmodi scripta, ac diligenter investigandum, an aliquid contra Fidei veritatem, aut contra morum integritatem contineant, vel ullam peregrinæ doctrinæ novitatem a communi Ecclesiæ sensu & consuetudine alienam exhibeant.

Quid potissimum observari intersit.

§. 6. Porrò Fraternitati tuæ in procuranda Processus ad Nos transmissi compilatione, non id propositum fuisse putamus, ut Causam Beatificationis Sororis Crescentiæ quandocumque promovendam inchoare volueris. Novimus, potissimum inquisitionis peractæ scopum fuisse, ut de Monialis Defunctæ moribus instructos Nos redderes, & an affectatæ sanctitatis notam meruerit, Nos edoceres. Sed quoniam facilè evenire posset, ut fervente adhuc plurium pio erga illam affectu, enixè a Te postularetur, ut conficiendis Processibus initium fieret; idcirco non inopportunum duximus, præmissa omnia Tibi in memoriam revocare, tutioremque agendi rationem paucis innuere; quum necessarium omnino putemus, per aliquod temporis spatium inquisitiones differri, atque interim observari, quò res evadat; an ullum appareat artificii, humanæque machinationis vestigium; an denique requisitæ conditiones adsint pro inchoandis Processibus ad Beatificationis judicium instruendum profuturis.

De iisdem cautelis.

§. 7. Quod etiam, in casu, de quo agitur, magis expedire censemus; tum quia in collectis nuper plurium Virorum, atque mulierum testimoniis, ut supra diximus, nulla elucet heroicæ virtutis, aut miraculorum probatio, nec in obitu Sororis Crescentiæ splendidum ullum sanctimoniæ indicium apparet; tum quia complura hujus scripta supersunt, quæ ante omnia opus est ad examen vocari. Quod si etiam compilationi Processus Ordinarii, ad inchoandam Beatificationis Causam, locus esset; necessarium planè videretur exactam Instructionem pro recta

illius

illius confectione, juxta ea, quæ in prædicto Opere Noſtro *De Canonizatione* conſcripſimus, hinc ad vos mittere; quum in prædicto Proceſſu Nobis oblato, noſtroque juſſu a peritiſſimis Viris diſcuſſo, animadverſum fuerit, Teſtes in eo inductos turmatim examinatos fuiſſe; nec prævium, ut par erat, jusjurandum præſtitiſſe; cumque non ita, ut oportebat, interrogati fuerint, generalia dumtaxat depoſuiſſe, nihil de peculiaribus actionibus defunctæ Sororis enarrantes.

Imagines Spiritus Sancti ſub humana ſpecie diſſeminatæ.

§. 8. Atque hæc, Venerabilis Frater, ſatis eſſe poſſent, ad accuratam illam, quam de commiſſa Tibi inquiſitione Nobis reddidiſti rationem; nec ulterius progrederetur Epiſtola Noſtra, niſi alia quædam Litteris tuis Nobis indicanda judicaſſes; inter quæ præcipuum locum obtinet, quod ſcribis, de publicatis, latèque diffuſis quibuſdam Imaginibus Spiritus Sanctum ſub ſpecioſi Juvenis forma referentibus, ſubſcriptis verbis: *Veni Sancte Spiritus*: de quibus Imaginibus, ut pote ſtatim undequaque ſparſis, atque multiplicatis, duo potiſſimum inquirenda ſunt: primum, an Soror Creſcentia eas invenerit, vulgaverit, approbaverit; alterum, an (prætermiſsâ indagine de earum auctore) hujuſmodi Iconum uſus, expreſſio, & veneratio, ſive intra Eccleſias, ſive extra illas admitti poſſit.

§. 9. Nos autem de prima quæſtione minimè verba faciemus, eamque intactam relinquemus iis, quibus forſan de virtutibus Sororis Creſcentiæ quandocumque inquirendum eſſe contigerit; ſive agendum fuerit de permittenda introductione cauſæ ſuper ipſius Beatificatione, ſive, introductâ jam Cauſâ, de ipſis virtutibus æſtimandis, & comprobandis.

Epiſcopi prohibitio a Pontifice confirmatur.

§. 10. De altera verò quæſtione dicturi, primùm omnium Apoſtolicum Fraternitatis tuæ zelum, quo hujuſmodi Imagines hùc illùc ſparſas, & per Cœnobium, per Eccleſiam, per Chorum palam expoſitas, auferri, & removeri juſſiſti, laudamus, atque probamus; Te hortantes, immo etiam auctoritate, qua fungimur, Tibi mandantes, ut in ſuſcepto propoſito firmiter conſtanterque perſeverans, nullo pacto permittas hujuſmodi Icones ulteriùs multiplicari; quaſcumque verò ullibi exiſtere compereris, eas omnes & ſingulas de medio tollas; adhibitis iis auctoritatis ſimul, prudentiæque tuæ remediis, quibus optatum finem ſine turba, ac tumultus conſequi poſſe judicaveris.

Divina natura pingi non poteſt.

§. 11. Neminem profecto latet, impium atque ſacrilegum errorem fore, divinæque naturæ injurioſum, ſi quis ſe putaret Deum Optimum Maximum, ſicuti in ſe eſt, coloribus exprimere poſſe. Quum enim illius Imago depingi, atque oculis ſubjici nequeat, niſi tanquam materialis alicujus ſubſtantiæ, corporeâ figurâ & partibus præditæ; ſi quis has qualitates Divinæ Naturæ tribueret, is profecto in Anthropomorphitarum errorem incideret.

Imagines Dei juxta apparitiones in Scriptura relatas licitæ ſunt.

§. 12. Repræſentatur tamen Deus eo modo, eâque formâ, quibus in Scripturis Sanctis legimus ipſum mortalibus apparere dignatum eſſe. Licèt enim id ab Heterodoxis Scriptoribus improbe reprehendatur, inter quos Simonem Epiſcopium vidimus *ſuarum Inſtitutionum Theologicarum lib. 4. ſect. 2. cap. 10.* aſſerentem non licere Deum pingere, ne ſub ea quidem forma, qua ſe hominibus videndum exhibuit; ex noſtris verò etiam, Durandus opinatus fuerit hujuſmodi Imaginum uſum minimè expedire; & Joannes Heſſelius, Catholicus itidem Scriptor, *Catechiſmi ſui lib. 1. cap. 65.*, huic opinioni favere videatur, dum ait innocuas quidem fore hujuſmodi picturas, ſi a doctis tantummodo Viris conſpici deberent; ſed quum ſapientium & inſipientium oculis expoſitæ eſſe debeant, facilè evenire poſſe, ut indoctis per eas malè de Deo credendi occaſio præbeatur.

§. 13. Nihilominus communiter Catholici Theologi aliter docent. Petavius *Theologicorum Dogmatum lib. 15. De Incarnatione cap. 14. ut videre eſt ipſius Operum Tomo VI.*, licitum eſſe demonſtrat, Deum ſub ea forma depingere, quâ ipſum accepimus ſemetipſum conſpiciendum præbuiſſe: *Communi Catholicorum aſſenſu inveteravit opinio, nimirum ut eatenus figurari Deus poſſit, quâ ſub externa aliqua ſpecie aſpectabilem ſe præbuit hominibus.* Molanus doctus auctor, *Hiſtoriæ ſacrarum Imaginum lib. 2. cap. 3.* hanc ipſam ſententiam confirmat: Eandemque quæſtionem duo alii clari nominis Theologi egregiè illuſtrarunt nimirum Suarez *in 3. part. D. Thomæ tom. I. quæſt. 25. art. 3. diſput. 54. ſect. 2. pag. 793.*, & Valentia *tom. IV. ſuorum Operum pag. 384.* Quibus addendi ſunt duo S. R. E. Cardinales, Bellarminus, & Gotti, a Nobis aliàs citati in Opere Noſtro *De Canonizatione Sanctorum lib. IV. part. 2. cap. 20. num. 2.*

Auctoritates Theologorum.

Concilii Tridentini, & Sedis Apoſt. decreta.

§. 14. Imagines Deum ita repræſentantes minimè reprobat ſacra Tridentina Synodus *ſeſſ. 25. De Invocatione, veneratione, & Reliquiis Sanctorum, & ſacris Imaginibus*; ſed Epiſcopis mandat, ut Populos edoceant, per hujuſmodi Picturas erudiri & confirmari Gregem Chriſti *in articulis Fidei commemorandis & aſſiduè recolendis.* Si quis verò privatus hujuſmodi Imaginum uſum opinione ſua reprobare auſus eſt, Eccleſiaſtico judicio damnatus fuit, ut indicat Propoſitio XV. inter damnatas à fel. rec. Prædeceſſore Noſtro Alexandro Papa VIII. die 7. Decembris 1690., quæ ſic habet: *Dei Patris ſedentis ſimulacrum neſas eſt Chriſtiano in Templo collocare.*

Ratio.

§. 15. Et profecto quum in Sacris Litteris legatur, Deum ipſum ſub hac, aut illa forma hominibus ſe videndum exhibuiſſe, cur ſub eadem forma eundem pingere non licebit? *Si ergo litteræ legentibus permittuntur; cum tamen ſacræ Litteræ in maxima veneratione habeantur, cur non etiam Imagines permittentur?* Verba ſunt Alphonſi de Caſtro *lib. 8. adverſus Hæreſes*; quo etiam argumento ſtrenuè uſus eſt Cardinalis de Richelieu in ſuo Tractatu: *De faciliori ratione reducendi eos, qui ſe ab Eccleſia ſegregarunt lib. 3. pag. 439.*

Spiritus Sanctus licitè pingitur I. ſub ſpecie Columbæ.

§. 16. His poſitis principiis minimè dubiis, facilè patebit, qua ratione Imago Spiritus Sancti a Pictoribus efformari debeat, & quænam ipſius Imagines approbari debeant, aut reprobari. In Sanctis Evangeliis a BB. Mathæo, Marco, & Luca conſcriptis, ubi Baptiſmus enarratur, quem Dominus Noſter Jeſus Chriſtus a Joanne accipere voluit, legitur, apertum fuiſſe Cœlum, & Spiritum Sanctum corporali ſpecie, ſicut Columbam, ſuper eum deſcendiſſe. Quod cur factum fuerit, mirificè explicat Dionyſius Alexandrinus in Epiſtola adverſus Paulum Samoſatenum, quæ extat in Collectione Conciliorum Labbei *tom. I. pag. 867.* ita: *Cur verò in ſpecie Columbæ Spiritus Sanctus deſcendit? ſcilicet ut nos doceret, qui miſit illum, quique eum, quem miſit, accepit. Sicut enim Noë dimiſit ex Arca Columbam, & ipſe illam recepit; ad eam ſimilitudinem intelligendum Nobis eſt, ipſius Chriſti eſſe Spiritum Sanctum coæternum, & quod erat ipſius, hoc dediſſe Nobis; dividens, & effundens ſuper omnem carnem credentium, quia Deus eſt & Dominus, qui diviſit Nobis ſuum Sanguinem & Spiritum.*

De ſtatura Columbæ in Jordane viſæ, remiſſive.

§. 17. Non hic opus eſt in eam controverſiam ingredi, quæ inter eruditos Criticos agitur, ſuper illius Columbæ natura. De hac olim egimus in Noſtro Tractatu *De Feſtis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Editionis Patavinæ §. LIV.* qua editione abſoluta, recentiorem quamdam ſuper hoc argumento vidimus Diſſertationem inter *Diſcurſus Hiſtorico-Criticos ad illuſtrationem veteris & novi Teſtamenti* Typis editos *Hagæ Comitum an. 1737. pag. 148.*

Antiquus Ecclesiæ mos pingendi Spiritum Sanctum in specie Columbæ.

§. 18. Quod autem ad præsentem quæstionem attinet, quum Spiritus Sanctus in Columbæ specie olim visibiliter apparuerit; profectò illius Imago sub eadem specie depingi debet. Qua in re vetus Ecclesiæ disciplina nostrorum temporum consuetudini adstipulatur. De ea siquidem testatur S. Paulinus Episcopus Nolanus, qui, sæculo Christi quinto ineunte, in epistola ad Severum, describens Picturas in Basilica S. Petri jam tunc existentes, ita cecinit:

Pleno coruscat Trinitas Mysterio:
Stat Christus Agno, vox Patris Cælo tonat,
Et per Columbam Spiritus Sanctus fluit.

In Conciliis assertus.

§. 19. Pariter Christi anno DXVIII. Antiocheni Clerici & Monachi, in precibus Joanni Patriarchæ, & Synodo adversus Severum congregatæ exhibitis, hæc habent, apud Labbeum *Conciliorum tomo 5. pag. 159. Columbas aureas & argenteas in figuram Spiritus Sancti super Divina Lavacra & Altaria appensas, unà cum aliis, sibi appropriavit; dicens, non oportere in specie Columbæ Spiritum Sanctum nominare:* Damnatus etiam fuit in Concilio Nicæno Secundo habito anno Domini DCCLXXXVII. Xenaias Catechumenus, quum ausus esset asserere, non licere Spiritum Sanctum sub Columbæ forma repræsentare: *Inter cætera autem dicebat, & hoc esse puerilis animi factum, fingere in Columbæ Idolo ter adorabilem Spiritum Sanctum*: ut videre est in Collectione Conciliorum, Regia nuncupata, Parisiis impressa anno 1644. *tomo 18. pag. 458.*, & apud Cardinalem Baronium ad annum Christi 485.

Et ex antiquis monumentis comprobatus.

§. 20. In Opere quoque Italicâ linguâ scripto Philippi Bonarotæ Senatoris Florentini, quod inscripsit, *Observationes in antiqua vitrea vasa*, ex Urbis Cœmeteriis effossa, *pag. 125.* plures afferuntur Imagines Spiritus Sancti, sub Columbæ specie in nobilibus illis sacræ antiquitatis fragmentis expressæ. Cum vero recentiores sectarii, Calvinus, Lutherus, Zuinglius, mox relatum Severi errorem renovare contenderint, neminem latet, quid de illorum deliriis judicaverit; quorum ampla refutatio videri potest apud Gretserum in Tractatu *De Sacris Imaginibus cap. 9.* impresso *in tomo* 17. novissimæ Editionis ipsius Operum.

II. In figura Linguarum Ignis super Apostolos descendentium.

§. 21. Legitur insuper in sacris Novi Testamenti paginis, quòd quum post Christi in Cœlum Ascensionem congregati essent Apostoli & Discipuli, unà cum Maria Matre Jesu, solemni die Pentecostes *apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis, seditque supra singulos eorum; & repleti sunt omnes Spiritu Sancto.* De quo Mysterio fusè egimus in prædicto Opere Nostro *De Festis Domini Nostri Jesu Christi* §. 480. *& sequentibus*, Editionis Patavinæ; ubi *sub* §. 492. docuimus, licere Pictoribus, ad repræsentandum id, quod in solemniis Pentecostes ab Ecclesia recolitur, Apostolos pingere, aliosque cum iis in Cœnaculo congregatos, & flammulas ignis in linguarum figuram è Cœlo demissas, eorum omnium capitibus impluentes; quoniam in sacra Apostolicorum Actuum Historia *cap 2.* refertur, Paraclitum Spiritum Sanctum hoc visibili signo adventum suum ea occasione hominibus manifestasse. Verùm si quis extra hanc occasionem eundem Spiritum Sanctum pingere velit, non aliter ipsum, quàm sub Columbæ forma poterit repræsentare; ut etiam rectè monuit eruditus auctor Ayala in Tractatu, cui Titulus est *Pictor Christianus*, ubi *lib. 2. cap. 3. num. 7.* scribit; *Cum verò Spiritus Sanctus depingendus venit, non alia specie pingendus est, nisi illâ, quâ in Jordane nimirum apparuit, quamque docet Divinus Textus his verbis: Et descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut Columba in ipsum.* In Catechismo autem auctoritate sacri Concilii Tridentini edito, super eo Decalogi Præcepto: *Non habebis Deos alienos coram me*: ubi agitur de pingendis Divinis Personis, hæc habentur: *Columbæ verò species, & linguæ tanquam ignis, in Evangelio, & Actis Apostolorum, quas Spiritus Sancti proprietates significent, multò notius est, quàm ut oporteat pluribus verbis explicari.*

Idque dumtaxat in repræsentatione Mysterii Pentecostes.

§. 22. Quod si dicatur, minimè reprobari, immò libenter admitti usum pingendi Spiritum Sanctum in Columbæ specie; verùm id agi, ut præterea possit sub specioso Juvenis, aut Viri forma repræsentari; Nos contra jure responderi posse contendimus, quod quum aliter non liceat Divinæ Personæ Imaginem humanis oculis intuendam exhibere, quàm sub ea forma, sub qua in Scripturis Sanctis narratur eandem Personam se olim hominibus aspectabilem præbuisse; sequitur inde, non modò licitum esse Spiritum Sanctum, vel die Pentecostes in mystica figura linguarum ignis super Apostolos descendentium, vel aliàs in Columbæ specie, depingere; propterea quòd uterque ejusdem pingendi modus in Divini Textus historia & auctoritate fundantur; sed hoc insuper rectè colligitur, minimè licere, eundem Sanctum sub Adolescentis, aut Viri specie figurare; quum nullibi inveniatur in Divinis Scripturis ipsum sub hujusmodi forma hominibus apparuisse.

Imago Divinæ Personæ Præter formam ab ipsa assumptam, effingi nequit.

Imagines erroris occasionem præbentes, & insolitæ, a Conc. Trid. vetantur.

§. 23. Huic autem rationi addenda est auctoritas sacrosanctæ Tridentinæ Synodi, quæ *loco superius citato*, prohibet, Fidelium oculis exhiberi *ullas falsi dogmatis Imagines, aut rudibus periculosi erroris occasionem præbentes*; & generaliter, ullam insolitam poni, aut ponendam curari Imaginem, tàm in Ecclesiis, quàm in aliis quibuscumque locis, districtè vetat. Imago autem, de qua agimus, præterquamquòd insolita est, impium etiam, atque damnatum a Patribus errorem in animos intuentium revocare posset; eorum videlicet, qui asseruerunt, Divinam Spiritus Sancti Personam humanæ conditionis naturam assumpsisse; de quibus loquitur Sanctus Cyrillus Hyerosolymitanus *Catechesi XVI. tomo 4. Bibliothecæ Maximæ SS. Patrum Lugduni impressæ anno 1677. pag. 523.*, & S. Isidorus Pelusiota *Lib. 1. Epist. 243.* ejusdem Bibliothecæ *Tomo VII.*, præter Auctorem Notarum ad Concilium Constantinopolitanum I. in *Collectione Conciliorum Labbei tomo 2. pag. 976.*

Error, qui ex prædicta Imagine erui posset.

§. 24. Equidem ex Epistola Fraternitatis Tuæ satis intelleximus, hujusce argumenti vim ab iis quoque agnitam fuisse, qui de præsenti quæstione apud te verba fecerunt; qui tamen eam se declinare posse putarunt, adductis exemplis quarundam Imaginum Sanctissimæ Trinitatis, quibus ea sub figurâ trium hominum æqualis, & undequaque similis aspectûs repræsentatur. Id quod alterius disquisitionis occasionem Nobis aperit; ut scilicet examinemus, an liceat Sanctissimam Trinitatem coloribus pingere; &, quatenus id licitum sit, quænam illius Imagines damnatæ sint; quænam haud omnino reprobatæ; quænam demum approbatæ, & permissæ: denique an ex hujusmodi Picturis ullum argumentum trahi possit, ut Imago Spiritus Sancti, de qua nunc agimus, vitio carere ostendatur.

Objicitur exemplum Imaginis SS. Trinitatis sub figura trium hominum æqualium & similium.

Licitum est pingere SS. Trinitatem.

§. 25. Porrò licere Sanctissimam Trinitatem coloribus pingere, communis est Theologorum opinio, quam copiosè propugnant Valdensis, Molanus, Catharinus, Conradus Brunus, Nicolaus Sanderus, Franciscus Turrianus, Suaresius, Vasquez; quos sequitur Theophilus Raynaudus in Libro cui Titulus *Heteroclita Spiritualia Cœlestium, & Infernorum pag. 23.* inter ipsius Opera *Tomo 15.*, ita scribens: *Ex usu Ecclesiæ, & ex consensu potiorum Theologorum, fas est pingere Sanctissimam Trinitatem*, ubi etiam Durandum impugnat inter Scriptores Catholicos contra opinantem. Thuanus quidem *Lib. 18.*

refert

refert Decretum quoddam, cujus Auctorem Espencæum fuisse asserit: *Ut Sanctæ Trinitatis Effigies, tamquam Sac. Scripturæ, Conciliis, & Veterum Patrum testimoniis prohibita, tollatur*; ac reprehendit Decanum Collegii Theologici Parisiensis, Nicolaum Malardum, eò quod hujusmodi Decreto obstitisset. Verùm hac in re Thuani dicta refellit Gretserus *in Thuano Pseudotheologo pag. 57. tom. 17.* novissimæ editionis Ratisponensis Operum ejusdem Gretseri. Christianus Lupus Vir non vulgaris eruditionis *in Notis ad Canones septimæ Synodi cap. 5.*, admittens piam consuetudinem pingendi Sanctissimam Trinitatem, quærit quo tempore eadem introducta fuerit, seque id reperire non potuisse ingenuè fatetur; quod idem Nos quoque, pari sinceritate, professi sumus *Lib. 4. de Canoniz. Sanctor. pag. 2. cap. 20. num. 3.*

Non tamen sub qualibet forma.

§. 26. Illud tamen à Theologis Nostris communiter traditur, minime permittendum esse Pictoribus, ut Sanctissimam Trinitatem qualibet formâ pro ipsorum libito repræsentare audeant: quin adversùs eorum licentiam invehuntur Vasquez *Tom. 1. pag. 676.*, & Cardinalis Bellarminus *Controversiarum tom. 2. cap. 8. de Imaginibus Sanctorum*; qui sic ait: *Notandum non debere ejusmodi Imagines multiplicari, nec tolerandum esse, quod Pictores audeant ex capite suo confingere Imagines Trinitatis; ut cùm pingunt unum hominem cum tribus faciebus, vel unum hominem cum duobus capitibus, & in medio eorum Columbam: ista enim monstra quædam videntur, & magis offendunt deformitate suâ, quàm juvent similitudine*; eademque docet Sylvius *Tom. 4. in tertiam partem Divi Thomæ quæst. 25. art. 3. quæst. 2. pag. 111. editionis Antuerpiæ anni 1714.*

Non in utero Beatissimæ Virginis.

§. 27. Inter reprobatas Imagines Sanctissimæ Trinitatis ea procul dubio recensenda est, quam pluribus insectatur Joannes Gerson *Tomo 3. ipsius Operum Antuerpiæ editorum anno 1706.*, quamque narrat se vidisse in quadam Domo Regularium; ubi nimirum repræsentabatur Deipara Virgo Trinitatem ipsam in utero gerens, quasi verò tota Trinitas humanam carnem ex Virgine assumpsisset. Addit verò Molanus *Historiæ Sacrarum Imaginum lib. 2. cap. 4.* se nunquam satis intellexisse id, quod apud Gersonem legerat, donec hujuscemodi Sanctæ Trinitatis Imagines in Belgio pluribus locis expositas conspexerit; quas quidem se quoque damnare & reprobare profitetur.

Non sub figura hominis tricipitis.

§. 28. Humani corporis figuram tribus capitibus instructam, tamquam Imaginem Sanctissimæ Trinitati repræsentandæ aptam, tueri quodammodo conatur Valentia *Tomo II. ipsius Operum pag. 389.* Verùm super hujusmodi Imaginibus solemne Judicium fel. record. Urbani Papæ VIII. Prædecessoris Nostri prodiisse referunt, Macri in *Vocabulario Ecclesiastico*, verbo, *Icona*, & Episcopus Sarnellus *Epistolarum Ecclesiasticarum Tomo IV. Epist. 13.*, qui testantur prædictum Urbanum comburi jussisse Picturas quasdam, Sanctissimam Trinitatem exhibentes sub specie hominis triplici facie instructi; idque factum fuisse *die 11. Augusti anno 1628.* Sed & longe ante ipsius Urbani, & Bellarmini supra laudati tempora, S. Antoninus *in Summa Theologica part. 3. tit. 8. cap. 4. §. 11.*, ità scriptum reliquit: *Reprehensibiles etiam sunt*, Pictores videlicet, *cùm pingunt ea, quæ sunt contra Fidem; cùm faciunt Trinitatis Imaginem unam Personam cum tribus Capitibus, quod monstrum est in rerum natura.*

An sub figura trium hominũ æqualium & similium, disputatur.

§. 29. Sequitur ut videamus quid sentiendum sit de Imagine Sanctissimam Trinitatem exhibente in Tribus Personis, staturâ, ætate, omnibusque aliis lineamentis omnino æqualibus. Thomas Valdensis suorum *Operum Tom. III. Tit. 19. de Sacramentalibus cap. 151.* hujusmodi Picturam approbare non dubitat. Nec dissentit Molanus *Historiæ Sacrarum Imaginum lib. 2. cap. 3.* Verùm Ayala in aliam abire videtur sententiam, in præcitato Opere *Pictor Christianus lib. 2. cap. 3. num. 8.* de ea Imagine sic loquens: *Aliam alicubi conspeximus pingendæ Sanctissimæ Trinitatis rationem, hanc scilicet: Depingebantur in tabula tres Viri perquam similibus faciebus, æquali prorsus staturâ, & æqualibus atque omnino similibus coloribus, vestibus, ac lineamentis. Non quidem hoc tam absurdè, sed tamen non omnino rectè: etsi enim hac ratione servetur repræsentatio æqualitatis & coæternitatis Divinarum Personarum, deficit tamen Character, & notio, ut ita loquamur, Divinæ Personæ; præterquam quod in his rebus, quæ sunt dignitate suâ gravissimæ, vitanda & fugienda est omnis & quæcumque novitas.*

Argumentũ pro affirmativa ex tribus Angelis Abrahamo visis.

§. 30. Ut autem variarum hujusmodi opinionum fundamenta paullò accuratiùs exploremus, innititur sententia Valdensis apparitioni Abrahamo factæ, quæ *Genes. cap. 18.* refertur, his verbis: *Apparuit ei Dominus in Convalle Mambre sedenti in ostio Tabernaculi sui, in ipso fervore diei*; statimque subjicitur: *Cumque elevasset oculos, apparuerunt ei tres Viri stantes prope eum, quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio Tabernaculi, & adoravit in terram*: Post quæ animadvertere licet, quod Abraham unum tantummodò alloquitur. *Et dixit: Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum*; atque vicissim unus dumtaxat Abrahamo respondet. *Dixit autem Dominus ad Abraham, &c.* In hac itaque apparitione S. Augustinus *lib. 11. de Trinitate cap. 20. tomo 8. pag. 784. Editionis Monachorum Congregationis Sancti Mauri*, agnoscit Sanctissimæ Trinitatis Imaginem; ita scribens. *Cum verò tres Viri sunt, nec quisquam in eis vel formâ, vel ætate, vel potestate major cæteris dictus est, cur non hic accipiamus visibiliter insinuatam per creaturam visibilem Trinitatis æqualitatem, atque in tribus Personis unam eandemque substantiam.* Augustini opinionem amplexi sunt Rupertus *Lib. V. Commentariorum in Genesim cap. 37.*, Suarez *de Angelis lib. 6. cap. 20. num. 10. & sequentibus.* Cornelius a Lapide; & Du Hamel in idem *Caput XVIII. Geneseos*; aliique.

Et ex interpretatione S. Augustini, aliorumque.

§. 31. Sunt tamen, à quibus eadem S. Doctoris interpretatio non recipitur. Prætermissâ siquidem Hebræorum opinione, qui putant, tres illos Abrahamo visos, non alios fuisse, quam Angelos Michaëlem, Gabrielem, & Raphaëlem, quorum primus, Dei partes gerens, venerit, ut inquireret in scelera Sodomæ, & justum in meritam Civitatem supplicium statueret; at reliqui duo, jussu prioris, Civitatem ipsam everterint, Lot vero liberaverint; uti narratur *Sequenti Capite ejusdem Libri Geneseos XIX.*; quam Hebræorum opinionem referentes Tostatus, atque Tirinus, in eandem propendere se ostendunt; ut videre est in ipsorum Commentariis in præmissum Genesis *Caput XVIII.* Sane non pauci ex Sanctis Patribus existimarunt, duos ex tribus, qui tunc Abrahamo apparuerunt, Angelos extitisse, tertium verò fuisse Filium Dei, Secundam nimirum Sanctæ Trinitatis Personam: atque hanc sententiam frequenti expositorum calculo comprobatam, ab ipsa Ecclesia adoptatam fuisse putat Augustinus Calmet; idque deducit ex iis verbis, quæ licet non habeantur in Sacro Textu, in Divinis tamen Officiis leguntur, videlicet: *Tres vidit, & unum adoravit*: Videatur ipse Calmet in præcitatum *Geneseos caput XVIII.*, necnon *Discursus XVII. in idem Caput XVIII. Geneseos*, inter *Discursus Historico-Criticos Theologico-Morales in Vetus, & Novum Testamentum*, Antuerpiæ editos *anno 1736. Tomo II.*

Hebræorum opinio diversa.

Alia SS. Patrum interpretatio.

§. 32. Imagines itaque Sanctissimæ Trinitatis communiter approbatæ, & tutò permittendæ,

Imagines SS. Trinitatis tutò permittendæ.

illæ

illæ sunt, quæ vel Personam Dei Patris exhibent in formâ Viri senis, desumptâ ex *Dan. cap. 7. vers. 9.*: *Antiquus dierum sedit;* in ejus autem sinu Unigenitum ipsius Filium, Christum videlicet Deum & Hominem; & inter utrosque Paraclitum Spiritum Sanctum in specie Columbæ; vel duas Personas modico intervallo sejunctas repræsentant, unam Senioris Viri, nimirum Patris, alteram Christi, medium autem inter ipsos Spiritum Sanctum, in Columbâ, ut præfertur, expressum: *Imagines ergo Trinitatis, quæ ab Ecclesia probantur, sunt illæ, quæ Deum Patrem continent in forma Hominis Senis, in cujus sinu sit Christus, & inter utrumque Spiritus Sanctus in forma Columbæ; vel Imagines, in quibus seorsim Deus Pater in forma Hominis Senis, & seorsim Christus, sed propinqui ambo, & inter utrumque Spiritus Sanctus in forma Columbæ efformentur.* Verba sunt Cardinalis Capisucchi, qui plures annos munere Magistri Sacri Palatii Apostolici laudabiliter functus fuit; *in Controversiis Theologicis, Controv. XXVI. de Cultu Sacrarum Imaginum §. 11. circa finem.* Similia peti possunt ex prædicto Opere Nostro *de Canonizatione Sanctorum lib. 4. part. 2. cap. 20. num. 3.* Et quamvis Molanus loquens de hac ratione repræsentandi Sanctissimam Trinitatem, ac præsertim ubi Christus in sinu Patris, veluti mortuus, depingitur dubitare videatur, an approbari possit, propterea quod Christum mortuum nemini apparuisse legitur; attamen facile dignoscitur quàm levis momenti sit hujusmodi difficultas. Licèt enim Salvatoris nostri mortui nullam apparitionem factam fuisse legamus; mortuus est tamen, & palam in conspectu innumerabilis Populi expiravit. Cur igitur eâ formâ, quâ olim Hierosolymis a tot millibus hominum visus est, depingi nequit etiam in sinu Patris? aut cur sub eadem specie exponi nequit publicæ adorationi Fidelium? Quocirca facilè Molani dubium resolvitur, ut observat etiam laudatus Ayala, supradicto Libro, cui Titulus *Pictor Christianus lib. 2. cap. 3. num. 12.*

De Imagine Christi mortui.

§. 33. His itaque præmissis, quoniam potissimum fundamentum pro sustinenda Imagine Spiritus Sancti sub humana Juvenis specie, in usu prædictarum Tabularum statuitur, quæ Sanctissimam Trinitatem exhibent in tribus Personis, statutâ, vultu, & lineamentis æqualibus; harum verò Tabularum legitimus usus desumitur ex trium Virorum apparitione Abrahamo facta, de quâ *Genesis cap. 18.*; juvat nunc ita ratiocinari. Aut usus pingendi Sanctissimam Trinitatem in tribus Personis undequaque similibus, canonicus est, & in Ecclesia pacificè receptus; sicuti etiam sententia de indicato Trinitatis mysterio in tribus Viris, qui Abrahamo apparuerunt, satis tuta est, & solidis rationibus innixa; aut usus hujusmodi Tabularum, ut nonnulli putant, canonicus non est, nec ab Ecclesia probatus; & relatæ pariter opinionis fundamenta nutant, ut aliqui superiùs citati arbitrantur. Si nec canonicus est usus memoratæ Imaginis, nec opinio de figurato in prædicta apparitione Trinitatis mysterio tuta est, nec solidis rationum momentis suffulta; nequaquam permitti potest, ut super debilibus hisce infirmisque fundamentis tamquam certum stabiliatur, quod licitum sit sub Viri aut Juvenis specie Spiritus Sancti Imaginem exhibere.

Effigies trium hominum similium si approbata non est, frustra allegatur.

§. 34. Quod si usus pingendi Sanctissimam Trinitatem in tribus personis æqualibus & similibus, canonicus esset, legitimus, & ab Ecclesia probatus; atque etiam tutissima foret præfata opinio, quod apparitio trium Angelorum Abrahamo facta mysterium adorandæ Trinitatis significaverit; nil aliud ex his inferri posset, nisi prædictum Trinitatis repræsentandæ modum, hoc est pingendi tres Viros æquali specie, & simili vultu, licitum esse & tolerandum; nunquam verò ex iisdem ritè colligeretur, licere Spiritum Sanctum, seorsim a duabus aliis Personis, humana facie, & sub specioso Juvenis forma depictum exhibere. Nec enim apparitio Abrahamo facta unius Angeli fuit, sed trium; nec ullibi in Sacris Literis narratur, Spiritum Sanctum in forma Viri, aut Juvenis, seorsim a duobus aliis, qui reliquas duas Trinitatis Personas repræsentarent, hominibus apparuisse. Singulas verò Sanctissimæ Triadis Personas non alio modo pingi posse, quàm quo earum quælibet hominum se aspectibus exhibuerit, jam supra a Nobis probatum est; Idemque in Catechismo Romano, *loco superiùs citato*, his verbis traditur: *Nemo tamen propterea contra Religionem, Deique legem quicquam committi putet, cùm Sanctissimæ Trinitatis aliqua Persona quibusdam signis exprimitur, quæ tam in Veteri, quam in Novo Testamento apparuerunt.*

Et etiamsi toleranda sit, non favet. Picturæ, de qua hic agitur.

§. 35. Denique Imago Spiritus Sancti, de qua est quæstio, insolita est, & inusitata in Ecclesia; & consequenter nullo modo recipienda; juxta mentem Sacræ Tridentinæ Synodi supra relatæ, & Conciliorum Provincialium post Tridentinum coactorum, quorum Decreta collegit Thiers in suo Tractatu *de Superstitione tom. 1. lib. 2. cap. 1. pag. 214.*

Quæ etiam, tamquam insolita, rejicienda est.

§. 36. Pingitur Imago Sanctissimæ Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, repræsentando vel Patrem juxta Fidelium, vel Filium in sinu Patris; simulque cum iis, Spiritum Sanctum in Columbæ forma, ut antea diximus. Pingitur & Pater solus, seorsim ab aliis Personis, quoniam vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso audivit Adam, *Genesis cap. 111.*, innixus mysticæ scalæ, visus est Jacob, *Genesis* XXVIII. 13., Moysi quoque miro modo conspiciendum se præbuit, *Exod.* XXXIII. 23., tum etiam Isaiæ, tamquam Rex in Solio sedens, *Isaiæ* VI. 1., & Danieli, veluti senex albo vestimento amictus, *Dan. VII. 9.* Pingitur etiam æternus Filius seorsim a Patre & Spiritu Sancto, quoniam is homo factus, in diebus carnis suæ cum hominibus conversatus est, atque etiam postquam a mortuis resurrexit, non semel Apostolis aliisque manifestus apparuit. Repræsentatur idem Cruci, quam pro Nobis pertulit, affixus: Quam quidem Crucifixi Effigiem nec impius Lutherus è medio tolli posse putavit; & Elisabetha Angliæ Regina nuncupata, Henrici VIII., & Annæ Bolenæ Filia, licèt Sac. Imaginibus bellum indixerit, eam tamen in Regio suo Oratorio retinere voluit; ut videre est apud Bossuetum Meldensium quondam Episcopum *tom. 2. ipsius Operum, Gallico Auctoris Idiomate Venetiis editarum anno 1738. pag. 137. & pag. 460.* Pingi quoque consuevit in forma Agni; atque huic Imagini fundamentum præbet Prophetia Isaiæ, Testimonium Baptistæ, Evangelistarum dicta, Apocalypsis Joannis Apostoli, & Epistola prima Beati Petri; quapropter eandem Salvatoris Nostri Imaginem approbat Hadrianus Pontifex in Epistola ad Tarasium conscripta, quæ lecta est in Synodo septima, *Actione* II.; & vetustissima occurrunt hujusmodi picturarum exempla in Sacris Cœmeteriis, & in Basilicis hujus Nostræ Romanæ Urbis expressa. Pingitur denique Spiritus Sanctus, vel tamquam de Cœlo descendens die Pentecostes in figura linguarum ignis, vel aliàs in Columbæ specie, seorsim pariter ab aliis Divinis Personis; quia sub his figuris factæ sunt ejusdem apparitiones, quarum scriptura meminit; Nusquam verò invenire est in Sacris Literis, Tertiam Personam absque aliarum consortio, in similitudinem Viri, aut Juvenis apparuisse. Quapropter argumenti superiùs expositi vis immota manet; nimirùm quòd etiamsi per tres Angelos Abrahamo visos Divina

De ratione rite pingendi SS. Trinitatem.

Tum Personam æterni Patris.

Item Filii.

Et Spiritus Sancti.

Trinitas repræsentata fuerit, non ideo tamen Spiritus Sanctus seorsim a duabus aliis Personis, humana specie, seu Viri, seu Juvenis, depingi potest.

Suadetur Episcopo constantia in proposito, cum exhibitione Pontificiæ auctoritatis &c.

§. 37. Atque hæc privatis Nostris studiis colligere, & paucis illis subcisivis horis, quæ Nobis ab ingruentibus undique negociis publicis vix supersunt, ut peculiarem Bibliothecam nostram ingredi possimus, præsentibus ad Fraternitatem tuam Literis complecti voluimus; ut initam abs te rationem prohibendi prædictas Imagines Spiritus Sancti, earumque usum & cursum intercipiendi, comprobaremus. Neque porrò dubitamus, quin, pro magna laudis existimatione, quam Tibi peperit egregia tua Apostolici muneris administratio, & pro ea rationum gravitate, cui innititur hujusmodi Imaginum prohibitio, debita mandatis tuis obedientia ab omnibus exhibeatur. Verùm ubi, instigante humani generis hoste, contrarium eveniret, tuum erit de omnibus Nos certiores facere; Nos etenim ministerii Nostri partes esse reputabimus, Apostolicam, qua Deo volente fungimur, auctoritatem interponere, ut & refractarii meritis pœnis afficiantur, & pravæ consuetudines adversus Ecclesiæ institutа ac disciplinam invectæ, penitùs eliminentur.

Item de Imaginibus eorum, quorum cultus non est approbatus.

De aliis superstitionibus divulgatis.

§. 38. Prætermittenda autem non sunt alia quædam, quæ in eadem Epistola tua legimus: spargi nimirum, ac dispensari complures præfatæ Sororis Crescentiæ effigies; necnon coronas precatorias, earumque grana, Cruces, Scapularia, Oleum, Pulverem, Aquam, Manus denique, vel pictas, vel ex ligno effictas, cum pollice inter indicem & medium inserto; existimantibus plerisque de vulgo, prædictas Cruces, & Coronas a Deo benedictas, & Indulgentiis ditatas fuisse; earum verò Manuum simulacra ad fugandos Dæmones plurimùm valere; cum aliis hujusmodi nugis, quæ ab iis disseminantur, qui venditandis hujus generis superstitionibus temporalia sibi lucra comparare student.

Naturalia remedia ad fugandos Dæmones inutilia.

§. 42. Demum quod attinet ad expulsionem Dæmonum a corporibus obsessis, inter plura remedia in eum finem ab Ecclesia recepta, quorum copiosam seriem exhibet diligens Scriptor Martinus del Rio *Disquisitionum Magicarum cap. 2. sect. 3. quæst. 3.*, locum profectò non habet incompositus ille, & parum verecundus gestus, in præfatis manuum figuris expressus. Porrò an Dæmones naturalium rerum virtute a corporibus obsessis expelli queant, Nos etiam disputavimus in sæpecitato Opere *de Canonizatione Sanctorum lib. 4. part. 1. cap. 29. num. 7.* partemque negantem amplexi sumus, cum majori Theologorum numero; quorum auctoritates ibi retulimus; quibusque addi potest Theophilus Rainaudus in Libro inscripto *Theologia naturalis, Tomo V. ipsius Operum pag. 55.*, quem Librum videre Nobis contigit, dum hanc ipsam Epistolam dictaremus.

Disciplina Ecclesiæ in exorcismis servanda.

§. 43. In exorcizandis energumenis, illud potissimùm interest, ut ante omnia dignoscatur, an revera obsessus sit a Dæmone is, qui talis esse affirmatur; ubi verò ita esse constiterit, eligatur ab Ordinario Sacerdos perspectæ pietatis, vitæ integritatis, atque prudentiæ; hic autem ad expellendum Dæmonem, non quidem pictâ, vel ligneâ Manu, aliisve ineptis hujusmodi nugis utatur; sed præscriptas in Rituali Romano regulas adamussim servet. Magnus ille Mediolanensis Antistes S. Carolus Borromæus, quum rectam ac tutam exorcizandi rationem in Libro a se probato tradidisset, in quarta Diœcesana Synodo a se habita anno 1574. *Decreto 18.*, prohibuit, ne quis, occasione oblata, aliis quibuscumque exorcismis, precationibus, aut ritibus uteretur, quàm quæ haberentur in prædicto Libro; *cui nihil ab eo*, nimirum ab exorcizante, *addi, detrahi, ac ne mutari quidem fas sit.* Postmodum verò a recol. mem. Paulo Papa V. Prædecessore Nostro, anno Domini 1614., publicatum fuit Rituale Romanum, in quo adest peculiaris Titulus *de exorcizandis Obsessis.* Ac fel. record. Prædecessor pariter Noster Clemens Papa XI. in quadam Epistola Encyclica data die 21. *Junii* 1710. districtè mandavit, ut nemo exorcizans a normâ in prædicto Rituali Romano præscriptâ ulla ex parte discedere præsumat.

Prudentia Episcopi commendatur.

§. 39. Et quidem ex eadem Epistola tua optime agnoscimus, Tibi satis consilii, & prudentiæ in temetipso esse, ad rectum de hujusmodi rebus judicium ferendum; nec aliud Nobis reliquum esse videtur, quàm ut Fraternitatem tuam hortemur, ut, quam ingressus es viam, insistere pergas; ineptæ nimirum, quæ diximus, deliria non approbando, sed fidem auctoritatemque omnem iis derogando.

De Indulgentiis falsò jactatis, judicium S. Sedis.

§. 40. Ut tamen circa similia Apostolicæ hujus Sedis sensum atque judicium agnoscas, consilio judicioque tuo per omnia consentaneum; notum Tibi esse volumus, fuisse olim piam Dei Ancillam, nomine Joannam a Cruce, magna Sanctitatis fama illustrem, cujus vita conscripta est ab Antonio Daca. Ferebatur in vulgus, quædam Coronarum precatoriarum grana, ipsius intercessione a Jesu Christo benedicta fuisse, pluribusque aucta Indulgentiis. Verum hujusmodi Indulgentiæ ab hac Sancta Sede apocryphæ declaratæ fuerunt, quemadmodum videre est apud præcitatum Thiers *de Superstitione tom. 2. cap. 12.*, qui etiam refert Decretum de iis prolatum anno 1678. a Congregatione S. R. E. Cardinalium Sacris Indulgentiis præpositâ, eodem *tom. 2. cap. 12. pag. 17. & sequentibus;* & signanter *pag. 25.* Cumque introducta esset Causa de illius Ancillæ Dei Beatificatione, & ob ejusdem præclara merita, eò usque feliciter processisset, ut jam ab Auditoribus Rotæ confectæ esset ipsius Relatio, juxta morem eâ ætate vigentem; quum deinde eadem Causa post Decreta Urbani Papæ VIII. reassumenda esset, citò consepulta remansit, propter excitatas objectiones ex præfatis granis benedictis, & prætensis Indulgentiis eisdem adnexis desumptas; ut ostendit Pontificium Decretum anno 1664. editum, & a Nobis relatum in *Opere de Canonizatione Sanctorum lib. 2. cap. 36. num. 18. Editionis Patavinæ;* præter ea, quæ in Regestis Congregationis Sacrorum Rituum adnotata reperiuntur, quæque eo loci in medium afferre oportunum non duximus.

Collaudatur Episcopi cura in Sacris studiis fovendis, & promovendis.

§. 44. Præclarum tandem Fraternitatis tuæ propositum, Nos satis pro merito commendare & collaudare non valemus; quòd scilicet scribis, operam Te daturum, ut in Clero regimini tuo commisso, unà cum Religionis ac Pietatis cultu, Sacrarum Literarum studia conserventur, atque in dies incrementum accipiant, additis ad Theologiam Scholasticam, Ecclesiasticæ Historiæ, & Canonicæ Jurisprudentiæ disciplinis. Sanè hoc Tibi non exiguam in præsentia laudem, perennem verò in Ecclesiæ monumentis nomini tuo gloriam comparabit; quodque pluris est, ingens apud Pastorum Principem meritorum pondus tibi acquiret. Nec illud prætereundum est, quod si Clerum ita instructum, sanaque doctrinâ eruditum habueris, non ita facile te hujusmodi molestiis vexari continget, quales nuper ex tuis Literis intelleximus, animum tuum veritati & Ecclesiasticæ

Disci-

Disciplinæ integritati inhærentem fatigasse. Interea Fraternitatem tuam sincero caritatis affectu complectimur, ac Tibi, totique Gregi tibi concredito, Apostolicam Benedictionem impertimur.

Dat. die 1. Oct. 1743.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die prima Octobris MDCCXLV. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

CXLII.

Privilegium Fori, & Conservatoriæ, Scholaribus, Professoribus, Doctoribus, aliisque *Universitati Avenionensi* addictis, asseritur: Primicerii, & Judicum Conservatorum Jurisdictio præfinitur.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium ab amore Pontificis erga literas, & scientias.

Bonarum artium ac scientiarum studia, quibus & mentes hominum, depulsâ ignorantiæ caligine, illustrantur, & mores a vitiis semoti, ad virtutem traducuntur, plurimum semper ad Ecclesiæ utilitatem & optimum Reipublicæ statum conferre judicantes; ea Nos quidem omni tempore pro viribus excolere, & juvare curavimus; præcipuè verò ex quo Romanam Cathedram salutaris doctrinæ ac veritatis magistram, Deo vocante, conscendimus, singulari favore prosequi, ac Pontificiæ auctoritatis præsidio tueri & promovere non destitimus; non modo in hac Nostra Romana Curia & Urbe, verùm etiam in aliis Christiani Orbis Civitatibus & Provinciis, ac potissimum in iis, quæ sub immediato Nostro & S. R. E. dominio degunt.

Avenionen. Universitatis decora & merita.

§. 1. Eapropter insignem Universitatem Studii generalis in Civitate Nostra Avenionensi existentem, quæ a recol. mem. Prædecessore Nostro Bonifacio Papa VIII. inibi erecta & instituta, pluribus aliis Studiorum Universitatibus antiquitatis vetustate, & Pontificiæ fundationis prærogativa antecellit; scientiarum verò gloriâ, & clara præstantium Virorum famâ, tam eorum, qui successivo ætatum decursu Professoris munus in eadem obtinuerunt, quàm eorum, qui disciplinarum Studiis in ipsa imbuti, Ecclesiasticis, Publicisque muneribus & dignitatibus præclarè gestis, aut utilibus editis Libris, egregiam Ecclesiæ, Reipublicæ, aut Literariæ rei operam navarunt; ac potissimum intemeratæ doctrinæ integritate, & constanti erga Apostolicam Sedem devotionis studio; cum cæteris omnibus per Orbem Universitatibus jure comparari potest; peculiarem sollicitudinis Nostræ curam promereri existimavimus; ut quæ ex Apostolica plurium Prædecessorum Nostrorum liberalitate Privilegia & jura eidem concessa dignoscuntur, auctoritate quoque Nostra stabiliantur & confirmentur; sublatisque dissidiis & controversiis, certam atque inviolabilem formam per opportuna providentiæ Nostræ consilia tandem accipiant.

Privilegium Conservatoriæ, & habendi Judices particulares.

§. 2. Sanè inter alia Privilegia, favores, & gratias, quibus plures, ut præfertur, Prædecessores Nostri Romani Pontifices prædictam Universitatem Avenionensem respective cumularunt, Privilegium quoque Fori seu Conservatoriæ eidem Universitati, ejusque Primicerio, Magistris, Doctoribus, Licentiatis, Baccalaureis, Scholaribus, & Ministris concessum, certique Judices Conservatores, & jurium prædictæ Universitatis, ac Personarum eidem aggregatarum & addictarum Defensores, cum diversis facultatibus, auctoritatibus, & jurisdictionibus, deputati dignoscuntur.

§. 3. Dudum siquidem, ut accepimus, recol. mem. Prædecessor Noster Joannes Papa XXIII. per quasdam suas Apostolicas Literas datas apud Sanctum Antonium extra muros Florentiæ VIII. Idus Septembris Pontificatus sui Anno IV., hujusmodi Privilegium Fori seu Conservatoriæ, prædictæ Universitati, ac personis, ut supra, eidem adscriptis, pro defensione & conservatione bonorum tam mobilium, quam immobilium, & jurium eidem Universitati, ac præfatis Personis conjunctim seu divisim competentium, contra quoscumque, in amplissima forma concessit & indulsit; ideoque Abbatem Sancti Andreæ, & Præpositum Majoris, ac Decanum Sancti Petri Avenionen. Ecclesiarum, hujusmodi bonorum & jurium Conservatores & Defensores, atque etiam Judices in omnibus & quibuscumque Causis & Controversiis super iisdem motis & movendis, etiam ex tunc coram alio quolibet Judice cœptis & contestatis, cum latissimis facultatibus ibidem expressis, dedit & deputavit. Idemque per alias similes Literas, sub ejusdem diei data expeditas, aliud Privilegium de non evocandis coram alio quocumque Judice Ordinario vel Delegato, ejusdem Universitatis Magistris, Doctoribus, Licentiatis, Baccalaureis, & Scholaribus in ea degentibus, quacumque de Causa, tam Civili, quàm Criminali, & qualibet actione, reali, vel personali, dum tamen Conservatores dicti Studii ipsis in prædicta Civitate Avenionen. justitiam ministrarent, concessit pariter & indulsit. Id quod a piæ memoriæ Sixto Papa IV. per similes Apostolicas Literas datas Anno Domini MCCCCLXXIX. 15. Kalen. Septembris, & die 28. Maji Anni MCCCCLXXXIV., cum opportunis clausulis, & derogationibus confirmatum extitit, & innovatum: Ac deinde a fel. pariter rec. Innocentio Papa VIII. per suas Anno Domini MCCCCLXXXV., aliasque Anno MCCCCLXXXVIII. pridie Idus Decembris expeditas Literas, pari Apostolica auctoritate roboratum fuit, ac de novo concessum; cum omnium actorum adversus hujusmodi Privilegia postmodum factorum, aut exinde faciendorum annullatione & irritatione, prout in singulis dictorum Prædecessorum Nostrorum Joannis, Sixti, & Innocentii Literis plenius & uberius continetur.

A Jo. XXIII. primitus concessum.

Et de non evocâdo &c.

Cõfirmationes Sixti IV. & Innocentii VIII.

§. 4. Postea verò recol. mem. Prædecessor pariter Noster Leo Papa X. per suas Apostolicas Literas Anno MDXIII. 5. Nonas Martii datas, inter prædictæ Universitatis Conservatores, ut supra, deputatos, ejusdem Primicerium pro tempore, utpote ipsius Universitatis Caput, dummodo Clericus existeret, perpetuò adjunxit, & pariformiter deputavit, cum omnibus facultatibus, jurisdictione, præeminentiis, & prærogativis, eisdem Conservatoribus aliàs concessis; cui quidem Primicerio parem jurisdictionem, auctoritatem, præeminentiam, & prærogativam in Doctores, Licentiatos, Scholares, & alios dictæ Universitatis suppositos attribuit, ac Priores seu Rectores Universitatum Studiorum Italiæ & Galliæ in earum Doctores, Licentiatos, Scholares, & alios sibi suppositos, tam de jure communi, quàm speciali, haberent, & habere soliti essent; itaut dictus Primicerius, ejusmodi jurisdictione etiam per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque juris remedia, ad instar aliorum Conservatorum & Priorum, seu Rectorum prædictorum, respective uti posset & valeret; necnon Magistratibus dictæ Civitatis Avenionen., & cuilibet eorum, Apostolica Auctoritate inhibuit, ne eumdem Primicerium ab exercitio dictæ jurisdictionis in personas eidem Universitati addictas, quoad primam Causarum cognitionem, quovis modo impedirent.

Leo X. Primicerium adjungit Judicibus Conservatoribus.

§. 5. At

§. 5. At verò considerans, quod Primicerius prædictus non semper Clericus, sed ut plurimùm Laicus de Collegio Doctorum dictæ Universitatis singulis annis eligebatur; prædictæ verò Universitati nedum Laici, sed etiam majori ex parte Clerici, & Religiosi, & Exempti, subjecti existebant, idem Leo Prædecessor Anno proximè sequenti MDXIV., per alias suas Apostolicas Literas, eisdem Primicerio & Doctoribus tunc existentibus, & pro tempore futuris, licentiam concessit & facultatem, ut cùm Virum Laicum in Primicerium eligi contigisset, alium aliquem Doctorem de eodem Collegio Clericum eligere ac deputare possent, qui vice & loco ejusdem Primicerii Laici, donec ipse in Officio hujusmodi existeret, jurisdictionem prædictam exerceret, & aliàs, prout in utrisque memoratis Leonis Prædecessoris Literis latiùs exprimitur.

Controversiæ super limitibus Jurisdictionis, & Privilegii.

§. 6. Licet autem hujusmodi Privilegium Fori seu Conservatoriæ, prædictæ Universitati ac Personis eidem addictis ita, ut præfertur, concessum, & confirmatum, à præfatis temporibus ut plurimùm servatum fuisse, memoratamque jurisdictionem à Primicerio, seu alio Conservatore in ejus locum electo & subrogato, multimodè exercitam fuisse constet; attamen plures lites & controversiæ circa ejusdem Privilegii & prædictæ Jurisdictionis respective limites, excitatæ, & coram diversis Judicibus, potissimum verò coram Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, pluriès & vario eventu discussæ & agitatæ fuerunt: dum eadem Congregatio, quæ primò, & usque de Anno MDXCVII., fuerat in sensu, hujusmodi Privilegium competere dumtaxat iis Doctoribus, qui in Universitate prædicta legendi munere fungerentur, iisque Scholaribus, qui actu ibidem Studiis operam darent; postmodum verò, cognitis specialibus Indultis eidem Universitati, ut præfertur, ab Apostolica Sede concessis, Anno MDXCIX. declaravit, ab

Resolutio Cong. Conc. anno 1597.

ejusmodi Conservatoriæ beneficio minime excludendos esse alios Doctores, qui licet actu munus legendi in Universitate non obirent, in ipsa tamen Avenionensi Civitate commorantes, alia ipsius Universitatis munera sustinerent: Quapropter Avenionensi Archiepiscopo, & Vice-Legato per Literas commisit, ut dispiceret, quinam Doctores essent, qui revera prædictæ Universitatis munia obtinerent & actu exercerent.

Alia de anno 1599.

§. 7. Hujus autem Commissionis vigore, cum tunc existens Archiepiscopus Avenionen. bo. me. Joannes Franciscus Bordinus, qui unà simul Apostolici Vice-Legati partes gerebat, demandatum sibi examen expleviſſet; duas sub die IV. Decembris ejusdem anni MDXCIX. sententias tulit, per quas pronunciavit, omnes Doctores in prædicta Universitate Laureatos, Avenione commorantes, tam Collegio aggregatos, quàm non agregatos, ejusdem Universitatis munia exercere; proindeque omnibus hujusmodi Doctoribus prædictum Conservatoriæ Privilegium æquè competere; & consequenter Jurisdictionem Primicerii, sive Conservatorum, ad omnes Doctores prædictos, eorumque Causas, extendi: Super quarum Sententiarum viribus, & executione, octoginta fermè annorum spatio, nulla mota fuit controversia.

Sententiæ Archiepiscopi Avenionen. favore Universitatis.

§. 8. Verùm cum de Anno MDCLXXIX. apud eandem Cardinalium Congregationem promota fuerit Instantia pro prædictarum Sententiarum declaratione, & infrascripta proposita Dubia. Primum: *An ii, qui gradum susceperunt in dicta Universitate, & Causas patrocinantur in Civitate Avenionensi, intelligantur exercere, & obire munia Universitatis.* Secundum: *An Doctores Collegio aggregati, qui cæteroquin non exercent munus aliquod particulare, & necessarium Universitatis, intelligantur munera Universitatis obire.*

Resolutio Cong. Conc., excludens Doctores non aggregatos.

Eadem Congregatio die XII. Augusti, in contumaciam, ut fertur, ipsius Universitatis, rescripsit ad Primum *Negativè*; ad Secundum distulit Resolutionem. Cujus tamen Decreti vis & executio suspensa fuit speciali Rescripto Venerabilis memoriæ Innocentii Papæ XI. Prædecessoris Nostri, qui eandem Causam & Controversiam eorundem Cardinalium Congregationi ex integro cognoscendam, &, ipsa Universitate audita, sub generali Dubio: *An & qui Doctores vigore Indultorum gaudeant prætensis Privilegiis*; decidendam remisit.

Innocen. XI. suspendit executionem; & Causam ex integro revidendam committit.

§. 9. Dilato tamen per aliud octoginta circiter annorum lapsum hujusmodi examine, atque interim præfatis omnibus Doctoribus, in supradicti Privilegii, Primicerio autem, & Conservatoribus in memoratæ Jurisdictionis exercitii pacifica possessione, seu quasi, ut accepimus, remanentibus; tandem Anno MDCCXXXVIII. pro parte tunc existentis Auditoris Generalis Curiæ Legationis Avenionensis, præsentatum fuit Primicerio & Conservatoribus prædictis Monitorium à Causarum Curiæ Cameræ Nostræ Apostolicæ Auditore Generali expeditum, super executione supradictæ Resolutionis Anno MDCLXXIX. à Congregatione Concilii editæ. Verùm attento, quod Causa hujusmodi ab Innocentio Prædecessore præfato jamdudum, ut supra diximus, ad eandem Congregationem ex integro remissa fuerat, præfatum Monitorium Decreto bon. mem. Cardinalis Marcelli Passari tunc Pro-Auditoris san. mem. Decessoris Nostri Clementis Papæ XII.; moderatum extitit, & Causa ipsa iterum remissa fuit ad eandem Congregationem Concilii; In qua, utrâque Parte jura sua deducente, & propositis quinque Dubiis, tam super Personis, quibus præfata Privilegia competerent, quàm super qualitate Causarum, ad quas Primicerii & Conservatorum prædictorum Jurisdictio se extenderet, necnon super hujusmodi Jurisdictionis privativa, die XI. Martii Anni MDCCXLI. à Venerabilibus Fratribus Nostris prædictæ Congregationis Cardinalibus talis capta fuit resolutio, per quam & omnes Doctores ipsius Universitatis Collegio non aggregati, etiamsi Causas in Civitate Avenionensi patrocinarentur, & ii quoque ex aggregatis, qui cæteroquin aliquod munus particulare, & necessarium prædictæ Universitatis non exercerent; ipsique Lectores, aliique Universitatis munia exercentes, hujusmodi exercitio finito; à prædicti Privilegii beneficio excluſi fuerunt; & Primicerii, atque Conservatorum Jurisdictio restricta fuit ad Causas tantummodo Civiles, in quibus ii, qui Privilegio gaudere deberent, essent Rei conventi; ita tamen ut in iisdem Causis, de ipsorum Privilegiatorum consensu, aliorum quoque Judicum Jurisdictio posset prorogari.

Recens controversia de an. 1738.

Novissima Resolutio Congregationis Universitati contraria.

§. 10. Et Nos quidem hujusmodi Resolutionem per Nostras in forma Brevis Litteras Apostolicas confirmare, cum clausula tamen, *Salva in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis*, minimè recusavimus. Verùm cum deinde pro parte Primicerii Universitatis prædictæ, aliorumque Judicum Conservatorum, & ipsius quoque Civitatis Avenionensis, porrecta Nobis fuerit Commissio, per quam humiliter petebatur, ut prævia, quatenus opus esset, aperitione Oris adversus prædictas Nostras Litteras in forma Brevis, cognitionem hujusmodi Causæ iterum eidem Congregationi Concilii, quæ procederet cum Voto Rotæ, committere dignaremur; Nosque de hujusmodi Commissione, & petita remissione, in Signatura Gratiæ coram Nobis habenda deliberare statuissemus; dum, prævios studios, totam hujus Causæ summam, ejusque merita distinctiùs animo concepissemus, animadversis ampliſſimis Prædecessorum Nostrorum Privilegiis suprà relatis, necnon

Confirmatur per Breve.

Instatur pro nova Causæ revisione.

1745.

diuturna poſſeſſione, ſeu quaſi, quæ pro eorundem executione tam Primicerio & Conſervatoribus præfatis, quàm Doctoribus, aliiſque Perſonis dictæ Univerſitati adſcriptis reſpectivè favere dicebatur; Attendentes quoque exemplum ſan. mem. Benedicti Papæ XIII. Prædeceſſoris pariter Noſtri, qui ad aſſerendum prædictæ Univerſitatis decorem, per ſuas Litteras Apoſtolicas datas die XVII. Septemb. Anni MDCCXXVIII. (quas etiam Nos ipſi approbamus, & confirmamus, cum conditionibus & clauſulis ibi latiùs expreſſis) decrevit & declaravit, ipſius Univerſitatis Primiceriatum tam de præterito, quàm in poſterum eſſe & fuiſſe, conſtituere & conſtituiſſe Titulum primordialem veræ Nobilitatis ad deſcendentes tranſmiſſibilem, & ad omnes & quoſcumque effectus allegabilem; ac dignum, & congruum reputantes, prædictæ Univerſitatis, de Apoſtolica Sede, ac de litteraria Republica optimè meritæ, Jura, Privilegia, & ornamenta, Noſtris temporibus augmentum potiùs, quàm detrimentum accipere, nec, diuturniori concertatione permiſſa, in dubium atque diſcrimen adduci; aliquam viam atque rationem excogitandam Nobis eſſe duximus, qua & ejuſdem Univerſitatis, ac Primicerii, Conſervatorum, aliarumque Perſonarum prædictarum indemnitati, & ſimul Auditoris Generalis Curiæ Legationis Avenionenſis, Miniſtri Noſtri, aliorumque Judicum à Nobis & ab hac Apoſtolica Sede in ea Civitate deputatorum, juribus & jurisdictioni conſultum foret.

Primiceriatus importat Titulum Nobilitatis tranſmiſſibilis, &c.

Pontifex deliberat de extinctione litis.

§. 11. Quocirca in prædicta Signatura Gratiæ coram Nobis habita die XII. Januarii proximè elapſi, reſponſum interim dedimus, quod *proviſum foret in Camera*: deinde verò negocium hoc univerſum examinandum commiſimus Dilecto Filio Magiſtro Clementi Argenvillers Auditori Noſtro, cujus prudentia & conſilio res tota feliciter explicata fuit. Pervento ſiquidem ad Urbem Dilecto Filio Joſepho Teſta Juris Utriuſque Doctore in eadem Univerſitate Avenionenſi aggregato, & publico Profeſſore, à Dilectis Filiis ipſius Univerſitatis Primicerio, & Collegii Doctoribus, ad hoc negocium tractandum ablegato, eoque, ſimul cum prædictæ Univerſitatis, aliiſque ex adverſo Patronis & Defenſoribus, coram præfato Magiſtro Clemente Auditore non ſemel convenientibus, nonnulla capita concordata & communi Partium conſenſu laudata fuerunt; quæ deinde Nobis exhibita, cùm rationi, & honeſtati conſentanea, & tam Auditoris præfatæ Curiæ Legationis, quàm Primicerii & Conſervatorum prædictorum, Juriſdictioni, atque ipſius Univerſitatis Privilegiis conſervandis, & certo fine ſtabiliendis, opportuna eſſe dignoverimus; eiſdem inhærendo, decrevimus præſentibus Noſtris Litteris, omnia in poſterum diſſidiorum germina ſuper his amputare, & prædictarum Juriſdictionum limites præfiniendo, ut infra, ſtatuere.

Reſcriptum editum in Signatura Gratiæ.

Negocium examinatur coram R. P. Auditore Sanctiſſimi.

§. 12. Volentes igitur prædictam Univerſitatem, ejuſque Primicerium, Conſervatores, Doctores, Magiſtros, Licentiatos, Baccalaureos, Scholares, & Miniſtros ſpecialis gratiæ favore cumulare; atque omnium prædictorum ſingulares Perſonas à quibuſvis Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, Cenſuris, & poenis à jure, vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium tantùm conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes; Necnon prædictarum Litterarum Joannis, Sixti, Innocentii, & Leonis Prædeceſſorum Noſtrorum; Reſolutionum quoque à præfata Congregatione Concilii diverſis temporibus editarum; ac Sententiarum, ut ſupra, ab Avenionenſi Archiepiſcopo & Vice-Legato latarum; tenores etiam veriores, præſentibus pro plenè, ac de verbo ad verbum expreſſis habentes; Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione Noſtris, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, memoratam controverſiam, & quaslibet alias Lites, & Cauſas, ſi quæ ſint, occaſione Privilegii Fori, & Conſervatoriæ hujuſmodi quomodolibet ſuſcitatas, & in quibuſvis Tribunalibus pendentes (illarum omnium, & ſingularum ſtatum, & merita, nominaque, & cognomina Judicum, & Collitigantium quorumvis, etiam ſpeciali mentione dignorum, & alia etiam de neceſſitate ſpecieliter exprimenda, præſentibus pariter pro plenè & ſufficienter expreſſis habentes), ad Nos avocamus, illaſque penitùs & omninò ſupprimimus & extinguimus, ac Partibus perpetuum deſuper ſilentium imponimus.

Avocatio Cauſæ cum clauſulis opportunis.

§. 13. Porrò quod pertinet ad Perſonas in ſæpedicto Privilegio Fori ſeu Conſervatoriæ comprehenſas, ac deinceps comprehendendas, decernimus primò atque ſtatuimus, quod tam Primicerius, quàm omnes & ſinguli Magiſtri, & Lectores, qui in dicta Univerſitate ſtudii Generalis Avenionen. actu legunt, omneſque & ſinguli Scholares in ea actu pro tempore ſtudentes, item Bidelli, & quicumque alii Miniſtri ſervitiis dictæ Univerſitatis actualiter addicti, vel ab ipſa Univerſitate Salaria & ſtipendia recipientes, hujuſmodi Privilegio perpetuis futuris temporibus omnino frui & gaudere debeant.

Confirmatur Privil. Fori pro Profeſſoribus, Scholaribus, & Salariatis.

§. 14. Præterea reliquos quoque Doctores, & Graduatos, ſivè de numero aggregatorum Collegio prædictæ Univerſitatis exiſtant, ſivè de eodem numero non exiſtant, dummodò in eadem Univerſitate Lauream ſuſceperint, & in Civitate Avenionenſi ſtabiliter commorentur, quamvis in ipſa Univerſitate actu non legant, nec peculiaria, & neceſſaria ejuſdem Univerſitatis munia re ipſa exerceant? aut etiam nunquam antea legerint, vel hujuſmodi peculiaria, & neceſſaria munia exercuerint; pro eo tamen, quod ipſi omnes prompti & parati eſſe debeant ad quamcumque Commiſſionem ſubeundam, quam Primicerius pro tempore in ejuſmodi Univerſitatis commodum eis demandaverit, proindeque ipſius Univerſitatis onera, & officia, habitu ſaltem, ſuſtinere dicendi ſunt; ac in certis quibuſdam functionibus, & publicis Univerſitatis actibus, omnes ſimul frequenter convenire ſoleant, unumque corpus cum Doctoribus de Collegio, & Magiſtris atque Lectoribus in dicta Univerſitate actu docentibus conſtituant; Volumus impoſterum eodem Privilegio Fori & Conſervatoriæ pariformiter frui & gaudere, ad formam Sententiarum anno MDXCIX., a tunc exiſtente Archiepiſcopo Avenionen., tamquam prædictæ Congregationis Concilii Commiſſario, & Delegato, ut ſupra diximus, prolatarum; non obſtantibus relatis reſolutionibus ab ipſa Congregatione poſtmodum emanatis, à quibus in hac parte recedere opportunum ducimus.

Decernitur competere etiam aliis Doctoribus Avenione commorantibus.

§. 15. Quod autem pertinet ad genera & qualitates Cauſarum, in quibus Perſonæ prædictæ Privilegio Fori aut Conſervatoriæ gaudere debebunt, Nos in Civilibus quidem Cauſis, paſſivas ab activis, in Criminalibus verò, leviores à gravioribus diſtinguentes; volumus pariter & ſtatuimus, quod in Cauſis Civilibus, Privilegium Fori ſeù Conſervatoriæ, memoratis Perſonis nullatenus in activis, ſed in paſſivis dumtaxat Cauſis hujuſmodi, & in prima tantum Inſtantia, ſuffragetur: Declarantes nihilominus, eas quoque Cauſas paſſivas cenſendas eſſe, in quibus Privilegiatus petat alicujus ſpolii reintegrationem, vel reſectionem alicujus damni in propriis bonis ſibi quomodolibet ab aliis illati.

Idque in Cauſis Civilibus paſſivis in prima Inſtantia.

Actiones pro reintegrat. ſpolii, aut refect. damnorum habentur pro Cauſis paſſivis.

§. 16. In-

Item in Causis Criminal. levioribus, activis, & passivis.

§. 16. Insuper Causarum Criminalium leviorum cognitionem, earum nempè, in quibus secundum juris, aut statutorum Civitatis, vel Bannimentorum Legationis Avenionen. respectivè dispositionem, alia gravior pœna, quàm pecuniaria, vel simplicis exilii, constituta non reperitur, Primicerio, aliisque Judicibus Conservatoribus prædictis attribuimus; sine ulla differentia, vel distinctione, utrùm Causæ hujusmodi activæ sint, vel passivæ, & an inter duos Privilegiatos, an verò inter Privilegiatum ex una, & extraneum non Privilegiatum ex altera parte introductæ existant; Reservato tamen semper reo condemnato appellationis beneficio, prout de jure, & quatenus de jure.

Graviores reservantur Vice-Legato, ejuique Congregationi.

§. 17. Contra verò Causarum Criminalium graviorum, in quibus nempè secundum juris, ac statutorum, vel Bannimentorum prædictorum dispositionem, pœna Corporis afflictiva reorum criminibus imposita reperitur; omnimodam cognitionem, Processusque desuper habendos, Nostro & Sedis Apostolicæ pro tempore Vice-Legato, ejusque Congregationi Criminali, omnino reservamus, ita tamen ut in Caulis gravioribus hujusmodi, in quibus Privilegiatus sit Reus, vel Inquisitus, (non autem in quibus Privilegiatus ipse actor existat, vel Fisco adhærens), eidem Primicerio, aut, eo impedito, alteri ex Judicibus Conservatoribus prædictis, jus competat & facultas interessendi eidem Congregationi Criminali, suumque consultivum dumtaxat, nunquam verò decisivum, suffragium ferendi.

Si agatur ad Causis pass. Privilegiati, Conservator interfit Congreg. cum Voto consultivo.

§. 18. In omnibus autem superius expressis Causis, quas Primicerii, aliorumque Judicum Conservatorum Foro in prima Instantia cognoscendas & decidendas attribuimus, volumus, quod eisdem Primicerio, & Conservatoribus, non cumulativa tantùm, sed privativa verè competat Jurisdictio; salvo tamen jure Ordinarii in iis, quæ pertinent ad morum correctionem. Verumtamen postquam Primicerius, aut alius ex Judicibus Conservatoribus prædictis, super hujusmodi Privilegiatorum Causis Civilibus in prima Instantia definitivè pronunciaverit, si contingat easdem Causas in secunda Instantia, vel in gradu appellationis, vel in gradu recursus, adhuc revidendas, sivè retractandas esse; volumus, & per easdem præsentes mandamus, ut eædem Causæ tam appellabiles, quàm recurribiles, ad Auditorem Generalem Curiæ Legationis Avenionensis, cujus jurisdictionis, & dignitatis æquum est rationem haberi, semper & omnino pertinere censeantur; itaut illæ per Nostrum & Sedis Apostolicæ Vice-Legatum in dicta Civitate Avenionensi pro tempore commorantem, alteri cuicumque Judici, nisi quatenus eundem Auditorem Generalem suspectum allegari contingat, in secunda Instantia, ut præfertur, nullatenus committi valeant.

Jurisdictio Primicerii, & Contervatorum in præmissis privativa declaratur.

Secunda Instantia Auditori Generali privativè attribuitur.

§. 19. Cæterum ipsis Primicerio, aliisque Judicibus Conservatoribus prædictis districtius inhibemus, ne ipsi in Causis Fiscalibus, & interesse Fisci quomodolibet tangentibus, quas à Privilegio Fori, & Conservatoriæ hujusmodi penitùs excludimus, & excipimus; Nec in aliis quibuscumque Causis, præter superius expressas, etiam de consensu Partium, ullatenus se intromittere, vel ingerere quovis modo audeant, seù præsumant.

Causæ Fiscales, & aliæ præter præmissas, excipiuntur à Jurisdictione Primic., & Conservatorum.

§. 20. Præsentes quoque Nostras Litteras semper firmas, validas, & efficaces esse & fore; suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè, & inviolabilitèr observari; & ita ab omnibus censeri; Sicque & non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, & Sedis prædictæ Nuncios, aliosque quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; Et si secus super præmissis, vel eorum aliquo, à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

De perpetuo Litterarum vigore.

Decreta irritantia.

§. 21. Non obstantibus omnibus illis, quæ Joannes, Sixtus, Innocentius, & Leo Prædecessores prædicti in singulis superius relatis Litteris voluerunt non obstare; Necnon, quatenus opus sit, Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula *de jure quæsito non tollendo*, ejusdemque Congregationis Concilii Tridentini Interpretis resolutionibus prædictis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis Civitatis, & Universitatis Avenionen. prædictarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, Consuetudinibus, usibus, Stylis, & stabilimentis, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis Clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, in genere, vel in specie, seù aliàs quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum omnium & singulorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresè, motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogationes.

§. 22. Volumus autem ut earumdem præsentium transumpta sivè exempla, etiam impressa, manu alicujus Notarii publici subscripta, & sigillo Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munita, eamdem ubique fidem, & auctoritatem obtineant in judicio, & extra, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Fides præstanda transumptis.

§. 23. Nulli ergo omnino Hominum liceat paginam hanc Nostrarum absolutionis, avocationis, extinctionis, ordinationis, declarationis, Constitutionis, irritationis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Sanctio Constitutionis.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo quinto, sexto Idus Octobris, Pontificatus Nostri Anno Sexto.

Dat. die 10. Oct. 1745.

J. Datarius.

Pro D. Card. Passionco.

Joannes Florius Substitutus.

VISA DE CURIA.

J. C. Boschi.

L. Eugenius.

Loco † Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

CXLIII.

De Usuris, aliisque injustis quæstibus.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & Ordinariis Italiæ.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Erroneæ sententiæ disseminantur.

VIx pervenit ad aures nostras, ob novam controversiam (nempe, an quidam contractus validus judicari debeat) nonnullas per Italiam disseminari sententias, quæ sanæ doctrinæ haud consentaneæ viderentur; cùm statim nostri Apostolici muneris partem esse duximus, opportunum afferre remedium, ne malum ejusmodi, temporis diuturnitate, ac silentio, vires magis acquireret; aditumque ipsi intercludere, ne latiùs serperet, & incolumes adhuc Italiæ Civitates labefactaret.

Pontifex deliberat cum consilio &c.

§. 1. Quapropter eam rationem, consiliumque suscepimus, quo Sedes Apostolica semper uti consuevit: Quippe rem totam explicavimus nonnullis ex Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui Sacræ Theologiæ scientiâ, & Canonicæ Disciplinæ studio ac peritiâ plurimùm commendantur: Accivimus etiam plures Regulares in utrâque facultate præstantes, quorum aliquos ex Monachis, alios ex Ordine Mendicantium, alios demùm ex Clericis Regularibus selegimus; Præsulem quoque Juris utriusque laureâ præditum, & in Foro diù versatum adhibuimus. Diem quartam indiximus Julii, qui nuper præteriit, ut coram Nobis illi omnes convenirent, quibus naturam totius negotii declaravimus; quod illis antea cognitum perspectumque deprehendimus.

Doctrinam de usuris exponi jubet.

§. 2. Post hæc præcepimus, ut omni partium studio, omnique cupiditate soluti, rem totam accuratè perpenderent, suasque opiniones scripto exararent; non tamen expetivimus ab ipsis, ut judicium ferrent de contractu, qui controversiæ causam initio præbuerat, cum plura documenta non suppeterent, quæ necessariò ad id requirebantur; Sed ut certam de usuris doctrinam constituerent, cui non mediocre detrimentum inferre videbantur ea, quæ nuper in vulgus spargi cœperunt: Jussa fecerunt universi; nam suas sententias palam declararunt in duabus Congregationibus, quarum prima coram Nobis habita est die 18 Julii, altera verò die primâ Augusti, qui menses nuper elapsi sunt; ac demum easdem sententias Congregationis Secretario scriptas tradiderunt.

Canones.

§. 3. Porro hæc unanimi consensu probaverunt.

Usura lucrum supra sortem, ex mutuo.

I. Peccati genus illud, quod usura vocatur, quodque in contractu mutui propriam suam sedem, & locum habet, in eo est repositum, quod quis ex ipsomet mutuo, quod suapte natura tantundem dumtaxat reddi postulat, quantum receptum est, plus sibi reddi velit, quàm est receptum; ideoque ultra sortem, lucrum aliquod, ipsius ratione mutui, sibi deberi contendat. Omne propterea hujusmodi lucrum, quod sortem superet, illicitum, & usurarium est.

Quantitas lucri, vel qualitas mutuatarii lucrum hujusmodi ab usuræ labe non liberant.

II. Neque verò ad istam labem purgandam, ullum arcessiri subsidium poterit, vel ex eo, quod id lucrum non excedens, & nimium, sed moderatum; non magnum, sed exiguum sit; vel ex eo, quod is, a quo id lucrum solius causâ mutui deposcitur, non pauper, sed dives existat; nec datam sibi mutuo summam relicturus otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas, vel novis coëmendis prædiis, vel quæstuosis agitandis negotiis, utilissimè sit impensurus. Contra mutui siquidem legem, quæ necessariò in dati atque redditi æqualitate versatur, agere ille convincitur, quisquis, eâdem æqualitate semel positâ, plus aliquid à quolibet, vi mutui ipsius, cui per æquale jam satis est factum, exigere adhuc non veretur: proindeque si acceperit, restituendo erit obnoxius, ex ejus obligatione Justitiæ, quam commutativam appellant, & cujus est, in humanis contractibus æqualitatem cujusque propriam & sanctè servare, & non servatam exactè reparare.

Quidam Tituli, vel contractus à mutuo diversi, justum reddere proventum ultra sortem.

III. Per hæc autem nequaquam negatur, posse quandoque unà cum mutui contractu quosdam alios, ut ajunt, titulos, eosdem ipsimet universim naturæ mutui minime innatos & intrinsecos, forte concurrere, ex quibus justa omnino legitimaque causa consurgat quiddam amplius supra sortem ex mutuo debitam ritè exigendi. Neque item negatur, posse multoties pecuniam ab unoquoque suam, per alios diversæ prorsus naturæ à mutui natura contractus, rectè collocari & impendi, sive ad proventus sibi annuos conquirendos, sive etiam ad licitam mercaturam, & negociationem exercendam, honestaque indidem lucra percipienda.

Vitandi tamen excessus contra justitiam.

IV. Quemadmodum verò in tot ejusmodi diversis contractuum generibus, si sua cujusque non servatur æqualitas, quidquid plus justo recipitur, si minus ad usuram, (eo quod omne mutuum tam apertum, quàm palliatum absit), at certe ad aliam veram injustitiam, restituendi onus pariter afferentem, spectare compertum est; Ita si rite omnia peragantur, & ad Justitiæ libram exigantur, dubitandum non est, quin multiplex in iisdem contractibus licitus modus & ratio suppetat humana commercia & fructuosam ipsam negociationem ad publicum commodum conservandi, ac frequentandi. Absit enim à Christianorum animis, ut per usuras, aut similes alienas injurias, florere posse lucrosa commercia existiment; cum contra ex ipso Oraculo Divino discamus, quod *Justitia elevat gentem, miseros autem facit populos peccatum.*

Nec tituli legitimi cum mutuo, nec justæ causæ ineundi contractus à mutuo diversos, ubique suppetunt.

V. Sed illud diligenter animadvertendum est, falsò sibi quemquam, & nonnisi temerè persuasurum, reperiri semper, ac præsto ubique esse, vel unà cum mutuo titulos alios legitimos, vel secluso etiam mutuo, contractus alios justos, quorum vel titulorum, vel contractuum præsidio, quotiescumque pecunia, frumentum, aliudve id generis alteri cuicumque creditur, toties semper liceat auctarium moderatum, ultra sortem integram salvamque, recipere. Ita si quis senserit, non modo Divinis Documentis, & Catholicæ Ecclesiæ de Usura judicio, sed ipsi etiam humano communi sensui, ac naturali rationi procul dubio adversabitur. Neminem enim id saltem latere potest, quod multis in casibus tenetur homo, simplici ac nudo mutuo alteri succurrere, ipso præsertim Christo Domino edocente: *Volenti mutuari à te, ne avertaris:* & quod similiter multis in circumstantiis, præter unum mutuum, alteri nulli vero justoque contractui locus esse possit. Quisquis igitur suæ conscientiæ consultum velit, inquirat prius diligenter, oportet, verè ne cum mutuo justus alius titulus; verè ne justus alter à mutuo contractus occurrat, quorum beneficio, quod quærit lucrum, omnis labis expers & immune reddatur.

Pontifex relatam doctrinam probat.

§. 4. His verbis complectuntur, & explicant Sententias suas Cardinales, ac Theologi, & Viri Canonum peritissimi, quorum consilium in hoc gravissimo negotio postulavimus; Nos quoque privatum studium nostrum conferre in eandem causam non prætermisimus, antequam Congregationes haberentur, & quo tempore habebantur, & ipsis etiam peractis; Nam præstantium

Virorum

Virorum Suffragia, quæ modò commemoravimus, diligentissimè percurrimus. Cum hæc ita sint, adprobamus, & confirmamus quæcunque in Sententiis superius expositis continentur; cum Scriptores planè omnes, Theologiæ, & Canonum Professores, plura Sacrarum Literarum testimonia, Pontificum Decessorum Nostrorum Decreta, Conciliorum, & Patrum auctoritas, ad easdem Sententias comprobandas penè conspirare videantur. Insuper apertissimè cognovimus Auctores, quibus contrariæ Sententiæ referri debent; & eos pariter, qui illas fovent, ac tuentur, aut illis ansam, seu occasionem præbere videntur; Neque ignoramus quanta Sapientia, & gravitate defensionem veritatis susceperint Theologi finitimi illis Regionibus, ubi controversiæ ejusmodi principium habuerunt.

Eamque doceri & servari jubet.

§. 5. Quare has literas Encyclicas dedimus universis Italiæ Archiepiscopis, Episcopis, & Ordinariis, ut hæc Tibi, Venerabilis Frater, & cæteris omnibus innotescerent; & quoties Synodos celebrare, ad Populum verba facere, eumque sacris doctrinis instruere contigerit, nihil omnino alienum proferatur ab iis Sententiis, quas superiùs recensuimus. Admonemus etiam vehementer, omnem sollicitudinem impendere, ne quis in vestris Diœcesibus audeat Literis, aut Sermonibus contrarium docere: Si quis autem parere detrectaverit, illum obnoxium & subjectum declaramus pœnis per Sacros Canones in eos propositis, qui mandata Apostolica contempserint ac violaverint.

De peculiaribus contractibus nihil nunc decernit.

§. 6. De contractu autem, qui novas has controversias excitavit, nihil in præsentia statuimus; Nihil etiam decernimus modò de aliis contractibus, pro quibus Theologi, & Canonum Interpretes in diversas abeunt Sententias; Attamen pietatis vestra Studium ac Religionem inflammandam existimamus, ut hæc, quæ subjicimus, executioni demandetis.

Usuram & avaritiam caveri; sapientum consilia exquiri admonet.

§. 7. Primùm gravissimis verbis Populis vestris ostendite, usuræ labem ac virium à Divinis Literis vehementer improbari; Illud quidem varias formas atque species induere, ut Fideles Christi Sanguine restitutos in libertatem & gratiam, rursus in extremam ruinam præcipites impellat; Quocirca si pecuniam suam collocare velint, diligenter caveant, ne cupiditate omnium malorum fonte rapiantur, sed potiùs ab illis, qui doctrinæ ac virtutis gloria supra cæteros efferuntur, consilium exposcant.

Consultos cautè pronunciare: dissentientes moderatè agere jubet.

§. 8. Secundo loco; qui viribus suis, ac sapientiæ ita confidunt, ut responsum ferre de iis quæstionibus non dubitent, (quæ tamen haud exiguam Sacræ Theologiæ, & Canonum scientiam requirunt;) ab extremis, quæ semper vitiosa sunt, longè se abstineant: Etenim aliqui tanta severitate de iis rebus judicant, ut quamlibet utilitatem ex pecunia desumptam accusent, tanquam illicitam, & cum usura conjunctam; Contra verò nonnulli indulgentes adeo, remissique sunt, ut quodcunque emolumentum ab usuræ turpitudine liberum existiment. Suis privatis opinionibus ne nimis adhæreant; sed priusquàm responsum reddant, plures Scriptores examinent, qui magis inter cæteros prædicantur; Deinde eas partes suscipiant, quas tùm ratione, tùm auctoritate planè confirmatas intelligent. Quod si disputatio insurgat, dum contractus aliquis in examen adducitur, nullæ omnino contumeliæ in eos confingantur, qui contrariam Sententiam sequuntur, neque illam gravibus Censuris notandam asserant, si præsertim ratione, & præstantium Virorum testimoniis minimè careat; Siquidem convicia, atque injuriæ vinculum Christianæ charitatis infringunt, & gravissimam Populo offensionem, & scandalum præseferunt.

Contractuum naturam &

§. 9. Tertio loco, qui ab omni usuræ labe se immunes & integros præstare volunt, suamque pecuniam ita alteri dare, ut fructum legitimum solummodo percipiant, admonendi sunt, ut contractum instituendum anteà declarent, & conditiones inferendas explicent, & quem fructum ex eadem pecunia postulent: Hæc magnopere conferunt non modò ad animi sollicitudinem & scrupulos evitandos, sed ad ipsum contractum in Foro externo comprobandum: Hæc etiam aditum intercludunt disputationibus, quæ non semel concitandæ sunt, ut clare pateat, utrum pecunia, quæ ritè data alteri esse videtur, revera tamen palliatam usuram contineat.

conditiones aperiri suadet.

Temeraria dicteria comprimi mandat.

§. 10. Quarto loco vos hortamur, ne aditum relinquatis ineptis illorum Sermonibus, qui dictitant, de usuris hoc tempore quæstionem institui, quæ solo nomine contineatur; cum ex pecunia, quæ qualibet ratione alteri conceditur, fructus ut plurimum comparetur. Etenim quàm falsum id sit, & à veritate alienum, planè deprehendimus, si perpendamus, naturam unius contractus ab alterius natura prorsus diversam & sejunctam esse; Et ea pariter discrepare magnopere inter se, quæ à diversis inter se contractibus consequuntur. Revera discrimen apertissimum intercedit fructum inter, qui jure licito ex pecunia desumitur, ideoque potest in utroque Foro retineri; Ac fructum, qui ex pecunia illicitè conciliatur, ideoque Fori utriusque judicio restituendus decernitur. Constat igitur haud inanem de usuris quæstionem hoc tempore proponi ob eam causam, quòd ut plurimum ex pecunia, quæ alteri tribuitur, fructus aliquis excipiatur.

Præsentium executionem Episcopis commendat.

§. 11. Hæc potissimum vobis indicanda censuimus, sperantes fore, ut mandatis executioni quæcunque per has Literas à Nobis præscribuntur: Opportunis quoque remediis consuletis, uti confidimus, si forte ob hanc novam de usuris controversiam in Diœcesi vestra turbæ concitentur, vel corruptelæ ad labefactandum sanæ doctrinæ candorem & puritatem inducantur: Postremo vobis, & Gregi curæ vestræ concredito, Apostolicam Benedictionem impertimur.

Dat. die 1. Nov. 1745.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die prima Novembris MDCCXLV. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

CXLIV.

Diebus Festis prohibentur haberi *Mercatus* rerum venalium. Tolerantur verò *Nundinæ* sub certis conditionibus.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, & Ordinariis Ditionis Ecclesiasticæ.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

De reductione dierum Festorum aliàs deliberatum.

AB eo tempore, quo copiosus in misericordia Dominus, Nos, licèt immeritos, ad summum Catholicæ Ecclesiæ Pontificatum evexit, complures diversi ordinis illustres Viri, itemque Episcopi, & Archiepiscopi in Italia, & extra commorantes, iteratis precibus institerunt, ut Dies Festos, ubique ferè nimis auctos, quibus Christianus Populus feriatur, Apostolica auctoritate imminueremus. Hoc enim prudenti temperamento, Pauperibus, qui quotidiano labore sibi victum quærunt, facilè consuleretur, ac simul gravia alimerentur absurda, quæ ex Festorum dierum multitudine, ac frequenti violatione oriri solent, non sine aperto Religionis dispendio. Re expensâ, negotii difficultatem probè intelleximus: quare peculiari Scripto, publicis etiam typis vulgato,

1745 Et requisita Antistitum, aliorumque consilia.

rationes varias indicavimus, quibus ea immutatio fieri poterat: consilium pariter exquirentes nonnullorum S. R. E. Cardinalium, Episcoporum Italiæ, aliarumque Regionum, Ecclesiasticorum Præsulum, Theologorum, Jurisconsultorum, aliorumque Virorum Doctorum, humanas, civilesque res callentium, an hujusmodi petitio esset exaudienda: Si verò illam exaudiri æquum esset, & congruens, ipsi quoque rationes significarent, quibus utiliter ac prudenter imminutio præscriberetur.

Quibus inter se non convenientibus, resolutio dilata.

§. 1. Petita responsa tam varia, ut solet contingere, suo tempore accepimus, ut ferè sua cuique fuerit sententia. In aliud proinde tempus negocium rejecimus, eam in ipem adducti, ut Episcopi cujusque Provinciæ, vel Ditionis, unanimi voto in sententiam imminuendi Dies Festos primùm convenirent; deinde verò, quò commodius id fieri posset, concordi pariter suffragio medium aliquod suggererent ex tot memoratis in Scripto Nostro, ac pro illius executione Pontificium assensum expoſcerent. Hoc sane pacto inita ab Ordinariis consilia in re tanti momenti non illorum voluntati referri potuissent, sed tantùm Supremæ Apostolicæ Sedis auctoritati, quam fel. record. Urbanus Papa VIII. Prædecessor Noster integram esse voluit in decernenda imminutione dierum Festorum, qui in sua Constitutione recensentur. Demum una eademque Episcoporum deliberatio, Apostolicæ auctoritatis tecta munimine, nedum plurimum valuisset ad compescenda Censorum ingenia; sed etiam sublata fuisset disparitas illa ritûs, quæ hodie viget, Disciplinæ Ecclesiasticæ injuriosa, ut intra paucorum milliarium ambitum, & inter finitimos Populos, unus idemque dies ab aliquibus Festus de Præcepto, ab aliquibus verò ferialis haberetur.

Hispaniæ Populis interim provisum.

§. 2. Hæc methodus feliciori sorte in universa fere Hispania excepta est: Cum enim postremi Tarraconensis Concilii Patres regulam quandam constituerint Dierum Festorum, quibus, pro illorum conditione, atque discrimine, Populi Divino interesse Sacrificio, & servilibus operibus abstinere debent; & aliorum, quibus Missæ tantùm interesse debent, tributâ postmodum libertate vacandi operibus servilibus; fel. record. Benedictus XIII. Decessor, & Benefactor Noster disposita in eadem Provinciali Synodo ad preces Episcoporum approbavit. Quo exemplo alii subinde Hispaniarum Antistites excitati, Nobis humiliter supplicarunt, ut ad minuendum nimis auctum Festorum numerum, liceret ipsis etiam servare regulam in præfato Tarraconensi Concilio providè constitutam. Annuimus instantiæ; exindeque omnium fere Hispaniarum Diœceseon uniformitas in dierum Festorum celebratione, & ritu exorta est.

Item aliquot Poloniæ Diœcesibus.

§. 3. Aliis quoque Catholici Orbis Regionibus servata à Nobis in hoc negocio conficiendo matura dilatio profuit. Interea liquidem aliquot Regni Poloniæ Episcopi, mentis aciem ad substantiam, & modum imminuendi dies Festos dirigentes, per Literas Nobis significarunt, in illis Diœcesibus, suos late fines protendentibus, æstivo tempore Incolas, Agrorum culturæ, & aliis servilibus operibus, quibus vivunt, & sustentantur, dantes operam, difficillime ab illis abstinere posse diebus festis inter hebdomadam occurrentibus: Enixè propterea Nos rogarunt, ut quæ per hebdomadam æstivo tempore occurrunt Festa, in Dies Dominicos transferremus, excepto Festo Assumptionis B. Mariæ Dei Genitricis, quæ quovis die accideret, religiosè ab universis celebraretur. Quorum petitio per Nos, maturo præmisso examine, exaudita, in Regionibus illis optatam ab Episcopis, & Populis tranquillitatem peperit.

§. 4. Quo vero ad Italiam pertinet, credi vix potest, quàm prudens, ac religiosus de re ipsa fuerit sermo, quem Nobiscum instituit Charissimus in Christo Filius Noster Carolus utriusque Siciliæ Rex Illustris. Non sine intimo, ac planè acerbo animi sui mærore Nobis exposuit, Dies Festos, quibus Christiani Populi feriari debent, in subjectis sibi regionibus passim violari, ob nimis auctum illorum numerum, huic porrò malo non aliam adhiberi posse medelam, præter diminutionem Supremâ Auctoritate Nostra opportunè faciendam. Significare illi non omisimus, gravem ac molestam utrique sollicitudinem oboriturum, si rem tanti ponderis inconsultis Episcopis conficere vellemus. Idcirco ut omnia feliciter procederent, non solum exquirendas esse illorum sententias; sed oportere, ut Antistites finitimi, vel Metropolitæ cum suis Provincialibus, studia, & voluntates in eundem scopum dirigentes, quid tandem facto opus esset, ad Nostri deferrent Apostolatûs auditum. Par omnium suffragium communem tranquillitatem subjectis Populis allaturum, & quod potissimè in rebus sacris quærendum est, ritûs uniformitatem, & disciplinæ concordiam.

Idipsum statuit Episcopis Status Ecclesiasticus.

§. 5. Id ipsum significavimus Episcopis temporalis nostræ Ditionis, quorum nonnulli privato sermone Nobiscum habito, nonnulli verò suis ad Nos datis Literis, Apostolicam auctoritatem ad Festos dies imminuendos enixe implorarunt. At cum ipsi nihil hactenus præstiterint, nihil & Nos egimus; liberam, prudentemque Episcoporum concordiam in hoc negocio præstolantes, non imperantes, & exigentes. Etenim moderatio numeri Dierum Festorum non à voluntate, sed à sola pendet necessitate, quam nemo meliùs, quàm Episcopi norunt; ideoque ad eos potissimùm pertinet, mali conditionem, & apta eidem remedia proferre: Nec facile adduci possumus, ut in hoc adeo gravi, & implexo negocio quidquam decernamus, nisi auditâ prius concordi quoad *substantiam*, & quoad *modum*, Episcoporum sententia.

Nihil sine eorum consilio actum.

§. 6. Hæc Vobis, Venerabiles Fratres, eum in finem scribimus, ut non solùm cuique Vestrum plane cognita, ac perspecta sit agendi ratio à Nobis inita in hac gravi causa imminutionis Dierum Festorum; verum etiam ut opportune nunciaremus, si vestra consilia ex voto nostro Nobiscum communicavissetis, vel sublata prorsus, vel saltem magna ex parte submota fuissent mala, quibus curandis congruum, ac salutare remedium non semel a Nobis expostulastis.

Abusus in celebratione Nundinarum diebus Festis.

Complures etenim vestrum voce, aut scripto improbarunt abusum Mercatuum, & Nundinarum, quæ fieri solent Diebus Festis, quibus feriari oportet, ut Populus unice in res sacras incumbat; rationem à Nobis poscentes, quâ grassanti in diem malo occurri possit.

Dierum Festorum non par solemnitas.

§. 7. Inter modos propositos, atque servandos in imminutione, ac celebratione Festorum, præcipuus ille est, quo inter ipsos Festos dies discrimen constituitur. Etenim in diebus Dominicis, itemque in Celebritatibus Domini, Beatæ Mariæ semper Virginis Dei Genitricis, ac in aliis solemnioribus in memorato Scripto Nostro indicatis, debet Christianus Populus nedum interesse Divino Sacrificio, sed etiam abstinere ab operibus vetitis; In cæteris vero minus solemnibus, qui tamen ex præcepto celebrari consueverunt, imposita est Christifidelibus obligatio interessendi Missæ Sacrificio, traditâ in reliquis cuique illorum potestate ea faciendi, quæ fieri solent diebus ferialibus.

Nundinæ in dies minus solemnes plerumque incidunt.

§. 8. Quò cautius, ac tutius incederemus, consulere voluimus Chirographa Summorum Pontificum Decessorum Nostrorum, quibus peculiaribus Urbibus, & Oppidis temporalis suæ Ditionis habendarum Nundinarum facultatem

tri-

1745 Pontifex optat Episcopos utriusq; Siciliæ in unam sententiam convenire.

tribuerunt. Multi iis diebus Nundinas fieri permiserunt, quibus Christifideles (juxta propositum Thema) servilibus operibus abstinere debebant, divinoque adesse Sacrificio; Sed numerum longe majorem illarum comperimus, quæ incidunt in eos Dies Festos ex Præcepto, quibus, si expetita fieret illorum imminutio, satis fuisset Missam audire, excluso debito abstinendi ab operibus servilibus, sublatoque onere peragendi, quæ in aliis superioris ordinis Festis Christianus Populus debet implere.

Quibus Divini simul cultus, & commerciorum ratio haberi possit.

§. 9. Hac via, si non omni, magna certe ex parte sublata essent mala, quibus, memorata de causa, congruens & opportunum à Nobis remedium postulastis. Enimverò bifariam divisis, ut prænonuimus, diebus Festis, affixoque inferiori ipsorum ordini debito interessendi dumtaxat Divino Sacrificio; celebratæ in illis Nundinæ nullum deinceps peperissent absurdum, nec libertas operum servilium, cum interessentia Missæ compatibilis, refragari potuisset præcepto ab Ecclesia Fidelibus injuncto. Præterea nullus Urbibus, & Oppidis relictus fuisset timor, ne, cum Incolarum, & Concurrentium detrimento, Nundinarum frequentia imminueretur. Quippe juxta hypothesim præmissam, recolente adhuc Clero solemni ritu diem Festum intra Ecclesiam, sumptuoso ornatu, omnique nitore instructam; in ipsa Sacri concentus Musices haberi de more potuissent; permitti quoque potuissent citatorum Equorum cursus, aliaque id genus, quæ Populi augere solent numerum, Mercatorum frequentiam, & Nundinarum celebritatem. Sed de re hujusmodi, veluti extranea, sermone relicto, ad propositæ quæstionis examen progredimur, dierum Festorum imminutione seclusâ.

De Festorum dierum observantia, Theologorum sententiæ.

§. 10. Eruditioni vestræ, Venerabiles Fratres, ignotum non erit quod hac de re Theologi tradunt. S. Thomas *in 2. quæst. 122. art. 4. ad quartum* docet, arctiorem in antiqua lege fuisse observantiam Sabbati, quàm sit in novâ observantia diei Dominici; dieque Sabbato vetita fuisse opera, quæ non vetantur die Dominico. Cardinalis vero Cajetanus in Commentario ad hunc locum asserit, licere Villicis diebus Festis Urbem petere, ut calceos emant, & his similia. De Alma verò Urbe sermonem instituens, morem profert hac tempestate jam obsoletum; Inquit enim: *Licitum est diebus Festis emere, ac vendere Asinos, Equos, quia sic est consuetudo in publico foro in diebus Festis, spectante Mundo: hæc enim omnia ubi antiquata consuetudo, ac per hoc à Prælatis scita, cum sint omnibus notoria, licita sunt ex ipsa consuetudine, fundata super libertate Evangelica, quâ non tenemur stricto jure Veteris Legis de observatione Festorum*: Cajetano subscribunt *Silvestr. in Summ. Verb. Negotium §. 2., Sylvius ad S. Thom. 2. 2. tom. 3. quæst. 122. art. 4. §. Ad primus, Suarez de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 29. num. 3. ad plur. sequen., Gibalin. de Negociation. tom. 1. lib. 2. cap. 3. art. 2. num. 9. in fin.*

Item Canonistarum.

§. 11. Ejusdem sententiæ sunt etiam Ecclesiastici Juris Interpretes, ut videre licet apud *Fagnan. in cap. Multa num. 54., & seqq. ne Cleric. vel Monach.* idemque sentiunt *Gonzal. in cap. Omnes num. 8. de Fer., Pirhing. ad Tit. Decretal. de Feriis num. 18., Anaclet. eod. tit. num. 22., Engel. ibid. §. 2. num. 13., Pikher. num. 9., Schmalzgrueber num. 23.*, aliique multi, qui facilè citatis addi possent. Nonnulli verò ex Doctoribus Sacrorum Canonum inter *Mercatus*, & *Nundinas* discrimen constituunt; Ac primos quidem Diebus Festis ex præcepto observandis permitti non posse censent, secus tamen alias; quoniam nonnisi Diebus Festis Populi habetur frequentia, celebrationi Nundinarum congrua & necessaria, teste *Cappon. discept. 91. art. ult. num. 4.* Alii tandem docent, quavis consuetudine minime obstante, posse Episcopum in sua Diœcesi vetare, ne Mercatus, aut Nundinæ Festis Diebus habeantur; idque præter alios asserunt *Cappon. loco citato num. 6., Gratian. decis. Marchiæ 21., Ventrigl. in Prax. Rer. Eccles. tom. 1. Annot. 16. §. 1. num. 19., Zaul. ad Statut. Favent. tom 1. lib. 7. observat. ad rubric. 2. num. 24., Nicol. in Prax. Canonic. tom. 1. lit. C. §. 1. num. 44.*

Quid in Synodalibus Constitutionibus decretum.

§. 12. Ne quid præteriremus, consuluimus etiam illustriores Synodos Diœcesanas, habitas ab Episcopis Ditionis nostræ temporalis. In celeberrima Farfensi Synodo Cardinalis Caroli Barberini anni 1684.; & in Cesenatensi Cardinalis Denhoff anni 1693. interdicitur quidem Mercatus diebus Festis, nihil tamen de Nundinis constituitur. In aliis nullo discrimine Mercatus prohibentur, & Nundinæ, ut constat ex Synodo Lauretana Cardinalis Romæ anni 1626.; maxime verò deficiente Indulto, ut expressè decernitur in Senogalliensi Cardinalis Antonii Barberini anni 1627., innovata anno 1737. ab Episcopo Isolano. Senogallienſi præterea Synodo Cardinalis Barberini consonat etiam Synodus Ariminensis Cardinalis de Via, edita anno hujus sæculi vicesimo quarto.

Responsa Congreg. Concilii.

§. 13. Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum Responsa ad Episcopos, qui de suis Diœcesibus retulerunt, pari cura à Nobis perlecta sunt. De re ipsa consulta, rescripsit Episcopo Placentino, juxta antiquam consuetudinem sineret haberi Nundinas rerum parvi pretii die Festo S. Bartholomæi Apostoli, dummodo id non fieret in Atrio Ecclesiæ, ut ex *lib. Decret. anni 1629., lib. 14. pag. 207.* Episcopo Casalensi anno 1665. responsum fuit: curaret sedulò, ne Mercatus haberentur Festis diebus, sed transferrentur in diem sequentem; omnemque pro viribus impenderet sollicitudinem, ut id ipsum imposterum fieret, *si privilegium, vel immemorabilis consuetudo non adsit.* Anno 1697. Episcopo Theanensi respondit: *Tolerari posse Mercatus Diebus Festis, dummodo ad alium diem transferri nequeant; & ex eorum omissione jurgia, & scandala exoriri possint.*

Nundinæ celebrantur diebus Festis solemni.

§. 14. Probe insuper scientes, fieri non posse Nundinas sine expresso Supremi Principis permissu, cum id juris pertineat *ad Regalia, & quidem majora*, ad tradita per *Sixtin. de Regal. lib. 1. cap. 6. num. 30.* hac etiam in parte opportunæ doctrinæ lumina quæsituri, non omisimus (ut paulò ante monuimus) inspicere Chirographa Summorum Pontificum Decessorum Nostrorum, qui veluti Supremi Provinciarum suarum Domini, eam facultatem multis Urbibus, & Oppidis concessere, haberique Nundinas indulserunt etiam diebus Festis institutis in honorem Domini Nostri Jesu Christi, Beatæ Mariæ Genitricis ejus, frequentissimè verò Sanctorum Patronorum Principalium, vel Titularium locorum, & Ecclesiarum, ad majorem Populi frequentiam, atque celebritatem concilandam.

Pontifex rei naturam sedulo scrutatur.

§. 15. Quæ omnia vel secum pugnantia, vel implexa, viam propositæ dissolvendæ quæstioni non compararunt, immo potius difficiliorem, & abstrusiorem reddiderunt. Ne igitur ullæ diligentiæ Nostræ partes deesſent pietati, & zelo vigilum Antistitum Responsa Nostra cupientium; his omnibus seorsim positis, manus admovimus Ecclesiasticis Historiis, & Conciliis, è privatæ Bibliothecæ Nostræ penu depromptis. Quibus pressiùs insistentes, semper tamen præ oculis habito præsenti rerum statu, longo usu & antiquitate fulto, significandum Vobis esse censemus:

Quid distinguunt inter Mercatus, & Nundinas.

Nundinæ diebus Festis

§. 16. Primo, Mercatus, & Nundinas Festis

die-

1745. celebrari non debent.

diebus non licere. Nundinas autem intelligimus, *quæ sunt de rebus majoribus, & semel in anno fiunt, vel raro in eodem loco, & de longinquo ibidem conveniunt homines: Mercatus vero, qui fiunt in rebus minoribus, ad quotidianas necessitates pertinentibus, & fiunt singulis septimanis, & ab Hominibus de vicino ibidem convenientibus*: Verba sunt Venerab. Servi Dei Umberti de Romanis, Quinti Magistri Generalis Ordinis Prædicatorum, in egregio opere *de eruditione Religiosorum Prædicatorum lib. 2. Tract. 2. num. 92. pag. 351. editionis Romanæ.* Id autem pronunciamus, non quia vendere, ac emere sit opus servile, ideoque vetitum diebus Festis; sed quia actiones hujusmodi impediunt & distrahunt Christifideles à cultu divino, ad quem dies Festi sunt instituti.

Sed abusum consuetudine firmatum.

SECUNDO: Antiquum profecto esse abusum Mercatuum, itemque Nundinarum iisdem diebus.

TERTIO: Ecclesiasticis legibus quovis tempore illas fuisse vetitas.

QUARTO: Hujusmodi justas sanctasque leges caruisse effectu.

Nec nisi prudentia & maturitate corrigi posse.

QUINTO tandem: quia malum universale est, ac altè radices egit; opus est prudentia, & maturitate, ne fructu careat medela, ac vulnus exasperet: Quod possumus exigendum est, non quod optamus. Admonitionibus proinde uti satius videtur, quàm minis; & si minæ quandoque intententur, servandum est exactè monitum sapientissimum S. Augustini in Epistola 22. ad Aurelium Carthaginensem Episcopum, qui agens de auferenda Conviviorum licentia totam passim Africam fædè occupante sub inani obtentu honorandi Festa Sanctorum Martyrum, scripsit: *Non asperè, quantum existimo, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur; magis docendo, quàm jubendo; magis monendo, quàm minando; sic enim agendum est cum multitudine. Severitas autem exercenda est in peccata paucorum. Et si quid minamur, cum dolore fiat, de Scripturis comminando vindictam futurorum; ne nos ipsi in nostra potestate, sed Deus in nostro sermone timeatur. Ita prius movebuntur spirituales, vel spiritualibus proximiores; quorum auctoritate, & lenissimis quidem, sed instantissimis admonitionibus, cætera multitudo frangatur.*

Festi dies in pietatis operibus, non in negociis sæcul. transigendi.

§. 17. Ad propositam à Nobis rationem firmandam, sufficit legere Catechismum Tridentini Concilii *part. 3. præcept. 3. num. 3.*, ut simul addiscatur, in quæ opera Christifideles festis diebus debent incumbere. Ea nimirum sunt, Divino Sacrificio reverenter adesse; Dei verbum attentè, pioque corde audire; Ecclesias frequentare; mundare conscientiam; Deo laudes persolvere, aliasque salutares exercitationes obire. Diù ante Romanum Catechismum idipsum feliciter enunciatum fuit à Sancto Nicolao Papa hujus nominis I. in Responsis ad Consulta Bulgarorum *Tom. 22. Collect. Concilior. editionis Regiæ num. 10. pag. 441.*: *Sanè*, inquit, *sciendum est, quoniam idcirco in diebus Festis ab opere humano cessandum est, ut liberiùs ad Ecclesiam ire, psalmis, & hymnis, & cantitis spiritualibus insistere, orationi vacare, oblationes offerre, memoriis Sanctorum communicare, ad imitationem eorum assurgere, eloquiis divinis intendere, eleemosynas indigentibus ministrare valeat Christianus*: Inde etiam coacti in Conciliis Patres rationem potissimam hausere denunciandi, illicitam esse diebus Festis celebrationem Mercatus, & Nundinarum. Qua de re videnda Concilia Rhemense, ac Turonense habita anno Domini 1583. In eandem sententiam Narbonense anni 1609. decrevit: *Mercatus, Emporia, & Nundinæ nusquam fiant diebus Festis, sed in antecedentem, vel subsequentem Festivitatis diem transferantur*; Eorum porro Conciliorum verba fideli calamo recensentur à *Pouget in Institutione Catholic. Tom. I. pag. 724. & sequentibus.*

1745.

De abusu Nundinarum diebus Festis pridem inducto; Testimonium S. Basilii.

§. 18. Cæterum habendarum Nundinarum, & Mercatuum diebus festis corruptelam antiquo jam tempore invaluisse, plurima evincunt monumenta. S. Basilius Cæsareensis Archiepiscopus, qui quarto Christianæ Ecclesiæ sæculo vixit, in Regula Monachorum *interrogatione* 38. post stabilitum ipsorum laborem, propriis manibus dictim absolvendum, indicavit in *sequenti interrogatione* quomodo peracta opera vendi deberent, ut eorum pretio sustentarentur. Mox *in interrogatione* 40. scripsit: *Neque vero quoniam alii jam eam, quæ apud Sanctos obtinebat, consuetudinem violavere, qui cum pro se invicem orare debuissent, & una cum pluribus Deum adorare, & cum lacrymis implorare, ipsumque pro peccatis propitium reddere, gratias pro beneficiis rependere, ac verbis hortativis sese ædificare (quod adhuc nostra etiam memoria usitatum, & observatum fuisse novimus;) pro his omnibus forum, Nundinasque, ac commune emporium & tempus illud, & locum efficiunt, continuò nos etiam hos imitari par est, ejusque rei participatione absurda, & inepta confirmare*: ut videre licet *in Tom. 2. Operum* ejusdem S. Basilii *editionis Parisien. pag. 346.* Aurelius Cassiodorus Senator, & ab Epistolis Theodorici Regis Gothorum, qui vivebat sæculo sexto, *in Epistola 33. lib. 8. tom. 1.* Festum celeberrimum describens, quod in Lucania agebatur in honorem S. Cypriani Martyris, itemque Miraculum à Deo hac occasione edi solitum ad Fontem Marcilianum; mentionem pariter ingerit de Nundinis longe frequentissimis ad augendam Festi celebritatem ibidem institutis. *Quidquid enim* (inquit) *præcipuum aut industriosa mittit Campania, aut opulenti Brutii, aut Calabri pecuniosi, aut Apuli idonei, vel ipsa potest habere Provincia, in ornatum pulcherrimæ illius venalitatis exponitur, ut meritò tam ingentem copiam judices de multis Regionibus congregatam.* Jubet deinde Severo Provinciæ Præsidi, ut vim tumultuariam Villicorum quorundam comprimat, qui commeantes Mercatores spoliabant. Ad finem ejusdem sæculi vixit S. Gregorius Turonensis Episcopus. Is autem *in lib. 1. de gloria Martyrum cap. 32. editionis Parisien. pag. 758.* describit nobile Festum, quod in honorem S. Thomæ Apostoli fiebat Ædessæ, ubi sacræ illius exuviæ ex India translatæ quiescebant. Fontem mirificè scaturientem memorat, potum confluentibus ad Festum, quod triduo agebatur, tribuentem: nec reticet liberas à vectigalibus Nundinas, quæ sacram celebritatem illustriorem reddebant: *In supradicta igitur Urbe, in qua beatos artus diximus tumulatos, adveniente Festivitate, magnus aggregatur Populorum Cœtus, ac de diversis Regionibus cum votis, negotiisque venientibus, vendendi, comparandique per triginta dies sine ulla telonii exactione licentia datur.* Theodoricus Ruinartius in notis ad hunc locum animadvertit, in quibusdam exemplaribus legi: *Negotiatoribusque venientibus*; in aliis verò: *Negotiisque venientes*: negotiique nomine res venales indicari. Tandem undecimo ineunte sæculo, cum Mediolani in Templo S. Mariæ ad Portam septimo Idus Maii aliquot insignes Sanctorum Reliquiæ fuissent inventæ, constitutum est à Clero, ut ad perennem rei memoriam Dies ipse quotannis Festus haberetur, Populusque universus feriaretur, *tanquam in die Resurrectionis, & Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi. Quo etiam die, ad frequentationem solemnitatis, statutum est, annuale esse Mercatum*, teste Landulpho Juniore *cap. 2.* suæ Historiæ, apud Muratorium *tom. 5. Collect. Script. rer. Italicar.*

Cassiodori.

S. Gregorii Turonensis.

Landulphi Junioris.

§. 19. Quod autem vigiles Ecclesiarum Præsides nunquam omiserint, in hujusmodi abusum

Ecclesiasticæ Leges adversus præ-

cele-

1745. vam consuetudinem latæ.

celebrandarum Nundinarum atque Mercatuum diebus Festis, invehere, agnoscere potestis ex *tom. 4. Anecdotorum Paristis editorum* à Martene, & Durand *pag. 335., & 1133.*; Ex amplissima collectione Scriptorum, & monumentorum ab iisdem publicata, præsertim *tom. 7. pag. 1401., & tom. 8. pag. 1006., 1560., & sequen.*; Itemque ex Labbeana Collectione Conciliorum editionis Parisiensis *tom. 7. pag. 1177. tom. 8. pag. 111., & 127. tom. 9. pag. 422., & 584. tom. 13. pag. 1380., & tom. 14. pag. 702.* Inter Acta Mediolanensis Ecclesiæ idipsum liquet ex Tertio Provinciali Concilio, & Undecima Synodo Diœcesana S. Caroli. Quod si id genus testimonia ex Canonico quoque Jure petenda sint; in prima Decretali sub *Titulo de Feriis* vobis occurrit præceptum, quo jubentur Christifideles *diebus Dominicis ab omni illicito opere abstinere, ut in eis Mercatum minimè fiat.* Quo nomine comprehenduntur etiam Nundinæ, ut in Commentariis ad allegatum Textum docent plerique Canonici Juris Interpretes. Præterea in Bullario Romano extat Constitutio quinta S. Pii V., in cujus §. 8. Pontifex vigilantissimus cavit: *Ut omnes Dies Dominici, & præcipuè in honorem Dei, Beatæ Mariæ Virginis, Sanctorum Apostolorum feriati, cum omni veneratione observentur, & omnes in diebus præfatis Ecclesias frequentent, Divinis Officiis devotè intendant, ab omni illicito, & servili opere abstineant, Mercatus non fiant, profanæ negociationes, & judiciorum strepitus conquiescant.*

Quæ tamen effectu caruerunt.

§. 20. Adversus tot saluberrimas Ecclesiæ Sanctiones providè editas, suborta jam diu corruptela adhuc perseverat, & à Populis pertinaciter retinetur non in nostra solùm temporali Ditione, verum etiam in tota Italia, ut testatur Muratorius *tom. 2. Antiquitatum Italicarum dissertat. 32.*, ubi postquam asseruit magnis Mercatibus tributum fuisse nomen *Feriæ*, vulgò *di Fiera*: *Hisce vero hoc nomen inditum, quod plerumque diebus feriatis haberentur, hoc est, in Natali alicujus Sancti, aut Dominicis Festivitatibus*, opportunè ad rem prosequitur: *Quem morem parum alioqui laudabilem adhuc Italia servat*: In Transalpinis quoque Provinciis idem abusus, antiquo tempore invectus, hodie viget; quemadmodum videre licet apud Theologos, & Sacri Juris Interpretes à Nobis paulò ante memoratos, qui tamen patrium morem, etsi minus probum, excusant obtentu Indulti, vel consuetudinis antiquæ constanter toleratæ. Quapropter suspicari meritò possumus, toti fere Orbi Christiano accidisse, quod in Anglia contigit duodecimo Christi Sæculo. Abbas Flajensis, ut refert Mattheus Parisius, subjectæ sibi regionis Populis vetaverat Mercatus, & Nundinas diebus Dominicis, quamvis illæ in tota Anglia fierent; sed vix aliquandiu relicto abusu, in vetitum morem Gentes illæ rediere: *Verumtamen tempore procedente, plerique, ut canes, ad vomitum, sunt reversi.*

Etiam extra Italiam.

Pontificis consilium.

§. 21. Reliquum modo est, ut dispiciamus, quod ultimo tandem loco expendendum proposuimus, quo scilicèt remedio prudenter ac salubriter uti debemus, ut grassans ætate nostra tollamus absurdum.

Mercatus omnino prohiber diebus Festis.

§. 22. Debito procedentes ordine, *Mercatus à Nundinis* distinguimus. Textus Juris Canonici paulò ante allegatus in *cap. 1. de Feriis* loquitur de *Mercatu*. Idem quoque Verbum in Constitutione sua usurpat S. Pius V. Communis præterea sententia est, (quidquid sit de Nundinis) Mercatum haberi non posse Diebus Festis, sed esse transferendum in antecedentem, vel in subsequentem diem, si in Festum inciderit. Huic regulæ Nos inhæsimus, facultatem tribuentes die 9. Maii 1742. Viro Nobili Ferrariensi habendi Mercatum in suo Rure qualibet feriâ quintâ, dummodo in illam non incideret Festum servandum ex præcepto; quo casu Mercatus transferretur in feriam quartam. Qua de re omnem dubitandi ansam præcidentes, Vobis per hæc Apostolica scripta mandamus, ne in Diœcesium Vestrarum Urbibus, & Locis *Mercatus* fieri Festis Diebus patiamini.

1745.

Eaque de re confirmat Decretum Congreg. Concilii in Ripana Mercatus.

§. 23. Libentiùs præterea id Vobis præcipimus, quia post sedulum ac maturum examen, consentaneè idipsum decrevit die 2. Maii 1711. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpres in Causa *Ripana Mercatus*, ut *ex lib. 61. Decretor. pag. 203. à terg.* Quod Decretum Apostolica auctoritate Nostra comprobantes, instar regulæ esse volumus, ac in omnibus Temporalis Ditionis Nostræ Provinciis, Urbibus, ac Locis S. Sedi Apostolicæ mediatè, vel immediatè subjectis, inviolabiliter observari præcipimus. Decreti hujusmodi sequens est exemplum: *Cum modernus Episcopus Ripanus de mense Septembris 1709. Editum typis mandaverit super observantia dierum Festorum, in quo signanter illud præscripsit §. 2.: Le fiere, che sogliono farsi in alcune Feste determinate dell'anno, si tolerano dopo celebrata la Messa Maggiore; Ma i Mercati, che si fanno in giorno fisso della settimana, cadendo in questo qualche Festa, si trasferiscano nel giorno antecedente, o susseguente non festivo, secondo la disposizione di tutti i Sinodi Diocesani da nostri Antecessori stampati sotto le infrascritte pene &c.: Nihilominus Civitas, & Homines Ripani ad impediendam ejusdem Edicti promulgationem, ex asserta immemorabili consuetudine habendi Mercatum in die Sabbathi, etiamsi in eum incidat dies Festus, obtinuerunt ab A.C. Monitorium super manutentione cum inhibitione. Sed R.P. Auditoris Sanctissimi Decreto Causa remissa fuit ad hanc Sacram Congregationem, in qua concordato infrascripto Dubio, contingit hodie ex deducendis hinc inde à Partibus momentis disputari: An liceat Communitati, & Hominibus Ripæ habere Mercatum die Sabbathi, intus, vel extra Civitatem, quando occurrit quod sit dies festivus in casu &c.: Die 2. Maii 1711. Sacra Congregatio Concilii respondit NEGATIVE, & hujusmodi causam ampliùs non proponi mandavit.*

Tenor Decreti.

Consuetudinem immemorabilem non suffragari decernit.

§. 24. Et sanè nullum hic locum habet quævis consuetudo, etiam immemorabilis, ut, omissis generalibus jurisprudentiæ regulis, perspicuè liquet ex aliis momentis mox adducendis. Ante memoratam Causam Ripanam, proposita in Congregatione Concilii fuit alia, inscripta *Barchinonen. Observationis Festorum*: Contendebant Mercatores Barchinonenses, vendere posse Merces suas diebus Festis, consuetudine fulti immemorabili, ritè probata, ac etiam speciem, & imaginem necessitatis præferente. Finitimorum siquidem Locorum Incolæ reliquis hebdomadæ diebus victui quærendo, ac laboribus intenti, nonnisi die Festo ad Urbem accedebant. Adversante nihilominus Episcopo, Causa proposita fuit in Congregatione, quæ die 13. Maii 1669. respondit: Id Mercatoribus non licere, quacumque consuetudine immemorabili nequaquam obstante. Putarunt tamen Mercatores succumbentes, hujusmodi rescripto fundamentum præbuisse opinionem ingestam fortè Partibus: *Se distrahere velle Merces apertis Apothecarum foribus.* Instaurato proinde judicio, ac mente patefacta, validiore conatu objectæ consuetudini immemorabili institerunt. Congregatio tamen die 27. Martii 1683. in priori sententia, & decreto perstitit, silentiumque Mercatoribus imposuit.

Ejusdem Congreg. judicium in Causa Barchinonen.

De Nundinis.

§. 25. Mercatibus succedunt *Nundinæ*, quarum respectu propositum nostrum esset ea decernere, quæ de Mercatibus statuimus, pleno corde illis inhærentes, qui Festos Dies, qua decet cura ac sedula religione, sanctificari à Christifidelibus cupiunt, & pro viribus enituntur. Sed ne

Observantia dierum Festorum remittitur, necessitate id exigente, ab Alex. III.

pejora contingant absurda, præcipimus quod possumus, non quod optamus.

§. 26. Neminem certè latet, quo flagraverit zelo, quantumque divini honoris fuerit studiosus, celebratissimus Pontifex Alexander III. Noster Prædecessor: Ratione tamen pari, ac necessitate compulsus, indulsit quibusdam Populis, ut diebus Dominicis, aliisque Festis, piscarentur, majoribus dumtaxat Solemnitatibus exceptis; dummodo piscatione peracta, congruentem eleemosynam impertirent vicinis Ecclesiis, & pauperibus Jesu Christi, ut habetur *in Cap. licet. de Feriis.*

Similiter à Sixto V.

§. 27. Dum in minoribus constituti à Secretis eramus memoratæ Congregationis Concilii Tridentini Interpretis, præ manibus habuimus Indultum fel. record. Sixti Papæ V. Prædecessoris Nostri, qui ad preces cujusdam Abbatis Ordinis S. Benedicti Dioecesis Gerunden. facultatem impertitus est piscandi Diebus Festis Habitatoribus Castri, mari adjacentis, post auditam Missam, & post meridiem, adjecto onere tribuendi Abbati, ejusque Monasterio tertiam lucri partem, in Ecclesiæ instaurationem piè erogandam. Quæ conditio progressu temporum cum nimis onerosa visa sit Piscatoribus, paupertate pressis, & exhaustis dispendio, quod Naves Piscatoriæ exigebant; re ad Sac. Congregationem delata, imminutum fuit primævum onus ad septimam partem, ut ex *Decreto edito die 24. Augusti* 1720.

Rationes indulgendi celebrationem Nundinarum diebus Festis.

§. 28. Fatemur sane, necessitatem, quæ sese Alexandro III. objecerat, cum illa, in qua versamur, non esse conferendam. Nostra tamen gravis est, si illa fuit gravissima. Durum enim est, atque asperum id Populis adimere, quod Decessores Nostri peculiaribus Literis indulserunt: Res præterea hujusmodi conditionis est, quæ pluries vetita, atque sublata, denuò in pristinum morem emersit: De ipsa non una est Theologorum, & Canonistarum sententia: Quinimo aliquot doctrina, & pietate illustres illam illicitam non habent. De re tandem agitur, qua sublata, minuerentur Populorum commoda, atque commercia, humanæ vitæ longè opportuna. E contra verò retineri alio modo non potest, quàm quo viget; Etenim difficillimum, ne dicamus impossibile, deprehenditur, frequentes haberi posse Nundinas extra dies Festos, quibus confertim Populi confluunt, quovis alio soluti labore, ac negotio.

Conditiones adjectæ pro Nundinis Senogall.

§. 29. Inter Nundinas, quæ in Provinciis nostris aguntur, illustriores, ut benè nostis, sunt Senogallienses protractæ multis diebus. Cum Anconitanam Ecclesiam Senogallensi finitimam regeremus, non sine mœrore intellexi-mus, tempore Nundinarum ea omnia fieri Festo etiam die, quæ aliis hebdomadæ diebus Divino cultui non consecratis, peragebantur. Huic malo occurrere satagentes, die 24. Augusti superioris anni Constitutionem Nostram de Nundinis Senogallensibus publicavimus, qua præter cætera jussimus, ut Diebus Festis Apothecæ clauderentur; Neque matutinis horis, aut vespertino tempore, quibus Divina Officia in Ecclesiis celebrantur, vel Dei verbum Populo nuntiatur, Contractus fierent. Imminutum verò hac de causa sæcularibus negotiis tempus compensaturi, Nundinarum dies, cum iisdem Privilegiis & immunitatibus, opportunè multiplicavimus. Exequutioni debitæ jussa nostra hoc anno mandata, meliorem atque utiliorem rerum ordinem pepererunt, magno omnium Civium, & benè moratorum hominum solatio.

Compensatio.

Ne certis per diem Festum horis commercia agantur.

§. 30. Id ipsum, Ven. Fratres, & vos agite. Constituite, Auctoritate Nostra, matutinas & vespertinas horas, quibus Festo Die, quo Nundinæ habentur, claudi debeant Apothecæ, nec publica possint exerceri commercia, ut qui ad Nundinas confluxerunt, Missæ Sacrificio, & Divinis Officiis interfint, aliisque Christianis operibus Festum sanctificent. Vigilate, ut omnia plene, & exacte impleantur. Nos autem per Publicum Edictum non prætermittemus extendere Nundinarum privilegia ad diem sequentem, qui Festus non erit; ut temporalia negocia paucarum horarum spatio, propter Dei cultum & animarum salutem, intermissa, integri diei accessione commode peragantur.

Dies Nundinarum prorogantur.

§. 31. Hæc sunt, Ven. Fratres, quæ post maturum examen, auditamque gravium atque doctorum Virorum sententiam, de proposita quæstione Vobis significanda censuimus, quibus omnibus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die quinta Novembris MDCCXLV. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

Dat. die 5. Nov. 1745.

Divisio Materiarum & Gratiarum Apostolicarum, quæ per Datariam Apostolicam, quæque per Secretariam Brevium Secretorum sunt expediendæ. CXLV.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI,

Ad perpetuam rei memoriam.

Officiorum & jurisdictionum distinctio recto regimini necessaria.

GRAVISSIMUM Ecclesiæ Universæ reique publicæ regimen humilitati Nostræ creditum, optimâ, quantum Nobis ex alto conceditur, ratione moderari; simulque ab omnibus iis, quorum opera ac ministeriis utimur, concordibus atque in unicum publicæ utilitatis scopum collineantibus studiis procurari cupientes; id maximè interesse arbitramur, ut singulis Officiis, quibus tàm Justitiæ administratio, quàm Gratiarum dispensatio continetur, propriasque distinctas in Republica partes, certosque tum auctoritatis tum jurisdictionis limites designemus: Constat enim, non aliunde certiorem gubernii concordiam, quàm ex recta divisione munerum, & Officiorum partitione coalescere; nec magis firmam corporis stabilitatem, quàm ex apta atque ordinata membrorum omnium distinctione consistere. Quapropter, cùm anno proximè elapso, editis Apostolicis Literis XII. Kalendas Januarii, quarum initium est: *Romanæ Curiæ præstantiam*, hujusmodi munerum & jurisdictionum divisionem pro Judicibus & Tribunalibus hujus Nostræ Curiæ, in iis, quæ pertinent ad legitima Causarum judicia, opportunè statuerimus: animum in præsentia adjicimus ad certos constituendos fines, intra quos ea quoque Officia se in posterum continere debeant, quibus demandata est expeditio Gratiarum, quæ de Apostolicæ Sedis liberalitate tàm in universos Christifideles, quàm in Subditos Ditioni Nostræ Populos, assidue diffunduntur.

Reformatio Tribunalium à Sanctissimo Domino Nostro peracta.

De Officio Magistri Brevium in Dataria Apostolica.

§. 1. Porro ad expedienda complura hujusmodi Gratiarum genera, inter cæteros Apostolicæ Sedis Ministros & Officiales, unus in Dataria Apostolica ab immemorabili tempore extitit, Magister Brevium nuncupatus, cujus electionem ante Pontificatum felicis recordationis Prædecessoris Nostri Pauli Papæ V. ad Collegium Secretariorum Apostolicorum absque controversia pertinuisse dignoscitur. Verùm quum de anno 1614. post obitum olim Joannis Mileti ad hujusmodi Officium Magistri Brevium à prædicto Collegio Secretariorum Apostolicorum electi, super jure novum Magistrum Brevium eligendi & deputandi, triangularis orta esset lis & con-

troversia;

troversia; num scilicet ad Datariam Apostolicam, an verò ad prædictum Collegium Secretariorum Apostolicorum, vel potius ad Collegium Scriptorum Brevium, prædicti Officialis electio & deputatio spectaret; eaque Lis & Causa coram bon. mem. Marco Aurelio Maraldo tunc temporis Datario discuteretur, atque adhuc indecisa penderet; idem Prædecessor Paulus hujusmodi Litem & Causam auctoritate Apostolica ad se avocavit, atque omnibus ritè perpensis, per suam Schedulam Motus proprii decrevit & declaravit, electionem personæ, quæ Officium Magistri Brevium exerceret, à prædicto Collegio Secretariorum Apostolicorum semper faciendam esse & fore, factamque tunc ab ipso Collegio electionem in persona Joannis Jacobi Bulgarini ratam habuit, approbavit, & confirmavit.

Quod à Gregorio XV. in Officium Vacabile erectum fuit.

§. 2. Postea verò recolendæ memoriæ Prædecessor pariter Noster Gregorius Papa XV. Anno MDCXXII. Officium hujusmodi Magistri Brevium in Officium Vacabile sub eodem titulo, cum adnexis Prælaturæ insigniis & honoribus, & cum facultate illud resignandi pro justo pretio, ad instar aliorum Officiorum Vacabilium, erexit, ipsique pro tempore Prælato hujusmodi Officii possessori, omnia & singula emolumenta, quæ de cætero in Gratiarum expeditionibus à Magistro Brevium percipi & exigi consueverant, perpetuò cessit & assignavit; atque ita de una in alteram personam transeundo, Officium prælictum in proprietatem devenit Venerabilis Fratris Alexandri de Abbatibus, nunc Viterbiensis Episcopi. Cum autem Nos, conservandis augendisque Apostolici Ærarii utilitatibus sollicitè intenti, uberes ejusdem Officii redditus, cum primùm illud ex persona moderni ipsius Possessoris vacare contigisset, Cameræ Nostræ Apostolicæ in perpetuum applicare & appropriare statuissemus; ut etiam citiùs hujusmodi applicatio & appropriatio suum sortirentur effectum, Officium ipsum à prædicto Alexandro Episcopo pro competenti pretio resignari curavimus. Quod quum ipse de facto in manibus Nostris spontè resignasset; Nos resignationem hujusmodi admittentes ad commodum & favorem ejusdem Cameræ Apostolicæ, per speciale Chirographum manu Nostra signatum sub die 6. Junii Anni Domini MDCCXLII., mandavimus, ipsi Resignanti persolvi ex pecuniis prælictæ Cameræ tredecim millia scutorum monetæ Romanæ de juliis decem pro quolibet scuto, pro pretio convento prædicti Officii, quemadmodum soluta fuerunt; & ex tunc hujusmodi Officii Magistri Brevium nuncupati annuum fructum, & emolumenta ex ipsius Officii exercitio pro tempore redigenda, eidem Cameræ Apostolicæ applicavimus, & perpetuo incorporavimus; ita tamen, ut à Nostro & Pontificum Successorum Nostrorum pro tempore Datario, unus aliquis Officialis eligi, & cum congrua mercedis assignatione deputari debeat, adhoc ut sub ejusdem Datarii directione, nomine verò Cameræ Apostolicæ, Officium ipsum fideliter exerceat, & administret, prout supradictus Alexander Episcopus ejusque in dicto Officio Prædecessores pro tempore exercuerunt; ac de perceptis seu exactis emolumentis, statutis temporibus, & quandocumque opportunum visum fuerit, rationem reddat, prout in prædicto Chirographo manu Nostra signato, & in Instrumento indidem per acta dilecti Filii Gregorii Castellani unius ex ejusdem Cameræ Apostolicæ Secretariis sub die quinta Julii ejusdem anni confecto & stipulato, latiùs & uberiùs continetur.

Ipsius redditus Cameræ Apostolicæ applicari à Summo Pontifice.

Qui separari jubet gratiarum genera per dictum Officium expedien. ab aliis, quæ per Secretariam Brevium expediri possunt.

§. 3. Ut autem certa ratione constet, quænam gratiarum, & concessionum genera per Datariam prælictam, & per organum hujusmodi Magistri Brevium in posterum expediri oporteat; quænam verò sint expeditiones, quæ per Literas sub Annulo Piscatoris, & per Secretariam Brevium Nostrorum Secretorum fieri permittuntur; omnisque inordinatio & confusio tollatur, quæ ex promiscuo recursu ad prædictas Datariam, & Secretariam Brevium, aliàs usitato, oriebatur; non sine fraudum periculo, & Officiorum Vacabilium de expeditionibus participantium, adeoque ipsius Cameræ Nostræ Apostolicæ detrimento; mandavimus Dilecto Filio Nostro Dominico Tituli Sancti Bernardi ad Thermas Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali Passionco nuncupato Brevium Nostrorum secretorum Secretario, necnon dilecto Filio Magistro Joanni Jacobo Millo Datario Nostro, ut unanimi studio, perpensis veteri stylo & consuetudine, atque etiam ipsa multiplicis generis gratiarum & concessionum natura, consilium suum Nobis aperirent super hujusmodi negociorum divisione & congrua partitione inter prædicta Officia inviolabiliter in posterum stabilienda & respectivè servanda.

§. 4. Ipsi verò præmissa omnia sedulò & accurate pensantes, auditis etiam utriusque Officii prædicti Ministris in eorum praxi, stilo, & consuetudinibus, respectivè peritis, post maturum examen, Elenchum quemdam, communi ipsorum consensu conceptum, & utriusque subscriptione signatum Nobis obtulerunt, in quo singillatim continebantur materiarum seu gratiarum Apostolicarum genera: Primò quidem earum, quarum expeditionem ad dictam Secretariam Brevium Secretorum privativè; secundò earum, quarum expeditionem, tàm ad ipsam Secretariam, quàm ad Datariam Apostolicam promiscuè; tertio demum earum, quarum expeditionem ad ipsam Datariam privativè spectare debere convenientiùs judicarunt.

Elenchus Gratiarum per Secretariam Brevium privativè expedien.

§. 5. Porrò concessiones, & gratiæ, quarum expeditio, juxta prædictum Elenchum, Secretariæ Brevium Secretorum privativè tribuitur, tales sunt: *Altaria portatilia*: *Altaria privilegiata*: *Concessiones habitus Militiæ Domini Nostri Jesu Christi, aut alterius Militiæ similis*: *Avocationes Causarum, & extinctiones Litium*: *Abbreviatoriæ Nuntiaturarum*: *Indulta gaudendi privilegio antianitatis pro Advocatis Consistorialibus Coadjutoribus*: *Creationes in Militem auratæ Militiæ*: *& in Comitem Palatinum*: *Licentiæ ingrediendi in Monasterium educationis causa*: *Facultates permanendi in Monasterio in habitu sæculari*: *Capiendi possessionem nomine Cameræ*: *Vescendi prohibitis*: *Brevia facultativa Magnis Magistris cujuslibet Ordinis Equestris, vel Militiæ*: *Benedictiones Agrorum contra Animalia nociva*: *Commutationes voluntatis*: *Confirmationes Decretorum Congregationum, & Literarum patentium Nuntiorum, aut Legatorum Sedis Apostolicæ*: *Commutationes Officii Divini in alias preces*: *Creationes in Generalem, aut alios Officiales Regulares*: *Clericatus Cameræ*: *Admissiones ad privilegia Civitatis, vulgò* Cittadinanze: *Deputationes Coadjutorum in Officiis & muneribus sæcularibus*: *Communicationes privilegiorum & Indulgentiarum*: *Confirmationes electionum Personarum, non tamen super re Beneficiaria*: *Creationes Magistrorum, Abbatum, & aliorum Graduatorum Regularium*: *Commissiones contra Episcopos*: *Dispensationes super defectu ætatis tredecim mensium, vel alterius temporis, ad effectum suscipiendi Ordines*: *Declarationes Cappellæ publicæ*: *Derogationes Fideicommissorum*: *Doctoratus*: *Deputationes Commissariorum, Visitatorum, Collectorum, Auditorum, & Notariorum Nuntiaturarum & aliorum similium*: *Dispensationes super Bigamia, aut alio simili impedimento obsistente receptioni in Militiis, & Ordinibus Equestribus*: *Licentiæ concedendi Bona Ecclesiastica in emphyteusim ad tempus, & ad tertiam generationem, dummodo tamen Canon, aut Census annuus, summam decem ducatorum*

auri

1745. *auri de Camera non excedat, prout reperitur in regestis: Erectiones Marchionatus in Principatum, aut Ducatum, vel Comitatum: Erectiones Montium, Collegiorum, & Provinciarum pro Regularibus: Dismembrationes Conventuum ab aliqua Provincia ad effectum erigendi aliam: Oeconomatus: Erectiones Archiconfraternitatum cum facultate aggregandi: Facultates Universitatibus Studiorum: Facultates Episcopis suscipiendi munus Consecrationis: Licentiæ patrocinandi in Causis Civilibus: Retinendi Famulam in Monasterio: Facultates absolvendi à casibus reservatis: Retinendi Sacrum Oleum Infirmorum: Et asservandi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum: Facultates S. R. E. Cardinalium, Legatorum, Nuntiorum, & Episcoporum Pontificio Solio assistentium: Facultates assumendi nomen & Titulum Archiepiscopi, etiamsi Pallium quis non habeat: Gubernia: Indulgentiæ ordinariæ, & extraordinariæ: Indulta emittendi professionem ante completum annum Novitiatus: Emittendi pariter professionem in Conventu non destinato: Utendi Birettino: Non incedendi in habitu, ratione pensionum, juxta Constitutionem Sixti V., ad triennium: Impositiones super Ecclesiasticis: Cruciatæ: Prorogationes pensionum: Exemptiones à vectigalibus, Processionibus, & oneribus: Licentiæ ingrediendi Monasteria & pernoctandi in eis: Creandi Census, eosque extinguendi: Permutationes Bonorum, non tamen super materia beneficiali vel Ecclesiastica: Indulta capiendi possessionem post signatam supplicationem, & ante expeditionem Literarum, tàm pro Episcopis, quàm pro quocumque Beneficio Ecclesiastico, ad sex menses: Percipiendi fructus in absentia & non residendo: Permanendi extra Statum Ecclesiasticum: Habendi Fenestram, Cancellos, & Januam in publicis Ecclesiis: Recipiendi Sacram Communionem in privatis Domus Oratoriis: Retinendi, & legendi Libros prohibitos: Exercendi Opera servilia diebus festivis: Celebrandi in loco patrati delicti: Incedendi in habitu laicali, ad effectum dumtaxat gaudendi privilegio Fori, & retinendi pensiones, ut supra: Legitimationes: Concessiones habendi locum in Consilio Ferrarien., aut alterius Civitatis, & Terræ Status Ecclesiastici: Dispensationes Matrimoniales pro Principibus Supremis: Oratoria privata: Creationes Prothonotariorum Apostolicorum non participantium: Prohibitiones extrahendi Libros, Paramenta, & utensilia sacra: Revocationes talium prohibitionum: Prorogationes ad tempus, non tamen ad præsentandum, aut publicandum, vel ad suscipiendos Ordines, sive aliquem gradum, juxta decretum appositum in supplicatione per Datariam: Facultates privativæ imprimendi Libros: Revalidatoriæ, seu Perinde valere super Brevibus jam expeditis: Loca seu Officia Quadraginta Virorum Reformatorum status libertatis Civitatis Bononien., & resignationes eorumdem Locorum seu Officiorum: Restitutiones in integrum, dummodo non sint in materia beneficiaria: Reductiones onerum & Missarum: Concessiones privativæ venationis: Provisiones Ecclesiarum in Partibus Infidelium ad instantiam vel commodum Congregationis de Propaganda Fide, favore Vicariorum, necnon Ecclesiarum Scotiæ & Hiberniæ, quæ à prædicta Secretaria gratis conceduntur: Auditoratus Rotæ Maceraten., Ferrarien., & Bononien.: Officia Signaturæ: Alia Officia, & munera sæcularia, quæ à Romano Pontifice Sæcularibus conferuntur, & quæ per Breve expediri consueverunt, & similia, quæ respiciunt sæcularitatem sine ulla connexione cum re beneficiaria, cujusmodi sunt Capitaneatus, Baroncellatus, Fiscalatus, & similia; necnon Deputationes Coadjutorum in eisdem: Licentia Personis Ecclesiasticis suscipiendi tutelam Minorum, & nobilibus Mulieribus viduis suscipiendi tutelam Filiorum: Item Personis Ecclesiasticis, studendi Juri in publicis Studiorum Universitatibus: Extrahendi Reliquias: Versandi cum Hæreticis: Locandi ad tempus: & Indulta liberandi Reos pro Confraternitatibus.*

§. 6. Gratiæ autem & concessiones, quæ tam per Secretariam Brevium prædictorum, quàm per Datariam Apostolicam promiscuè, juxta dictum Elenchum, poterunt expediri, sunt quæ sequuntur: *Confirmationes Contractuum, Statutorum, Privilegiorum, Ordinationum, Concordiarum, & Transactionum, tàm in forma communi, quàm in forma specifica: Absolutiones cum dispensationibus ad Ordines super Irregularitate proveniente ex defectu corporis, vel ex delicto, non tamen homicidii in Statu Ecclesiastico commissi: Confirmationes Decreti Judicis: Derogationes Statutorum Urbis, Spoletan., & aliarum Civitatum super excessu Dotis: Dispensationes super præmissis Irregularitatibus cum prædictis restrictivis: Extra Tempora, tàm pro Italis, quàm pro Ultramontanis: Erectiones Confraternitatum: Indulta medendi, & exercendi Chirurgiam: Indulgentiæ perpetuæ pro Confraternitatibus: Licentiæ transeundi ad Ordinem strictiorem: Licentiæ se immiscendi in Criminalibus: & restitutiones adversus lapsum quinquennii.*

1745. Item earum, quæ tam per Datariam, quam per Secretariam Brevium expediri possunt.

§. 7. Demum Concessiones, & Gratiæ, quarum expeditio, juxta relatum Elenchum, Datariæ Apostolicæ privativè quoad Secretariam prædictam reservatur, sunt generaliter quæcumque aliæ Concessiones & gratiæ in superioribus non comprehensæ nec expressæ; & signanter illæ omnes, in quarum expeditione, de stilo & consuetudine immemorabili, solvenda est Compositio in ipsa Dataria, aut Taxa Cancellariæ, sive Jocalium.

Quænam per Datariam tantùm expediri debent.

§. 8. Nos igitur, quum præmissam materiarum, & gratiarum Apostolicarum divisionem & partitionem justâ lance libraverimus, eamdemque rationabilem, & æquitati consonam, & tàm Secretariæ & Datariæ prædictarum juribus congruenter distinguendis, quàm Cameræ & Cancellariæ Apostolicarum, illarumque respectivè Ministrorum, Officialium, & Collegiorum indemnitatibus conservandis & stabiliendis, aptam opportunamque agnoverimus; non modò ipsam, prout superius expressa est, ratam & gratam habemus; verùm etiam perpetuæ ipsius firmitati, & observantiæ consulere & providere volentes, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, eamdem, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, in perpetuum approbamus & confirmamus, illique inviolabilem Sanctionis Nostræ firmitatem & robur adjicimus. Decernentes, & eadem auctoritate statuentes, quod gratiæ & concessiones Apostolicæ alterutri ex Secretaria Brevium, & Dataria prædictis privative, ut præmisimus, attributæ, si quas fortè per alterum ex dictis Officiis, contra hujusmodi partitionis & divisionis præscriptum, expediri quandocumque in posterum contingat; necnon ipsæ Literæ Apostolicæ super iisdem confectæ; nullitatis & invaliditatis vitio subjaceant: prout nos illas ex nunc, prout ex tunc, & è contra, tamquam non ritè & legitimè, seu etiam nullo modo expeditas, processusque forsan habitos vel habendos per easdem, cum omnibus & singulis inde quomodolibet secutis & sequendis, dicta Apostolica auctoritate, ipsarum tenore præsentium, annullamus, irritamus, & invalidamus, neminique ad quemcumque effectum ullatenus suffragari posse decernimus.

Pontifex confirmat relatam divisionem, & privativam inter dicta Officia respectivè constituit.

Sub pœna nullitatis expeditionum.

§. 9. Quamobrem iisdem Dominico Cardinali, & Magistro Joanni Jacobo Datario, eorumque pro tempore in muneribus hujusmodi respective Successoribus, per easdem præsentes districtè præcipimus & injungimus, ut ipsi in posterum in quarumcumque gratiarum & concessionum Apostolicarum expeditione, superius præscriptam divisionem & partitionem præ oculis habentes, eam firmiter observent, ac ab omnibus & singulis sibi respectivè subjectis Personis, Officialibus, vel Ministris inviolabiliter observari faciant. Et pro hujusmodi observantiâ, omnes &

Jubet supplicationes dirigi ad quem de jure.

quascum-

quascumque petitiones, aut supplicationes pro impetratione gratiarum in alterutro ex dictis Officiis per Sollicitatores, Agentes, negotiorum Expeditores, aut alios quoscumque, contra præscriptæ petitionis normam, forsan porrectas & præsentatas, seu quandocumque porrigendas & præsentandas, ad alterum ex eisdem Officiis, ad quod, juxta præmissæ partitionis continentiam, pertinere dignoscuntur, fideliter dirigant, & remittant: Non obstantibus aliis quibuscumque ipsarum petitionum, aut supplicationum remissionibus, quæ forsan ab alio quolibet ex Nostris Administris & Officialibus, etiam a Secretaria Nostra supplicum Libellorum, ac Nostro & Romani pro tempore Pontificis nomine, ac etiam a quacumque ex Congregationibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium emanaverint, vel extortæ fuerint. Nos enim remissiones ejusmodi, contra memoratæ partitionis præscriptum quomodolibet pro tempore emanatas, vel obtentas, nisi illæ de speciali Nostro aut Successorum Nostrorum mandato, expressam ipsarum præsentium derogationem contineant, tamquam per errorem factas, sive per subreptionem aut obreptionem obtentas, ab ipsis Brevium Secretario, atque Datario, eorumque Successoribus prædictis, omnino spernendas, & nullatenus attendendas fore declaramus.

Non obstantibus remissionibus aliunde obtentis, nisi præsentibus legitimè derogatum fuerit.

§. 10. Præsentes quoque Literas de subreptionis, obreptionis, aut cujuscumque nullitatis vel invaliditatis vitio, intentionisque Nostræ, ac quocumque alio defectu, etiam ex eo, quod in præmissis quomodolibet interesse habentes, vel habere prætendentes, illis non consenserint, ac ad ea vocati, & auditi non fuerint, vel quocumque alio colore, prætextu, occasione, vel causa, a quoquam notari, impugnari, in jus vel controversiam revocari nullatenus unquam posse, sed eas semper & perpetuò validas, firmas, & efficaces esse & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac ab omnibus & singulis, ad quos spectat & spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari: Sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios aut Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac prædictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & alios quoscumque quavis auctoritate & potestate fungentes & functuros, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, declarandi, & interpretandi facultate, judicari, declarari, & interpretari debere, & si secùs super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

Clausulæ salutares.

§. 11. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, de non tollendo jure quæsito, aliisque Nostris & Cancellariæ Apostolicæ Regulis, necnon Privilegiis, Indultis, facultatibus, & Literis Apostolicis ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Brevium prædictorum Secretario, ac Datario seu Pro-Datario pro tempore existentibus, quomodolibet, & ex quacumque causa hic forsan de necessitate exprimenda, respectivè forsan concessis, approbatis, & innovatis, usibus quoque, stilis, tolerantiis, permissionibus, & consuetudinibus etiam diuturnis & inveteratis, in contrarium præmissorum quomodolibet forsan facientibus, vel extantibus. Quibus omnibus & singulis, illorum omnium & singulorum tenores etiam veriores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, specialiter & expressè, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogationes.

§. 12. Nulli ergò omninò Hominum liceat paginam hanc Nostræ approbationis, confirmationis, constitutionis, irritationis, annullationis, præcepti, statuti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Sanctio.

Datum Romæ, apud S. Mariam Majorem Anno Incarn. Dominicæ MDCCXLV. sexto Kal. Dec. Pont. Nostri Anno Sexto.

Dat. die 26. Nov. 1745.

D. Card. Passionei.

J. Datarius.

VISA DE CURIA.

J. C. Boschi.

L. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicat. die 9. Decembris ejusdem Anni.

CXLVI.

Civium Romanorum gradus certa ratione distinguuntur: Nobilium Ordo, & Nobilium Conscriptorum numerus designatur; ac methodus præscribitur in cooptatione aliorum Nobilium deinceps servanda.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Pontificis studium de Urbis utilitatibus & ornamentis.

URBEM Romam Imperii quondam amplitudine toto Terrarum Orbe clarissimam, nunc autem, Sacerdotalis fastigii Sede, atque præcipuo religionis domicilio, longè clariorem, dum, in subeundo Sacrosancti Apostolatus onere, una cum reliquis Ecclesiasticæ Ditionis Civitatibus & Provinciis, in potestatem & fidem Nostram reciperemus; statim intelleximus id Nobis negocii datum esse, ut eam imperio Nostro non modò tutam atque beatam, sed etiam honestam atque omni ex parte illustrem, quantum in Nobis esset, servare & præstare niteremur. Quod quum, pro singulari Nostro erga eandem Almam Urbem amore, vel potius pietate ab ineunte ætate animo Nostro concepta, ac toto vitæ cursu, in ipsa plerumque Urbe a Nobis honorifice jucundèque transacto, in dies auctâ & confirmatâ, libentissimè curandum, & pro viribus efficiendum susceperimus; difficile dictu est, & tamen aliqua etiam ex parte satis cognitum atque testatum, quot & quam assiduas curas, cogitationes, expensas, in duplicem hujusmodi propositi Nobis Officii scopum ad hunc diem conferre debuerimus. Quoniam verò assumptum paterno studio opus non intermittere, sed ad finem usque urgere & promovere, auxiliante Domino, firmum & constitutum habemus; nunc unum potissimum, ad conservandum augendumque ipsius Urbis Nostræ splendorem & decus, in illius constitutione reformandum Nobis esse, atque emendandum statuimus; quod pluries mirati sumus, non satis distinctos in ea esse Civium gradus, nec certos adesse & præstitutos limites, quibus Nobilium Romanorum Cœtus a reliquis Civium & Incolarum Ordinibus discerneretur. Et sanè in omnibus rectè constitutis Civitatibus hujusmodi Ordinum & graduum distinctio, tam municipalium Legum & Statutorum præscripto, quàm ipsa Principum voluntate & auctoritate diligentissimè custodiri, atque servari consuevit: idque ad utilitatem & decus Reipublicæ magnopere pertinere existimatur; propterea quod hominum animis id veluti insitum atque innatum videtur, ut si qua potissimum laus in Familia aliqua floruerit, hanc fere qui sunt ejus stirpis, vel ipso naturæ ductu, vel patriæ virtutis memoria, & sermonibus hominum excitati, cupidissime persequantur. Quapropter non solum decere, sed etiam expedire judica-

Civium Ordines in Urbe aptiùs distinguere statuit.

vimus hujusmodi certam in Romana Urbe distinctionem Ordinum a Majoribus neglectam, aut multis modis, hominum fraude, turbatam, accuratiùs stabilire.

Consilia hac de re habita.

§. 1. Cumque magis aptam viam, atque rationem ad invectas pridem inordinationes tollendas, simulque in posterum præcavendas, inire cuperemus; mandavimus dilecto Filio Nostro Prospero Sancti Georgii in Velabro Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diacono Cardinali Columna nuncupato, ut ipse cum dilectis Filiis tunc existentibus Conservatoribus Cameræ Urbis prædictæ, & quatuor præterea Romanis Civibus Nobili loco natis, prudentia & rerum usu præstantibus, a Nobis designatis, de tota re maturo consilio deliberaret. Is verò, prædictis omnibus plurium mensium spatio frequenter coram se congregatis, atque auditis, quum eorum sententias diligentissimè enucleatas atque digestas, judicio Nostro detulisset; Nos demum, omnibus libratis atque perpensis, motu proprio, & certa scientia, infrascripta mandata atque præcepta inviolabiliter in posterum observanda, ad perpetuam Urbi dignitatem asserendam, Apostolicæ potestatis plenitudine edere atque sancire decrevimus.

Adscripti inter Cives, non ideo Nobiles censeri debent.

§. 2. Cum itaque, sicut accepimus, plures olim fuerint, & nonnulli adhuc forsan existant, qui adeptis tantummodo Romanæ Civitatis juribus, se tamquam de Nobilium Romanorum Cœtu jactare, atque etiam in publicis Actis, & scriptis, seu monumentis, hujusmodi Nobilium titulo & nomine semetipsos decorare, & ab aliis compellari facere non dubitaverint; freti fortasse aliqua expressionum & clausularum exuberantiâ, qua in concessæ sibi Civilitatis Diplomatibus honestari, & cumulari meruerint; Nos in primis decernimus atque statuimus, nemini licuisse, aut licere, Nobilis Romani gradum aut honores & privilegia sibi arrogare, quem constet a Conservatoribus pro tempore Cameræ Urbis prædictæ Romanâ tantummodo Civitate donatum fuisse, neque deinceps ad superiores honores, ut infra, adscendisse; sed illos dumtaxat, & non alios, pro veris Nobilibus Romanis nunc quidem haberi volumus, & reputari, quorum infra seriem & qualitates exhibebimus; non obstante quacumque hujusmodi nominis usurpatione, vel prætensa etiam longissimi temporis possessione, seu quasi; & non attenta qualibet expressionum amplitudine aut clausularum exuberantia, quæ in eorum receptionis Diplomatibus, etiam ipsorum, vel Progenitorum suorum meritorum intuitu, adscripta, inserta, seu adjecta fuerint; quam quidem ipsis decernimus nullum tribuere gradum majorem ea Civilitate, quam ex ipsis Cameræ Capitolinæ Tabulariis, in quæ successivis temporibus, de mandato Consilii Generalis, nomina Civium adscriptorum sive creatorum referuntur, eisdem concessam fuisse dignoscitur. Quapropter volumus & mandamus, novum confici Librum, seu Regestum, in quo omnium hujusmodi creatorum Civium nomina, sub simplici Civium nomina, sub simplici Civium Romanorum denominatione & titulo describantur; atque hujusmodi dumtaxat Librum, seu Regestum, de cætero attendi debere; Nullatenus verò præfata Diplomata, quæ omnia & singula, pro eo quod pertinet ad Patriciatus, sive Nobilitatis concessionem in ipsis fortè enunciatam, prædictis motu, scientia, atque auctoritatis Nostræ plenitudine annullamus, & irritamus, & nemini ad hujusmodi effectum, sive ab nobilitatis probationem, ullibi, aut ullo unquam tempore suffragari decernimus.

Eorum nomina inter Cives simpliciter referenda.

Diplomata Nobilitatis contra formam Decreti concessa annullantur.

§. 3. Porrò Nobilitatis Romanæ gradum & honores iis tantummodo jure competere, ac in posterum deferri volumus atque statuimus, qui vel ipsi, vel ipsorum Progenitores ad hunc diem, Conservatorum Cameræ Capitolinæ, aut Priorum Capitum Regionum Urbis, Officia & munera gessisse comperti fuerint; aut qui deinceps ad eandem Romanam Nobilitatem ritè admissi, & præviis probationibus, ut infra, faciendis, adscripti fuerint. Qua de re quum ad habendam certam eorum seriem, qui prædictis Conservatorum aut Priorum muneribus atque honoribus hucusque functi fuerunt, Libros, & Fastos Capitolinos accuratissimè inspici & describi jusserimus; infrascriptæque Familiæ Civium Nobilium tam Romanæ, quam aliarum Civitatum Italicarum, repertæ fuerint; Nos easdem Familias ad hujusmodi munera & honores olim admissas, quarum scilicet descendentes masculos, sive fœminas extare accepimus, præsentibus Nostris Literis adnotamus.

Elenchus Familiarum requisitis qualitatibus gaudentium.

§. 4. EARUM IGITUR SERIES HÆC EST.

Abbatti.	*Costaguti.*	*Origo.*
Acciajuoli.	*Cremona.*	*Orsini.*
Accoramboni.	*Crescenzj.*	*Ottieri.*
Alberici.	*Curti.*	*Palagi.*
Alberici.	*Dandini.*	*Palcotti.*
Alberini.	*del Drago.*	*Palombara.*
Aldrovandi.	*Eustachj.*	*Papi.*
Amadei.	*Fagnani.*	*Paracciani.*
Americi.	*Falconieri.*	*Parenzi.*
Androsilla.	*Fani.*	*Passerini.*
Androsilla.	*Fantuzzi.*	*Passionei.*
de Angelis.	*Febei.*	*Patrizj.*
Anguillara.	*Filonardi.*	*Petroni.*
Annibali.	*Fioravanti.*	*Pierleoni.*
Antamori.	*Florenzj.*	*della Porta.*
Aquilani.	*Fonseca.*	*del Pozzo.*
Astalli.	*Frangipani.*	*Raggi.*
d'Aste.	*Gabrielli.*	*Rasponi.*
d'Aste.	*Gabrielli.*	*Ravenna.*
degli Atti.	*Galli.*	*Ricci.*
Baldassini.	*Gavotti.*	*Roberti.*
Bentivogli.	*Genga.*	*Rocchi.*
Bentivogli.	*Gentili.*	*Rocci.*
Bernardini.	*Ghislieri.*	*Rondanini.*
Bernini.	*Ginnasi.*	*Rosolini.*
Bichi.	*Giori.*	*de Rossi.*
Boccapaduli.	*Gottifredi.*	*de Rossi.*
Bolognetti.	*Grassi.*	*Sacchetti.*
Bonaccorsi.	*Grassi.*	*Sacrati.*
Bonarelli.	*Grillo.*	*Sacripanti.*
Bonnechi.	*Gualtieri.*	*Sampieri.*
Bufalini.	*Incoronati.*	*Scarlatti.*
del Bufalo.	*Inghirami.*	*Serlupi.*
Buratti.	*Lancetta.*	*de Signoribus.*
Busti.	*Lercari.*	*Sinibaldi.*
Butii.	*Maccarani.*	*Soderini.*
Caccia.	*Macchiavelli.*	*Soderini.*
Caffarelli.	*Mandosi.*	*Sorbolonghi.*
Capizucchi.	*Manfroni.*	*Spada.*
Capponi.	*Mantica.*	*Spada.*
Capranica.	*Marciano.*	*Stati.*
Carandini.	*Marcolini.*	*Tanara.*
Cardelli.	*Marisciotti.*	*Tarugi.*
Carpegna.	*Massimi.*	*Teodoli.*
Casali.	*Massimi.*	*Testa.*
Cavalieri.	*Melchiorri.*	*Testa Piccolomini.*
Cavalletti.	*Mellini.*	
Caucci.	*Mignanelli.*	*Tibaldeschi.*
Celleſi.	*Molara.*	*Tomati.*
Cenci.	*del Monte.*	*Torres.*
Cenci.	*Montecatino.*	*Varani.*
Cerri.	*Moroni.*	*Vecchiarelli.*
Ceva.	*Muti.*	*Vermiglioli.*
Chigi Montoro.	*Muti.*	*Verospi.*
Ciccolini.	*Nari.*	*della Vetera.*
del Cinque.	*Negroni.*	*Vettori.*
Ciogni.	*Nunez.*	*Vidaschi.*
Circi.	*Nunez.*	*Vitelleschi.*
Collicola.	*Nuzzi.*	*Zambeccari.*
Colonna.	*Olivieri.*	*Zinanni.*
Correa.	*Olgiati.*	

Qui Nobiles Romani habendi sint.

Nobilium Liber confici & servari jubetur.

§. 5. Itaque volumus & mandamus peculiarem quemdam Librum, seu Regestum confici, in Capitolino Tabulario deinceps asservandum, in quo cum assistenti Dilectorum Filiorum Conservatorum Cameræ prædictæ, & Prioris Capitum Regionum Urbis nunc & pro tempore existentium, per manus Dilecti pariter Filii nunc & pro tempore existentis Scribæ Senatus Participantis nuncupati, describantur tam omnes & singuli præmissi, quàm alii deinceps in Civium Nobilium Romanorum ordinem rite, ut infra, cooptandi.

Liber quoque & Urna LX. Nobilium Conscriptorum instituitur.

§. 6. Præterea motu, scientia, & potestate similibus, ex Familiis superius enunciatis certum & constantem numerum sexaginta Familiarum, & non ultra, designari volumus, quas quidem Nos prima vice, ut infra, designamus; quæ Familiæ *Civium Nobilium Romanorum Conscriptorum* appellari debeant, quæque per manus prædicti Scribæ Senatus, & cum assistentia, ut supra, describantur in alio peculiari Libro, in Archivo Capitolino pariter asservando; earum verò nomina Tabellis, seu Chartulis inscripta in Urna quadam, vulgò *Bussolo*, includantur, ad effectus infra dicendos.

Nobiles Conscripti a Pontifice designati.

§. 7. Nomina igitur Familiarum Civium Nobilium Romanorum Conscriptorum, quæ a Nobis designantur, sunt quæ sequuntur.

Accoramboni, *Marius.*
Anguillara, *Carolus.*
Astalli, *Tiberius.*
d'Aste, *Franciscus.*
d'Aste, *Mauritius.*
Bichi, *Carolus.*
Boccapaduli, *Petrus.*
Bolognetti, *Jacobus.*
Bonarelli, *Petrus.*
del Bufalo, *Hyacinthus.*
Bussi, *Raynerius.*
Capizucchi, *Marius.*
Capponi, *Alexander.*
Capranica, *Camillus.*
Cardelli, *Antonius.*
Carpegna, *Franciscus.*
Casali, *Alexander.*
Cavalieri, *Æmilius.*
Cenci, *Virginius.*
Cenci, *Christophorus.*
Ceva, *Hortensius.*
Chigi Montorio, *Joannes.*
Costaguti, *Joannes Georgius.*
Crescenzi, *Virgilius.*
del Drago, *Paulus.*
Falconieri, *Horatius.*
Filonardi, *Scipio.*
Frangipani, *Pompejus.*
Gabrielli, *Angelus.*
Gabrielli, *Antonius.*
Gavotti, *Stephanus.*
Grassi, *Marcus Antonius.*
Maccarani, *Joseph.*
Mariscotti, *Horatius.*
Massimi, *Camillus.*
Massimi, *Franciscus.*
Melchiorri, *Joannes Baptista.*
Mignanelli, *Jacobus.*
Molara, *Terentius.*
Muti, *Innocentius.*
Muti, *Vincentius.*
Nari, *Fabritius.*
Olgiati, *Joannes Baptista.*
Origo, *Vincentius.*
Orsini, *Benedictus.*
Ottieri, *Lotarius.*
Palombara, *Maximilianus.*
Patrizi, *Patritius.*
Petroni, *Alexander.*
Raggi, *Thomas.*
Ricci, *Julius.*
Sacchetti, *Joannes Baptista.*
Sampieri, *Joannes Baptista.*
Serlupi, *Hieronymus.*
Soderini, *Nicolaus.*
Spada, *Clemens.*
Teodoli, *Hieronymus.*
Verospi, *Hieronymus.*
Vettori, *Franciscus.*
Vitelleschi, *Franciscus.*

Ratio servanda in adscriptione Nobilium.

§. 8. Ut autem in posterum nulli liceat indigno in Civium Nobilium Romanorum Tabulas irrepere, quoties aliquis ejusdem Urbis, sive alterius Civitatis Civis, petierit se, suamque Familiam in hujusmodi Nobilium Romanorum Ordinem adscribi; volumus, ut quatuor ex præfatis Nobilibus Conscriptis, quorum nomina singulis vicibus, coram Conservatoribus, & Regionum Priore pro tempore existentibus, a Scriba Senatus Participante ex prædicta Urna sorte extracta fuerint, qui nimirum in hujusmodi respective Familiis personam capitis gerere dignoscantur, dummodo tamen xx. ætatis suæ annum expleverint, ipsius postulantis, ejusque Familiæ conditiones & qualitates diligenter inquirant; ac de iis ad Congregationem ex infrascriptis personis compositam, nimirum ex tribus pro tempore Conservatoribus prædictæ Cameræ, & Priore Capitum Regionum Urbis, necnon duobus Sindicis, ipsisque quatuor Nobilibus Conscriptis, ut supra, extractis, & Scriba Senatus Participante, dummodo is ex Civium Nobilium Romanorum cœtu existat, (cui quidem Congregationi privativum jus & auctoritatem cognoscendi de hujusmodi Nobilium receptionibus harum serie perpetuò attribuimus), exactissime & verissime referant. Quod si ab hujusmodi postulante per authentica documenta probatum fuerit, tam suam, suique Patris stirpem, quàm Matris, & Aviæ paternæ, atque maternæ Familias, integro centum annorum decursu, sive Romæ, sive in aliis Civitatibus, ut supra, in Nobilitatis splendore & juribus versatas esse; vel etiam, quod attinet ad Familias Matris, aut Aviæ paternæ, sive maternæ, eas de numero Familiarum Nobilium Almæ Urbis prædictæ, juxta præsentium Litterarum tenorem & dispositionem, existere; atque hæc omnia, iis, qui prædictam Congregationem constituent, majori scilicet ipsorum numero per secreta suffragia in affirmativam consentiente, probata fuerint; tunc volumus ipsius postulantis nomen, eadem Congregatione præsente, per manus prædicti Scribæ Participantis, Civium Nobilium Romanorum Albo adscribi; ejusdemque receptionis decretum, unà cum omnibus authenticis monumentis ad Nobilitatis probationem ab eo prolatis, in Tabularium Capitolinum inferri. Publicum verò Diploma Nobilitatis Romanæ eidem concessæ, juxta formam inferius præscribendam, confici, ipsique nupèr adscripto tradi mandamus.

Probationes ad hunc effectum conficiendæ.

Quomodo suppleri debeat numerus Nobilium Conscriptorum.

§. 9. Nec aliâ prorsùs ratione agendum esse decernimus, quoties, deficiente aliqua ex Familiis Nobilium Conscriptorum superius enunciatis, aliam in eum numerum deinceps adsciscì oporteat. Volumus nimirum, quatuor, ut supra, ex præfata Urna extrahi, qui postulantium qualitates, & probationes ab his afferendas, examinent; & ad prædictam Congregationem de præmissis judicaturam distincte referant; ad hoc ut illius nomen, qui dignus habitus fuerit in locum vacantem subrogari, in præfato peculiari Libro adscribatur, Urnæque prædictæ includatur; ac documentis ab eo productis, Decretoque desuper condito, in Archivum relatis, ipsius Decreti exemplum, juxta aliam formam inferius pariter præscribendam, eidem expediatur. Verum, ut quis, eveniente hujusmodi loci vacatione, in numerum Civium Nobilium

Requisita.

Conſcriptorum recipi valeat, hoc inſuper requirimus, ut nempe ipſius Familia inter Nobiles Romanas jampridem adſcripta ſit, & fixum in ipſa Urbe Domicilium habeat; ac præterea illibatam ducentorum annorum, tam in paterna, quàm in materna, & Aviæ paternæ, maternæque ſtirpibus Nobilitatem, authenticis, ut ſupra, probationibus demonſtret; Si quis autem requiſitas probationes quoad paternam Familiam perfecerit; Matrem verò ſuam, vel Aviam paternam, ſive maternam, ex aliqua ex Familiis Nobilium Conſcriptorum eſſe aut fuiſſe demonſtret, nolumus alias ulteriores probationes, quoad hujuſmodi Maternæ, aut alterutrius Aviæ Familiarum nobilitatem, ad effectum de quo agitur, ab eo requiri. Quod ſi inter eos, qui ſe poſteroſque ſuos in deficientis Familiæ locum ſubrogari petierint, aliquis ſit, qui ex eadem gente, diversâ vero ſtirpe, originem ducere ſe oſtendat; volumus hunc, modo nullam in ſua ſtirpe labem contra requiſitæ Nobilitatis candorem contraxerit, cæteris omnibus poſtulantibus anteferri. Eos verò, qui non ex defectu probationum repulſam tulerint, ſed propter debitam alteri prælationem, in certum illum atque conſtantem Nobilium Conſcriptorum numerum admitti nequiverint, eveniente alterius loci vacatione, ab onere novas conficiendi probationes abſolvimus, dummodò relictis in Archivo Capitolino probationibus ſemel recognitis & approbatis, neque ſe poſtmodum, neque Familiam ſuam dedecore ullo, aut imparis affinitatis contractæ vitio, fœdatam fuiſſe demonſtrent.

De omnibus judicandum ad normam Juris, & Conſtitutionum Apoſtolicarum.

§. 10. Qui verò ſint Nobilitatis tituli, quibus tàm perſonæ, quàm Familiæ illuſtrantur; quæ probationes legitimam fidem facientes; quidve dicendum ſit Familiarum Nobilitati officere, earumque ſplendorem obſcurare; id ex juris communis, Statutorum, & Conſtitutionum atque Ordinationum Apoſtolicarum præſcripto colligendum, & judicandum decernimus; mandantes, ut Familiæ Romanorum Pontificum Succeſſorum Noſtrorum in Petri Cathedra pro tempore ſedentium, prædicto Civium Nobilium Romanorum Ordini, nullis requiſitis probationibus, quamprimùm adſcribantur.

Familiæ Roman. Pontificum pro tempore, Nobilium Ordini adſcribantur.

§. 11. Ut verò hujuſmodi Nobilium Romanorum Ordinis decus, adeoque ipſius Urbis dignitas, firmius ſtabiliuſque conſiſtant, hoc ſpeciali Privilegio univerſum Civium Nobilium cœtum Apoſtolica liberalitate donamus, ut ne quis in poſterum ad Officia & Munera Conſervatorum Cameræ Capitolinæ, aut Prioris Capitum Regionum Urbis, vel Magiſtrorum Viarum, ſive Conſulum Artis Agriculturæ, vel demum Curatorum publicorum Ædificiorum Urbis, *Fabriceriorum* nuncupatorum, a Nobis inſtitutorum, eligatur & deputetur, neque in numerum quinquaginta Conſiliariorum Sede Apoſtolica vacante aſſumatur, niſi de Civium Nobilium Romanorum ſuperiùs enunciatorum, aut deinceps rite adſcriptorum, Ordine & cœtu exiſtat; Sindici verò, qui a Conſervatoribus prædictis in eorum Congregatione Oeconomica pro tempore eligi & deputari debent, conſuetis modo & forma extrahantur ex prædicta Nobilium Conſcriptorum Urnâ, quam quidem ſubrogari mandamus loco alterius cujuſcumque Urnæ, ſeu *Buſſolo*, hactenus ad hujuſmodi effectum adhibiti. Mandantes propterea Ven. Fratri Noſtro Annibali Epiſcopo Portuen. S. R. E. Cardinali Sancti Clementis nuncupato ejuſdem S. R. E. Camerario, necnon Dilecto Filio Noſtro Sylvio Tituli Sanctæ Priſcæ ipſius Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbytero Cardinali de Valentibus etiam nuncupato Noſtro Secretario Status, ipſiſque Dilectis Filiis Conſervatoribus Cameræ Urbis prædictæ, & Priori Capitum Regionum, eorumque in prædictis Officiis & Muneribus reſpective Succeſſoribus, aliiſque omnibus & ſingulis, ad quos ſpectat, ſeu pro tempore ſpectabit in futurum, ut in præfatis Electionibus & Deputationibus, hanc Decreti Noſtri formam præ oculis habeant, & adamuſſim obſervent.

Aliquot Officia Nobilibus privative conferenda.

Sindici extrahantur ex Urna Nobb. Conſcriptorum.

In adſcriptione Civium ſerventur Statuta Urbis.

§. 12. Demum quòd pertinet ad creationes Civium Romanorum, volumus, ut ea, quæ in Statutis ejuſdem Almæ Urbis a fel. record. Gregorio Papa XIII., aliiſque Prædeceſſoribus Noſtris, approbatis & confirmatis, circa largitionem & communicationem Civitatis hujuſmodi, præſcripta ſunt, exactè perpetuò ſerventur & impleantur.

Mandata pro præmiſſorum executione.

§. 13. Per hæc autem, quæ ad congruam certamque Civium Nobilium in Urbe Roma diſtinctionem, eorumque Ordinis decus, providè ſtatuimus, non intendimus peculiare aliquod Corpus, ſeu Collegium, aut Magiſtratum Civium Romanorum Nobilium, vel Nobilium Conſcriptorum, erigere aut conſtituere, cujus aliqua eſſe debeat in Urbe juriſdictio, jus, & auctoritas, extra præmiſſa; quodque Tribunal aliquod, ſeu peculiare Sigillum, aut Archivum habere valeat, & retinere; neque de aliis quibuſcumque rebus Decreta condere, aut publicare; vel ullum imperii actum in Officiales, & Miniſtros Cameræ Capitolinæ, ſivè in alios quoſcumque, exercere: Sed ipſius Cameræ Capitolinæ, ejuſque Tribunalium, & Officiorum regimen, eodem, quo ad hunc diem, modo, & formâ, adminiſtrari jubemus. Atque inſuper non alios in Conſilio Generali (conſuetis tantummodò temporibus, & occaſionibus convocando) adeſſe, aut ſuffragium ferre permittimus, præter eos, quos retroactis temporibus hujuſmodi jure pro tempore gaviſos eſſe dignoſcitur: Diſtrictè inhibentes, ea lege, quæ de Majeſtate eſt, ne ipſi prædicti Cives Nobiles, aut Nobiles Conſcripti, conventus communes habere, aut in Conſilium, ſive in Congregationem, extra caſus, & præter numerum ſuperiùs enunciatos atque præſcriptos, convenire, vel aliqua communi nomine ſtatuere aut decernere, ſine prævio Noſtro, & Succeſſorum Noſtrorum aſſenſu & beneplacito, ullo unquam tempore poſſint, aut valeant.

Nihil innovetur in regimine Urbis, & Cameræ Capitol. &c.

§. 14. Decernentes eaſdem præſentes Litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod omnes vel ſinguli ſupradicti, ac alii quicumque in præmiſſis quomodolibet jus vel intereſſe habentes, ſeù habere prætendentes, cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis, etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales prædicti, ſeù alias ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione digni exiſtant, eiſdem præmiſſis non conſenſerint, nec ad ea vocati ſeù auditi fuerint, tametſi ſuorum indultorum, facultatum, vel privilegiorum vigore conſentire, ſeù vocari ſemel, vel pluries quoquo modo debuiſſent, aut ex alia quantumvis juridica & privilegiata cauſa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauſo, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeù nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, ac formali, & ſubſtantiali defectu, notari, impugnari, infringi, ſeù in controverſiam vocari nullatenus poſſe, ſed ſemper & perpetuò validas, firmas, & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere debere, & ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter obſervari.

Clauſulæ præſervativæ.

§. 15. Sicque, & non aliter per quoſcumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, quavis auctoritate, præeminentia, aut poteſtate fun-

Aliter judicari prohibetur, cum Decreto irritanti.

gentes

gentes & functuros, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere; irritum quoque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis quibuscumque expresse derogatur.

§. 16. Non obstantibus Nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ regula *de jure quæsito non tollendo*, nec non aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac prædictæ Almæ Urbis Nostræ, ejusque Cameræ, & Magistratuum Populi Romani, Statutis, usibus, stylis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Facultatibus, Indultis, seu Diplomatibus, quibuslibet personis sub quacumque forma, & expressione concessis; omniumque præmissorum, etiam juramento, vel Apostolica Auctoritate, seù quavis firmitate alia roboratis, confirmationibus, & innovationibus; quibus omnibus, & singulis, ad præmissorum effectum dumtaxat, illis aliàs in suo robore permansuris, motu, scientia, & potestate prædictis, amplissimè, ut præfertur, derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Diplomatum expediendorum certa forma statuitur.

§. 17. Cæterum Diplomatum, quæ in concessione Civitatis, quæque in adscriptione Nobilium, expedienda erunt, exempla subjicimus; quæ quidem sub eadem invariabili forma Typis imprimi, & in singulis respectivè casibus tum a Conservatoribus pro tempore Cameræ Urbis prædictæ, tum etiam a Scriba Senatus Participante subscribi, & publico S. P. Q. R. signo muniri mandamus. Decretorum quoque in Nobilium Conscriptorum cooptatione conficiendorum authentica exempla, juxta aliam formam pariter infra subjectam, ab eodem Scriba Participante subscribi, eodemque publico signo firmari volumus, & jubemus.

Diploma in creatione Civis Romani.

§. 18. Forma igitur Litterarum seu Diplomatum in Creatione Civium Romanorum expedien. hæc est:

BENEDICTO XIV.

Pontifice Maximo sedente, Anno VI.

-- Conservatores Cameræ Almæ Urbis -- Officiosam erga Populum Romanum, utilemque Urbi Nostræ adfectionem, cujus non obscura ad hunc diem specimina dedit N., congruis muneribus, & præmiis ornare decrevimus. Itaque placuit ipsum N., Filios, Posterosque ejus, in Civium Romanorum numerum cooptari: ipsum, filios, posterosque ejus Civium Romanorum Tabulis adscribi; eidemque tradi publicas Litteras, quarum auctoritate omnibus pateat, ipsum cum filiis, posterisque suis, studio nostro, jussu mandatoque Populi Romani, Civitate nostra donatum, hujus Privilegii ergo, omnibus Civium Romanorum juribus cum cæteris Civibus æqua lege gaudere, in fide & clientela Populi Romani. Actum in Capitolio Kalendis &c. MDCC. &c.

-- Nomina Conservatorum Cameræ Urbis -- N. N. Scriba Senatus.

Diploma in creatione Nobilis Romani.

§. 19. Forma verò Diplomatum expedien. in receptione Civium Nobilium Romanorum talis est:

BENEDICTO XIV.

Pontifice Maximo sedente, Anno VI.

-- Conservatores Cameræ Almæ Urbis -- Cum Magistratus Populi Romani N. N. &c. & N. N. N. N. Nobiles Romani Conscripti, inquisitores sortito electi, convenissent in Ædibus Capitolii, ibique verba facta essent de N. spectatis virtutibus, ejusque adfectione erga Populi Romani nomen multis argumentis testata, deque ejus Familiæ antiquo splendore certis monumentis comprobato, placuit universis ipsius merita amplissimis Urbis Nostræ honoribus cumulare. Quapropter sanctum est, ipsum N., Filios, Posterosque ejus in conspicuum Nobilium Romanorum Ordinem cooptari, publicasque Literas perscribi, quarum auctoritate omnibus palam fieret, ipsum N. plenissima Romana Nobilitate donatum fuisse; eumque Nobilium Romanorum numero habendum esse: ipsi, filiis, posterisque ejus licere omnibus Nobilium Romanorum juribus, honoribus, muniis, ac privilegiis frui, & gaudere. Ut quæcumque ad hunc diem ab ipso, ejusve Majoribus prodierunt præclara consilia, atque facinora, haud dissimilia his in posterum ab eodem, ejusdem Familia, ad Urbis Nostræ utilitatem. & decus perpetuum, conferantur. Actum in Capitolio Kalendis &c. MDCC. &c. Nomina Conservatorum Cameræ Urbis -- N. N. Scriba Senatus.

Decretum in receptione Nobilis Romani Conscripti.

§. 20. Forma demum Decretorum expedien. in cooptatione Civium Nobilium Conscriptorum Urbis Romæ est, quæ sequitur, videlicèt: *Kalendis &c. MDCC. &c. In Ædibus Capitolii: Quod Nobiles Romani Conscripti N. N. N. N., inquisitores sortitò electi, cum Magistratibus Populi Romani verba fecerunt de N. Nobili Romano cum Filiis Posterisque ejus inter LX. Nobiles Conscriptos cooptando, in locum Familiæ N. pridem extinctæ: quod ipsius N. spectata virtus, ejusque Familiæ antiqua, & probata Nobilitas postulare visa est: D. E. R. I. C., uti auctoritas perscriberetur, qua idem N. in numerum LX. Nobilium Romanorum Conscriptorum adlegeretur; eoque numero deinceps esset; liceretque ei Nobilium Conscriptorum Privilegiis frui, & publica ejusdem Collegii munia obire: Ut ipse, filii, posterique ejus omni tempore de Patria bene mereri pergant, Populi Romani nomen augeant, Urbis Nostræ utilitates dignitatemque, opera, consilio, fide tueantur -- N. N. Scriba Senatus.*

Sanctio.

§. 21. Nulli ergo omnino Hominum liceat paginam hanc Nostrarum Constitutionis, ordinationis, adscriptionis, prohibitionis, derogationis, Mandati, Decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. die 4. Jan. 1745.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo quinto, pridie Nonas Januarii, Pontificatus Nostri Anno Sexto.

D. Card. Passionеus.

J. Datarius.

Visa de Curia.

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Admissio nonnullarum Familiarum inter alias Civium Nobilium Romanorum.

S. P. Q. R.

Cum post editam a Sanctissimo Domino Nostro Domino Benedicto PP. XIV. Constitutionem, quæ incipit *Urbem Romam sub datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 4. Januarii* 1746. porrectus fuerit Sanctitati Suæ per Illustrissimos & Excellentissimos Dominos Almæ Urbis Conservatores libellus supplex nomine aliquarum Nobilium Familiarum, quæ Magistratibus Capitolinis perfunctæ, in enumeratione Familiarum, quæ in antedicta Bulla ad Romanam Nobilitatem adscisebantur, fuerant prætermissæ; Placuit Sanctitati Suæ dictis Dominis Conservatoribus rescribere, Constitutionem non obstare, quin immo consentaneum esse menti, & voluntati Sanctitatis Suæ, ut Familiæ prædictis honoribus olim perfunctæ demonstrata Personarum nunc existentium descendentia, absque aliis Nobilitatis probationibus Nobilium Romanorum libro adscribantur, prout de his omnibus constat ex dicto supplici libello cum rescripto ex Audientia Sanctissimi die 12. Januarii 1746. in Tabulario secreto Excellentissimæ Cameræ Capitolinæ asservato, ad quod &c. In horum igitur executionem, præviis probationibus ad formam supradicti rescripti fuerunt usque adhuc plures Familiæ de mandato Illustrissimorum & Excellentissimorum DD. almæ Urbis Conservatorum per me infrascriptum Sacri S. P. Q. R. Scribam in albo Nobilium Romanorum adscriptæ, nempe de anno 1746. die 25. Januarii Familiæ *Bonadies*, & *Boncompagni*, die 28. Aprilis Familia *Cenci* bo. me. Joannis, die 15. Septembris Familia *Brandani*, die 5. Octobris Familia *Gherardi*, die 14. Decembris Familia *Mazzini*; De anno verò 1747. proxime elapso die 30. Maji Familia *Olignani*, die 30. Augusti Familia *Orsini*, & die 2. Martii currentis anni 1748. Familia *Mazzanti*. De quibus omnibus plenissime constat ex publicis documentis in Tabulario secreto Excellentissimæ Cameræ Capitolinæ asservatis, nec non ex libro Decretorum penes me Scribam-Senatus infrascriptum existente. Insuper attentis probationibus in prælaudata Bulla decretis coram quatuor ex Illustrissimis Nobilibus Conscriptis scrutatoribus singulis vicibus sortitò electis per authentica documenta peractis, fuerunt aliquæ Familiæ in hujusmodi Nobilium Romanorum Ordinem per secreta suffragia cooptatæ, nimirum de anno 1746. die 21. Julii Familia *Roncioni*, die 10. Novembris Familia *Panimolle*, ac de anno proximè præterito 1747. die 30. Januarii Familia *de Particella*, & die 25. Maji Familiæ *de Laviniis*. De quibus pariter satis superque constat ex publicis Diplomatibus, ac Scripturis in prædicto Tabulario secreto Excellentissimæ Cameræ Capitolinæ repositis, ac etiam, ex libro præfato Decretorum penes me asservato. Ut autem de his omnibus & singulis veritas ubique pateat, has præsentes Literas manu mea subscriptas, & solito, quo utor, Sacri S. P. Q. R. Signo munitas dedi, ac publicavi requisitus. In quorum fidem &c. Ex Capitolio anno ab urbe condita 2498. Ab Orbe autem redempto 1748. Quarto non. Martii.

Ita est Virginius Cincius
S. P. Q. R. Scriba.

Loco ✠ Signi.

INDEX
RERUM, ET VERBORUM.

Numerus Romanus denotat Constitutionem: Arabicus autem indicat paragraphum, & paginam.

A

Abbates, aliique Prælati inferiores jurisdictionem Ordinariam habentes, Limina Apostolorum statutis temporibus visitare, & Ecclesiarum suarum statum exponere debent. *Constit.* VII. §. 5. pag. 12.

Abbates simplices aliquando præcedere possunt Superioribus Generalibus sui Ordinis. XCVIII. §. 16. pag. 200.

Abbatum, aliorumque Prælatorum Regularium, jurisdictionem temporalem & spiritualem in subditos sæculares habentium, Residentiæ, exemptæ sunt a visitatione & correctione Episcoporum, etiam quoad Curam animarum. CIX. §. 12. pag. 251.

Nisi Episcopi sint in quasi possessione majoris juris. *ibid.* §. 19. pag. 254.

Item residentiæ ordinariæ principales Abbatum Generalium. *ibid.* §. 13. pag. 251. Vide *Generales.*

Non autem Abbatum simplicium jurisdictionem, ut supra, non habentium. *ibid.* ubi vide veram lectionem Textus Concilii Tridentini *sess.* 25. *cap.* 11. *de Regular.*

Abbreviatoribus de Parco Majori conceditur usus Redimiculi Galeri coloris violacei. III. pag. 5.

Ablutiones. V. *Lavacra.*

Absolutionis forma a Græcis Confessariis proferenda. LVII. §. 5. pag. 97.

Absolutio impertita a Sacerdote non approbato ab Ordinario Loci, nulla declaratur. C. §. 2. pag. 205. V. *Confessarius.*

Absolutio a Sacerdote impertita personæ complici in peccato turpi, extra casum extremæ necessitatis, irritatur. XX. §. 4. pag. 33.

Absolutio tamen impertita hujusmodi personæ complici in mortis articulo constitutæ, etiam absque necessitate, aut infamiæ, vel scandali periculo, valida est. CXX. §. 4. pag. 280.

Sed Sacerdos ita absolvens incurrit pœnas, & censuras Summo Pontifici reservatas. *ibid.*

Absolutio Sacramentalis deneganda est ignorantibus mysteria Fidei, tenenda necessitate medii. XLII. §. 12. p. 65.

Quid cum ignorantibus, quæ scienda sunt necessitate præcepti. *ibid.*

Absolutio a Censuris publicatis die Cœnæ Domini Romano Pontifici reservatur. XIV. §. 21. pag. 23. 24.

Absolutio Calumniatorum, quoad sollicitationem in Confessione, Summo Pontifici reservatur. XX. §. 3. pag. 33.

Absolutio Sacerdotis excipientis Confessionem complicis in peccato turpi Summo Pontifici reservatur. XX. §. 4. pag. 33.

Absolutio a censuris incursis ob mercimonia super eleemosynis Missarum, Summo Pontifici reservatur. XXII. §. 5. pag. 36.

Absolvendi facultas a casibus reservatis, & censuris, tribuitur Cancellario Militiæ S. Januarii. XXIV. §. 3. pag. 37.

Et Confessariis in vim Bullæ Cruciatæ concessæ Militibus S. Joannis Hierosolymitani, ejusque Militiæ subditis. LXXXVI. §. 8. pag. 165.

Abstinentiæ in Ecclesia Græca servari solitæ. LXXXVII. §. 5. pag. 167.

Abstinentia a Carnibus diebus Sabbati non semper ubique fuit de præcepto. CXVIII. §. 3. pag. 278.

A. C. solus habet cumulativam jurisdictionem cum Cardinali Urbis Vicario in causis Clericorum Romanorum, & Locorum Piorum ejusdem Urbis. CXV. §. 20. pag. 271.

Achars de la Beaume. V. *Halicarnassensis.*

Actus Fidei, Spei, & Charitatis Populo tradendi, & publicè in Ecclesiis frequentandi. XLII. §. 18. pag. 66.

Actorum transportatio. V. *Causæ jam contestatæ.*

Adulterium præcedens, secluſa machinatione, & fide futuri matrimonii, non est impedimentum dirimens matrimonium. CXIII. §. 12. pag. 262.

Nec habebatur pro impedimento dirimente, temporibus S. Augustini. *ibid.* §. 22. pag. 264.

Ubi asseritur Lectio Textus S. Augustini contra Cujacium.

Nec erat impedimentum dirimens Matrimonium, tempore Gratiani. *ibid.* §. 24. pag. 264.

Nec tempore Innocentii III. *ibid.* §. 25. pag. 264.

V. *Filii ex adulterio geniti.*

Advocatorum Consistorialium Privilegia, & jura in unum colliguntur. CVI. pag. 222.

Eorum Collegii antiquitas, & decus: In quo Summus Pontifex locum obtinuit. *ibid.* §. 1. pag. 222.

Advocatorum numerus duodenarius, ex quibus constare debeat. *ibid.* §. 2. 3. pag. 222.

Munus advocati Consistorialis quomodo vacet. §. *ibid.* §. 6. pag. 223.

Eorum Collegio reservatur jus præsentandi tres Advocatos Summo Pontifici, in casu vacationis. *ibid.* §. 5. pag. 223.

De antianitate, & de jure optandi ad Decanatum. *ibid.* §. 7. 8. pag. 224.

Advocati Consistoriales sunt veri Papæ Familiares. §. 9. pag 224.

De eorum præcedentiis, habitu &c. *ibid.*

Ad eos pertinet Causas Consistoriales pertractare. *ibid.* §. 14. pag. 225.

In Causis Beatificationis & Canonizationis scribere in jure; easdemque Causas in Consistorio perorare. *ibid.*

In solemniis Canonizationum instantias proponere. *ibid.* §. 16. pag. 225.

Pallium petere pro Archiepiscopis, aliisque. §. 17. p. 225.

Ad ipsos spectat regimen Archigymnasii Urbis. *ibid.* §. 19. pag. 226.

Quid in concursibus, & examine Lectorum. CVI. §. 21. pag. 226.

Privativa facultas in Urbe doctorandi in utroque, vel altero jure, ipsis asseritur, cum extinctione litis inter eosdem, & Protonotarios Apostolicos. *ibid.* §. 22. & seqq. pag. 226.

Eorum Collegio perpetuò addicta sunt munera Promotoris Fidei, Advocati Pauperum, Advocati Fisci, & Cameræ Apostolicæ, Advocati Fabricæ Sancti Petri, Advocati S. P. Q. R., & Commissarii Conclavis Sede Apostolica vacante. *ibid.* §. 31. pag. 229.

Eisdem conceditur Oratorium domesticum. *ibid.* §. 34. pag. 229.

Et facultas condendi Statuta, ac removendi Officiales Collegii. *ibid.* §. 35. pag. 229.

Advocatorum Consistorialium Decanus in actibus Collegialibus præcedit omnibus de Collegio, etiam personali dignitate præstantibus. XCVIII. §. 16. pag. 200. & seqq.

Advocati Fabricæ S. Petri munus uni ex Collegio Advocatorum Consistorialium perpetuo addictum. CVI. §. 31. pag. 229.

Idem de Advocato Fisci, & Cameræ Apostolicæ.

Idem de Advocato Pauperum.

Idem de Advocato S. P. Q. R. *ibid.*

Advocati Fisci, & Cameræ Apostolicæ Officium incompatibile in posterum decernitur cum Officio Promotoris Fidei. CVI. §. 32. pag. 229.

Advocatus Fisci, & Cameræ Apostolicæ abstinere debet a patrocinandis alterius generis causis. CVI. §. 33. pag. 229.
Idem de Advocato Pauperum. *ibid.*
Advocatus Pauperum interponit Decreta in contractibus, & obligationibus mulierum, minorum, & pupillorum, Domi suæ tantùm, & in Carceribus. CXV. §. 48. pag. 274.
Ægyptii, aliique Catholici Ritûs Cophtici, subjiciuntur jurisdictioni Episcopi Hierosolymitani ejusdem Ritus. XXV. pag. 38. & seq.
Ætas in Ecclesia Occidentali requisita ad recipiendos Ordines. CXXIX. §. 19. pag. 294.
Ætas pro suscipiendis Ordinibus, quoad Græcos, eadem quæ pro Latinis requiritur. LVII. §. 7. pag. 99.
Agapæ in primitiva Ecclesia sanctè frequentatæ, ob invectos abusus ab Ecclesiis eliminatæ. CXXXVII. §. 7. pag. 313.
Ageltonensis Diœcesis assignatio facta Archiepiscopo Tyri a Conventu Maronitarum confirmatur. CI. §. 2. pag. 207.
Agriculturæ necessitatibus in Regno Poloniæ consulitur, translatis Festis occurrentibus infra hebdomadas mensium æstatis, in dies Dominicos. CXXXVIII. pag. 313. & seqq.
Agriculturæ Consulatûs præservatur jurisdictio. XLIV. §. 9. pag. 70. & 71.
V. *Consules.*
Albanenses. V. *Græci.*
Albani Concilii Decreta in Regno Serviæ, & finitimis Regionibus observanda. LXXXIX. §. 1. pag. 173.
Albergatus. V. *B. Nicolaus.*
B. Alexandri Saulii formalis Beatificatio. XVII. pag. 27.
Alexandrinus Patriarcha. V. *Mediobarbus.*
Alienationes reddituum Beneficiorum. V. *Cessiones commodi exigendi.*
De Almeyda Thomas Cardinalis Patriarcha Lisbonensis laudatur, & nonnulla decreta ab eo edita approbantur, & confirmantur. CXXXVII. pag. 312. & seqq.
Altarium numerus in Ecclesiis Græcorum augeri permittitur. LVII. §. 6. pag. 97. & 98.
Altaria plura in Ecclesiis Græcorum Melchitarum erigi permittuntur. LXXXVII. §. 9. pag. 168.
Altaris Pontificii prærogativæ. CXVI. §. 1. pag. 276.
Altari a Pontifice consecrato plura privilegia adnectuntur. CXVI. §. 2. pag. 276.
Altaria Privilegiata conceduntur Ecclesiis Cathedralibus, & Parochialibus Maronitarum. LXXIX. §. 11. p. 151.
Amasien. Archiepiscopatus in part. Infid. unitur Ecclesiæ Papiensi. LXXIV. pag. 140.
Americani. V. *Indos.*
Angelorum apparitio Abrahamo facta, a Sanctis Patribus, & interpretibus varie explicata. CXLI. §. 30. & seqq. pag. 321.
S. Angeli. V. *Arcis Præf.*
Antimensia, sive Throni Græcorum. LVII. §. 6. p. 98. Eorum usus prohibetur Presbyteris Latinis. *ibid.*
Antiochenæ Ecclesiæ prærogativæ, pag. 180.
Antiocheno *Melchitarum* Patriarchæ Pallium conceditur, pag. 179. 180.
Antiochenus Maronitarum Patriarcha Simon Petrus Evodius a Summo Pontifice electus, ab universa Natione in Synodo recognitus, pag. 180. & seq.
Acta Confistorialia pro hujusmodi synodi approbatione, & pro concessione Pallii eidem Patriarchæ, *ibid.*
Antiochenus Patriarcha. V. *Tournonius.*
Antiochenus Patriarcha Græcorum Melchitarum generalem dispensationem edidit circa jejunia; quæ revocatur. LXXXVII. §. 5. 6. p. 167. & seq.
Eidem conceditur facultas dispensandi cum singulis Universitatibus in casibus particularibus. *ibid.* §. 7. p. 168.
Ejus jurisdictio adversus attentata Prælatorum Maronitarum asseritur. *ibid.* §. 12. pag. 168.
Nullam jurisdictionem habet in Missionarios Latinos, sed tantùm petere ab his potest notulam animarum Græci Ritus sibi subject. *ibid.* §. 13. pag. 168.
Idem curare debet, ut suis Græcis ubique præsto sint Pastores Catholici. *ibid.*
Jurisdictionem mediatam exercet in Monachos sui Patriarchatus, Ordinariis immediatè subjectos, sive immediatam, deficiente Catholico Episcopo. LXXXVII. §. 20. pag. 169.
Idem quoad Monasterium Monialium in Kesruano existen., jure tamen delegato a Sancta Sede. *ibid.*
Antiocheni Patriarchæ Cyrilli laudes. LXXXVII. §. 1. pag. 167. & XCII. pag. 178.
Ipsi conceditur Pallium, cum conditionibus opportunis. XCII. pag. 178.
Antiochenus Patriarcha Maronitarum. V. *Maronitæ.* V. *Evodius.*
Apostatæ, & fugitivi Regulares quomodo absolvantur. XCV. §. 33. pag. 187.
V. *Pœnitentiaria Apostolica.*
Appellatio admitti nequit, nisi legitimè interposita, & in casibus a jure permissis. XLVIII. §. 43. pag. 80.
Appellatio a gravamine admitti nequit, nisi probato gravamine non reparabili per definitivam. XLVIII. §. 43. pag. 80.
Appellatio in suspensivo non admittitur in causis, quarum executio a Concilio Tridentino demandata est Ordinariis, appellat. remota. *ibid.* §. 5. & seq. p. 77.
In his permittitur solum recursus, & appellatio in devolutivo. *ibid.* §. 38. pag. 79.
Excipiuntur casus aliqui particulares a Judice superiore expendendi; in quibus præscribitur forma concedendi Inhibitiones. *ibid.* §. 39. pag. 79. & seq.
Notarii non servantes præmissam formam, infamiam, & inhabilitatem incurrunt, cum pœnis pecuniariis. *ibid.* §. 40. pag. 80.
Appellatio suspensiva, ubi locum non habet, non intelligitur inducta per ea, quæ disposita sunt circa valorem Citationum Cameralium in partibus. CXV. §. 14. pag. 270.
Appellatio ab irrationabili Judicio Episcopi a Pio V. permissa in devolutivo. LXVIII. §. 2. p. 121. Sicut etiam tacitè a Concil. Trid. *ibid.* §. 15. pag. 124.
Appellatio ab irrat. Jud. infra decem dies a die collationis, interponenda. LXVIII. §. 7. pag. 123.
Forma transferendi acta coram Judice ad quem. *ibid.*
Appellatio ab irrat. Jud. Episcopi prosequi non permittitur non probato gravamine, tam quoad doctrinam, ex actis, quam quoad reliqua, saltem extrajudicialiter. *ibid.*
Intellige, ubi servata fuerit in Concursu, & examine forma ibi præscripta. LXVIII. *ibid.*
V. *Examen.*
In hujusmodi Appellationis Judicio, Judex *ad quem* non pronunciet, nisi comperto gravamine, & secundum *acta*; tam quoad doctrinam, quàm quoad reliqua. LXVIII. §. 6. pag. 125.
In iis verò, quæ Episcopus a quo, ex informata conscientia, ipsi revelaverit, omnimodam fidem ei habebit, & secreti legem custodiet. *ibid.* pag. 125.
In hujusmodi judicio, duæ conformes faciunt rem judicatam. *ibid.* §. 17. pag. 125.
Appellatio a sententia lata super nullitate Matrimonii in quacumque instantia semper suspendit executionem. XXXIII. §. 11. pag. 50.
Appellatio in Causis Matrimonialibus præcludi nequit per acta pœnalia inter partes inita. LXXXV. §. 7. p. 161.
Appellantes ad futurum Concilium excommunicantur, & respectivè Interdicto subjiciuntur. XIV. §. 2. pag. 21.
Appellatio Pseudo-Archiepiscopi Ultrajectensis, & Pseudo-Episcopi Harlemensis ad futurum Concilium Generale, damnatur &c. CXXXII. pag. 303.
Appellantes a gravamine, vel futura executione Litt. Apost. ad potestatem sæcularem excommunicantur. XIV. §. 13. pag. 22.
Applicatio Missæ. V. *Missa Parochialis.* V. *Missa Conventualis.* V. *Concelebratio.*
Approbatio cultus immemorab. B. Joannæ Valesiæ olim Reginæ Franciæ. LVIII. pag. 104.
Approbatio cultus Beati Nicolai Albergati. CVIII. pag. 246.
Approbatio cultus alicujus Beati solemnizari non debet, eo modo, quo in Canonizationibus fieri solet. CVIII. §. 8. pag. 248.

Aquæ benedictæ usus apud Græcos, LVII. §. 5. pag. 97.
Aquæ tepidæ infusio in sacrum Calicem, apud Græcos usitata, permittitur. LVII. §. 6. pag. 97.
Aquæ frigidæ, vel tepidæ usus in Baptismo æque permissus. LVII. §. 2. p. 95.
Aqua baptisterii. V. *Baptismus.*
Archigymnasium Urbis ab Advoc. Consistor. regitur, & administratur. CVI. §. 19. p. 226.
V. *Lectores.*
Archihospitali S. Spiritus in Saxia de Urbe præservantur Canones debiti a Conventibus ejusdem Ordinis in Hispaniis, & Polonia. XV. §. 2. p. 25.
Archipresbyterorum Basilicarum Urbis jurisdictio aboletur. XLIV. §. 6. p. 70. seqq.
Præterquam in his, quæ concernunt servitium Ecclesiæ, & correct. morum. *ibid.* §. 11. pag. 71.
Archiva Pœnitentiariæ: Eorum administratio, visitatio &c. XCVI. §. 37. seqq. pag. 195.
Arcis S. Angeli Præfecto nulla jurisdictio competit, nisi in Balistarios, & auxiliatores; & in concernentibus eorum ministeria. XLIV. §. 21. p. 72.
Arma, & alia ad bellum apta, deferentes ad hostes Christianorum, excommunicantur. XIV. §. 7. pag. 22.
Aromatariorum officinæ in Urbe reductæ sunt ad sexaginta. VI. §. 4. pag. 10.
Aromatariæ artis exercitium in Urbe Regularibus prohibetur. VI. pag. 8.
Assemanius, Joseph Simonius, ablegatus a S. Sede ad Maronitarum nationem. XXXI. §. 3. pag. 45.
Assessorum jurisdictio in Urbe abrogatur. XLIV. §. 9. pag. 70.
Assistentia matrimoniis non temere deleganda Sacerdotibus extraneis, qui non sint contrahentium Parochi. LXXXV. §. 9. 12. pag. 161. seqq.
Delegandi facultas adimitur Nuntio Apostolico in Polonia commoranti. *ibid.* §. 16. pag. 162.
Assistentia matrimonio non inducit cognationem spiritualem. LXXXIX. §. 17. pag. 174.
Auditor Generalis Cameræ Apostolicæ. V. *A. C.*
Auditores Rotæ. V. *Rotæ.*
Avenionen. Vice-Legati, ejusque Congregationis jus in causis criminalibus subditorum Universitatis. CXLII. §. 17. pag. 327.
Avenionen. Curiæ Auditor Generalis Judex privativus in secunda instantia in causis personarum Universitati subjectarum. CXLII. §. 18. pag. 327.
Avenionen. Universitatis merita, & decora. CXLII. §. 1. pag. 324.
Ejus Professores, Doctores, Scholares &c. gaudent privilegio Fori, & habendi Conservatores, & Judices particulares. *ibid.* §. 3. pag. 324.
Quod ipsis a Pontifice in Causis Civilibus passivis in prima instantia asseritur. §. 15. pag. 326.
Et in Criminalibus levioribus. *ibid.*
Primicerius Universitatis inter Conservatores adjectus a Leone Papa X. cum facultate subrogandi &c. *ibid.* §. 4. 5. pag. 324.
Ejusdem Primicerii, & Conservatorum jurisdictio in præmissis privativa declaratur. *ibid.* §. 18. pag. 327.
Primicerius, seu alius Conservator interesse potest Congregationi Criminali Vice-Legati Avenionen., cum voto consultivo, ubi agatur de causis passivis subditorum Universitatis. *ibid.* §. 17. pag. 327.
Primiceriatus importat titulum Nobilitatis transmissibilis ad descendentes. *ibid.* §. 10. pag. 325.
Ejusdem Primicerii, & Conservatorum jurisdictio in præmissis privativa declaratur. *ibid.* §. 18. pag. 327.
Reservata Auditori Generali Curiæ Legationis secunda instantia. *ibid.*
Augustano Episcopo scribitur de cautelis servandis in conficiendis Processibus super fama Sanctitatis Servorum Dei, & de recta ratione repræsentandi Imagines Spiritus Sancti, & Sanctissimæ Trinitatis. CXLI. pag. 318. seqq.
S. Augustini Textus in *Can. Denique 31. quæst. 1.* quomodo legendus adversus Cujacium. CXIII. §. 22. pag. 264.
S. Augustini interpretatio de apparitione trium Angelorum Abrahamo visa expenditur. CXLI. §. 30. pag. 321.
S. Augustini Fratribus Eremitis facultas conceditur eligendi Priorem Generalem ad vitam in Officio mansurum. CXXVI. pag. 289.
Avocantes Causas spirituales a Judicibus Ecclesiasticis excommunicantur. XIV. §. 14. pag. 22.
Avocatio Causarum ab Ordinariis in prima Instantia prohibetur. XLVIII. §. 42. pag. 80.
Privilegia *de non avocando* præservantur in Bulla de non impedienda executione Citationum, seu Mandatorum Romanæ Curiæ. XLVII. §. 10. pag. 76.
Nec intelliguntur sublata per ea, quæ disposita sunt circa valorem Citationum Cameralium in partibus. CXV. §. 14. pag. 270.
Auxerensi Episcopo delegantur ordinationes Græco-Ruthenorum a schismate ad Ecclesiam redeuntium. LXIII. pag. 117.
Azymi, & fermentati usus in Ecclesiis Latinis, & Græcis respective retinendus. LVII. §. 1. pag. 95.
V. *Græco-Latini.*

B

Baldacchinus in Processionibus Pontificiis a quibus deferri debeat. CVI. §. 10. pag. 224.
Balneum. V. *Lavacra.*
Balsamum Apoplecticum & Theriaca vendi possunt a Regularibus. VI. §. 2. pag. 8. & seqq.
Bannitus propter homicidium præmeditatum non gaudet Immunit. Ecclesiast. in Statu Ecclesiæ &c. LXXXVIII. §. 4. pag. 171.
Baptismus extra casum necessitatis conferri non debet aqua communi, vel eâ, quæ pro lustratione benedicitur. LXXXIX. §. 20. pag. 175.
Baptismi conferendi ritus & ceremoniæ in Rituali præscriptæ, sine gravi causa non omittantur, vel citò suppleantur. LXXXIX. §. 19. pag. 175.
Baptismi conferendi ritus apud Græcos. LVII. §. 2. p. 95.
In Baptismo conferendo omitti non debent Sacramentalia, & signanter saliva, sal, & insufflatio. CVII. §. 3. pag. 231.
Attamen Clemens XII. concedit Missionariis Regnorum Maduren., Mayssur., & Carnaten., ut in casu necessitatis, & salva fide, salivam omittant, & insufflationibus occulte utantur ad decennium. *ibid.* §. 14. pag. 236. & seqq.
Quæ dispensatio prorogatur a Sanctissimo Domino Nostro ad aliud decennium. §. 31. pag. 419.
Absque spe ulterioris prorogationis, & cum conditionibus & præceptis opportunis. *ibid.* §. 32.
Baptizatis imponenda non sunt nomina Idolorum, aut falsæ Religionis pœnitentium, sed Sanctorum in Martyrologio Romano descriptorum. CVII. §. 3. p. 231. & declaratur. §. 14. p. 235.
Baptismus Infantibus protrahi non debet ultra præfixum tempus ab Ecclesia. CVII. §. 3. pag. 231. & p. 236.
A Baptismo excluduntur qui de Sacramentalibus ceremoniis ab Ecclesia præscriptis perperam sentiant. CVII. §. 32. pag. 419.
Baptismus quando conferri debeat Filiis Mulierum Christianarum ex Turcarum contubernio genitis. LXXXIX. §. 8. pag. 174.
Baptismus quo ritu, Græco nim., an Latino, conferri debeat Græcorum Filiis. LVII. §. 2. pag. 95.
Baptismus Græcorum Filiis collatus in casu necessitatis ritu Latino, non imponit obligationem sequendi ritum Latinum. LXXXVII. §. 18. pag. 169.
Basilica. V. *Lateranensis.* V. *Vaticana.* V. *S. Mariæ Majoris.* V. *Vicarii.*
S. Basilii Monachi *Græco-Melchitæ* subesse debent immediate Ordinariis, & mediate Patriarchæ Antioch. LXXXVII. §. 20. pag. 169.
S. Basilii Ruthenorum Ordo laudatur. XCVIII. §. 2. p. 198.
S. Basilii Monachorum Ruthenorum unio in unicam Congregationem promovetur. LXVI. pag. 120.
S. Basilii Monachorum Ruthenorum prima unio sub Urbano VIII. in Congregationem Titulo Sanctissimæ Trinitatis insignitam. XCVIII. §. 2. pag. 198.
Eodem modo unienda esse reliqua Monasteria, decernitur in Synodo Zamoscæ anno 1720. habita. *ibid.* §. 3. p. 199.

Quare

Quare in Capitulo Generali Leopoli habito anno 1739., nova Congregatio constituitur, sub invocatione Patrocinii BB. Virginis. XCVIII. §. 4. pag. 199.
Sed ex Decreto Sanctissimi Domini Nostri duæ Congregationes unam conflantur, habito Dubni Capitulo Generali, anno 1743., in quo unicus eligitur Proto-Archimandrita. *ibid.* §. 5. 6.
Unio, electio, & statuta in Capitulo condita confirmantur. *ibid.* pag. 199.
Congregationi assignatur denominatio *Ordinis S. Basilii M. Ruthenorum.* Provinciæ vero Lithuaniæ Titulus *Sanctissimæ Trinitatis.* Poloniæ autem *Protectionis B. M. Virginis. ibid.* §. 9. pag. 199.
Nonnulla Monasteria ad paupertatem redacta, vel unienda esse, vel supprimenda decernitur. *ibid.* §. 29. pag. 203.
De jurisdictione Proto-Archimandritæ in Abbates. De præcedentiis inter eos. *ibid.* §. 15. 16. pag. 200.
De visitatione Monasteriorum. *ibid.* §. 26. pag. 202.
De jure passivo Abbatum ad munus Proto-Archimandritæ. *ibid.* §. 14. pag. 200.
Procurator Generalis ex duabus provinciis alternatim eligatur. *ibid.* §. 25. pag. 202.
De regimine Ordinis, defuncto Proto-Archimandrita. *ibid.* §. 23. pag. 202.
De his, qui suffragium habent in Capitulo Generali. *ibid.* §. 27. 28. pag. 202.
Batgao. V. *Thibet.*
Bavariæ Dux S. R. I. Elector, instituit Militiam S. Georgii Mart., & in ea VI. Ecclesiastica Officia. XXXII. §. 1. pag. 47.
Ipsi Duci Bavariæ, Magno Magistro d. Militiæ, conceditur nominatio Episcopi Titularis in eadem Militia. *ibid.* §. 7. pag. 49.
Beatificatio B. Alexandri Saulii. XVII. pag. 27.
Beatificatio B. Camilli de Lellis. L. pag. 83.
V. *Approbatio Cultus.*
Beatificationes & Canonizationes aliquando in Basilica Lateranensi celebratæ. XXXVI. §. 1. 2. 3. pag. 55. & seq. sed deinceps in Basilica Vaticana celebrandæ. XXXVI. p. 55.
Beatificationum causæ quomodo introducantur. CXLI. §. 5. pag. 318.
Beatorum Cultus est tantummodo permissivus, & restrictus. *ibid.* §. 9. & 14. pag. 248. & seq.
Beatorum Cultus quomodo a Sede Apostolica per gradus augeri permittitur. CVIII. §. 11. pag. 248.
Beatorum Imagines non ubique publicæ venerationi exponi possunt. *ibid.* §. 10. pag. 248.
Beatorum honores V. *in Brevibus Beatificationis.* XVII. & L. pag. 27. & pag. 83.
De la Beaume des Achars. V. *Halicarnassen.*
Bellarmini Cardinalis Liber de Doctrina Christiana commendatur. XLII. §. 17. pag. 66.
Belluga, Ludovicus Cardinalis laudatur. CXVIII. §. 2. pag. 277.
Benedictiones, præter eas, quæ in Ecclesia receptæ sunt, in Sacris Ritibus non admittantur. LXXXIX. §. 18. pag. 175.
Beneficia Ecclesiastica Sæcularia conferri nequeunt Canonicis Regularibus Lateranensibus, aut Sanctissimi Salvatoris, absque Indulto Apostolico. CXXXV. per tot. pag. 537.
V. *Canonici Regulares.*
Beneficia Curata, aut residentialia conferri nequeunt Presbyteris, aut Clericis Congregationis Missionis. LXIX. §. 4. pag. 126.
Beneficia Ecclesiastica simplicia de Jurepatr. Laicorum erigi possunt in Commendas Militiæ SS. Mauritii & Lazari; & quomodo. CIV. per tot. pag. 218.
Beneficiorum resignationes cum reservatione pensionis, & pacto eam cassandi, prohibentur & annullantur. XXX. pag. 43.
Beneficiorum fructus. V. *Cessiones commodi exigendi.*
Ad Beneficia & Officia Urbis Doctoratum requirentia non suffragantur gradus in extera Universitate in posterum adepti. CVI. §. 29. pag. 228.
Bigamia tam *propria*, quàm *similitudinaria* prohibetur Diaconis Ecclesiæ Orientalis. CXXIX. §. 31. 32. p. 296.
Bittia. V. *Thibet.*
De Bock Hieronymi Pseudo-Episcopi Harlemen. electio damnatur & annullatur. LXI. pag. 115.
Idem illicite consecratus excommunicatur, & suspensus declaratur. LXX. pag. 127.
Bona Cameræ Apostolicæ: eorum locationes quibus legibus confici debeant. LXV. pag. 118.
Bona de directo Domino Ecclesiæ cadentia sub Concursu pendente in Curia Laicali contra Laicum debitorem, quomodo executari, subhastari, & deliberari debeant. CXV. §. 26. pag. 271.
Boni Reginis Congregatio: ejus facultates reducuntur ad formam Constitutionis Innocentii XII. Const. XLIV. §. 16. pag. 71.
Bononiæ Civitas unum locum habet in Collegio Advoc. Consistor. CVI. §. 3. pag. 223.
Brasilia. V. *Indos.*
Brevium Magister. V. *Magister Brevium.*
Brevium Secretorum Secretaria. Quænam Gratiarum genera per Secretariam Brevium privative expediri debeant, sub pœna nullitatis. CXLV. §. 5. pag. 335.
Quænam promiscue per eandem, & per Datariam Apostolicam. *ibid.* §. 6. pag. 336.
Bulla in Cæna Domini. V. *Processus.*
Bulla Cruciatæ. V. *Cruciata.*

C

Cælibatus Sacris Ministris initio præscriptus tàm in Orientali, quàm in Occidentali Ecclesia. CXXIX. §. 34. pag. 296.
Sed deinde, ex indulgentia permissa fuit Uxorum retentio Græcis, Maronitis, aliisque Orientalibus. *ibid.* & §. 35. V. *Diaconi.*
Cælibatus Græcis Subdiaconis, Diaconis, & Presbyteris suadetur. LVII. §. 7. pag. 100.
Cæremoniales Leges pro Provinciarum Præsidibus, Gubernatoribus, Prælatis, & Apostolicis Vicelegatis, erga Archiepiscopos, & Episcopos Ecclesiasticæ Ditionis observandæ, pag. 28.
Cæremoniarum Magistris emolumenta in promotione & obitu Cardinalium debentur. LXXIII. pag. 139.
Etiam non participantibus. *ibid.* §. 1.
Ea emolumenta omnia a singulis Cardinalibus in ipsa Promotione solvi debere decernitur. *ibid.* §. 3. p. 140.
Cæremonialis Congregationis Decreta pro Episcopis, & Gubernatoribus Ditionis Ecclesiasticæ, approbantur. XVIII. pag. 28.
Cæremoniæ Sinenses. V. *Ritus.*
Calaguritano Episcopo scribitur super reductione dierum Festorum de præcepto. LXII. pag. 116.
Calices pro Sacrificio Missæ, aurei, vel argentei, aut saltem stamnei, a Græcis adhibendi. LVII. §. 6. pag. 97.
Calogeri. V. *Monachi Græci.*
Calumniatores Confessariorum quoad sollicitationes privantur beneficio absolutionis. XX. §. 3. pag. 33.
Cambiorum & Censuum fructus a Communitatibus Ditionis Ecclesiasticæ conventi, ad æquitatis rationem reducuntur. CXXXVIII. pag. 314.
Cambodiæ Regnum. V. *Ciampæ.*
Cameræ Apostolicæ bona quibus legibus locari debeant. LXV. pag. 118.
Camera Capitolina. V. *Conservatores.* V. *Sindici &c.*
B. Camilli de Lellis corpus elevari, & in nobiliorem locum collocari mandatur. XLVI. pag. 74.
Ejusdem formalis Beatificatio. L. pag. 83.
Cancellaria Apostolica. V. *Regula IX. Canc. Ap.*
Canonici & Dignitates ubique ad psallendum tenentur, non obstante qualibet contraria consuetudine, aut præsumptis privilegiis. CIII. §. 24. pag. 217.
Canonicis Ecclesiæ Patavinæ nonnulla Indulta, & privilegia conceduntur. XCI. pag. 177. & seq.
Canonici Regulares *Lateranenses*, & *Sanctissimi Salvatoris* incapaces declarantur obtinendi Beneficia Sæcularia, & Pensiones Ecclesiasticas, & accedendi ad Concursus pro Ecclesiis Parochialibus, & Præbendis Theologali, & Pœnitentiaria. CXXXV. per tot. pag. 305. seqq. *sign.* §. 14. pag. 308.

Provisi de Beneficiis Curatis aut residentialibus prohibentur è Claustris discedere absque Indulto Apostolico. CXXXV. §. 15. pag. 308.
Provisi de Beneficiis simplicibus, aut Pensionibus Ecclesiasticis jubentur intra Claustra manere, sub pœnis contra Apostatas. *ibid.*
Quia tamen regulæ inserviunt laxiori, Indulta Apostolica facilius ipsis sunt concedenda. *ibid.* §. 16. p. 308.
Quomodo a Patronis præsentari valeant ad Ecclesias Curatas, & Canonicatus seu Præbendas Sæculares. *ibid.* §. 17. 18. pag. 308. & seq.
Quomodo ab Ordinariis provideri possint sine concursu. *ibid.* §. 19. pag. 309.
Quomodo ad Concursus admitti. *ibid.* §. 21. p. 309.
Quomodo provideri de Parochia, aut Præbenda Theologali, vel Pœnitentiaria extra concursum. *ibid.* §. 23. pag. 309.
Eorum Superiores qua ratione præstare debeant consensum pro hujusmodi provisionibus. *ibid.* §. 17. p. 308.
Resignationes, Coadjutorias, Beneficia simplicia, & Pensiones Ecclesiasticas, a Summo Pontifice dumtaxat obtinere possunt. *ibid.* §. 24. pag. 309.
Canonici Regulares obtinentes Parochias Sæculares, aut Beneficia residentialia, non compelluntur habitum Religionis gestare, nec Socium sui Ordinis retinere. *ibid.* §. 26. pag. 310.
Nec a Superioribus Regularibus ad Claustra revocari possunt. *ibid.* §. 27. pag. 310.
Ad quæ nihilominus redire coguntur, si Parochiam, aut Canonicatum resignaverint, vel de ipsis per sententiam privati, aut perpetuo suspensi, & inhabilitati fuerint. *ibid.* §. 28. pag. 310.
Non verò si Coadjutorem acceperint, aut Jubilationem obtinuerint. *ibid.*
Canonici Regulares Ordinis Hospitalarii S. Spiritus, ejusdemque Ordinis Moniales in Hispaniis, & Polonia existen., subjiciuntur Ordinariis Locorum. XV. pag. 24.
Canonista Consultor Pœnitentiariæ Apostolicæ, ejusque officium. XCVI. §. 16. pag. 192.
De Canonizatione Sanctorum Opus, quem in finem a Sanctissimo Domino Nostro conscriptum fuerit. CXLI. §. 4. pag. 318.
Canonizationum causæ quomodo introducantur. CXLI. §. 5. pag. 318.
Canonizationis Causæ ab Advocatis Consistorialibus perorantur, referuntur &c. CVI. §. 14. 15. pag. 225.
In Canonizationis solemniis instantiæ proponuntur ab Advocatis Consistorialibus. CVI. §. 16. pag. 225.
Canonizationes & Beatificationes aliquando in Basilica Lateranen. celebratæ. XXXVI. §. 1. 2. 3. p. 55. & 56.
Sed deinceps in Basilica Vaticana celebrandæ. *ibid.* p. 55.
Canonizatio S. Elisabethæ Vid. Lusitanorum Reginæ publicatur per Litteras Apostolicas. LI. pag. 84.
Cantus Ecclesiasticus. V. *Psallendi debitum.*
Capitolinæ Curiæ quænam jurisdictio competat intra districtum Urbis. CXV. §. 25. pag. 271.
Quomodo & quatenus procedere possit contra bona de directo Dominio Ecclesiæ. *ibid.* §. 26. pag. 271.
Capitula Generalia ordinum nimis frequentia, quibus incommodis aditum præbeant. CXXVI. §. 1. p. 289.
Capitulo Generali Fratrum Eremitarum S. Augustini facultas conceditur eligendi Priorem Generalem *ad vitam. ibid.*
Cum aliis facultatibus. *ibid.* §. 4. pag. 290.
Cappellam Pontificiam haberi statuitur in exequiis S. R. E. Cardinalium. XXXVII. §. 2. pag. 57.
Cappellæ per Octavam SS. Apost. Petri & Pauli Romæ celebrandæ. LXXXIII. pag. 155.
Cappellæ Pontificiæ celebratio decernitur in Basilica S. Mariæ Majoris die Festo conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, pag. 283.
Cappellanus Pœnitentiariæ Apost. ejusque Officium, & emolumenta. XCVI. §. 28. pag. 193.
Cappuccinorum Ordini perpetuo attribuitur munus Concionatoris Sac. Palatii. LXXV. pag. 141.
Cappuccinis permittitur, ut Sacerdotibus extraneis confiteri possint, ubi desint Confessarii ejusdem Ordinis. XLIX. pag. 82.
Etiam quoad casus reservatos, præstita obligatione se præsentandi &c. *ibid.* §. 2.
Cappuccini in Confessarios deputari non debent, ubi non solent Confessionibus audiendis operam dare. XCV. §. 47. pag. 188.
Cappuccinorum Tertiarii. V. *Indulgentiarum communicatio.*
Carafa, Petrus Aloysius Cardinalis laudatur. XCVIII. §. 32. pag. 203.
Cardinales, aliisque Ecclesiarum Prælati offendi prohibentur, sub pœna excomm. XIV. §. 11. p. 22.
Cardinales ad Urbem accedentes, Summo Pontifici se sistere debent, nec ab Urbe discedere, sine licentia ejusdem Pont. CXIX. §. 3. pag. 279.
Cardinales in Urbe non residentes, qualibet ex causa excluduntur a participatione Rotuli. CXIX. §. 3. pag. 279.
Accedentibus ad Urbem ex causa legitima tribuitur portio pro tempore moræ. *ibid.*
Cardinalium exequiæ quomodo celebrandæ. XXXVII. pag. 56. V. *Collegium Cardinalium.*
Cardinales Episcopi. V. *Episcopi Cardinales.*
Cardinales Episcopi per Ecclesiasticam Ditionem, quibus honoribus prosequendi sint a Gubernatoribus, Vicelegatis, & Præsidentibus, pag. 28.
Cardinales tam in Urbe, quin in aliis Civitatibus degentes, quando visitari debeant a Prælatis, aliisque &c. pag. 159.
Carmeli. V. *Indulgentiarum Communicatio.*
Carnate R. V. *Malabar.*
Carnium esus si cui concedatur tempore jejunii, is servare debet leges præscriptas de unica comestione, de non permiscendis epulis, de hora refectionis &c. XCIX. §. 1. pag. 205. & seq.
Carnes comedi nequeunt in vespertina refectiuncula tempore jejunii. XCIX. §. 1. pag. 203. & seq.
Carnium esus Die Sabbati prohibetur Latinis in Græcorum famulatu degentibus. LVII. §. 9. pag. 101. V. *Sabbatum.*
Carnium esus Diebus Sabbati per annum permittitur in Regnis Castellæ, Legionis, & Indiarum. CXVIII. pag. 277.
Carthusiani Ordinis laudes. CVIII. §. 13. p. 429.
Castellæ, Legionis, & Indiarum Regnis permittitur esus Carnium diebus Sabbati per annum. CXVIII. pag. 277.
Catholici cum hæreticis nupti quid præstare debeant. XXXIV. §. 3. pag. 52.
Causæ omnes in prima Instantia ab Ordinariis cognoscendæ. XLVIII. §. 42. pag. 80.
Exceptis Privilegiatis, quæ ad Sedem Apostolicam pertinent. §. 47. pag. 81.
In Causis tamen ultra Montes, etiam privilegiatis, Monitoria expediri prohibentur in Curia absque speciali Judicis Rescripto. *ibid.* §. 47.
Causarum commissiones ad partes, Judicibus Synodalibus dumtaxat dirigendæ. XXVIII. §. 6. pag. 42.
Causæ de partibus non attingentes valorem centum scutorum, & non privilegiatæ, retineri nequeunt in Curia; sed subdelegandus est Judex in partibus, cum clausula &c. CXV. §. 12. pag. 270.
Causæ jam contestatæ & introductæ in partibus, si ob privilegium variandi forum, deferantur ad A. C., reassumi debent in statu & terminis, refectis sumptibus, & transportatis actis expensis illius, qui variare voluerit. CXV. §. 6. pag. 269.
Causæ infra valorem scut. 25., & mercedis, judicari possunt a Card. Vicario Urbis, & a Gubernatore contra quoscumque, etiamsi adsit Obligatio Cameralis. CXV. §. 24. pag. 271.
Causæ Matrimoniales. V. *Matrimonia.*
Causas Spirituales avocantes a Judicibus Ecclesiasticis, excommunicantur. XIV. §. 14. pag. 22.
Censuræ Summo Pontifici reservatæ publicantur die Cœnæ Domini. XIV. per tot. pag. 21. seqq.
Censuum & Cambiorum fructus a Communitatibus Ditionis Ecclesiasticæ conventi, ad æquitatis rationem reducuntur. CXXXVIII. pag. 314.
Cessiones commodi exigendi fructus Beneficiorum, prohibentur, sub pœna excommunicationis, & annullantur. XXIX. pag. 42.

Cessio-

Cessiones commodi exigendi pensiones, factæ intra VI. menses a die captæ possessionis Beneficii, annullantur. XXX. §. 4. pag. 44.
Choreæ publicæ Festis diebus prohibentur. LX. §. 4. pag. 114.
Chrisma benedici nequit nisi ab Episcopo. LVII. §. 4. pag. 96.
Chrisma pro Ecclesiis Græcis recipi debet ab Episcopo Catholico, & quidem ab Ordinario. LVII. §. 4. p. 96.
Ciampæ, & Cambodiæ Regna subsunt jurisdictioni Vicarii Apostolici Cocinchinæ. CXI. §. 16. pag. 259.
Permittitur Franciscanis Missiones habere in iis Regnis, sed non privative. *ibid.*
Ciborum prohibitorum esus. V. *Dispensatio.*
Ciborum prohibitorum esus tempore jejunii permittitur in Bulla Cruciatæ. LXXXVI. §. 6. pag. 165.
Cinerum ex Vaccæ stercore confectorum usus, & benedictio, Fidelibus, & Missionariis Indiarum prohibetur. CVII. §. 3. 14. pag. 233. 238.
Citationum Mandatorumque Romanæ Curiæ exequutio a nemine retardari potest, sub pœnis &c. XLVII. per tot. pag. 75. V. *Executio.*
Citationes Camerales etiam Typis impressæ & non subscriptæ, in partibus attendi debent in causis, in quibus A. C. est Judex competens in prima Instantia. CXV. §. 5. pag. 269.
Item Citationes similiter impressæ, & non subscriptæ coram Card. Præfecto Signat. Just. ejusque Auditore in certis casibus. *ibid.* §. 7. pag. 269.
Quando non afficiant, nec attendi debeant. §. 9. 10. 11. pag. 269. 270.
Nunquam suspendunt executionem, ubi appellatio suspensiva locum non habet. *ibid.* §. 14. pag. 270.
Unâ Citatione hujusmodi executa, & attenta, aliæ non attendantur. §. 13. pag. 270.
Citationes *ad comparendum, vel pro adeunda Signatura Justitiæ* vim inhibendi non habent. XLVIII. §. 46. pag. 80.
Citationes interesse habentium pro delendis vinculis Locorum MM. &c. quomodo exequi debeant. CXV. §. 44. pag. 273.
Cives Romani a Conservatoribus Cameræ Urbis creati, & inter Cives simpliciter relati, non ideo Nobiles Romani haberi debent. CXLVI. §. 2. pag. 338.
Quidquid expressum fuerit in eorum diplomatibus, & non obstante qualibet consuetudine, & possessione. *ibid.*
Civium Romanorum creationes ad formam Statutorum Urbis faciendæ. CXLVI. §. 12. pag. 340.
Civitatis Romanæ Diplomatum certa forma præfinitur. CXLVI. §. 18. pag. 341.
Civitates et loca Ecclesiæ occupantes excommunicantur. XIV. §. 20. pag. 23.
Claudiopolitano Episcopo scribit Congregatio de Propaganda Fide super observantia Decretorum Card. Tournonii. CVII. §. 8. pag. 234.
Clausura Monasteriorum Virorum Regularium asseritur. XXXIX. pag. 60.
Clausura Monialium constabilitur. XXI. pag. 34. & XL. pag. 62.
Facultates permittendi egressus Monialium è Claustris, quibuslibet concessæ, revocantur & annullantur. XXI. §. 4. pag. 35. XL. §. 3. p. 62. V. *Ingressus.*
Clausuram Monialium violantes quomodo absolvantur. XCV. §. 38. pag. 187. V. *Moniales.*
Clementis XI. Constit. de Ritibus Sinen. incip. *Ex illa die*: refertur per extensum. LIX. §. 10. pag. 106. Ejusdem Decretum super iisdem Ritibus. *ibid.* §. 8. pag. 106.
Illudque confirmatur in omnibus. *ibid.* §. 12. pag. 110.
Clericorum delectus & regimen Episcopis commendatur. II. §. 1. pag. 3.
Clerici operam dare debent instruendis Fidelibus in Doctrina Christiana. XLII. §. 6. pag. 64.
Clericis interdicitur quælibet negociatio. XIII. pag. 19. V. *Negociatio.*
Clericorum criminosa depauperatio ex cessione commodi exigendi fructus Beneficiorum præcavetur. XXIX. p. 42.
Clerici in minoribus non servantes præscripta Concilii Trid., non gaudent privilegio fori in causis homicidii. LXXXVIII. §. 2. pag. 170.
Atque etiam expleta pœna, eodem privilegio privati remanent, & habitum Clericalem reassumere nequeunt. *ibid.* pag. 171.
Utrum præscripta a Concil. Trid. servaverint, ab Ordinariis declarandum, non retardata assecuratione personæ. *ibid.*
Simplices verò Tonsurati non Benefic., etiam servantes præscripta Concilii, privantur privilegio fori post duo homicidia. *ibid.*
Clerici Regulares. V. *Theatini.*
Coadiutorem habens in animarum cura, aut in Canonicatu, tenetur residere in loco Parochiæ & Canonicatus, ut Coadjutoris impediti vices suppliere possit. CXXXV. §. 28. pag. 310.
Cocco, Fructus ab Indis frangi solitus ad auspicia capienda, a Christianis non frangatur eam ob causam. CVII. §. 3. 14. 39. pag. 231. 235.
Cocinchinæ Missiones variis difficultatibus agitatæ. CXI. §. 1. pag. 255.
Ad eas mittitur Visitator Apostolicus Episcopus Halicarnassensis. *ibid.* §. 2. pag. 256. Hujus Decreta. *ibid.* §. 4. pag. *ead.*
Quæ primò confirmantur a S. Sede. *ibid.* §. 9. p. 257.
Mox revocantur quoad præjudicium irrogatum Franciscanis Observantibus. *ibid.* §. 10. pag. 258.
Episcopus Corycensis delegatur pro executione & restitutione Franciscanis facienda. *ibid.* §. 12. pag. 258. seq.
Et pro nova districtuum divisione. *ibid.* §. 13. p. 258.
Cocinchinæ Vicario denunciatur adventus ablegati Apostolici. CXII. pag. 260.
Cocinchinæ Vicarius Apostolicus jurisdictionem habet in Regna Ciampæ, & Cambodiæ. CXI. §. 16. pag. 259.
In Codice, & in Pandectis relatæ sunt Leges Imperatorum, & responsa Prudentum cum correctionibus, immutationibus &c. CXIII. §. 11. pag. 262.
Cognatio Spiritualis non extendatur ultra Gradus, & Casus a Conc. Trid. præscriptos. LXXXIX. §. 17. pag. 174. 175.
Idem præscribitur pro Græcis. LVII. §. 8. p. 100. 101.
Cognatio spiritualis non oritur ex assistentia Matrimonio præstita, LXXXIX. §. 17. pag. 174. 175.
Neque ex Capillorum tonsura. *ibid.*
Collectas, Decimas, aliaque onera imponentes personis Ecclesiasticis, & eorum bonis, excommunicantur. XIV. §. 18. pag. 23.
S. Collegii Cardinalium Ministri quænam emolumenta capiant ratione promotionis & obitus Cardinalium. LXXIII. §. 1. pag. 139.
Ea omnia in ipsa promotione solvenda, ex Decreto Clem. XII. *ibid.* §. 2. pag. 139.
Columba in Jordane visa super Christum, cujus naturæ fuerit, remissive. CXLI. §. 17. pag. 319.
Columna, Prosper Cardinalis, laudatur. CXLVI. §. 1. p. 338.
Comessationes in Ecclesiis fieri prohibentur. CXXXVII. §. 4. 7. pag. 313.
Commemoratio Romani Pontificis, & Episcopi Latini Diœcesani, ab Italo-Græcis in Missa fieri præcipitur. LVII. §. 9. pag. 101.
Non verò Patriarcharum, vel Episcoporum Orientalium. *ibid.*
Permittitur tamen Commemoratio Episcopi Græci exercentis Pontificalia in ea Diœcesi, de licentia S. Sedis, vel Ordinarii. *ibid.*
Commissarius Conclavis, Sede vacante, unus eligi debet ex Collegio Advoc. Consistorialium. CVI. §. 31. p. 229.
Commissarius. V. *Cruciata.*
Commissiones Causarum ad partes Judicibus Synodalibus dumtaxat dirigendæ. XXVIII. §. 6. pag. 42.
Commissiones Causarum Matrimonialium. V. *Matrimonia.*
Commodum exactionis fructuum Beneficiorum cedere non licet. XXIX. pag. 42.
Commodum exigendi pensiones nulliter ceditur infra VI. menses a die captæ possessionis Beneficii. XXX. §. 4. pag. 44. V. *Pensiones.*
Complices, seu Socii criminis a pœnitentibus revelari non debent. CXXXIV. pag. 304. & seq.
Compositiones super male perceptis, injuste acquisitis &c. quæ admittantur in vim Bullæ Cruciatæ, quomodo erogandæ. LXXXVI. §. 12. pag. 165.

COMMUNES Auctorum OPINIONES non temere deferendæ. CXIII. §. 8. pag. 261.
COMMUNICATIO INDULGENTIARUM. v. *Indulgentiæ.*
COMMUNIO Populi infra Missam non est de præcepto. LXIV. pag. 117.
Et justis ex causis prohiberi potest. *ibid.*
Communio sub utraque specie toleratur pro Græcis, ubi viget consuetudo. LVII. §. 6. pag. 97. 98.
Quæ tamen consuetudo alibi introduci prohibetur. *ibid.*
Communionis Paschalis tempus prorogatur pro incolis Serviæ. LXXXIX. §. 21. pag. 175.
Ad primam Communionem admitti non debent pueri in Doctrina Christiana non satis edocti. XLII. §. 9. pag. 65.
COMPOSTELLÆ. Archiepiscopo scribitur super dubiis circa Jejunii disciplinam. XCIX. pag. 203.
Hujusmodi Literæ pluribus quæstionibus cursum interceperunt. CXXX. §. 6. 7. pag. 299.
Earum exempla mittuntur Episcopis. *ibid.*
CONCELEBRATIO plurium Sacerdotum Græcorum super eodem Altari, quomodo permittatur. LXXXVII. §. 9. pag. 168.
Sacerdos rite concelebrans applicare potest Sacrificium pro offerentibus eleemosynas. *ibid.* §. 10. pag. 168.
Concelebrare non dicitur, nec Sacrificium applicare potest pro offerentibus eleemosynas, qui particulas tantum adjicit in præparatione panis ante Missam. *ibid.*
In Conceptionis B. Mariæ Virginis solemnitate statuitur Capella Pontificia in Basilica S. Mariæ Majoris quotannis celebranda, pag. 283. col. 2.
CONCILIUM. v. *Maronitarum.* v. *Tridentinum.* v. *Tarraconen. &c.*
Conciliorum & Synodorum celebratio Episcopis suadetur. XVIII. §. 5. pag. 41. & Const. XXXI. §. 1. pag. 45.
Appellantes ad *futurum Concilium Generale* damnantur & excommunicantur. XIV. §. 2. pag. 21.
Appellatio ad fut. Concil. Generale interposita ab Antistibus Schism. damnatur &c. CXXXII. pag. 531.
CONCIONATORIS APOSTOLICI munus Ordini Fr. Min. Cappuccinorum perpetuo addicitur. LXXV. pag. 241. & seq.
CONCIONES in Ecclesiis de die habendæ. CXXXVII. §. 3. pag. 313.
Conciones in Cappella Pontificia, & in Basil. Vaticana habentur inter Missarum solemnia. CXXXVII. §. 9. pag. 313.
CONCLAVIS Commissarius Sede Apost. Vacante, unus eligi debet ex Coll. Adv. Consist. CVI. §. 31. pag. 229.
CONCURSUS habendi pro collatione Ecclesiarum Parochialium, leges præscribuntur. LXVIII. §. 7. pag. 123.
Infra certum tempus indicendus est; & qua forma fieri debeat. *ibid.* §. 16. pag. 124. v. *Requisita.* v. *Appellatio ab irrat. jud. Episcopi.*
Concursus pro collatione Ecclesiæ a Sede Apostolica conferendæ, ab Ordinariis indici, & compleri potest, absque peculiari licentia. *ibid.* §. 19. pag. 125.
Qua ratione admitti possint ad concursum Canonici Lateran. aut Sanctiss. Salvatoris. CXXXV. §. 21. pag. 309.
Concursus pro Collatione Lecturæ, seu Cathedræ Archigymnasii Urbis quomodo habendus. CVI. §. 21. pag. 226.
CONFESSARII sollicitantes ad turpia canonicis pœnis subjiciuntur. XX. §. 1. pag. 32. & seq.
Quibus in casibus hujusmodi pœnæ locum habeant. *ibid.*
Sollicitati a Confessariis ad turpia, eos denunciare tenentur, aliàs absolutionis incapaces se reddunt. *ibid.* §. 2. pag. 33.
Confessarii sollicitantes, præter pœnas aliàs à jure statutas, perpetuam inhabilitationem incurrunt ad celebrationem Sacrificii Missæ, pag. 280. 281.
Constitutio contra sollicitantes a Græcis quoque observari debet. LVII. §. 9. pag. 101.
Confessariorum Calumniatores quoad sollicitationes, privantur beneficio absolutionis. XX. §. 3. pag. 33.
Confessarii privantur facultatibus quoad complices in peccato contra castitatem, extra articulum mortis, & casum extremæ necessitatis, sub pœna excommunicationis &c. *ibid.* §. 4.
Etiam tempore Jubilæi, & ratione cujuscumque Indulti. XX. §. 4. pag. 33.
Confessarii jubentur abstinere ab audienda Confessione personæ complicis in peccato turpi, etiam in articulo mortis constitutæ, ubi alius quilibet Sacerdos haberi possit. CXX. §. 2. pag. 280.
Nisi tamen adsit verum & inevitabile periculum infamiæ, vel scandali, ex hujusmodi accessu alterius Sacerdotis. *ibid.* §. 3.
Id verò periculum præverti, vel removeri, pro viribus debet. *ibid.*
Absolventes tamen personam complicem in hujusmodi articulo constitutam, etiam absque tali necessitate, valide absolvunt. *ibid.* §. 4. pag. 280.
Sed pœnas & censuras incurrunt. *ibid.*
Confessariis interdicitur exquirere a pœnitentibus nomina complicum, sive Sociorum in crimine. CXXXIII. pag. 304. & seq.
Confessariorum facultates occasione Jubilæi. I. §. 4. pag. 2. & Const. CX. §. 4. pag. 255.
Confessariorum facultates in vim Bullæ Cruciatæ. LXXXVI. §. 8. 10. pag. 165.
Confessarius electus in vim Bullæ Cruciatæ pro absolutione a Censuris & peccatis reservatis, approbatus esse debet ab Ordinario Loci in quo Confessiones excipit. §. 2. pag. 204. 205.
Quod extenditur ad alia Indulta similia. *ibid.* §. 5. pag. 205.
Et declaratur comprehendere omnes Personas in Indulto comprehensas, etiam Regulares. *ibid.* §. 6. pag. 206.
Sub pœna nullitatis absolutionis. *ibid.*
Confessarius Absolvens absque approbatione Ordinarii Loci, pœnam suspensionis incurrit. *ibid.* §. 2. pag. 204. 205.
Confessarii quotannis vacare debent exercitiis spiritualibus. II. 3. pag. 3.
CONFESSIONES Sacramentales factæ Sacerdoti actu non approbato ab Ordinario Loci, & absolutiones impertitæ, nullæ declarantur. §. 2. pag. 204. 205.
Confessionem Sacramentalem audientes, qui reperti fuerint ad Presbyteratum non promoti, Curiæ Sæculari traduntur etiam pro prima vice; prævia degradatione, si alium Ordinem habuerint. XCVII. §. 8. pag. 197.
Dummodo absolutionis formam protulerint. *ibid.*
Quam si non protulerint, mitiori pœnæ damnari possint. *ibid.* v. *Ordinatio.*
Confessiones Cappuccinorum Confessariis extraneis permittuntur, deficiente Confessario ejusdem Ordinis. XLIX. pag. 82.
Confessiones simultaneæ Virorum & Uxorum apud Græcos improbantur. LVII. §. 5. pag. 97.
v. *Pœnitentiæ Sacramentum.*
CONFESSIO REORUM non requiritur, quando convicti sint per indicia indubitata. LXXI. pag. 128.
CONFIRMATIO APOSTOLICA Erectionis sex Officiorum Ecclesiasticorum in Ordine Equestri S. Georgii in Bavaria. XXXII. pag. 47.
Militiæ S. Januarii. XXIV. pag. 37.
Et Synodi Nationalis Maronitarum. XXXI. pag. 45.
Confirmatio Apostolica in forma communi nihil addit ei quod confirmatur. LXXVI. §. 13. pag. 144.
CONFIRMATIONIS administratio delegari potest simplici Sacerdoti per Indultum Apostolicum, ubi concurrat necessitas Fidelium, & difficultas habendi Episcopum. CXXIX. §. 8. pag. 293.
Semper tamen adhiberi debet Chrisma ab Episcopo rite benedictum. *ibid.*
Confirmationis Sacramentum a Presbyteris Italo-Græcis conferri nequit. LVII. §. 2. & 5. pag. 95. 96. 97.
Proindeque ab Episcopis conferendum est absolute iis, qui ab hujusmodi Presbyteris Chrismate consignati fuerint. *ibid.* pag. 97.
Quando verò sub conditione. *ibid.*
Confirmationis Sacramentum in Ecclesia Occidentali conferri nequit ante usum rationis. CXXIX. §. 6. pag. 293.
Ne quidem a Græcis commorantibus in Italia, & Insulis adjacen. LVII. §. 2. pag. 95., & Const. CXXIX. §. 4. pag. 293.

Aliud obtinet apud Græcos in Oriente degentes, ex tolerantia Sedis Apoſtolicæ. CXXIX. §. 4. pag. 293.
Item apud Cophtos. *ibid.*
Ubi etiam idem ſimplex Sacerdos miniſtrare ſolet Infantibus Baptiſmum, & Confirmationem. *ibid.*
Eccleſiæ Latinæ morem improbare non licet. *ibid.* §. 6. 7. pag. 293.
Confirmationis Sacramentum conferri non debet pueris parum inſtructis in Doctrina Chriſtiana. XLII. §. 9. pag. 65.
Confirmationis Sacramentum miniſtrare poteſt Epiſcopus in Eccleſiis Regularium tam Parochialibus, quam non Parochialibus, in ſacra viſitatione, & extra illam. CIX. §. 6. pag. 251.
Confirmationis Sacramentum conferri poteſt a P. Cuſtode, & Guardiano S. Sepulchri, abſentibus Epiſcopis Latini Ritus. X. pag. 17. 18.
Ab eodem poteſt ſub conditione conferri Græcis-Melchichitis a ſimplici Sacerdote confirmatis, abſente Epiſcopo Græco Cathol. LXXXVII. § 14. pag. 169.
Confucii cultus Chriſtianis Sinen. omnino prohibetur. LIX. §. 10. pag. 107.
Congregatio Particularis ſuper delectu promovendorum ad Archiepiſcopatus, & Epiſcopatus erigitur. V. pag. 7.
Congregatio particularis erigitur pro excipiendis examinandiſque Relationibus Epiſcoporum &c. ſuper Statibus Eccleſiarum. VIII. pag. 16.
Congregatio particularis pro Reformatione Tribunalium Urbis a Summo Pontifice deputatur. CXV. §. 2. pag. 268.
Ejus Decreta publicantur. *ibid.* per tot.
Congregationis Firmanæ nova forma conſtituitur. IV. pag. 5.
Congregationis Concilii inſtructio pro Epiſcopis, aliiſque Præſulibus, ſuper modo conficiendi relationem ſtatus ſuarum Eccleſiarum, pag. 13. & ſeq.
Congregationis *Lauretanæ* Decretorum Synopſis, ubi plura de ejus autoritate, pag. 131.
Congregationum generalium S. R. E. Cardinalium facultates reducuntur ad terminos earum Inſtitutionis, & veterum Decretorum. XLIV. §. 19. pag. 72.
Consecratio Hostiæ, ſive Particulæ ex Sacro Repoſitorio ſeu Tabernaculo, ex Sac. Pixide aut Oſtenſorio ſubreptæ &c. non eſt probanda a Fiſco, ſed a Reo per legitimas probationes excludenda. XCIII. §. 4. pag. 181. v. *Surripientes.*
Consecratio Jo. Petri Meindarts Pſeudo-Archiepiſcopi Ultrajectenſis damnatur. XI. §. 3. pag. 18. v. *Ultrajecti.*
Conſecratio Hieronymi de Bock Pſeudo-Epiſcopi Harlemenſis illicita & illegitima declaratur. LXX. §. 4. pag. 128.
Conſecratio Joannis Van-Stiphout Harlemenſis pariter Pſeudo-Epiſcopi illicita & illegitima declaratur. CXXXVI. pag. 311. v. *Harlemenſis.*
Conservatores Cameræ Urbis ex Nobilium Romanorum cœtu eligendi. CXLVI. §. 11. pag. 340.
Conservatoriæ Privilegium. v. *Fori privilegium.*
Consilia Nobil. Romanor. extra conſuetas occaſiones congregari nequeunt abſque aſſenſu Pontif. CXLVI. §. 13. pag. 340.
Nec licet ulli, præter ſolitos iis intereſſe. *ibid.*
Consiliarii Cameræ Capitolinæ Sede Apoſtol. Vacante ex Nobil. Romanor. cœtu eligendi. CXLVI. §. 11. pag. 340.
Consistorialia Acta pro conceſſione Pallii Patriarchæ Antiocheno Græco-Melchitarum. pag. 179. & ſeqq.
Item pro approbatione Synodi Maronitarum, & pro conceſſione Pallii eorum Patriarchas. pag. 181.
In Consistorio omnes Petitiones, inſtantiæ, cauſarum perorationes, ab Advocatis Conſiſtorialibus fieri debent. CVI. §. 17. pag. 225.
Constitutio Pii IV. ſuper exemptione bonorum Clericorum in Urbe, & Curia decedentium, a ſpolio, limitatur quoad bona per negotiationem acquiſita. XIII. §. 3. pag. 20.
Conſtitutio ejuſdem contra Clericos Negociatores confirmatur. XIII. §. 1. pag. 19. 20.
Conſtitutio Sixti V. de Liminibus Apoſtolorum viſitandis ab Epiſcopis &c. confirmatur; & ampliatur ad inferiores Prælatos juriſdictionem Epiſcopalem habentes. VII. §. 4. pag. 11. & Conſt. VIII. §. 1. pag. 16.
Conſtitutio Innocentii XII. ſuper Reformatione Tribunalium Urbis confirmatur & innovatur. XLIV. pag. 69.
Conſtitutio Clementis XI. ſuper Ritibus Sinen. incip. *Ex illa die* refertur, & confirmatur in omnibus. LIX. §. 10. ſeqq. pag. 106. 107.
Conſtitutio *Unigenitus.* v. *Refractarii.*
Conſtitutio Clementis XII. contra Homicidas, quoad Immunitatem perſonalem & localem, extenditur ad loca dominii Reip. Lucanæ. LXXXVIII. pag. 170.
Consulatuum juriſdictiones extinguuntur. XLIV. §. 9. pag. 70. 71.
Excepto Conſulatu Agriculturæ. *ibid.*
Consules Artis Agriculturæ ex Nob. Romanor. cœtu eligendi. CXLVI. §. 11. pag. 340.
Continentia ſervanda eſt a Græcis Presbyteris per Hebdomadam, vel per triduum ante celebrationem Miſſæ. LVII. §. 7. pag. 98. & ſeqq.
Contractus illiciti, alii ob uſuræ labem, alii ob exceſſum fructuum conventorum. CXLIII. §. 3. pag. 328.
In contractibus ineundis quænam Cautelæ ſervari debeant. *ibid.* §. 7. pag. 329.
Contractus Mulierum, Pupillorum, Minorum. v. *Decreta juriſdictionis voluntariæ.*
Conversani Epiſcopi juriſdictio in Oppidum Putiniani definitur. LXXVI. §. 17. pag. 145.
Convicti Rei per indicia indubitata, licet non confeſſi, ad pœnam ordinariam damnari poſſunt. LXXI. pag. 128.
Cophtici Ritus Fideles recens converſi ſubjiciuntur juriſdictioni Epiſcopi Hieroſolymitani ejuſdem Ritus. XXV. pag. 38.
Cophtorum Nationis merita in S. Sedem. CXXIX. §. 1. pag. 292.
Dubia ad Cophtorum ritus & cauſas pertinentia. CXXIX. §. 3. pag. 292.
Eorum mos conferendi Sacramentum Confirmationis Infantibus ſtatim poſt baptiſmum. *ibid.* §. 4. pag. 293.
Et quidem per miniſterium ſimplicis Sacerdotis. *ibid.* v. *Confirmatio.*
Item ordinandi Diaconos in infantili ætate. *ibid.* 17. 18. pag. 294. v. *Ordinatio.* v. *Diaconi.*
Corporis Christi ſolemnitas. v. *Proceſſio generalis.*
Corrector Pœnitentiariæ Apoſtolicæ, ejuſque officium. XCVI. §. 13. pag. 192.
Corsicæ perturbationes memorantur occaſione Beatificationis B. Alex. Sauli olim Aleriæ Epiſcopi. XVII. pag. 27.
Corycensis Epiſcopus, Hilarius Coſta, Vicarius Apoſtolicus in Regno Tunchini Orientalis, ablegatur in Cocinchinam. CXI. pag. 255. v. *Cocinchina.*
Costa. v. *Coryceníis.*
Crescentia Soror cum fama ſanctitatis defuncta Kauffburæ in Germania. CXLI. pag. 318.
Ejus actiones expenduntur. *ibid.* per tot.
Crocus ſuccus ſuperſtitioſus apud Malabares. CVII. §. 3. pag. 231. 232. v. *Ritus Malabarici.*
Cruciatæ Indulta conceduntur Militiæ Hieroſolymitanæ ejuſque ſubditis. LXXXVI. pag. 163.
Commiſſarius hujuſmodi Cruciatæ deputatur, cum facultatibus, quas vide *ibid.* §. 14. pag. 166.
Cruciatæ Bulla non tribuit Sacerdoti facultatem excipiendi Confeſſionem perſonæ complicis in peccato turpi. XX. §. 5. pag. 34.
Cruciatæ Indultum quoad electionem Confeſſarii, non derogat Concil. Tridentino, & Conſtit. Apoſtolicis, de approbatione Confeſſarii ab Ordinario obtinenda. C. §. 2. pag. 204. 205.
Non ſuffragatur Regularibus quoad electionem Confeſſarii pro abſolut. a cenſ. & pecc. reſerv. *ibid.* §. 7. pag. 206.
Quomodo interpretandum in eo quod reſpicit jejunii leges. XCIX. §. 1. pag. 203.
Crucis elevatio more Archiepiſcopi, conceditur Epiſcopo Eyſtetenſi. CXXXIII. pag. 304.
Crucis fixio Græci Patriarchæ nomine, in fundatione Monaſterii, operatur, ut ab Ordinarii juriſdictione exemptum, & Patriarchæ immediatè ſubjectum remaneat. XCVIII. §. 19. pag. 201.

Cujacii emendatio in Textu S. Auguſtini relat. *in Can. denique* 31. *quæſt.* 1., refellitur. CXIII. §. 22. pag. 264.
Cultus immemorabilis. V. *Approbatio Cultus.*
Cupersanen. V. *Converſana.*
Cura Animarum quibus demandari debeat. II. §. 3. p. 3.
Curam Animarum exercentes in Eccleſiis Regularium, quamvis ipſi ſint Regulares, ſubſunt viſitationi & correctioni Epiſcopi, in his quæ pertinent ad dictam curam & Sacram adminiſtrationem. CIX. §. 2. pag. 250. V. *Parochus.* V. *Regularis.*
Cursus. V. *Lucta.*
Custos S. Sepulchri. V. *Guardianus.*

D

Dæmones naturalibus remediis expelli nequeunt. CXLI. §. 42. pag. 323.
Dataria Apostolica. Quænam gratiarum genera per Datariam Apoſtolicam privative expediri debeant ſub pœna nullitatis. CXLV. §. 7. pag. 336.
Quænam promiſcue per Datariam, & per Secretariam Brevium expediri poſſint. *ibid.* §. 6.
Datarius *Pœnitentiariæ* ejuſque munus. XCVI. §. 14. pag. 192.
Decanus Advocatorum Conſiſtorialium in actibus Collegialibus præcedit omnibus de Collegio, etiam Epiſcopatu, vel Prælatura inſignitis. XCVIII. §. 16. p. 200. 201. V. *Advocati Conſiſtoriales.*
Decani Collegii S. R. E. *Cardinalium* juriſdictio, ratione Epiſcopatuum Oſtien. & Veliternen. præſervatur in ſuppreſſione Tribunalium particularium Urbis. XLIV. §. 26. pag. 73.
Decretales Gregorii IX. habent vim legis, ita, ut jacent. CXIII. §. 9. & 13. pag. 262.
Amplia, etiamſi in aliquo diſcrepare dignoſcerentur a Decretalibus integris, prout a præcedentibus Pontificibus editæ fuerant. *ibid.*
In Decretalibus, in Sexto, in Clementinis, multa reſecata ſunt, auctoritate Pontificum. *ibid.* §. 10. p. 262.
Decretales explicatæ, conciliatæ, illuſtratæ.
Cap. *Cum haberet. De eo qui duxit in matrim. &c.* CXIII. §. 26. pag. 265.
Cap. *Propoſitum. De eo qui duxit in matrim. &c. ibid.* §. 32. pag. 265.
Cap. *Significaſti. De eo qui duxit in matrim. &c. ibid.* §. 25. pag. 264.
Cap. *Tanta. Qui Filii ſint legitimi. ibid.* §. 15. & 16. pag. 263. & §. 39. pag. 266.
Cap. *Quod Dei timorem. De ſtatu Monachorum.* CXXXV. per tot. pag. 305. & ſeq.
Decreta juriſdictionis voluntariæ in contractibus Pupillorum, minorum, mulierum &c. quinam interponere valeant in partibus. CXV. §. 47. pag. 478.
Quinam in Urbe. *ibid.* §. 48.
Quibus cautelis interponenda, ſub pœna nullitatis, & refectionis damnorum. *ibid.* §. 49. ſeq. pag. 274.
Decreta in contractibus, renunciationibus &c. Regularium & Monialium Urbis, ſolus interponere poteſt Card. Vicarius. *ibid.* §. 22. pag. 271.
Decretum, quod SS. Apoſtolorum Principes Petrus & Paulus Urbis Romæ Patroni Principales nuncupentur, pag. 157.
Defensores recurrentium ad Sed. Apoſt. offendi prohibentur, ſub pœna excommunicationis. XIV. p. 21.
Defensor Matrimonii conſtitui debet in ſingulis Diœceſibus, & adeſſe judiciis omnium Cauſarum Matrimonialium. XXXIII. §. 5. 6. pag. 49.
In Romana Curia a quo ſit eligendus. *ibid.* §. 13. pag. 50.
In judiciis ſecundæ inſtantiæ, quinam eſſe debeat. *ibid.* §. 10. pag. 50.
Defenſori Matrimonii ſalarium unde conſtitui debeat. *ibid.* §. 12. pag. 50.
Defenſor Matrimonii juramentum præſtare debet in limine judicii, & in ſuſcipiendo officio. *ibid.* §. 7. p. 49. & ſeq.
In omnibus actibus citari & intimari debet, ſub pœna nullitatis. *ibid.* §. 7. 10. pag. 49. 50.
Semper appellare debet a prima ſententia pro nullitate Matrimonii lata. *ibid.* §. 8. pag. 50.
Defunctorum cultus Chriſtianis Sinen. prohibetur. LIX. §. 10. pag. 107.
Et de Tabellis eorum nominibus inſcriptis. *ibid.*
Dei Nomen apud Sinenſes Chriſtianos quale permittatur. LIX. §. 10. pag. 107.
Denunciationes Matrimonii ſine gravi cauſa non omittendæ. XXXV. §. 5. pag. 53.
Super trina denunciatione Matrimonii non facile diſpenſandum. LXXXV. §. 11. 13. pag. 162.
Diſpenſandi facultas adimitur Nuntio Apoſtolico in Poloniæ Regno commoranti. *ibid.* §. 16. pag. 162.
Denunciationum lex pro contrahendis Matrimoniis in Servia & finitimis Regionibus ſervanda. LXXXIX. §. 11. pag. 174.
Depositum. V. *Vincula.*
Diaconi Orientalis Eccleſiæ, qui ordinati fuerunt in ſtatu cœlibi, non poſſunt Matrimonium contrahere. CXXIX. §. 36. 37. pag. 296.
Et, ſi quod contraxerint, non modo illicitum eſt, ſed etiam nullum. *ibid.* §. 38. 39. pag. 296. 297.
Diaconi apud *Cophtos* ordinati in infantili ætate, poſtquam ordinationem ſuam ratam habuerint, Matrimonium inire nequeunt. CXXIX. §. 40. pag. 297.
Etiam poſt ejuratum ſchiſma. *ibid.* §. 41.
Quid ſi in ſchiſmate degentes Ordinationem ratam habuerint, deindeque Matrimonium contraxerint; an redeuntibus ad Eccleſiam indulgenda ſit diſpenſatio, ut Uxores valeant retinere. *Remiſſive. ibid.* §. 47. & ſeq. pag. 297.
Exempla hujuſmodi diſpenſationis. *ibid.* §. 51.
Digesta. V. *Pandectæ.*
Digniores ad Epiſcopatus nominandi ſeu præſentandi ſunt ab iis, qui legitimam ad hoc facultatem habent. V. §. 7. pag. 8.
Dignioris electio. V. *Parochialium proviſio.*
Dioecesum diſtributio pro Epiſcopis Maronitis. XLIII. §. 8. pag. 68.
Diplomata Civibus Romanis expedita cum expreſſione Patriciatus, vel Nobilitatis, contra formam Decreti annullantur. CXLVI. §. 2. pag. 338. V. *Formula.*
Dispenpationes nec frequenter, nec ſine juſta cauſa concedendæ, ex Concil. Trid. XLV. pag. 73. CXXX. §. 12. pag. 299.
Diſpenſationes ab obſervantia Eccleſiaſticæ diſciplinæ levibus de cauſis non concedendæ. LXXXIX. §. 25. pag. 175.
Diſpenſationum expediendarum ratio. XLV. §. 1. pag. 73.
Diſpenſationum *Matrimonialium* cauſæ veraciter exponendæ, & ab executoribus omnino verificandæ. XLV. pag. 73.
Earum executores verificare debent cauſas in Litteris expreſſas. *ibid.* §. 6. pag. 74.
Diſpenſationes Matrimoniales non concedantur occultantibus Fidei profeſſionem, cum ſimulatione Mahumetiſmi. LXXXIX. §. 14. pag. 174.
Nec iis, qui Matrimonium contrahere intendunt contra formam in Eccleſia ſtatutam. *ibid.*
Diſpenſationes Matrimoniales quænam concedi poſſint a Pœnitentiaria Apoſtolica. XCV. §. 39. & ſeq. p. 187. 188.
Diſpenſationes a Dataria nulliter obtentæ quomodo revalidari poſſint. *ibid.* §. 41. pag. 188.
Diſpenſationes ſuper Matrimonio rato, & non conſumato, quomodo concedendæ. XXXIII. §. 15. pag. 51.
Diſpenſatio convalidans in radice Matrimonium inceſtuoſum, quibus in caſibus concedatur. CXIII. §. 40. pag. 266.
Ea obtentâ, proles jam ſuſcepta legitima fit. *ibid.*
Diſpenſatio cum Neophytis ad effectum contrahendi Matrimonium cum fideli, abſque interpellatione prioris Conjugis in infidelitate relicti. CXVII. pag. 276.
Diſpenſatio cum Diaconis Eccleſiæ Orientalis, qui Matrimonium contraxerint poſt adeptum Ordinem Sacrum, ut ad Eccleſiæ unitatem converſi Uxores valeant retinere, a Sede Apoſtolica aliàs conceſſa fuit. CXXIX. §. 51. pag. 297.
Diſpenſatio ſuper *Irregularitatibus* reſervatur Sedi Apoſtolicæ. LVII. §. 7. pag. 99.

Dispensationes ab observantia *Quadragesimæ* concedendæ non sunt, nisi adjecto præcepto de unica comestione, & de non permiscendis epulis. LV. pag. 92. & XCIX. §. 1. pag. 203.
Dispensatio a Quadragesimali jejunio nemini concedatur sine legitima causa, nec Universitatibus absque urgente necessitate. XIX. §. 3. pag. 32.
Dispensationes generales ab observantia Quadragesimæ pro integris Populis concedi nequeunt absque gravi causa. CXXX. §. 10. seq. pag. 299.
Quæ causæ legitimæ haberi debeant. *ibid.* §. 17. p. 300.
Non ciborum caritas. §. 18.
Non militum stationes. §. 19.
Justa causa reputatur deficientia piscium, olei &c. §. 21.
Et morbus epidemicus. 23. pag. 301.
Medicorum sententiæ exquirendæ, eorum attestationes exhibendæ. §. 24. 25. pag. 301.
Aliàs Dispensatio denegabitur. §. 27. pag. 302.
Dispensationes generales super observantia Quadragesimæ, aliarumque abstinentiarum, pro Communitatibus Patriarchatus Antiocheni, quomodo concedendæ. LXXXVII. §. 7. pag. 168.
Dispensationes super *Ritibus* Ecclesiasticis a S. Sede petendæ sunt, nec, ea inconsulta, ab alio quolibet concedi possunt. CVII. §. 14. pag. 236. & seq.
Dispensationes adversus Ritus, & Canones Ecclesiæ Græcæ, non concedantur a Missionariis Latinis. LXXXVII. §. 19. pag. 169.
Distributiones non lucrantur Canonici Choro interessentes, qui cum ceteris non psallunt. CIII. §. 24. p. 217.
Districtus Urbis ad quadragesimum milliare pertingit. CXV. §. 20. pag. 271.
Episcopi, & Ordinarii in Districtu Urbis existen., plenam & privativam habent jurisdictionem in suos subditos in prima instantia intra fines suarum Diœcesum & Territoriorum. *ibid.*
Quid competat Card. Vicario Urbis in iis Diœcesibus & Territoriis. V. *Vicarius.*
Quid Curiæ Capitolinæ. V. *Capitolina Curia.*
Divortia Græcorum, quoad vinculum, irritantur, & fieri deinceps prohibentur. LVII. §. 8. pag. 100.
Doctoratus Laurea in utroque vel altero jure a nemine conferri potest in Urbe, præter Advocatos Consist. CVI. §. 22. pag. 226.
Excepto Collegio Protonotariorum Apostolicorum participantium, de quo vide. *ibid.* §. 25. seq. pag. 227.
Doctoratus in extera Universitate in posterum adeptus non suffragatur ad obtinenda Officia, aut Beneficia in Urbe, & Curia Romana, pro quibus obeundis requiritur Doctoris gradus. *ibid.* §. 28. pag. 228.
Exceptis Officiis alicui Nationi, vel Universitati a Sede Apostolica concessis. §. 29. *ibid.*
Doctores in absentia nulliter promoti de præterito a Collegio Protonotariorum, habilitantur ut hujusmodi gradus eis suffragetur ad omnes effectus; cum prohibitione in posterum. CVI. §. 24. pag. 227.
Doctores sex quolibet anno creari possunt in Urbe a Collegio Protonotariorum Apostolicorum, etiam non pauperes, neque familiares. *ibid.* §. 25. pag. 227.
Eorum tamen numerus uno anno non completus reintegrari nequit in subsequenti. *ibid.* §. 26.
Ipsique promoti non gaudent privilegiis sibi competen., antequam rogitus eorum promotionis in Archivum relatus fuerit. CVI. §. 24. pag. 227.
Doctrina Christiana Fidelibus populis tradenda ab Episcopis. XLII. §. 2. pag. 64.
A Parochis, aliisque Animarum Curam habentibus. *ibid.* §. 3. & 4.
Item a reliquis Ecclesiasticis; a Magistris; a Patribus familias; a sodalibus huic operi addictis, & reliquis invicem Viris & Mulieribus. *ibid.* §. 2. & seq. pag. 64. & seq.
Doctrina Christiana tradenda est etiam in Ecclesiis ruralibus non Parochialibus. *ibid.* §. 14. pag. 65.
Doctrina Christiana non solum pueris, sed & Adultis necessaria. §. 8. pag. 65.
Qua ratione providendum institutioni Fidelium omnis ætatis & gradus. §. 9. & seq.
Præscribitur uniformitas in methodo & ratione docendi Doctrinam Christianam. *ibid.* §. 17. pag. 66.
Dogmata & Ritus ab Italo-Græcis tenenda & servanda. LVII. per tot. pag. 94. & seq.
S. Dominici *Archiepiscopo* scribitur super legitimatione filiorum ex adulterio procreatorum. CXIII. pag. 260.
S. Dominici *Insulæ* Habitatoribus quomodo concessa fuerit dispensatio ab observantia Quadragesimali. CXXX. §. 22. pag. 301.
Dubia circa jurisdictionem Episcopi Lauretani, & Gubernatoris ipsius Civitatis, & Almæ Domus, à Summo Pontifice resoluta, pag. 136. & seqq.
De Episcopi Lauretani jurisdictione in concursu Gubernatoris Decreta edita, & dubia resoluta, pag. 131.

E

Ecclesiæ communes esse debent Nobilibus, & Plebeis. CVII. §. 34. pag. 243.
Ecclesiarum Germaniæ Sæcularizatio a quibusdam proposita, in antecessum damnatur, & nunquam toleranda edicitur. XC. pag. 176.
Ecclesiasticas personas sive Collegia trahentes ad Tribunalia Laicalia, excommunicantur. XIV. §. 15. pag. 23.
Ecclesiastica Officia obtinentes in *Ordine Equestri S. Georgii Mart.*, quomodo jurare debeant circa defensionem Fidei &c. XXXII. §. 5. pag. 48.
Eistetensi Episcopo conceditur privilegium elevandi Crucem more Archiepiscoporum. CXXXIII. pag. 304.
Electio dignioris. V. *Parochialium collatio.*
Electio Jo. Petri Meindarts Pseudo-Archiepisc. Ultrajecten. nulla. LXI. §. 1. pag. 115.
Electio Hieronymi de Bock Pseudo-Episcopi Harlemen. nulla declaratur. LXI. pag. 115.
Electio Joannis Van-Stiphout in Episcopum Harlemensem nulla & irrita decernitur. CXXXI. pag. 302. & CXXXVI. pag. 311.
Electio duorum Patriarcharum Maronitarum a dissidentibus Antistitibus illius Nationis facta, cassatur & annullatur. LXXVII. pag. 146.
Eleemosynæ pro celebratione Missarum oblatæ, integre & fideliter in id erogandæ. XXII. §. 3. 5. p. 36. 37. V. *Mercimonia.*
Eleemosynæ pro expeditione adversus Infideles collatæ, ne in aliam quamlibet causam impendantur. LXXXVI. §. 16. pag. 166.
Elevatio Corporis B. Camilli de Lellis. XLVI. pag. 74.
S. Elisabethæ Vid. Lusitanorum Reginæ virtutes, miracula &c. LI. pag. 84.
Ejus Canonizatio ab Urbano VIII. peracta. *ibid.* §. 26. pag. 89.
Energumeni quomodo exorcizari debeant. CXLI. §. 43. pag. 323.
Enunciativa in Lege non habet vim legis. CXIII. §. 35. pag. 266.
Episcopi omnes excitantur ad sui muneris implementum. II. pag. 3. & seq.
Episcoporum residentia in certis & fixis Diœcesibus necessaria. XLIII. pag. 66.
Episcoporum delectus Congregationi particulari demandatur. V. pag. 7.
Et examen causarum pro eorumdem translatione de una ad aliam Ecclesiam. *ibid.* §. 5. pag. 8.
Episcopis commendatur Ministrorum delectus. LXXXV. §. 20. pag. 163.
Episcopi Sacrorum Ministrorum adjumenta petere debent pro recta suarum Diœcesum institutione. CXL. §. 5. pag. 316.
Ipsi exemplo præire, Diœceses visitare, & in eis residere suadentur. *ibid.* §. 18. pag. 317.
Episcopi excitantur ad evellendos abusus contra Ecclesiastici jejunii observantiam invectos. XIX. §. 2. p. 32. & XXVII. §. 3. pag. 40.
Episcoporum vigilantiæ potissimum commendata est a Concil. Tridentino observantia jejuniorum. CXXX §. 1. pag. 298.
Ad Episcopos pertinet publicas preces indicere & designare. LXXXII. pag. 154.

Episcopi, aliique Ecclesiarum Prælati offendi prohibentur sub pœna excommunicationis. XIV. §. 11. pag. 22.
Episcopi Ecclesiasticæ Ditionis, quibus honoribus prosequendi sint a Gubernatoribus, Prælatis, Vicelegatis, & Præsidibus Provinciarum. pag. 28.
Episcopi Ecclesiarum suarum relationes qua methodo exhibere debeant Congregationi Concilii, p. 13. & seq.
Episcoporum jurisdictio in Ecclesias Parochiales Regularium, & Personas curam animarum subditorum sæcularium in eis exercentes. CIX. pag. 249. & seq.
Et in subditos Ecclesiarum exemptarum ab ipsius jurisdictione & visitatione, ratione residentiæ ordinariæ principalis Superioris Generalis. *ibid.* §. 16. pag. 252.
Episcopi jurisdictioni, visitationi, & correctioni subsunt omnes Animarum curam gerentes, vel Sacramenta administrantes in Ecclesiis Regularium, in his, quæ ad dictam curam & administrationem pertinent. *ibid.* §. 2. pag. 250.
Quod intelligitur de jurisdictione ordinaria, non verò de delegata. *ibid.* §. 12. pag. 251. V. *Regulares.*
Episcopus cognoscere potest de vita & moribus Parochi Regularis, iis exceptis, quæ pertinent ad observantiam disciplinæ Regularis. CIX. §. 8. pag. 251.
Debet præcipue inquirere de omnibus, quæ spectant ad officium Parochi, quorum enumerationem vide. §. 9. 10. *ibid.*
Delinquentem Parochum Regularem corrigere potest: in quo cumulativam jurisdictionem habet cum Superiore Regulari. *ibid.* §. 10.
Cum præponderantia. *ibid.*
Etiam removere, absque consensu Superioris Regularis. *ibid.* §. 11.
Parochianos verò Sæculares corrigere & reformare ad Episcopum privative spectat. *ibid.* §. 10. pag. 251.
Episcopus quænam visitare possit in Ecclesiis Parochialibus Regularium. *ibid.* §. 7. pag. 251.
Episcopi consensus, & approbatio necessaria sunt, ut Regularis animarum curam assumere queat. CIX. §. 11. pag. 251.
Etiam in Ecclesiis ab ipsius jurisdictione, & Visitatione exemptis, ratione residentiæ ordinariæ Superioris Generalis. *ibid.* §. 16. pag. 252.
Episcopus ministrare potest Sacramentum Confirmationis in Ecclesiis Regularium, sive Parochialibus, sive non Parochialibus, arbitrio suo. *ibid.* §. 6. pag. 250. & seq.
Episcoporum, aliorumque Ordinariorum judicio Pontifex multum defert in collatione Parochialium. LXVIII. §. 21. pag. 125.
Episcopi, aliique Superiores Prælati non absolvuntur a Pœnitentiaria Apostolica a Censuris, vigore Litterarum in Cœna Domini, publice incursis. XCV. §. 11. pag. 185.
Episcopale jus, cum jurisdictione in Clerum, & Populum, non intelligitur cessum Prælato inferiori per verba generalia. LXXVI. §. 12. pag. 144. V. *Prælatus inferior.*
Episcopi Cardinales Episcopatuum suburbicariorum plenam & privativam jurisdictionem habent in prima instantia in suos subditos intra fines suarum Diœcesum. CXV. §. 20. pag. 271.
Episcopi intra Districtum Urbis. V. *Districtus.*
Episcoporum & Gubernatorum *per Ditionem Ecclesiasticam* constitutorum controversiæ ceremoniales definiuntur. XVIII. pag. 28.
Episcoporum Latinorum jurisdictio ordinaria in Græcos, & Albanenses in Diœcesibus suis commorantes, asseritur. LVII. §. 9. pag. 102. V. *Græci.*
Episcopi Græci Latinos ordinare nequeunt, nec Latini Græcos, sub pœna suspensionis. LVII. §. 7. p. 99.
Episcoporum Græcorum-Melchitarum, jurisdictio asseritur adversus attentata Prælatorum Maronitarum. LXXXVII. §. 12. pag. 168.
Episcopi Regnorum Maduren., Mayssur. & Carnaten. jurare debent observantiam Constitut. Apostolic. CVII. §. 17. pag. 239.
Itemque alia ipsis præscribuntur communiter cum Missionariis. *ibid.* V. *Missionarii.*
Epistola Encyclica, & Commonitoria ad omnes Episcopos. II. pag. 3.
Epistola Congregationis Concilii nomine scripta, super *Concursibus* habendis pro collatione Ecclesiarum Parochialium &c. LXVIII. §. 7. pag. 122.
Epistola Pastoralis Patriarchæ *Mediobarbi*, qua octo Permissiones circa ritus Sinen. edidit, refertur, & revocatur. LIX. §. 15. pag. 110.
Epistolæ Pastorales Episcopi *Pekinenſis* super observantia permissionum Patriarchæ Mediobarbi, cassantur & annullantur. LIX. §. 19. pag. 111.
Eucharistia in Azymo aut fermentato respective a Latinis, & Græcis Presbyteris ministranda. LVII. §. 6. p. 97.
Species Sacramenti Eucharistiæ iterum coqui prohibetur. *ibid.* §. 6. pag. 97.
Eucharistiæ species corruptioni non exponendæ. *ibid.* §. 4. & 5. pag. 96. 97.
Eucharistia non retinenda Domi, nec deferenda in itineribus. *ibid.* §. 6. pag. 97.
Eucharistia quo cultu de loco ad locum deferri debeat. LXXXIX. §. 23. pag. 175.
Eucharistia Infantibus statim post Baptismum, & pueris in Missa ministrari a Græcis Presbyteris prohibetur. LVII. §. 2. pag. 95.
Evodius Simon, Archiepisc. Damasci, ad Patriarchalem Maronitarum Cathedram transfertur Auctoritate Apostolica. LXXVIII. pag. 147.
Eidem transmittitur Pallium. CI. pag. 267.
Eutychetis hæresis quando sedem Antiochenam invaserit, pag. 179. & seq.
Examinis pro collatione Ecclesiarum Parochialium habendi forma. LXVIII. §. 7. pag. 122.
Examinis forma a Dataria Apostolica servata proponitur Locorum Ordinariis. *ibid.* §. 7. pag. 122.
Examinatores judicium ferre debent, non solum de doctrina, sed etiam de aliis qualitatibus requisitis in Parocho. *ibid.* §. 11. pag. 124.
Examen iterari non conceditur in judicio Appellationis, nisi ex actis prioris examinis probetur gravamen quoad doctrinam. *ibid.* §. 7. pag. 123.
Examinis acta. V. *Appellatio ab irration. judicio Episc.*
Excommunicationes publicatæ in die Cœnæ Domini, & Summo Pontifici reservatæ. XIV. per tot. p. 21. & seq.
Executio Citationum, seu Mandatorum Curiæ Romanæ impediri nequit sub pœnis &c. XLVII. §. 1. 5. p. 75.
Executionem hujusmodi impedientes, si sint ipsi litigantes, aut interesse habentes, causa cadunt, & jura amittunt. *ibid.* §. 6. pag. 75. & seq.
Si verò sint Judices, Magistratus, aut alii, Laici excommunicationem, Ecclesiastici suspensionem ab Ord. & Offic. incurrunt. *ibid.* §. 7. pag. 76.
Notarii exequi recusantes, aut alias impedientes, infamiam, & inhabilitatem incurrunt. *ibid.* §. 8. pag. 76.
Executores *dispensationum* verificare debent causas in Litteris expressas. XLV. §. 6. pag. 74.
Exempti, in causis mercedum & miserabilium personarum, subjiciuntur jurisdictioni Ordinariorum. XLVIII. §. 41. pag. 80.
Et in omnibus, ubi Judicem particularem non habeant. *ibid.*
Exemptio passiva non tribuit jurisdictionem activam. LXXVI. §. 9. 10. pag. 144.
Exequatur, seu Beneplacitum Ministrorum, Baronum &c. non requiritur, nec apponi permittitur in Citationibus, Mandatis &c. Curiæ Romanæ. XLVII. §. 1. 5. pag. 75.
Exequatur Judicis particularis non requiritur pro executione Mandatorum contra Patentatos fer. ser. relaxat. ab alio Judice competenti. CXV. §. 31. pag. 272.
Exequiæ *Cardinalium* quomodo celebrandæ. XXXVII. pag. 56. & seq.
Exercitium Religionis. V. *Occultatio fidei.*
Exercitia spiritualia quotannis peragi debent a Parochis & Confessariis. II. §. 3. pag. 3.
Exorcismi in Sacris Ecclesiæ Libris non relati, non admittantur. LXXXIX. §. 18. pag. 175.
Exorcizandi ratio in Rituali Romano præscripta exacte servari jubetur. CXLI. §. 43. pag. 323.
Exorcistatus conferendus est Subdiacono, Diacono, & Presbytero Græco, qui ritu Latino ad Diaconatum, Presbyteratum, aut Episcopatum sint promovendi. LVII. §. 7. pag. 98.

Exploratio voluntatis perseverandi in Ministerio Ecclesiastico. V. *Ordinatus in infantili ætate.*
Exploratio voluntatis *Matrimonia* contrahentium a Parocho facienda. LXXXV. §. 10. pag. 161.
Extractio Rei inquisiti, vel damnati, a loco immuni in casibus &c., si Clericus sit, fieri potest a Curia Episcopali ex officio, si Laicus, nonnisi ad instantiam Curiæ Sæcularis. LXXXVIII. §. 5. pag. 171.
Ad Extractionem inquisiti a loco immuni, in casibus &c. procedi potest, habitis indiciis delicti sufficientibus ad torturam. *ibid.*
Ad Extractionem verò Banniti, seu damnati in contumaciam, in simul. casibus, visa sententia contumaciali, & actis, quibus illa fundatur. *ibid.* §. 6. pag. 171.
Extractionis & traditionis denegatio, aliaque decreta super ejus competentia, allegari nequeunt in judicio super executione sententiæ &c. LXXXVIII. §. 6. pag. 171. 172.
V. *Immunitas.*
Extractus, sive Regestum. V. *Notarii.*
Extrema Unctio quo ritu exhiberi debeat a Græcis Presbyteris. LVII. §. 5. pag. 97.

F

Fabrica Basilicæ S. Petri. V. *Patentati.*
Fabricerii duo, ex Nobilium Romanorum Cœtu assumendi, pro conservatione ædificiorum publicorum Urbis, a SS. D. N. instituti. CXLVI. §. 11. pag. 601.
Facultates Officii Pœnitentiariæ, & Majoris Pœnitentiarii. V. *Pœnitentiarii Majoris facultates.*
Falsificantes Litteras Apostolicas & supplicationes signatas, excommunicantur. XIV. §. 6. p. 21. 22.
Falsitas in expositione facti expressa, punienda est ad formam juris. XLV. §. 5. pag. 74.
Familiares Episcoporum quinam gaudere debeant privilegio Fori. LXXXVIII. §. 1. pag. 170. & §. 9. pag. 172.
Familiarum in Civium Nobilium Romanorum Tabulas admissarum nomina, pag. 342.
Le Febvre. V. *Noëlensis.*
Farrariæ Civitas unum locum habet in Collegio Advocator. Consist. ex concess. Clem. VIII. ab Urbano VIII. confirmata & auct. &c. CVI. §. 3. p. 223.
Festi dies pie & religiose celebrandi. LX. §. 5. p. 114.
Festi dies in pietatis operibus, non in negociis sæcularibus transigendi. CXLIV. §. 17. p. 332.
Festi dies non omnes æque solemnes. *ibid.* §. 7. p. 331.
Festorum dierum observantia arctiori præcepto in Lege veteri injuncta, quàm nunc sit Ecclesiasticis Legibus. *ibid.* §. 10. pag. 331.
Festis diebus prohibentur Mercatus rerum Venalium; Nundinæ verò tolerantur sub certis conditionibus. CXLIV. per tot. p. 329. & seq. V. *Nundinæ.* V. *Mercatus.*
Festis diebus tempore Nundinarum occurrentibus, Divinorum Officiorum tempore, ab operibus servilibus abstineri, & religioni ac pietati operam dari præcipitur. CV. §. 2. pag. 221.
Festorum dierum imminutio communiter expetita, absque Episcoporum consensu a Pontifice non statuetur. CXLIV. §. 1. seq. pag. 330.
Festorum dierum reductio pro nonnullis Diœcesibus Hispaniæ. LXII. pag. 116.
Festorum dierum reductio pro Diœcesi Nicien. cum conditionibus opportunis. CXXVIII. pag. 291.
Festi dies æstivis Mensibus occurrentes infra hebdomadas, ad dies Dominicos transferuntur, pro nonnullis locis Regni Poloniæ, ob agriculturæ necessitatem. CXXXVIII. pag. 313.
Excepto festo Assumptionis B. M. V. *ibid.*
Et nihil immutato, quoad ordinem Divinorum Officiorum. *ibid.*
Festi dies in Ecclesiis non Parochialibus ita celebrandi, ut non avertatur Populus ab Ecclesia Parochiali. XLII. §. 15. pag. 65.
Festi dies Ecclesiæ Latinæ observari debent a Græcis degentibus in Italia & Insulis adjacen. LVII. §. 9. pag. 101.
Festorum dierum distributio per annum juxta Kalendarium Gregorianum ab Italo-Græcis servanda. *ibid.*
Fidei Christianæ occultatio cum simulatione Mahumetismi damnatur. LXXXIX. §. 3. pag. 173.
V. *Occultatio Fidei.*
In Fidei Causa conniventiæ locus esse nequit. CXIV. §. 5. pag. 267.
Fidei professio. V. *Professio.*
Fides plurium mysteriorum explicita requiritur necessitate medii; aliorum verò necessitate præcepti. XLII. §. 1. pag. 64.
Fides futuri Matrimonii. V. *Promissio.*
Filii ex Matrimoniis occultis nati, fraudari nequeunt bonis paternis & avitis. XXXV. §. 9. p. 54.
Filii nati ex soluto & soluta legitimantur per subsequens Matrimonium. CXIII. §. 2. pag. 260.
V. *Matrimonium.*
Filii generati ex adulterio, & nati constante Matrimonio, non legitimantur per subsequens Matrimonium. CXIII. §. 3. & per tot. p. 261. seq.
Quid si generati ex adulterio, nati sint post mortem legitimæ Uxoris. *ibid.* §. 3.
In dubium favendum Proli. *ibid.* §. 4.
Filii nati ex incestu legitimantur, accedente dispensatione in radice Matrimonii. CXIII. §. 40. p. 266.
Quid requiratur ad concedendam hujusmodi dispensationem. *ibid.*
Filii Græcorum. V. *Latinizantes.*
Filii *Mulierum Christianarum*, ex Turcarum contubernio geniti, quando ad baptismum admitti debeant, nec ne. LXXXIX. §. 8. pag. 174.
Si baptizentur, curandum est, ut in Religione Christiana instruantur. *ibid.*
Filioque, Particula in Symbolo. V. *Spiritus Sancti Processio.*
Firmanæ Civitatis, & Comitatus Gubernium Congregationi particulari demandatur. IV. pag. 5.
Firmanæ Congregationis nova forma constituitur. *ibid.*
Firmana Congregatio non cognoscit causas civiles per appellationem ad Urbem delatas. XLIV. §. 18. p. 72.
Fori Privilegio non gaudent in causis homicidii Clerici in minoribus, non servantes præscripta Concilii. *ibid.* §. 2. pag. 170.
Nec etiam post expletam delicti pœnam habitum Clericalem reassumere possunt. *ibid.*
Simplices verò Tonsurati, non Beneficiati, etiam servantes præscripta Concilii, Fori privil. privandi sunt pro duobus homicidiis præmeditatis. *ibid.*
Fori privilegio non gaudent Patentati in causis homicidii, exceptis Patentatis S. Officii, & Ordinariorum. LXXXVIII. §. 1. pag. 170. V. *Patentati.*
Fori & Conservatoriæ privil. confirmatur Universitati Avenionensi pro Professoribus, Doctoribus, Scholaribus, aliisque eidem Universitati addictis. CXLII. pag. 324.
Idque in causis Civilibus passivis in prima instantia. *ibid.* §. 15. pag. 576.
Et in Criminalibus levioribus tam activis, quàm passivis. *ibid.* §. 16.
Reservatis gravioribus Vice-Legato, ejusque Congregationi. *ibid.* §. 17.
Fori variatio. V. *Causæ jam contestatæ.*
Formulæ publicarum precum ab Ecclesiastica auctoritate designandæ. LXXXII. pag. 154.
Formula juramenti præstandi ab Abbatibus, aliisque inferioribus Prælatis Ordinariam jurisdictionem habentibus, super visitatione Sacrorum Liminum, VII. §. 11. pag. 12.
Formula professionis Fidei a Patriarcha Maronitarum faciendæ. LXXVIII. §. 5. pag. 148.
Formula juramenti a Patriarcha Maronitarum emittendi. LXXVIII. §. 6. pag. 150.
Formula juramenti super observantia Constitutionum Apostolicarum de Ritibus Sinensibus. LXVII. pag. 121.
Formula juramenti ab Episcopis & Missionariis Regnor. Madur. Mayssur. & Carnat. præstandi. CVII. §. 7. pag. 239.
Forma juramenti præstandi ab Officialibus & Ministris Pœnitent. Apostolicæ. XCVI. §. 22. pag. 129. & seqq.
Formula Diplomatum expedien. in Creatione Civis Romani. CXLVI. §. 18. pag. 325
Formula Diplomatum expedien. in creatione Nobilis Romani. CXLVI. §. 19. pag. 325.

For-

Formula Decretorum expedien. in receptione Nobil. Romani Conscripti. CXLVI. §. 20. pag. 325.
Franciscani Missionarii in Ægypto laborantes laudantur. CXXIX. §. 2. pag. 293.
Franciscani Instituti spiritus quoad jurisdictionem Parochorum, ex documentis S. Francisci, & S. Bonaventuræ. *ibid.* §. 15. pag. 294.
Franciscani Observantes Missionarii a quibusdam Ecclesiis, & Missionibus Cochinchinæ discedere jubentur, decreto Visitatoris Apostolici. CXI. §. 7. pag. 256.
Appellant ad S. Sedem. §. 9. pag. 257.
Decreta prius confirmata revocantur, ipsique in pristinum restituuntur. §. 11. pag. 258.
Adjecta lege conservandi Missiones sibi adjudicatas, easque non deserendi &c. *ibid.* §. 15. pag. 259.
Iisque permittitur prædicare in Regnis Ciampæ & Cambodiæ, non tamen aliis exclusis. CXI. §. 16. pag. 259.
V. *Minoritæ.*
Fructus. V. *Usura.* V. *Mutuum.*
Fructus Beneficiorum. V. *Cessiones commodi exigendi.*
Fructus male percepti non condonantur a Pœnitentiaria Apostolica in casibus publicis; quomodo autem in occultis. XCV. §. 24. pag. 186. V. *Redditus Ecclesiæ.*
Functiones solemnes Græco Ritu in Ecclesiis Latinis fieri prohibentur, absque licentia Ordinarii, & viceversa. LVII. §. 9. pag. 102.
Funiculus ex superstitioso filorum numero compositus, & croco dilinitus, Christianis Mulieribus interdicitur. CVII. §. 3. 14. pag. 231. & 235.
Furtum Hostiæ consecratæ. V. *Surripientes.*

G

Gabellas, & Pedagia nova imponentes, excommunicantur. XIV. §. 5. pag. 21.
Galliarum Regis pacifica consilia laudantur & promoventur. CXXIV. pag. 288.
Gallicanæ Ecclesiæ concordia fere restituta. CXXIV. §. 2. pag. 289.
Galli Missionarii. V. *Parisiensis Seminarii.*
Generales Ordinum Superiores alii ad vitam, alii ad plures, aut pauciores annos. CXXVI. §. 1. pag. 289.
Generales Ordinum Superiores unicam & certam residentiam Ordinariam principalem habere possunt, quæ gaudeat exemptione a jurisdictione & visitatione Episcopi, etiam quoad Animarum curam, & Sacramentorum administrationem. CIX. §. 17. pag. 252.
Quænam ea esse debeat. *ibid.* & §. 18. p. 253.
Generales Regulares non habent jurisdictionem in Parochianos sæculares subditos Parochiæ adnexæ ipsorum residentiæ. *ibid.* §. 16. p. 252.
S. Georgii M. Militia a Duce Bavariæ erecta &c. XXXII. §. 1. pag. 47.
V. *Militia S. Georgii.*
Germaniæ Episcopi, & Prælati Principes, ad observantiam Ecclesiasticæ disciplinæ excitantur. XC. pag. 177.
Gradus octavus consanguinitatis, vel affinitatis apud Græcos, respondet quarto gradui apud Latinos. LVII. §. 8. pag. 100.
In hujusmodi gradu matrimonia prohibentur. *ibid.*
Del Grafeo, Ecclesia Sanctæ Mariæ Messanen.
V. *Protopata.* V. *Ritus Græco-Latinus.*
Gratiæ per Datariam Apostolicam, vel per Secretariam Brevium expediendæ. CXLV. pag. 591.
V. *Dataria.* V. *Brevium Secretaria.*
Græcæ Ecclesiæ laudabiles consuetudines, jejunia, ritusque immutari nequeunt, inconsulta Sede Apostolica. LXXXVII. §. 3. pag. 167.
V. *Ritus Græcus.*
Græci Italiæ, & Insularum adjac. subjiciuntur Ordinariæ jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcoporum Latinorum in quorum Diœcesibus manent. LVII. §. 9. pag. 102.
Ita tamen, ut iidem Episcopi Vicarium Græcum retineant pro negociis & causis Græcorum. *ibid.* pag. 103.
Quemadmodum Metropolitanus pro causis Græcorum vigore appellationis ad se delatis Judicem Græcum deputare debet. *ibid.*
Si verò proprium Ordinarium Græcum habeant, ab Episcoporum Latinorum jurisdictione, & visitatione exempti esse debent. LVII. §. 9. pag. 103
Græcorum filii quo ritu baptizari debeant. LVII. §. 2. pag. 95. V. *Latinizantes.*
Et cujus Parochi jurisdictioni subesse debeant. *ibid.* p. 96.
Eorum Parochiæ quibus conferendæ. *ibid.* §. 9. p. 102.
Græcorum Ordinationes in Italia duobus Episcopis delegantur. LVII. §. 7. pag. 98.
Exclusis schismaticis Episcopis. *ibid.* pag. 99.
Exclusis etiam Latinis, quantumvis locorum Ordinariis. *ibid.* pag. 99. & seqq.
Prædicti tamen Episcopi ad Ordinationes Græcorum deputati nullam habent Ordinariam jurisdictionem. LVII. §. 9. pag. 103.
Nec ordinare possunt aliquos absque Dimissoriis Ordinariorum, præter Alumnos Collegii Græci, & Collegii Corsini. LVII. §. 9. pag. 103.
Tam ipsi, quam alii quicumque Episcopi Græci, Latinos ordinare prohibentur, sub pœna suspensionis. *ibid.*
Græci Ordinati ritu Latino cum dispensatione Apostolica, promoveri possunt ad reliquos Ordines ritu Græco. LVII. §. 7. pag. 100.
Si verò ordinati fuerint ritu Latino absque dispensatione, coguntur remanere in ritu Latino. *ibid.*
Maxime si post susceptos Ordines latinè vixerint. *ibid.*
V. *Ritus Græcus.*
Græcis Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis permittitur retentio Uxoris, quam ante Ordinem Sacrum duxerint unicam & virginem. LVII. §. 7. pag. 100.
Si verò bigami sint, ad Sacros Ordines promoveri non possunt. *ibid.*
Et si post Ordines susceptos matrimonium contrahant, separandi sunt, & ab Ordine deponendi. *ibid.* V. *Cælibatus.*
Græci Laici communicare possunt sub specie *Azymi* in Ecclesia Latina, ubi desit Ecclesia Græca: Nunquam verò Latini sub specie fermentati. LVII. §. 6. p. 98.
Limita in certis casibus, ubi consuetudo viget, ut *ibid.*
Græci quibus Libris Ecclesiasticis uti debeant in Missis, Officiis, & Sacramentorum administratione. *ibid.* §. 9. pag. 102.
Græcorum abstinentiæ & jejunia. LXXXVII. §. 5. p. 167.
V. *Jejunia.*
Græcorum & Latinorum præcedentiæ desumantur a dignitate personali, ab Ordine, & antianitate. LVII. §. 9. pag. 102.
Græco-Latinus ritus. V. *Ritus Græco-Latinus.*
De Græcorum Melchitarum rebus dubia & postulata ad Sanctam Sedem referuntur, & decreta conduntur. LXXXVII. pag. 166.
V. *Ritus Græcorum Melchitarum.*
Græco-Melchitæ Latino ritu baptizati de præterito, eligere possunt, quo ritu vivere velint. LXXXVII. §. 16. pag. 169.
In posterum verò sic baptizati, Græcum ritum sequi tenentur. *ibid.* §. 18.
Græco-Melchitarum Patriarchæ transmittitur Pallium. XCII. pag. 178.
V. *Antiochenus Patriarcha Græcorum Melchitarum.*
Græco-Ruthenorum a schismate ad Ecclesiam redeuntium Ordinationes Episcopo Auxerensi delegantur. LXIII. pag. 117.
Gregorius IX. V. *Decretales.*
Guardianus Sancti Sepulchri quando conferre possit Sacramentum Confirmationis. X. pag. 17. & LXXXVII. §. 14. pag. 169.
Gubernatores Prælati per Ditionem Ecclesiasticam certas cæremoniales leges erga Episcopos servare jubentur, pag. 28. & seqq.
Gubernatoris Lauretani jurisdictio certis in casibus præfinitur, pag. 131. & seqq.
Gubernatori Urbis S. R. E. Vice-Camerario concessum est Rochettum per Urbem deferre, & lemniscos nigros equorum capiti appensos habere, pag. 159.
Gubernatori *Urbis* nulla competit jurisdictio in Civilibus contra Clericos, & Loca Pia. CXV. §. 23. p. 271.
Exceptis causis mercedis, & summæ infra scut. 25., etiamsi adsit obligatio Cameralis. *ibid.* §. 24.

Gubernatore *Civitatis*, aut *Loci* Ditionis Ecclesiasticæ decedente, non licet Magistratibus, sive Consiliis, subrogare Pro-Gubernatorem. CXXVII. §. 1. p. 290.
Non obstante quacumque consuetudine, aut quasi possessione. *ibid.* §. 7. pag. 291.
Nisi doceant de expresso Privilegio a Sede Apostolica sibi concesso. *ibid.* §. 8.
Gubernatoribus Prælatis Civitatum Ditionis Ecclesiasticæ decedentibus, subrogantur ipso facto eorum Locatenentes, cum facultatibus & emolumentis. *ibid.* §. 1. p. 290.
Gubernatoribus non Prælatis substituuntur similiter Procuratores Fiscales. *ibid.* §. 2. 3.
Gubernatoribus a Præfectis, sive aliis Gubernatoribus dependentibus, subrogari jubetur aliquis Pro-Gubernator. *ibid.* §. 4.
In Legationibus Romandiolæ, & Ferrariæ, hujusmodi subrogatio pertinet ad Cardinales Legatos, sive Præsides Provinciarum. *ibid.* §. 5.
In Legationibus Bononiæ & Urbini, spectat ad eos, ad quos pertinet deputatio Gubernatoris. *ibid.* pag. 291.
Gubernatorum per Ditionem Ecclesiasticam constitutorum *controversiæ cæremoniales* cum Episcopis, definiuntur. XVIII. pag. 28.

H

Habitus viatorius conceditur Advocatis Consistorialibus. CVI. §. 13. pag. 225.
Hæretici, eorumque fautores excommunicantur. XIV. §. 1. pag. 21.
Hæretici occulti absolvi possunt a Pœnitentiaria Apostolica. XCV. §. 9. pag. 185.
Hæretici ad fidem redeuntes, qua charitate ab Ecclesia recipiantur. CXXIX. §. 11. pag. 293.
Halicarnassensis Episcopus, Elzearius Franciscus des Achars de la Beaume, Visitator Apostolicus Missionum Cocinchinæ. CXI. §. 2. pag. 256.
V. *Cocinchina.*
Harlemensis Episcopatus restitutio a schismaticis attentata, nulla, & irrita declaratur. CXXXI. pag. 302.
Harlemensis Pseudo-Episcopi *Hieronymi de Bock* electio damnatur, & annullatur. LXI. pag. 115.
Ipse suspenditur ab exercitio Jurisdictionis, cum inhibitione suscipiendi Consecrationem. *ibid.* §. 4. 5. pag. 116. seq.
Ejusdem consecratio illicita & illegitima declaratur. LXX. §. 4. pag. 128.
Atque excommunicatur & suspenditur ab exercitio etiam Ordinis. *ibid.*
Harlemensis Pseudo-Episcopi *Joannis Van Stiphout* electio nulla & illicita decernitur, cum præceptis &c. CXXXI. pag. 302. & CXXXVI. §. 1. 2. pag. 311. 312.
Ejusdem consecratio illicita declaratur, ac suspensionis & excommunicationis sententia in ipsum edicitur. CXXXVI. pag. 311.
De Hassia Darmstat, Joseph Episcopus Augustanus, laudatur. CXLI. §. 10. pag. 319. & §. 39. & 44. pag. 323.
Hibernia Sanctorum Insula dicta. XXVI. §. 4. p. 39.
Hiberniæ Episcopis inculcatur residentia in propriis Diœcesibus. *ibid.* pag. 39.
Hierosolymitana Militia. V. *Militia S. Joannis.*
Hierosolymorum Episcopo Ritus Cophtici tribuitur jurisdictio in omnes Catholicos ejusdem Ritus recens conversos. XXV. pag. 38.
Hispanæ Nationis religio & observantia in Sanctam Sedem commendatur. XCIX. §. 1. 2. pag. 203. 204.
Hispanæ Ecclesiæ disciplinæ consulitur per Constit. Innocentii XIII. & Benedicti XIII. C. §. 3. 4. pag. 205.
Hollandia. V. *Matrimonia.*
Hollandicum schisma. V. *Ultrajectensis.* V. *Harlemensis.*
Homicidæ, quamlibet *Privilegiati* (salva exemptione Patentatorum Sancti Officii, & Cur. Episcopalium) non gaudent privilegio *Fori* in Statu Ecclesiastico, aliisque, ad quos extensæ fuerunt Constitutiones hac de re editæ. LXXXVIII. §. 1. pag. 170.
Homicidæ si *Tonsurati* sint, non beneficiati, licet servantes præscripta Concilii Tridentini, privantur privilegio *Fori* post duo Homicidia. *ibid.* §. 2. pag. 170.
Si sint *Clerici* in minoribus, non beneficiati, nec servantes præscripta Concilii, non gaudent Privilegio *Fori* in hisce Causis, atque etiam expleta delicti pœna, eodem privilegio privati censentur. LXXXVIII. §. 2. pag. 170.
Homicidium deliberatum patrantes *Laici* non gaudent *Immunitate* Ecclesiastica in Statu Ecclesiæ, aliisque, ut supra. *ibid.* §. 3. pag. 171.
Item *Ecclesiastici* cujuscumque Ordinis. *ibid.*
Item mandantes, adjuvantes &c. tam Laici, quàm Ecclesiastici. *ibid.* §. 4.
Item inquisiti, banniti, & damnati de homicidio in contumaciam. *ibid.* pag. 171.
Horæ Canonicæ recitari debent a Græcis in Sacris Ordinibus constitutis. LVII. §. 7. pag. 98.
V. *Officium Divinum.*
Hospitalarii S. Joannis de Deo, artem Aromatariam exercere possunt, & Pharmaca vendere. VI. §. 2. p. 8.
Hospitalarii S. Spiritus. V. *Canonici.* V. *Transitus.*
Hospitio Pauperum Invalidorum de Urbe applicantur redditus expeditionum Collegiorum Min. Gratiæ, deductis expensis Pœnitentiariæ. XCVI. §. 33. pag. 194.
Hostiæ consecratæ furtum. V. *Surripientes.*

I

Jacobitæ ad hunc diem vocantur Hæretici Orientis, in Eutychiana hæresi, contra Chalcedonensis Concilii decreta, obfirmati, pag. 179. & seqq.
S. Januarii Militia a Rege Utriusque Siciliæ erecta confirmatur. XXIV. pag. 37.
Jejuniorum ab Ecclesia præscriptorum scopus. XCIX. §. 3. pag. 204.
Jejuniorum observantia Episcoporum vigilantiæ potissimum a Concilio Tridentino commendata fuit. CXXX. §. 1. pag. 298.
Jejunii Quadragesimalis observantiæ prospicitur. XIX. pag. 31. V. *Dispensatio.*
Jejunii Quadragesimalis origo, utilitas, & scopus. *ibid.*
Jejunii diebus, unica comestio servari debet ab iis etiam, quibus ob peculiares causas permittitur esus carnium, ovorum &c. XIX. §. 4. pag. 32. & XCIX. §. 1. p. 203.
Amplia, sive dispensatio fuerit personalis, sive generalis pro integra Civitate, aut Loco, sive Universitate. XXVII. pag. 40.
Jejunii diebus, epulæ licitæ cum vetitis, non apponantur; non obstante dispensatione super qualitate ciborum. XIX. §. 4. pag. 32. & XCIX. §. 1. pag. 203.
In Vespertina refectiuncula carnes non apponendæ. XCIX. §. 1. pag. 203.
Horæ etiam jejunantibus præscriptæ servari debent. *ibid.*
Quæstiones de jejunio cum esu carnium jungendo Pontificis lege dirimuntur. CXXX. §. 3. pag. 298.
Pontificis sententia de hujusmodi quæstionibus. *ibid.* §. 2.
Aliæ quæstiones deinde exortæ, solvuntur per organum Pœnitentiariæ Apostolicæ. *ibid.* §. 5. pag. 299.
Aliæ verò per Litteras in forma Brevis solutæ fuerunt. *ibid.* §. 6.
Constitutiones de Jejunio editæ quomodo intelligendæ. LV. pag. 92.
Jejunii leges æque observandæ sunt tempore Quadragesimæ, ac cæteris jejunii diebus per annum. XCIX. §. 1. pag. 203.
Jejunii leges servandæ sunt, non obstante dispensatione quoad qualitatem ciborum, in vim Bullæ Cruciatæ. LXXXVI. §. 6. pag. 165.
Jejunii dispensatio per alia opera pia compensari debet. XIX. §. 5. pag. 32.
Jejunii Ecclesiastici leges, necnon *naturalis* ante sumptionem Eucharistiæ, a Græcis servandæ. LVII. §. 6. p. 97.
Jejunia & abstinentiæ in *Ecclesia Græca* servari solita. LXXXVII. §. 5. pag. 167.
Jejunia, & vigilias Ecclesiæ Latinæ observare non tenentur Italo-Græci servantes jejunia Orientalis Ecclesiæ. LVII. §. 9. pag. 101.
Jejunia Ecclesiæ Græcæ observari debent a Monachis Ruthenis Ordinis Sancti Basilii. XCVIII. §. 24. p. 202.
Jejunium in Sabbatis Quadragesimæ, excepto Sabbato Sancto, non præcipitur Græcis, sed tantùm abstinentia a carnibus. LVII. §. 9. pag. 101.

Jejunium Sabbati in Jubilæis, vel aliàs indictum, in alium diem transferri conceditur pro Græcis. LVII. §. 9. p. 101.
Jejunium frangi a Sacerdote utente Sacris indumentis, quibus alius eodem die usus fuerit, inepta est quorundam de vulgo apud *Græco-Melchitas* opinio. LXXXVII. §. 8. pag. 168.
Jesu Societas. Theologus Consultor Pœnitentiariæ Apostolicæ ex ea assumi consuevit. XCVI. §. 15. p. 192.
Societatis Jesu Missionarii potissimam operam navant in Missionibus Regnorum Maduren., Mayssur. & Carnaten. CVII. §. 35. pag. 243.
V. *Missionarii.*
Ejusdem Societatis Missionariis in *Cocinchinæ* Regno districtus, & Ecclesiæ assignantur. CXI. §. 7. p. 256.
Imagines *Deum* repræsentantes sub ea forma, qua ipse hominibus apparuit, licitæ sunt. CXLI. §. 12. & seq. pag. 319.
Imagines *Sanctissimam Trinitatem* repræsentantes sub certis formis, licitæ sunt. *ibid* §. 25. seq. pag. 320.
Quænam illæ sint. *ibid.* §. 32. p. 321. & §. 36. p. 322.
Non licet Sanctissimam Trinitatem pingere in utero Beatæ Virginis. *ibid.* §. 27. pag. 321.
Nec sub figura hominis tricipitis. *ibid.* §. 28.
An sub figura trium hominum æqualium & similium. *ibid.* §. 29. seq. pag. 321.
Imagines *Divinam personam* repræsentantes sub alia forma, quàm quæ ab eadem assumpta fuerit, tolerari non debent. *ibid.* §. 22. pag. 320.
Imagines *Æterni Patris* permissæ & approbatæ. *ibid.* §. 36. pag. 322.
Imagines *Æterni Filii. ibid.* & §. 32. pag. 321.
Humana forma, & Cruci affixi, & mortui. *ibid.* §. 36. pag. 322.
Tum etiam in forma Agni. *ibid.*
Imagines *Spiritus Sancti* in forma Columbæ approbantur, & permittuntur. *ibid.* §. 16. ad 20. p. 319. seq. & 36. pag. 322.
Item in figura linguarum ignis, ubi repræsentatur mysterium Pentecostes. *ibid.* §. 21. p. 320. & §. 36. p. 322.
Imagines Spiritus Sancti sub humana juvenis forma damnantur & reprobantur, & removeri jubentur. CXLI. §. 10. pag. 319. §. 23. pag. 320. & §. 33. ad §. 37. pag. 323. seqq.
Imagines insolitæ, & erroris occasionem præbentes, damnantur, & prohibentur. CXLI. §. 23. pag. 320. & §. 35. pag. 322.
Imagines *Servorum Dei*, quorum cultus ab Ecclesia non est approbatus, publicè distribui & venerari non licet. CXLI. §. 41. pag. 323.
Imagines *Beatorum* non ubique publicæ venerationi exponi possunt. CVIII. §. 10. pag. 248.
Immemorabilis possessio solo rumore labefactatur. LXXVI. §. 4. pag. 143. V. *Possessio.*
Immunitatem, sive libertatem Ecclesiasticam publicè violantes, a Pœnitentiaria Apostolica nequeunt absolvi. XCV. §. 14. pag. 185.
Immunitate Ecclesiastica non gaudent homicidæ tam Laici, quàm Ecclesiastici, & homicidium mandantes, adjuvantes &c. Et inquisiti, banniti, ac damnati in contumaciam de homicidio, in Statu Ecclesiæ &c. LXXXVIII. §. 3. 4. pag. 171.
Ecclesiastici tamen a proprio Judice Ecclesiastico judicari & puniri debent. *ibid.*
Ordo servandus in extrahendis reis a loco immuni, & in eisdem tradendis Curiæ Ecclesiasticæ, sive sæculari, si inquisiti tantùm fuerint. *ibid.* §. 5. pag. 171.
Si verò banniti, seu damnati in contumaciam. *ibid.* §. 6.
Impedimentum dirimens matrimonium, non oritur ex præcedenti Adulterio, si Machinatio absit, & fides futuri matrimonii. CXIII. §. 15. 30. pag. 263. & pag. 265. V. *Adulterium.*
Impedimentum *justitiæ publicæ honestatis* ex matrimonio rato non consummato, fortius eo, quod ex sponsalibus oritur. LXXXIX. §. 15. pag. 174.
Impetrationes Beneficiorum collatorum a Cardinalibus jubentur admitti adversus non expedientes Litteras Apostolicas. XII. pag. 19.
Incestuosum Matrimonium quomodo & quando in radice sanari possit. CXIII. §. 40. pag. 266.
Incestuosa proles quomodo legitimetur. CXIII. §. 40. p. 266.
In Indiarum Regionibus Hispaniæ Regi subjectis permittitur esus carnium diebus Sabbati per annum. CXVIII. pag. 277.
India Orientalis. V. *Malabar.*
Indos Paraquariæ & Brasiliæ in servitutem redigere prohibetur. XXXVIII. pag. 58.
Indulgentiæ per visum a Domino acceptæ non admittuntur sub fide referentis. CXLI. §. 40. pag. 323.
Indulgentiæ pro recitantibus quinquies orationem Dominicam, & salutationem Angelicam, omnibus sextis feriis. IX. pag. 17.
Indulgentiæ concessæ visitantibus Ecclesias Urbis per Octavam Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli. LXXXIII. §. 11. pag. 156.
Indulgentiæ concessæ euntibus, aut mittentibus ad expeditionem contra Infideles, cum Classe, aut Exercitu Militiæ Hierosolymit. LXXXVI. §. 4. 7. p. 164. & 165.
Indulgentiæ concessæ Militibus S. Januarii. XXIV. §. 3. 5. pag. 37. 38.
Indulgentia Plenaria pro Ecclesia Patriarchali Maronitarum quater in anno, pro aliis Cathedralibus ejusdem Nationis bis in anno. LXXIX. §. 11. pag. 151.
Indulgentiarum communicatio inter Confratres Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo, & Tertiarios Cappuccinorum S. Francisci, revocatur. XCIV. pag. 183.
Indulgentiæ in tactu virgæ conceduntur a Majori Pœnitentiario. XCV. §. 50. pag. 188.
Indulta Apostolica præter mentem concedentis non extendenda. C. pag. 304. & seq.
Indulta eligendi Confessarium quomodo intelligenda. V. *Confessarius electus.*
Indultum eligendi Confessarium conceditur in Jubilæo. I. §. 4. pag. 2. CX. §. 4. pag. 255.
Item Militibus S. Januarii. XXIV. §. 3. pag. 37.
Et Militibus S. Joannis Hierosolymitani, ejusque Militiæ subditis, in Bulla Cruciatæ. LXXXVI. §. 8. pag. 165.
Indulta eligendi Confessarium non tribuunt Sacerdoti facultatem excipiendi confessiones personæ complicis in peccato turpi. XX. §. 5. pag. 34.
Indulta conferendi, Cardinalibus concessa, quam obligationem secum ferant. XII. pag. 19.
Indulta habendi, aut deputandi Judices, & Notarios particulares, revocantur. XLIV. §. 3. pag. 69.
Indultum vacandi operibus servilibus. V. *Festorum dierum reductio.*
Indulta pro Canonicis Regularibus ad obtinenda Beneficia sæcularia, a Sede Apostolica conceduntur, concurrente Superiorum consensu. CXXXV. §. 16. pag. 196.
Infantium matrimonia prohibentur. CVII. §. 3. p. 231. & seq. & §. 14. pag. 235.
Infantium Ordinationes. V. *Ordinatio.*
Inferni pœnæ reis subeundæ statim post mortem. LVII. §. 1. pag. 95.
Ingressus *Ecclesiæ* denegari nequit Mulieribus menstruatis. CVII. §. 3. 14. 39. pag. 231. 237. 244.
V. *Ecclesiæ.*
Ingressus Mulierum in *Monasteria* Virorum prohibetur. XXXIX. pag. 60.
In casibus exceptis, ex. gr. favore Mulierum Nobilium jus Patronatus habentium, quomodo permittatur. *ibid.* §. 8. pag. 61.
Facultates permittendi hujusmodi ingressus, revocantur, & annullantur. *ibid.* §. 4. 5. pag. 60. 61.
Inhibitiones vigore appellationis concedi prohibentur in Causis, quarum executio a Concil. Trid. demandata est Ordinariis, appell. remot. XLVIII. §. 5. & seq. pag. 77. V. *Appellatio.*
Et si concedantur, non habent vim inhibendi, & impunè sperni possunt. *ibid.* §. 38. pag. 79.
Inhibitiones vigore appellation. in casibus permissis continere debent inscriptum tenorem sententiæ, aut Decreti &c. *ibid.* §. 43. pag. 80.
Et quid, ubi tenor hujusmodi haberi nequit. *ibid.* §. seq.
Innocentii XII. Constitutio pro suppressione Tribunalium particularium refertur per extensum, & confirmatur. XLIV. pag. 69. & seq.
Instructio super dubiis ad Cophtorum ritus, & causas pertinentibus. CXXIX. pag. 292.

Insufflatio, Sacramentalis ceremonia in collatione Baptismi. V. *Baptismus.*

Inquisitionis Generalis edictum contra Confessarios sollicitantes, & Presbyteros abutentes Sacrificio Missæ ad sortilegia, pag. 280. 281.

Instructio Sacræ Congregationis Concilii pro Episcopis, & Ordinariis super modo conficiendi relationes statûs suarum Ecclesiarum, occasione visitationis sacrorum Liminum. pag. 13. & seqq.

Interdicti tempore quænam privilegia competant in vim Bullæ Cruciatæ, LXXXVI. §. 5. pag. 164. & seq.

Interdicti tempore, conceditur Militibus S. Januarii, ut Missas celebrari facere, & Sacramenta recipere valeant &c. XXIV. §. 4. pag. 37.

Interstitiorum Lex remittitur quoad Italo-Græcos & Albanenses. LVII. §. 7. pag. 99.

Joanna a Cruce. Quid obstiterit ejus Beatificationi. CXLI. §. 40. pag. 323.

B. Joannæ Valesiæ, olim Reginæ Franciæ, cultus approbatur. LVIII. pag. 104.

S. Joannis Basilica. V. *Lateranensis Basilica.*

S. Joannis Hieros. Ordo. V. *Militia.*

Irregularitatum dispensatio Apostolicæ Sedi reservatur. LVII. §. 7. pag. 99.

Irregularitates, & inhabilitates remitti nequeunt vigore Litterarum Jubilæi. I. §. 6. pag. 2. CX. §. 6. pag. 255.

Irregularitates, super quibus Apostolica Pœnitentiaria dispensare potest. XCV. §. 15. pag. 185.

Italo-Græci quid credere debeant, & quos ritus servare. LVII. per tot. pag. 94.

Italo-Græci, quoad libertates, privilegia &c. Latinis æquiparantur. *ibid.* pag. 94.

Constitutio pro Italo-Græcis edita nihil innovat quoad alios Catholicos Orientales, sive Græcos, sive alterius Nationis & Ritus. *ibid.* §. 9. pag. 103.

V. *Græci Italiæ.*

Itinerantes absolvi possunt a censuris a Pœnitentiaria Apostolica cum reinciden. XCV. §. 8. pag. 183.

Jubilæum Universale initio Pontificatus. I. pag. 1.

V. *Confessarius.* V. *Irregularitates.* V. *Vota.*

Jubilæum pro Italia & Insulis adjacen. CX. pag. 284.

Extenditur ad Regnum Galliæ. CXXIII. pag. 287.

A participatione Jubilæi excluduntur Refractarii Judicii Sanctæ Sedis. I. §. fin. pag. 2. & CXXIX. pag. 287.

Jubilæi concessio non tribuit Sacerdoti facultatem excipiendi Confessionem personæ complicis in peccato turpi. XX. §. 5. pag. 34.

Jubilationem adeptus a servitio Chori, potest pro libito Chorum frequentare, & pro necessitate Ecclesiæ, ad ipsius Chori servitium revocari. CXXXV. §. 28. pag. 310.

Judices Causarum ad Sanctam Sedem delat. offendi prohibentur, sub pœna excommunicationis. XIV. §. 12. pag. 22.

Judices & Magistratus Sæculares decernentes in criminalibus contra Ecclesiasticos, excommunicantur. XIV. §. 19. pag. 23.

Judices Laici decernentes adversus sententias, aut Decreta Judicum Ecclesiasticorum, excommunicantur. XIV. §. 16. pag. 23.

Judices particulares in Urbe abrogantur. XLIV. p. 69. & seq.

Judices Synodales in omnibus Diœcesibus designari jubentur. XXVIII. §. 5. pag. 41.

Et permittuntur eligi ab Episcopis extra Synodum cum consilio Capituli. *ibid.*

Eorum nomina Pontifici denuncianda, ut Causarum commissiones ipsius dirigantur. *ibid.* §. 5. 6. pag. 41. 42.

V. *Recusatio Judicis.*

Juramentum pro defensione fidei quomodo concipiendum ab Officialibus Ecclesiasticis Militiæ S. Georgii in Bavaria. XXXII. §. 5. pag. 48.

Juramenta præstanda diversis in casibus.

V. *Formula juramenti.*

Jurisdictionem Ecclesiasticam Ordinariorum & Judicum Ecclesiasticorum turbantes, excommunicantur. XIV. §. 16. pag. 23.

Jurisdictionem usurpantes in Urbe, excommunicantur. *ibid.* §. 9. pag. 22.

Jurisdictiones, fructus, & proventus Sedis Apostolicæ, & Ecclesiasticarum personarum usurpantes, excommunicantur. XIV. §. 17. pag. 23.

Jurisdictio ordinaria activa non rectè infertur ex privilegio exemptionis passivæ. LXXVI. §. 9. 10. pag. 144.

Jurisdictio Ordinaria Prælato inferiori concessa dici nequit per verba generalia, expressam illius mentionem non facientia. LXXVI. §. 7. pag. 143.

Nec per cessionem juris Episcopalis in genere; utpotè quod intelligi potest consentaneè ad exemptionem passivam. *ibid.* §. 12. pag. 144. V. *Prælatus.*

Jurisdictio in Clerum & Populum Monachis raro tributa; nunquam verò ætate Alex. III. LXXVI. §. 11. p. 144.

Jurisdictio voluntaria. V. *Decreta jurisdict. voluntariæ.*

Justitiarii. V. *Magistri Justitiarii.*

K

Kalendarium Gregorianum pro distributione Festorum, jejuniorum &c. ab Italo-Græcis servari præcipitur. LVII. §. 9. pag. 101.

Kauffbura Germaniæ Civitas Imperialis. CXLI. p. 318.

Kesruani Monasterium Puellis Nationis, & Ritus Græcorum-Melchitarum privative addicitur. LXXXVII. §. 22. pag. 169.

Kiovien. Archiepiscopus. V. *Russiæ Metropolitanus.* V. *Velaminus.* V. *Szeptychi.*

L

Læsio ultra dimidiam irritat quemcumque contractum cum Cam. Apost. initum. LXV. §. 7. pag. 119.

Laici Magistratus jus non habent indicendi publicas preces. LXXXII. §. 3. 6. pag. 154. V. *Magistratus.*

Lambertinus, Cæsar, Episc. Insulanus Judex delegatus a Leone X. in Causa Conversana Jurisdictionis. LXXVI. §. 1. & 5. pag. 154.

In Lateranensi Basilica instituitur Cappella Cardinalitia die Octava Natalis SS. Apost. Petri & Pauli. LXXXIII. §. 10. pag. 156.

In Lateranensi Basilica celebratæ fuerunt aliquando Beatificat. & Canonizat. XXXVI. §. 1. 2. 3. pag. 55.

Sed deinceps in Vaticana Basilica celebrari jubentur. *ibid.*

Lateranenses. V. *Canonici Regulares.*

Latinizantes, h. e. Græcorum Filii Latino Ritu a Latinis Baptizati, semel profiteri debent, quo Ritu vivere velint. LXXXVII. §. 16. pag. 169.

Eorum Filii Parentum ritum sequantur, vel Patris, si Conjuges diversum ritum elegerint. *ibid.* §. 17.

Qui verò in posterum, necessitate cogente, ita baptizati fuerint, Græcum Ritum sequi, & observare jubentur. *ibid.* §. 18. V. *Ritus Græc. Melchitar.*

Latini a Græcis Episcopis Græco ritu & legibus ordinari nequeunt. LVII. §. 7. pag. 99. & seq.

Lavacra & ablutiones, Paganorum ritu, à Fidelibus & Missionariis non adhibenda. CVII. §. 3. 14. p. 233. 235.

S. Laurentii Archiepiscopi Dublinensis insignia pietatis exempla. XXVI. §. 6. pag. 40.

Lauretanæ Civitatis, origo, exemptiones, & gubernium. LXXII. §. 1. 2. 4. 5. pag. 129. seq.

Lauretanæ S. Domus Privilegia confirmantur; & approbantur resolutiones dubiorum & controversiarum jurisdictionalium in Synopsim redactæ. *ibid.* per tot.

Lauretani Episcopi, & Gubernatoris facultates & jurisdictiones. *ibid.* §. 5. pag. 130.

Lauretanæ Congregationis institutio & facultates. *ibid.* §. 3. & 9. pag. 130. 131.

Lauretana Congregatio non cognoscit Causas per appellationem ad Curiam delatas. XLIV. §. 17. pag. 125.

Lauretanæ Congregationis Decretorum Synopsis, p. 131.

Lauretanæ Ecclesiæ Arx non est sub Ditione Episcopi, pag. 131.

Lauretanæ Domus Armorum custodes subjecti sunt Gubernatori. *ibid.*

Ad Lauretani Sanctuarii Parochum spectat baptizare infantes confluentium, & eorum corpora tumulare, *ibid.*

Lauretanæ Domus Ministri gaudentes literis patentalibus, uni tantum Famulo exemptionem participare possunt, pag. 134.

Reliqua de Episcopi, & Gubernatoris juribus. Vid. *ibid.*

Laure-

Lauretana Ædes amplis redditibus gaudet in Urbe, ex quibus annua ſcut. 500. attribuuntur Baſilicæ Sanctæ Mariæ Majoris pro ſartis tectis. CXXI. §. 6. pag. 282.
S. Lazari. V. *Militia Hoſpitalis S. Lazari.*
Lectores, & Profeſſores in Archigymnaſio Urbis quomodo examinentur & eligantur. CVI. §. 21. pag. 226.
Legati, & Nuncii Sedis Apoſtolicæ, offendi prohibentur, ſub pœna excommunicationis. XIV. §. 11. pag. 22.
Libanus Mons. V. *Maronitarum negocia.*
Liberiana Baſilica. V. *Sanctæ Mariæ Majoris Baſilica.*
Libertati Eccleſiaſticæ contraria Statuta publicantes excommunicantur. XIV. §. 15. pag. 23.
Libertatem Eccleſiaſticam publice violantes non abſolvuntur in Pœnitentiaria Apoſtolica. XCV. §. 14. pag. 185.
Libri Eccleſiaſtici a Græcis adhibendi in Miſſis, Officiis, & Sacramentorum adminiſtratione. LVII. §. 9. p. 102.
Libri & Scripturæ de Ritibus Sinen. publicari prohibentur. LIX. §. 8. pag. 106.
Libri Gentilium de falſa religione, ſeu de rebus obſcænis & ſuperſtitioſis tractantes, Fidelibus prohibentur. CVII. §. 3. 14. pag. 233. 238.
Limina Apostolorum ſtatutis temporibus viſitari debent ab omnibus Epiſcopis &c. VII. §. 1. 2. pag. 11.
Item ab inferioribus Prælatis juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentibus. *ibid.* §. 5. pag. 12.
Qua de re juramentum præſtare jubentur. *ibid.*
Quibus temporibus id præſtare debeant. *ibid.* §. 7. pag. 12.
Lisbonen. Patriarchæ Decreta quædam approbantur & confirmantur. CXXXVII. pag. 312.
Lithuani Monachi &c. V. *S. Baſilii Ruthenorum Ordo.*
Litteras Apoſtolicas falſificantes, aut falſo publicantes, excommunicantur. XIV. §. 6. pag. 21. 22.
Litterarum Apoſtolicarum executionem impedientes excommunicantur. XIV. §. 14. pag. 22.
Loca Montium. V. *Vincula.*
Locationes bonorum Cameræ Apoſtolicæ qua ratione concedi debeant. LXV. pag. 118.
Locationes bonorum Cameræ Apoſtolicæ ſemper reſcindi poſſunt ex cauſa læſionis ultra dimidiam. LXV. p. 119.
Locationum Cameralium conditiones in præjudicium ſubditorum immutari nequeunt. LXV. §. 8. pag. 119.
Ad Lucanæ Reipublicæ Dominium extenditur Conſtitutio Clem. XII. contra homicidas in his, quæ pertinent ad immunitatem perſonalem, & localem. LXXXVIII. pag. 170.
Lucrum. V. *Uſura.* V. *Mutuum.*
Luctæ, curſus, aliaque ſpectacula verecundiæ adverſantia prohibentur. LX. pag. 114.
Lupercalia a S. Gelaſio prohibita. *ibid.* §. 4. pag. 114.
Lusitania. V. *Portugallia.*

M

Machinatio ſi abſit, & promiſſio futuri Matrimonii, adulterium ſimplex non inducit impedimentum dirimens Matrimonium. CXIII. §. 15. 30. pag. 263. & 265.
Madure' R. V. *Malabar.*
Magister Brevium, Officialis Datariæ Apoſtolicæ, olim ad nominationem Collegii Secretariorum Apoſtolicorum. CXLV. §. 1. pag. 334.
Officium hujuſmodi a Gregorio XV. erigitur in Officium vacabile, cum adnexis Prælaturæ inſigniis. *ibid.* §. 2.
Sed ipſius redditus a Summo Pontifice applicantur Cameræ Apoſtolicæ. *ibid.*
Quænam gratiarum genera per ipſius organum expediri debeant. *ibid.* per tot.
Magistri Cæremoniarum. V. *Cæremoniarum Magiſtri.*
Magistri Justitiarii Urbis nullam juriſdictionem habent contra Clericos & Loca Pia. CXV. §. 27. pag. 271.
Magistri Viarum Urbis ex Nobil. Romanor. Cœtu eligendi. CXLVI. §. 11. pag. 340.
Magistratus, & Judices Sæculares decernentes in criminalibus contra Eccleſiaſticos excommunicantur. XIV. §. 19. pag. 23. V. *Laici.*
Maillard. V. *Tournonius.*
Malabaris Regna Chriſtiana Fide imbuuntur a PP. Societ. Jeſu. CVII. §. 3. pag. 231.
Malabarici Ritus a Chriſtianæ Fidei puritate abhorrentes damnantur. *ibid.* per tot. V. *Miſſionarii Regnorum Maduren. &c.* V. *Ritus Malabarici.*
De S. Malachia Archiepiſc. Armachano teſtimonium S. Bernardi. XXVI. §. 5. pag. 40.
S. Mariæ Majoris de Urbe Baſilica inſignibus Religionis monumentis decorata. CXXI. §. 1. pag. 281.
A Summo Pontifice inſtauratur; Porticu, & Ædibus augetur. *ibid.* §. 2. pag. 281.
Eidem attribuitur annuus cenſus ſcut. 500. pro ſartis tectis. *ibid.* §. 6. pag. 282.
S. Mariæ in Via Lata Eccleſia. LXXXIII. §. 6. p. 156.
In S. Mariæ Majoris Baſilica decernitur celebratio Capellæ Pontificiæ die Feſto Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, pag. 283.
Maronitarum Nationis erga S. Sedem obſervantia. CII. pag. 208.
Maronitarum Synodus Nationalis celebrata in Monte Libano Anno Domini 1736. XXXI. §. 4. pag. 45.
Quæ Synodus approbatur & confirmatur. *ibid.* §. 9. pag. 46.
Patriarcharum Maronitarum præcipua jura & facultates enunciantur. XLIII. §. 10. pag. 47.
Hi Patriarchæ purgantur ab avaritiæ & Simoniæ nota. *ibid.* §. 6. pag. 48.
Prohibetur ipſis Collectio pecuniarum in diſtributione Sacrorum Oleorum. *ibid.* §. 7.
Et attribuitur annuum caritativum ſubſidium pro alimentis. *ibid.*
Maronitarum Epiſcopi certis Diœceſibus regendis addicuntur. *ibid.* §. 8.
Maronitarum Antiſtites diſſidentes duplicem faciunt Patriarchæ electionem, ſeu Poſtulationem, quæ caſſatur & annullatur. LXXVII. pag. 146.
Maronitarum Patriarchalis Eccleſiæ proviſio, propter ſchiſma, & electionum nullitates, devolvitur ad S. Sedem. *ibid.*
Ea fit a Pontifice in perſonam Simonis Evodii Archiepiſc. Damaſceni. LXXVIII. pag. 147.
Et pro executione mittitur Commiſſarius Apoſtolicus, cum facultate abſolvendi, diſpenſandi, condonandi, ſanandi &c. LXXIX §. 1. 6. 7. 8. 9. pag. 150. & 151.
Hujuſmodi Commiſſarii ablegatio denunciatur Epiſcopis & Populis Maronitis. LXXX. pag. 152.
Maronitarum Schiſma feliciter extinctum. CI. pag. 207.; & CII. pag. 208.
Maronitarum Patriarchæ tranſmittitur Pallium. CI. p. 207.
Maronitarum Antiſtitum jura quoad electionem Patriarchæ præſervantur. LXXIX. §. 5. pag. 151. & LXXX. §. 3. pag. 152.
Maronitarum Patriarchæ & Epiſcopis inhibetur, ne juriſdictionem Epiſcoporum Græco-Melchitarum perturbent. LXXXVII. §. 12. pag. 168.
Maronitis permiſſa eſt Uxorum retentio etiam poſt adeptum Ordinem Sacrum. CXXIX. §. 34. pag. 296.
Maronitæ in Sacro Ordine conſtituti tenentur quotidie recitare horas Canonicas juxta conſuetudinem ſuæ Nationis. *ibid.* §. 45. pag. 297.
Maronitarum Synodus, in qua agnitus fuit Patriarcha a Pontifice electus, confirmatur, pag. 208. & pag. 212.
Eidem Patriarchæ Pallium conceditur, pag. 212. 213.
Matrimonia a quibus contrahi possint.
Matrimonia a Græcis contracta poſt ſuſceptos Ordines Sacros, nulla & irrita declarantur. LVII. §. 7. p. 100. V. *Græci Presbyteri.*
Matrimonium contrahi nequit a Diacono Orientalis Eccleſiæ, qui ordinatus fuerit in ſtatu cælibi. CXXIX. §. 36. ſeq. pag. 296. ſeq. V. *Diaconi.*
Matrimonium inter contingentes ſe quarto gradu conſanguin. vel affin., Græcis prohibetur. LVII. §. 8. pag. 180. V. *Gradus.* V. *Diſpenſatio.*
Matrimonia Infantium prohibentur. CVII. §. 3. & 14. pag. 232. 237.
Matrimonia a Catholicis cum hæreticis contracta deteſtanda. XXXIV. §. 3. pag. 52.
Matrimonia contrahi a Fidelibus cum Neophytis ad Fidem converſis in Loco Pio Catechumenorum Venetiis, abſque

absque interpellatione prioris Conjugis in infidelitate relicti, permittitur, arbitrio Nuntii Apostolici Venetiis commorantis. CXVII. pag. 276.
Idque Matrimonium, per adventum prioris Conjugis non rescindendum esse decernitur. *ibid.*
Matrimonio jungendi non sunt qui in Doctrina Christiana satis instructi non reperiantur. XLII. §. 11. pag. 65.
Secundæ, tertiæ, & ulteriores Nuptiæ damnari nequeunt. LVII. §. 8. pag. 100. & CXXIX. §. 29. pag. 295. V. *Impedimentum.* V. *Nuptiæ.*
MATRIMONIA QUOAD FORMAM ET RITUS.
Matrimonii celebrandi forma a Conc. Triden. statuta observari jubetur. LXXXV. §. 8. seq. pag. 161. V. *Assistentia.* V. *Denunciationes.*
Decretum Conc. Trid. de Reform. Matrim. Italo-Græcis rite publicari præcipitur. LVII. §. 8. pag. 100.
Matrimonia inter Subditos Principum Catholicorum in Provinciis Fœderati Belgii commorantes, & viceversa, quomodo contrahenda. XXXIV. §. 5. pag. 53.
Matrimonia in Hollandia & Fœderato Belgio inter Incolas contracta, non servata forma Conc. Trid., valida declarantur. *ibid.* §. 2. & §. 3. pag. 52.
Item inter personas addictas Præsidii Locorum *di Barriera.* *ibid.* §. 4.
Et inter Incolas Civitatis Mosæ Trajecten. *ibid.*
Matrimonia in Servia & finitimis Regionibus ad præscriptum Concil. Triden. celebranda, abrogatis Clandestinis, aut coram solo Judice contractis. LXXXIX. §. 9. pag. 174.
Nec renovari possunt coram *Caddi*, nequidem per Procuratores; nisi ritus hujusmodi renovationis sint mere civiles. *ibid.* §. 10.
Matrimonia inter Fideles Malabares contrahenda sunt in congrua ætate, & juxta formam a Concil. Triden. præscriptam. CVII. §. 3. pag. 231.
Intellige in locis, in quibus Decretum Conciliare rite publicatum fuerit. *ibid.* §. 14. pag. 236. 237.
Et quod hujusmodi publicatio fieri debeat. *ibid.*
Matrimonia inter Conjuges diversi ritus, quomodo, & coram quibus contrahi debeant. LVII. §. 8. pag. 100.
Matrimonia contrahentium voluntàs a Parocho exploranda. LXXXV. §. 10. pag. 161.
Matrimonia publice & palam celebrari debent. XXXV. §. 1. pag. 53.
MATRIMONIA CONSCIENTIÆ, sive
MATRIMONIA OCCULTA, nonnisi gravissima de causa permitti debent. XXXV. §. 6. pag. 54.
Ea contrahere, quibus non est permittendum. *ibid.* §. 7.
Matrimonii occultè celebrati multiplices pravi effectus. *ibid.* §. 2. 3. & 4. pag. 53. & seq.
Matrimonia occulta celebrari nequeunt absque probatione status liberi. *ibid.* §. 7. pag. 54.
Celebrari debent in præsentia proprii Parochi, extra casum gravis necessitatis. *ibid.* §. 8.
Et registrari debent in Actis Curiæ Episcopalis, in Libro secreto. *ibid.* §. 10.
Sicut etiam nativitas, & baptismus prolis. *ibid.* §. 11. pag. 54.
Hujusmodi Libris secretis auctoritas tribuitur. *ibid.* §. 14. pag. 55.
Contrahentes Matrimonia occulta tenentur agnoscere prolem, ejusque educationi prospicere. *ibid.* §. 9. pag. 54. & §. 13. pag. 55.
Eamque tempestive baptizari facere, deque ejus nativitate & baptismo Episcopum instruere. *ibid.* §. 11. pag. 54.
MATRIMONII EFFECTUS.
Matrimonium subsequens legitimat prolem antea genitam; non tamen ex adulterio. CXIII. §. 2. pag. 260.
Idque non virtute Sacramenti, sed ex dispositione legis Ecclesiasticæ. *ibid.* §. 39. pag. 266.
Ubi vide veram Lectionem, *Cap. Tanta. Qui Filii sint legitimi.*
MATRIMONIUM, QUOAD DISSOLUTIONEM.
Matrimonium jure naturali, Divino, & Canonico indissolubile, non temere dirimendum. XVI. pag. 25. & XXXIII. §. 2. pag. 49.
Divortia quoad vinculum inter fideles non admittuntur. LVII. §. 8. pag. 100.
Matrimonium non dissolvitur per Uxoris fugam, & nuptias ab eâ cum Infideli contractas. LXXXIX. §. 12. pag. 174.
Causarum Matrimonialium judicia coram quibus, & quo ordine ac forma peragenda sint. XXXIII. pag. 48.
Commissiones causarum Matrimonialium Episcopis tantum dirigendæ, vel in eorum defectum Judicibus Synodalibus. *ibid.* §. 4. pag. 49.
Causæ Matrimoniales Romam delatæ in secunda, & tertia instantia, coram quibus disceptari debeant. *ibid.* §. 13. pag. 50.
Et quid, ubi pluries in judicium deduci debeant. *ibid.* §. 14. pag. 51.
Unicâ sententiâ pro nullitate Matrimonii prolatâ, nemini licet ad alia vota transire. *ibid.* §. 9. pag. 50. & §. 14. pag. 51.
Appellatio a sententia lata super nullitate Matrimonii in quacumque instantia semper suspendit executionem. *ibid.* §. 11. pag. 50.
Appellatio in Causis Matrimonialibus impediri nequit per pacta pœnalia. LXXXV. §. 4. 7. pag. 160. 161. V. *Pacta.*
Sententia super nullitate Matrimonii nunquam transit in rem judicatam, sed ex noviter detectis quandocumque revideri potest. XXXIII. §. 11. pag. 50.
MATRIMONII DEFENSOR. V. *Defensor.*
S. MAURITII. V. *Militia S. Mauritii Mart.*
MAYSSUR R. V. *Malabar.*
MEDICAMENTORUM, & Pharmacorum venditio prohibetur Regularibus. V. §. 2. pag. 8.
MEDICI nimis faciles in suadenda peculiaribus personis observantiæ Quadragesimalis relaxatione. CXXX. §. 25. pag. 301.
Iidem severius consulere solent, ubi agatur de universali dispensatione. *ibid.*
Medicorum sententiæ exquirendæ, eorumque attestationes exhibendæ, pro obtinenda dispensatione Quadragesimæ pro integra Civitate &c. *ibid.* §. 24. & 25. pag. 301. seq.
Quid ab ipsis observari oporteat. *ibid.* §. 25. pag. 301.
MEDIOBARBUS, Carolus Ambrosius Patriarcha Alexandrinus Visitator Apostolicus in Sinis. LIX. §. 14. pag. 110.
Permissiones octo edit circa Ritus Sinenses, a S. Sede postmodum reprobatas. *ibid.* §. 15. & seq.
Prohibet tamen earum divulgationem & versionem. *ibid.* pag. 111.
Quomodo adductus ut eas concederet. *ibid.* §. 13.
Quæ fuerit ejus mens in iisdem concedendis. *ibid.* §. 16. pag. 111.
MEDIOLANENSIUM Doctorum Collegium unum locum habet in Colleg. Advocatorum Consistor. ex concessione Pii IV. Constit. CVI. §. 3. pag. 223.
MEINDARTS, Joannes Petrus Pseudo-Archiepiscopus Ultrajectensis nulliter electus, illicite consecratus, excommunicatus & suspensus declaratur. XI. pag. 18. V. *Ultrajectensis.*
MELCHITÆ. V. *Antiochenus Patriarcha Græcorum Melchitarum.* V. *Græco-Melchitæ.* V. *Ritus Græcorum Melchitarum.*
MELCHITARUM Antiocheno Patriarchæ Cyrillo Pallium conceditur, pag. 179. & seq.
MELIAPUREN. Episcopo scribit Clemens XI. super confirmatione Decretorum Card. Tournonii. CVII. §. 7. pag. 334.
MELITÆ Insulæ conceditur Indultum ad formam Cruciatæ. LXXXVI. pag. 163.
MELITENSIUM Ordo. V. *Militia S. Joannis Hierosolymitani.*
MENSTRUI festum apud Fideles Malabares abolendum. CVII. §. 3. 14. pag. 232. 237. 238. V. *Mulieres.*
MERATUS, Cajetanus, Cl. Reg., laudatur. CXXV. pag. 288.
MERCATUS a *Nundinis* distinguuntur tam a Doctoribus, quàm in Ecclesiasticis Constitutionibus. CXLIV. §. 11. seq. pag. 331.
Mercatus sunt de rebus minoribus ad quotidianas necessitates pertinentibus, & singulis septimanis, a vicinis fiunt. *ibid.* §. 16. pag. 331. & seq.

Hi prohibentur omnino fieri diebus Festis. CXLIV. §. 22. pag. 333.
Et in dies præcedentes aut subsequentes transferri jubentur. *ibid.*
Eaque de re approbatur Decretum Congregationis Concilii in *Ripana Mercatus. ibid.* 23.
Quacumque etiam immemorabili consuetudine minime obstante. *ibid.* §. 24.
Ubi refertur resolutio Concilii in *Barchinonen. observationis Festorum.* v. *Nundinæ.*
Mercedis causæ, sicut etiam quæ non excedunt summam scut. 25. judicari possunt a Cardinali Vicario, & a Gubernatore Urbis contra quoscumque, non obstante Obl. Cam. CXV. §. 24. pag. 271.
Mercimonia exercentes super eleemosynis Missarum; Laici excommunicationis, Clerici vero & Sacerdotes suspensionis pœnam incurrunt. XXII. §. 5. pag. 36. v. *Eleemosyna.*
Metropolitani jurisdictionem Ordinariam in Suffraganeorum Diœcesibus exercere prohibentur. XCVIII. §. 18. pag. 201.
Metropolitanus non potest visitare Ecclesias Cathedrales, aut Diœceses Episcoporum Suffraganeorum, nisi de mandato Concilii Provincialis. *ibid.*
Metropolitani jurisdictionem non habent proprio jure in Monasteria sita in Diœcesibus Suffraganeorum. *ibid.* 19. pag. 201.
S. Michaelis Hospitum. v. *Hospitium Pauperum Invalidorum.*
Militia *S. Georgii Mart.* a Duce Bavariæ erecta. XXXII. §. 1. pag. 47.
In ea constituuntur sex Officia Ecclesiastica, cum approbatione Apostolica. *ibid.* §. 2. 3. pag. 47. 48.
Militia *S. Januarii* a Carolo utriusque Siciliæ Rege erecta confirmatur, ejusque Officialibus & Militibus Indulta & Privilegia conceduntur. XXIV. pag. 37.
Ejusdem Militum numerus, & Officialium munia. *ibid.* §. 1. pag. 37.
Militiæ *Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani* laudes & institutum. LXXXVI. pag. 163.
Ipsius Militibus & Subditis conceduntur indulta Cruciatæ. *ibid.* per tot.
Militiæ Hierosolym. Magno Magistro, & Bajulivo S. Stephani quænam jurisdictio competat in Oppidum *Putiniani.* LXXVI. §. 17. pag. 145.
Super *Triremibus* Militiæ Hierosolymitanæ permittitur celebratio Missæ cum opportunis cautelis. XLI. pag. 63.
Militia *S. Lazari Hierosolymitani* a Pio V. reformata. CIV. §. 1. pag. 218.
A Gregorio XIII. unita fuit Militiæ S. Mauritii. *ibid.* §. 3. p. 218.
Et Clemens VIII. Privilegiorum communicationem inter eas indulsit. *ibid.* §. 4. pag. 218. 219.
Inter quæ aderat facultas a S. Pio concessa, erigendi Commendas ex Beneficiis Ecclesiasticis simplicibus de Jurepatronatus Laicorum. *ibid.* §. 1. pag. 218. v. *Militia SS. Mauritii & Lazari.*
Militia *S. Mauritii Mart.* a Gregorio XIII. erecta, sub Regula Cistercienſi. CIV. §. 2. pag. 218.
Ejus Sedes principalis in Sabaudia, & Magnus Magister Sabaudiæ Dux. *ibid.*
Eidem unitur Militia S. Lazari Hierosolymitani. *ibid.* §. 3.
Clemens VIII. confirmat unionem, cum communicatione Privilegiorum. *ibid.* §. 4. pag. 218.
Militia *SS. Mauritii & Lazari.* CIV. §. 3. pag. 218.
Ejus Magno Magistro conceditur, ut ex Beneficiis Ecclesiasticis simplicibus de Jurepatronatus Laicorum erigere possit Commendas sui Ordinis, de consensu Patronorum &c. *ibid.* §. 6. pag. 219.
Et probationes super natura hujusmodi Beneficiorum fieri possint coram Nuncio Apostolico apud Sabaudiæ Ducem residente, sive coram Archiepiscopo Taurinensi, aut Episcopo viciniori. *ibid.* pag. 219. 220.
Erectiones Commendarum confirmari per Literas in forma Brevis, vel etiam per simplex Decretum Congregationis Ep. & Reg., vel Concil. Trid. *ibid.* §. 7. pag. 220.
Militum stationes non præbent justam causam dispensandi Populum ab observantia Quadragesimali. CXXX. §. 19. pag. 300.
Ministri S. Collegii Cardinalium. v. *Collegii.*
Minorum contractus. v. *Decreta jurisdictionis voluntariæ.*
Minoritæ Fratres Custodiæ Terræ Sanctæ soli exercere possunt munia Parochialia in Græcos-Melchitas Patriarchatus Antiocheni, absente Parocho Græco. LXXXVII. §. 13. pag. 168. v. *Francisci.*
Missæ, in quibus solus Sacerdos communicat, reprobari non possunt. LXIV. §. 1. pag. 117.
Missam celebrantes non tenentur S. Eucharistiam omnibus petentibus infra ipsam actionem ministrare. *ibid.*
Missæ celebrationi præmittenda peccatorum expiatio. LVII. §. 6. pag. 97.
Missæ in Ecclesia & loco celebrari debent, in quibus voluerunt ii, qui Eleemosynas erogarunt. XXII. §. 2. p. 35.
Missarum celebratio ab omni aviditatis specie remota servari debet. *ibid.* per tot. v. *Eleemosyna pro Missis.*
Missarum celebratio ante Auroram & post Meridiem indulgetur Militibus S. Januarii. XXIV. §. 4. pag. 37.
Missarum celebratio ante lucem, & post meridiem in vim Bullæ Cruciatæ. LXXXVI. §. 11. pag. 165.
Missa extra Ecclesias celebrari nequit, extra casum summæ necessitatis. LXXXIX. §. 22. pag. 175.
Missa celebrari permittitur cum opportunis cautelis super Triremibus Militiæ S. Jo. Hierosolym. XLI. pag. 63.
Item super Triremibus Pontificiis &c. LII. pag. 91.
Missam celebrantes, qui reperti fuerint ad Presbyteratum *non promoti*, Curiæ Sæculari traduntur etiam pro prima vice, prævia degradatione, si alium Ordinem habeant. XCVII. pag. 196.
Etiamsi unius tantum Missæ partem celebraverint, dummodo elevationem peregerint. *ibid.* §. 6. pag. 197.
Etiamsi consecrationis formam non protulerint. *ibid.*
Si elevationem non peregerint, mitiori pœna damnari possunt. *ibid.* v. *Ordinatio.*
Missæ celebrandæ *Ritus* apud Græcos. LVII. §. 6. pag. 72.
Missa celebrari nequit a Sacerdote Latino Ritibus Græcis, nec viceversa, sub pœna suspensionis. *ibid.*
Missarum celebratio permittitur Italo-Græcis in Feriis Quadragesimæ. *ibid.* pag. 98.
Cum conditionibus & limitationibus. *ibid.*
Missa unica in die super quolibet Altari, a Græcis celebrari potest. *ibid.* pag. 97. 98. & LXXXVII. §. 8. pag. 168.
Permittuntur tamen erigi plura Altaria in eadem Ecclesia, & plures Sacerdotes super eodem Altari simul concelebrare. *ibid.* §. 9. pag. 168.
Missam *applicare* potest pro offerentibus eleemosynam Sacerdos, qui cum alio rite concelebrant. *ibid.* §. 10. v. *Concelebratio.*
Unica Missa an applicari possit pro pluribus eleemosynam offerentibus. *ibid.*
Missa Conventualis quotidie cani debet in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis, & pro Benefactoribus in genere applicanda. CIII. §. 11. pag. 216.
Non obstante qualibet contraria consuetudine. *ibid.* §. 16. pag. 217.
Nec suffragatur applicatio pro certo aliquo Benefactore, aut preces alterius generis, vel statuta Anniversaria Sacrificia. *ibid.* §. 12. 13. pag. 216.
Si celebrans alio peculiari onere teneatur, id supplendum est per alium. §. 17. pag. 217.
Eleemosyna, ubi opus sit, unde desumenda. §. 18.
Pro Ecclesiis pauperibus dispensatio reservatur judicio Congregationis Concilii. §. 19. pag. 217.
Secunda & tertia Missa Conventualis non debet applicari pro Benefactoribus in genere, nisi legitima consuetudo id præscribat. *ibid.* §. 22. pag. 217.
Missa Parochialis applicari debet pro Populo. CIII. §. 2. pag. 214.
Non solum a Parochis, sed etiam a Vicariis deputatis ad tempus, aut aliàs amovibilibus, etiam Regularibus. *ibid.* §. 4. pag. 215.
Non obstante defectu congruæ, aut qualibet contraria consuetudine. *ibid.* §. 5.
Quod intellige de diebus Festis, quibus Populus Missam audire tenetur. *ibid.* §. 6. 7. pag. 215.
Dispensari tamen potest ab Ordinariis cum Parochis pauperibus, ut aliis diebus intra Hebdom. applicent Missam pro Populo. *ibid.* §. 8. pag. 215.

Presbyter abutens Sacrificio Missæ ad fortilegia incurrit perpetuam inhabilitatem ad celebrationem Missæ, pag. 280. 281.
Missa Præsanctificatorum dumtaxat celebrari potest apud Græcos in Quadragesima, exceptis diebus Dominicis, & Sabbatis. LXXXVII. §. 9. pag. 168.
Missiones conceduntur pro Regnis Batgao, & Bittià in Magno *Thibet*. LIII. & LIV. pag. 92.
Missionariorum Officia in Regionibus eorum curæ commissis. LIX §. 26. pag. 113., & CXXIX. §. 16. p. 294.
Missionarii *Latini* Episcoporum *Græcorum-Melchitarum* jurisdictionem non perturbent. LXXXVII. §. 13. pag. 168.
Transitum a Ritu Græco ad Latinum, Græcis non suadeant, nec admirtant, inconsulta S. Sede. *ibid.* §. 15.
Rituum Græcorum conservationem curent. *ibid.* §. 19. pag. 169.
Nec adversus illos dispensationes concedant, aut quidquam innovent. *ibid.*
Missionarii Regnorum *Maduren. Mayssur. & Carnaten.* jurare debent observantiam Constit. Apostolicarum, antequam Missionis exercitio se immiscent. CVII. §. 17. pag. 239.
Eorum juramenta subscripta exhibentur Summo Pontifici. *ibid.* 21. pag. 24.
Ipsis interdicitur translatio rituum Gentilium in Ritus Ecclesiæ Catholicæ, absque licentia S. Sedis. *ibid.* §. 14. pag. 238.
Item dispensationes concedere super observantia Rituum Ecclesiæ. *ibid.* §. 14. pag. 238.
Eisdem prohibentur lavacra & ablutiones ritu & more Paganorum, præter necessariam corporis munditiem. *ibid.* §. 3. 14. pag. 233. 238.
Petunt nonnullas dispensationes & declarationes. *ibid.* §. 23. pag. 241.
Juramenta præscripta præstare & observare jubentur. §. 28. pag. 242.
Quomodo uti debeant dispensatione super omissione Sacramentalium in baptismo. §. 32. pag. 243.
Pollicentur se *Pareis* omnia spiritualia subsidia præstituros. §. 35. pag. 243.
Id quod iisdem injungitur sub pœna privationis facultatum &c. post quinquennium ipso facto incurrenda. §. 37. pag. 244.
Missionarii Apostolici in *Sinis*, si mandatis non obtemperaverint, in Europam revocari jubentur, sub pœnis contra Superiores &c. LIX. §. 26. pag. 113.
Missionariis in Regno *Cocinchinæ* prohibetur exercitium jurisdictionis, aut facultatum, extra Districtus sibi assignatos. CXI. §. 9. pag. 257. v. *Cocinchina.*
Missionarii *Franciscani.* v. *Franciscani.*
Missionarii *Galli.* v. *Parisienses Seminarii.*
Missionarii *Societatis Jesu.* v. *Jesu Societas.*
Missionum Sacrarum, ad excitandam in Populis pietatem, utilitas commendatur ab experimento, & auctoritate. CXL. §. 4. seq. pag. 316. seq.
Earum usus laudatur, vel injungitur a Congregatione Concilii. *ibid.* §. 7. pag. 316.
Instructio fidelium in rebus ad salutem necessariis præcipuus Missionum scopus. *ibid.* §. 11. pag. 316.
Missionarii *ad fidelium institutionem incumbentes* quomodo se gerere debeant. CXL. §. 12. pag. 317.
Missionarii ab Episcopis missi, tamquam visitationis Pastoralis prænuntii, recipi debent a Parochis etiam Regularibus in propriis Ecclesiis & Domibus. CIX. §. 5. pag. 250.
Missionis Congregatio approbatur ab Alex. VII. LXIX. §. 1. pag. 126.
Ejus statuta ambitum vetantia confirmantur a Clemen. X. *ibid.* §. 2. pag. 126.
Vota simplicia in eadem emissa a nemine dissolvi possunt, præterquam a Summo Pontifice, aut a Superiori Generali in actu dimissionis tantum. *ibid.* §. 3. & 4. pag. 126.
Ne quidem vigore facultatum, quæ Confessariis tribuuntur in Jubilæis, aliisque Indultis. *ibid.* §. 3. pag. 126.
Neque ratione infirmitatis, vel assecutionis Beneficii Curati, aut residentialis. *ibid.* §. 4. pag. 126.
Missionis Presbyteri, seu Clerici, ad Beneficia curata aut residentialia extra Congregationem promoveri nequeunt. LXIX. §. 4. pag. 126.
Monachis rarò tributa fuit jurisdictio in Clerum & Populum. LXXVI. §. 11. pag. 144.
Monachi *Græci* Italiæ, & Insul. in Congregationem non redacti, subjiciuntur jurisdictioni Ordinariorum Latinorum. LVII. §. 9. pag. 103.
Monachi Græci, sive *Calogeri*, ad animarum curam assumi nequeunt, extra casum necessitatis. *ibid.* §. 5. pag. 97.
Monachi *Græco-Melchitæ* Patriarchatus Antiocheni, subesse debent immediate Ordinariis, & mediate Patriarchæ. LXXXVII. §. 20. pag. 169.
Regulam S. Basilii sequi debent, & abstinentias in ea præscriptas servare. *ibid.*
Monachorum & Monialium cohabitatio, apud Maronitas usu recepta, prohibetur. XXXI. §. 8. pag. 46.
Monasteria *Virorum*, Mulierum ingressui non pateant. XXXIX. pag. 60. & seqq.
Monasteria *Mulierum* Viris non pateant. XL. pag. pag. 62. v. *Ingressus.*
Monasteria ad paupertatem redacta, unienda esse, & respective supprimenda decernitur. XCVIII. §. 29. p. 202.
Monasteria non exempta, nec S. Sedi immediate subjecta, Ordinarii Diœcesani, non vero Metropolitani jurisdictioni subesse debent. *ibid.* §. 18. pag. 201.
Monasteria apud Græcos eximuntur a jurisdictione Ordinarii, & Patriarchæ immediatè subjiciuntur, ubi hic in ipsa fundatione, per fixionem Crucis, eam sibi reservaverit. *ibid.* §. 19.
Moniales. Facultates Majoris Pœnitentiarii pro Monialibus. XCV. §. 37. pag. 187.
Confessarios extraordinarios iis deputat, Sede Apostolica vacante. *ibid.* §. 54. pag. 189.
Moniales e Monasteriis egredi prohibentur quacumque de causa, sublata cuilibet dispensandi facultate. XL. §. 3. pag. 62. v. *Clausura.*
Moniales *Portugalliæ & Algarbiæ* ad Claustra revocandæ, nec ultra ipsis permittendus exitus. XXI. pag 34.
Moniales Ordinis *S. Spiritus* in Hispaniis, & Polonia existen. subjiciuntur Locorum Ordinariis. XV. §. pag. 25.
Moniales *Græco-Melchitæ* Regulam S. Basilii sequi debent. LXXXVII. §. 23. pag. 169.
Sub regimine Monachorum Congregationis S. Joannis de Soairo, & immediata subjectione Ordinario, mediata verò Patriarchæ Catholicis, tamquam Delegatis S. Sedis; Abbati autem Generali dumtaxat in defectum Episcopi, & Patriarchæ Catholici. *ibid.*
Monialium, & Monachorum cohabitatio, inter *Maronitas* usu recepta, prohibetur. XXXI. §. 8. pag. 46.
Monile. v. *Taly.*
Monita Pastoralia SS. Domini Nostri ad Ecclesiarum regimen utilia. XLII. §. 19. pag. 66.
Monitoria in causis privilegiatis ultra Montes quomodo expedienda. XLVIII. §. 47. pag. 81.
Mortis articulus. v. *Absolutio.*
Mortis articulus in Servis Dei, illustris, & sanctimonia conspicuus apparere debet. CXLI. §. 5. 7. pag. 318.
Mulieres ad ministerium Altaris nullatenus admittendæ. LVII. §. 6. pag. 98.
Mulieres menstruali morbo laborantes arceri nequeunt a Sacramentis, aut ab ingressu Ecclesiæ. CVII. §. 3. 14. 39. pag. 232. 237. 244.
Mulierum contractus. v. *Decreta jurisdictionis voluntariæ.*
Musici Instrumenti Sonatores Christiani in Infidelium Festivitatibus & Sacrificiis non inserviant. CVII. §. 3. 14. pag. 233. 237. 238.
Mutui contractus lucrum supra sortem de sui natura non recipit. CXLIII. §. 3. pag. 328.
Nec quantitas moderata lucri, aut qualitas mutuatarii, hujusmodi lucrum ab usuræ labe justificant. *ibid.*
Nihilominus quidam tituli ipsi mutuo extrinseci, aliique contractus a mutuo diversi justum reddere possunt proventum ultra sortem. *ibid.*
Sed non semper suppetere credendum est legitimos cum mutuo titulos, aut justas causas ineundi contractus à mutuo diversos. *ibid.* pag. 329.
Mutuum dare indigenti aliquando est de præcepto. *ibid.*

N

Nankim electo Episcopo præcipitur, ut juramentum emittat de observandis Constitutionibus Apostolicis. LXVII. p. 121.

Natalis dies *SS. Apostolorum Petri & Pauli* per totam Octavam Romæ solemnius celebrari jubetur. LXXXIII. pag. 155.
Naufragorum bona surripientes, excommunicantur. XIV. §. 4. pag. 21.
Neapolis Civitas unum locum habet in Collegio Advoc. Consistorial. ex concessione Innocentii XII. CVI. §. 3. pag. 223.
Neapolitani Regni Antistitibus suadetur, ut Sacras Missiones in suis Diœcesibus frequenter haberi curent. CXL. pag. 315.
Negotiatio Clericis interdicitur, etiam sub alieno nomine. XIII. pag. 19.
Et ubi hæreditario jure, aut aliàs ad eos delata fuerit, dimitti debet. *ibid.* §. 2. pag. 20.
Quatenus continuari possit ad tempus. *ibid.*
Neophytis ad fidem conversis Venetiis in Loco Pio Catechumenorum, permittitur Matrimonium contrahere cum Fideli, absque interpellatione prioris Conjugis in Infidelitate relicti, arbitrio Nuntii Apostolici Venetiis existen. CXVII. pag. 276.
In Niciensi Civitate & Diœcesi reducunt dies Festi, cum conditionibus opportunis. CXXVIII. pag. 291.
B. Nicolai *Albergati* cultus immemorabilis approbatur. CVIII. pag. 246.
De ejus vita, & rebus gestis, tum obitu, & Sanctitatis fama. v. *ibi per tot.*
Ipsius Imagines quomodo depingi debeant. *ibid.* § 9. p. 248.
Conceditur Officium cum Lectionibus propriis, & Missa in ipsius honorem. §. 12. pag. 248.
Lectiones ipsas a Sanctitate sua compositas. v. *ibid.* §. 15. pag. 248. & seq.
Item elogium in Martyrologio Rom. inserendum. §. 16. pag. 249.
Ut ad ipsius Canonizationem procedi possit, legitimam virtutum probationem fieri, & quatuor miracula approbari debere, præscribitur. *ibid.* §. 14. pag. 248.
Nobiles cum Plebeiis in eandem Ecclesiam convenire debent. CVII. §. 34. pag. 243.
Nobiles *Romani* quinam censendi sint. CXLVI. §. 3. pag. 338.
Eorum series exhibetur. *ibid.* §. 4.
Probationes ad Nobilitatem adipiscendam faciendæ. *ibid.* §. 8. pag. 339.
Officia & munera, Nobilium Romanorum cætui privative addicta. *ibid.* §. 11. pag. 340.
Formula Diplomatum expedien. in creatione Nobil. Roman. *ibid.* §. 19. pag. 325.
Nobiles Romani absque Pontificis assensu congregari nequeunt. *ibid.* §. 13. pag. 340.
Nobiles *Romani Conscripti LX.* a Pontifice designati. CXLVI. §. 7. pag. 339.
Requisita ad obtinendum locum inter Nob. Rom. Conscript. *ibid.* §. 9. pag. 339.
Sindici Cameræ Capitolinæ ex Urna Nobil. Conscript. extrahi debent. *ibid.* §. 11. p. 340.
Formula Decretorum in receptione Nobil. Roman. Conscript. expedien. *ibid.* §. 20. pag. 325.
Nobilium Romanorum Familiæ aggregatæ ad formam Constitutionis Pontificiæ, pag. 342.
Noblensis Episcopus, Armandus Franciscus le Febvre, Vicarius Apostolicus Cocinchinæ. CXII. pag. 260.
Nomina Idolorum, aut falsæ Religionis pœnitentium Christianis non sunt imponenda. CVII. §. 3. pag. 231.
Sed potius nomina SS. in Martyrologio Romano descriptorum. *ibid.* & declaratur. §. 14. pag. 235. & seq.
Nomina rerum Sacrarum non licet immutare per translata, sed tantummodo de una in aliam linguam, exactè convertere. CVII. §. 3. pag. 231. & seq. & declaratur. §. 14. pag. 235.
Nominantes & præsentantes ad Episcopatus, digniores promovere tenentur. V. §. 7. pag. 8.
Nominatio Episcopi in Militia S. Georgii Mart. conceditur Duci Bavariæ Magno Magistro. XXXII. §. 7. pag. 48.
Norisius, Henricus Cardinalis, laudatur. CXXVI. §. 2. pag. 289.
Notarii exequentes Literas Apostolicas, offendi prohibentur, sub pœna excommunicationis. XIV. §. 13. pag. 22.
Notarios particulares habendi, & eligendi jus cuilibet adimitur. XLIV. §. 3. pag. 69.
Notarii *Burgi*, *Mercatorum*, *& Aromatariorum* præservantur in suppressione Notariorum particular. *ibid.* §. 9. pag. 70. & seq.
Notarius *Burgi* scribere possit in omnibus Tribunalibus Urbis, in causis tamen Laicalibus Incolarum Burgi. CXV. §. 17. pag. 270.
Loca Pia habentia pridem electionem proprii Notarii, solvunt pro Instrumento Actorum quartam partem illius, quod ratione regesti sive extractus solvere debuissent. XLIV. §. 10. pag. 71.
Notarii expedientes Inhibitiones vigore Appellationis in casibus non permissis, infamiam, & inhabilitatem incurrunt, & pœnas pecuniarias. XLVIII. §. 40. pag. 80.
Item expedientes Monitoria in causis ultra Montes, absque speciali Judicis rescripto. *ibid.* §. 47. pag. 81.
Item recusantes exequi citationes, & mandata Sedis Apostolicæ, & Curiæ Romanæ, vel aliàs executionem impedientes. XLII. §. 8. pag. 76.
Nuditas membrorum Christianæ verecundiæ contraria. LX. §. 2. pag. 114.
Nullitas Matrimonii. v. *Matrimonium quoad dissolutionem.*
Nunciantes Hostibus, quæ ad statum Reipubl. Christianæ pertinent, excommunicantur. XIV. §. 7. pag. 227.
Nundinæ fiunt de rebus majoribus semel in anno, vel saltem raro in eodem loco, negociatoribus de longinquo convenientibus. CXLIV. §. 16. pag. 331. & seq.
Nundinæ Ecclesiasticis legibus sæpe interdictæ diebus Festis. *ibid.* §. 18. seq. pag. 332.
Sed ob generalem consuetudinem & necessitatem hominum, tolerandæ sunt. §. 25. pag. 333. 334.
Prohibentur tamen agitari commercia certis per diem festum horis, quibus Divina Officia celebrantur. *ibid.* §. 30. pag. 590. & Constit. CV. §. 2. pag. 221.
Prorogatis diebus Nundinarum, & Indultorum ad eas celebrandas concessorum. *ibid.*
Nundinæ in Civitate *Senogallienſi* celebrari jubentur per septendecim postremos dies mensis Julii, cum privativa, exemptionibus, & privilegiis. CV. §. 3. 4. pag. 22.
Nuntii Sedis Apostolicæ offendi prohibentur, sub pœna excommunicationis. XIV. §. 11. pag. 22.
Nuntiis Apostolicæ Sedis adimitur facultas dispensandi quoad Clausuram. XXXIX. §. 4. pag. 60. XL. §. 3. pag. 62.
Nuntio Poloniæ adimitur facultas dispensandi quoad formalitates præscriptas in celebratione Matrimonii. LXXXV. §. 16. pag. 162.
Nuptiarum Ritus superstitione infecti, Fidelibus Indis prohibentur. CVII. §. 3. 14. pag. 231. & 235.
Nuptiarum tempora ab Ecclesia præscripta observentur. LXXXIX. §. 16. pag. 174.
Nuptiis Infidelium, quæ temporibus vetitis celebrantur, non prohibentur fideles assistere. *ibid.*
Secundæ, tertiæ, & ulteriores Nuptiæ fidelibus permissæ. LVII. §. 8. pag. 100.
Et probatur auctoritate Sacrarum Litterarum, & SS. Patrum. CXXIX. §. 29. pag. 295.
Attamen a Presbyteris minime benedicendæ sunt. LVII. §. 8. pag. 100. & seq.
Secundæ Nuptiæ impedimento sunt, ne quis promoveri possit ad Ordines Sacros, etiam in Ecclesia Græca. *ibid.* v. *Bigamia.*
Secundæ Nuptiæ prohibentur Diaconis & Presbyteris Græcis, aliisque Orientalibus, sub pœna nullitatis, & depositionis ab Ordine. LVII. §. 7. pag. 100., & Constit. CXXIX. §. 30. pag. 296.

O

Oblati in Religione in infantili ætate, non tenentur in Religione perseverare. CXXIX. §. 21. pag. 295.
Oblationes pro obtinendis locationibus bonorum Cameræ Apostolicæ, quomodo exhiberi & aperiri debeant. LXV. §. 12. pag 118. & seq.

Oblationes viceſimæ & ſextæ partis, ultra primam, in locationibus Cameralibus, quibus terminis faciendæ. LXV. §. 3. 6. pag. 120. 121.
Obreptio in precibus gratiam nullam reddit. XLV. §. 1. pag. 73.
Obsessi a Dæmone quomodo exorcizari debeant. CXLI. §. 43. pag. 323.
Occultatio Fidei, cum ſimulatione Mahumetiſmi damnatur. LXXXIX. §. 3. pag. 173.
Præſertim in judicio. *ibid.* §. 4.
Occultantes fidem, cum ſimulatione &c. excluduntur a Sacramentis in vita, & a ſuffragiis in morte. §. 6. pag. 173.
Ad occultandam fidem, non licet vitæ inſtitutum amplecti omni Religionis exercitio vacuum. *ibid.* §. 7. pag. 174.
Nec Eccleſiæ præcepta infringere. *ibid.* §. 3. pag. 173.
Occultantibus fidem &c. nullæ diſpenſationes, aut gratiæ de Eccleſiæ Theſauro concedendæ. *ibid.* §. 14. pag. 174.
Officii Divini recitatio impoſita eſt Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, expreſſa lege Eccleſiæ Occidentalis. CXXIX. §. 43. pag. 297.
Similis conſuetudo obtinet in Eccleſia Orientali, eamque legis vim habere decretum eſt. *ibid.* §. 44. 45.
Ordinati ante legitimam ætatem an ea lege teneantur. v. *Ordinatio.*
v. *Horæ Canonicæ.*
Officiorum Divinorum ratio immutari non debet, ubi celebratio dierum Feſtorum transfertur tantummodo pro commoditate Populi. CXXXVIII. §. fin. pag. 314.
Officia Divina in primitiva Eccleſia de nocte celebrari conſueverunt. CXXXVII. §. 6. pag. 313.
Sed ea diſciplina deinde utiliter immutata. *ibid.*
Officia *Hebdomadæ Majoris* de die celebranda. *ibid.* §. 1. pag. 312.
Ad *Officia & Beneficia* Urbis Doctoratum requirentia, non ſuffragatur gradus in extera Univerſitate in poſterum adeptus. CVI. §. 29. pag. 228.
Officia Pœnitentiariæ Apoſtolicæ perpetua ſunt; & de modis eorum vacationis. XCVI. §. 24. pag. 193.
Officialis Pœnitentiariæ legitimè abſens emolumenta percipit. *ibid.* §. 26. pag. 193.
Officia Vacabilia. v. *Vincula.*
Officiales gratiam impetrantes, quæ ob ſubreptionem inutilis ſit, tenentur Oratoribus damna reficere. XLV. §. 5. pag. 74.
Officiales Curiarum Epiſcopalium quinam gaudere debeant Privilegio *Fori.* LXXXVIII. §. 1. pag. 170. & §. 9. pag. 172.
Officiales Pœnitentiariæ, Datariæ &c. falſum exponentes in ſupplicationibus ſubjiciuntur, pœnæ falſi. XLV. §. 3. 5. pag. 73.
Officiales Pœnitentiariæ Apoſtolicæ, eorumque qualitates, munera, emolumenta &c. XCVI. §. 2. & per tot. pag. 190. & ſeq.
Officiali abſente vel impedito, quomodo ſuppleantur ipſius vices. *ibid.* §. 20. pag. 192.
Officiali decedente, ſcripturæ omnes a Majori Pœnitentiario recuperari debent. *ibid.* §. 39. pag. 195.
Oleum Sanctum, v. *Extrema Unctio.*
Olei, vini, & piſcium uſus in Quadrageſima, aliiſque diebus jejunii, conceditur Albanenſibus & Græcis Italiæ, & Inſularum adjacentium. LVII. §. 9. pag. 102.
Olea Sancta, excepto Chriſmate, a Presbyteris Græcis benedici poſſunt. LVII. §. 4. pag. 96.
Opera injuncta in Jubilæo. I. §. 2. 3. pag. 1. 2. & 3. & CX. §. 2. 3. pag. 254.
Orationes, præter eas, quæ in Eccleſia receptæ ſunt, in Sacris Ritibus non admittantur. LXXXIX. §. 18. pag. 175.
v. *Preces.*
Oratorium domesticum conceditur Advocatis Conſiſtorialibus. CVI. §. 34. pag. 229.
Oratorium domeſticum conceditur Officialibus, & Militibus S. Januarii. XXIV. §. 4. pag. 37.
Ordinarii procedunt appellatione remota in pluribus cauſis. XLVIII. §. 6. & ſeq. pag. 77. v. *Epiſcopi.*
Ordinarii procedere poſſunt in Cauſis Exemptorum, qui Judicem particularem non habeant. *ibid.* §. 41. pag. 80.
Et in Cauſis mercedum, & miſerabilium perſonarum, etiamſi Judicem hujuſmodi habeant. *ibid.*
Ordinarii intra Diſtrictum Urbis. v. *Diſtrictus.*
Ordo Equestris. v. *Militia.*
Ordines quinam ſuppleri debeant a Clericis Græcis, qui ritu Latino ad ſuperiores Ordines ſint promovendi. LVII. §. 7. pag. 98. & 99.
Ordinandi examinari debent in Doctrina Chriſtiana. XLII. §. 10. pag. 65.
Ordinandi docere debent, ſe operam dediſſe inſtruendis fidelibus in Doctrina Chriſtiana. *ibid.* §. 6. pag. 64.
Ordinationes Miniſtrorum Eccleſiæ cum magno delectu fieri jubentur. II. §. 1. pag. 3.
Ordinatio *Infantis* eſt illicita, ſed valida. CXXIX. §. 20. 25. pag. 295. v. *Ordinatus.*
Ordinationes *Græcorum* quibus legibus & ritibus fieri debeant. LVII. §. 7. pag. 98. & ſeq.
v. *Græcorum Ordinationes.*
Ordinationes *Græco-Ruthenorum* ad Eccleſiam Catholicam redeuntium, Epiſcopo Auxerenſi delegantur. LXIII. pag. 117.
Ordinatus *in Infantili ætate* non tenetur ad onera Ordini Sacro adnexa, niſi Ordinationem ratam habuerit, ſive expreſsè, ſive tacitè. CXXIX. §. 20. 22. 23. 26. pag. 295.
Quare, pro Ordinatis ad Diaconatum in infantili ætate apud Cophtos, præſcribitur exploratio voluntatis, quæ fiat, ad normam etiam Concilii Toletani II., poſt expletum annum decimum ſextum. *ibid.* 27. 28. pag. 295.
Si quis ſæcularia vota elegerit, ſuſpenſus erit ab exercitio Ordinis Sacri. *ibid.* §. 22. pag. 295.
Nec tenebitur ad recitationem Horarum Canonicarum. §. 28. pag. 295.
Et nuptias, etiam iteratò, contrahere poterit. 28. 29. *ibid.*
Eligentibus autem perſeverare in miniſterio Eccleſiæ prohibentur ſecundæ nuptiæ, & omnis bigamia, ſub pœna depoſitionis. §. 30. 31. 32. *ibid.* pag. 296.
v. *Diaconus.* v. *Cœlibatus.*
Ordinatus ad Ordinem Sacrum *ante pubertatem*, non tenetur ſervare onera ordini adnexa niſi ratam habuerit &c. CXXIX. §. 23. pag. 295.
Nec miniſtrare poteſt in Ordine ſuſcepto ante complementum ætatis legitimæ. *ibid.*
Ordinatus *per vim*, non adigitur ſervare onera Ordini adnexa. *ibid.* 21. pag. 295.
Ordinati *per ſaltum*, vel aliàs male promoti, diſpenſationes obtinere poſſunt in caſibus occultis a Pœnitentiaria Apoſtolica. XCV. §. 18. pag. 186.
Ordinati a *Schiſmaticis*, exercitium Ordinis non recipiunt: Sed abſolutionem recipere tenentur, ac diſpenſationem ab irregularitate; & ſchiſma, erroreſque abjurare. LVII. §. 7. pag. 99.
Non Ordinati ad Sacrum Presbyteratus Ordinem, qui Miſſam celebraſſe, aut Confeſſiones Sacramentales audiſſe reperti fuerint, Curiæ ſæculari puniendi tradantur. XCVII. pag. 196.
Ordinationis probatio a Reo facienda eſt, nec incumbit Fiſco onus eam excludendi, ubi ex relatione Ordinarii conſtet, reum non promotum fuiſſe. *ibid.* §. 5. pag. 197.

P

Pacta abolendarum Penſionum. v. *Penſiones.*
Pacta pœnalia *de non appellando* a ſententia ſuper nullitate matrimonii, damnantur & annullantur. LXXXV. §. 4. 7. pag. 160. & ſeq.
Eorumque obſervantia prohibetur, ſub pœna excommunicationis. *ibid.* §. 7. pag. 161.
Pagodi. v. *Templa.*
Pallium. Inſtantiæ pro Pallii conceſſione ab Advocatis Conſiſtorialibus proponi debent. CVI. §. 18. pag. 225.
Pallium conceditur & tranſmittitur Patriarchæ Antiocheno Græcorum Melchitarum. XCII. pag. 178.

Pallium transmittitur Patriarchæ Maronitarum. CI. pag. 207.
Pallium conceditur Cyrillo Patriarchæ Antiocheno Græco-Melchitarum, pag. 179.
Pallium conceditur Simoni Petro Patriarchæ Antiocheno Maronitarum, pag. 208.
In Pandectis, & in Codice relata sunt Responsa Prudentum, & Leges Impp., correctæ, immutatæ, & emendatæ. CXIII. §. 11. pag. 262.
Papæ Primatus a Græcis agnoscendus. LVII. §. 1. pag. 95. v. *Romanus Pontifex.*
Papiensis Ecclesiæ prærogativæ, exemptiones, & privilegia confirmantur. LXXIV. §. 1. 4. pag. 140.
Eidem perpetuo unitur Archiepiscopatus Amasiæ in part. Infid. *ibid.*
Litteræ Apostolicæ in provisione ipsius Ecclesiæ quomodo expediri debeant. *ibid.* §. 5. pag. 141.
Paraquariæ. v. *Indos.*
Parèas, infimum hominum genus apud Malabares, excludendi non sunt a pia Missionariorum cura. CVII. §. 3. pag. 233.
v. *Decretum Cardinalis de Tournon.*
Clemens XI. rem totam maturiori examini reservat. *ibid.* §. 5. pag. 334.
Benedictus XIII. Decretum Visitatoris Apostolici absolutè confirmat. *ibid.* §. 12. pag. 235.
Item Clemens XII. *ibid.* §. 14. Dub. XII. §p. 237. & seq.
Qui nunquam dispensationem concessit super observantia ipsius Decreti. *ibid.* §. 27. pag. 242.
Item Sanctissimus Dominus Noster. *ibid.* §. 33. pag. 243.
Qui etiam jubet Missionarios in sufficienti numero deputari ad præcipuam eorum curam. *ibid.* §. 37. pag. 244.
Sub pœnis &c. *ibid.* §. 38. pag. 244.
Parisiensis Seminarii Missionariis in Regno Cocinchinæ, Districtus, & Ecclesiæ assignantur. CXI. 7. pag. 256. 257.
Parochi quid præstare debeant in animarum cura. II. §. 3. pag. 3.
Parochi exercitiis spiritualibus vacare debent quotannis. *ibid.*
Parochi qualitates a Concilio Tridentino, & a Sancta Sede requisitæ. LXVIII. §. 10. pag. 123.
v. *Cura animarum.* v. *Regulares.*
Parochi proprii assistentia in celebratione Matrimonii non temere omittenda. LXXXV. §. 9. 12. pag. 160. & seq.
Parochi Missam applicare debent pro Populo diebus Festis. CIII. §. 2. 6. 7. pag. 214. & seq.
Nisi, ratione paupertatis, ab Ordinario ipsis indulgeatur, ut applicationem hujusmodi transferant in alios dies. *ibid.* §. 8. pag. 215.
Parochiales Ecclesiæ dignioribus sunt conferendæ. LXVIII. §. 1. 7. pag. 121. 122.
Parochialium Ecclesiarium collatio, prævio concursu & examine, fieri debet. *ibid.*
v. *Concursus.* v. *Examen.*
In electione dignioris in Parochialium provisione potest Episcopus procedere ex informata conscientia. LXVIII. §. 14. 16. pag. 124.
Si autem appellatum fuerit, causas sibi notas significabit Judici superiori per Literas familiares. *ibid.* pag. 125.
Vel Cardinali Præfecto Congregationis Concilii. *ibid.* pag. 125.
Quando Parochialis collatio spectat ad Datariam Apostolicam, Concursus ab Ordinario indici & compleri potest, non petita venia. LXVIII. §. 19. pag. 125.
Electio autem dignioris ab eo fieri potest, si agatur de Beneficiis Curatis, reservatis ratione mensium. *ibid.*
Nec tenetur transmittere acta concursus, nisi postulata fuerint. *ibid.*
Si verò Beneficium alia qualibet ex causa reservatum fuerit, acta transmittet, nec digniorem pronunciabit. *ibid.* pag. 125.
Parochiales Ecclesiæ conferri nequeunt Canonicis Regularibus Lateranen. absque Indulto Apostolico. CXXXV. per tot. pag. 536. v. *Canonici Regular.*
Nec Presbyteris, sive Clericis, Congregationis Missionis. LXIX. §. 4. pag. 126.
Frequentia Populi ad Ecclesiam Parochialem turbari non debet, per celebrationem solemnitatum in aliis Ecclesiis. XLII. §. 15. pag. 65.
Ante Missam Parochialem, celebrari non debent Missæ in Ecclesiis Ruralibus Parochiæ proximis. *ibid.* §. 14. pag. 65.
In remotioribus autem, Sacerdos celebrans Doctrinam Christianam Populo tradat. *ibid.* pag. 65. 66.
Parochiali Ecclesiæ vacanti Vicarius ab Episcopo deputari statim debet. LXVIII. §. 16. pag. 124.
Parochiæ *Græcorum* quibus committi debeant. LVII. §. 5. pag. 97.
Parochiæ *Italo-Græcorum* quibus committi debeant. *ibid.* §. 9. pag. 102.
Parochialia munia in *Græcos-Melchitas* soli exercere possunt Fratres Ord. Min. Custodiæ Terræ Sanctæ, in defectum Parochi Ritus Græci. LXXXVII. §. 13. pag. 168.
Parochialia emolumenta jure percipiuntur a Missionariis exercentibus curam Animarum in defectu Parochi Catholici nationalis. *ibid.*
Parochus Lauretanus, pag. 131.
Particularum consecratarum furtum. v. *Surripientes.*
Pastorales instructiones Sanctissimi Domini Nostri ad Ecclesiarum regimen utiles. XLII. §. 19. pag. 66.
Pastoralis. v. *Epistola.*
Patavinæ Ecclesiæ Canonicis nonnulla Indulta & Privilegia conceduntur. XCI pag. 177. & seq.
Patentati & Privilegiati non gaudent privil. Fori, nisi in causis concernentibus Officia, quorum intuitu sunt privilegiati. CXV. §. 29. pag. 271. 272.
Neque gaudent, si privilegio renunciaverint, etiam per consensum æquipollentem. *ibid.*
Amplia quoad Patentatos Fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum. *ibid.* §. 30. pag. 272.
Limita quoad Patentatos Sacræ Inquisitionis. *ibid.*
Patentati non gaudent privilegio Fori in causis homicidii, exceptis Patentatis Sancti Officii, & Ministris, seu Familiaribus Ordinariorum, eorumque Curiar. LXXXVIII. §. 1. pag. 170.
Mandata contra Patentatos ser. ser. relaxata a Judice competenti, exequi possunt absque *exequatur* proprii Judicis particularis. CXV. §. 31. pag. 272.
Patriarchæ jus obtinent gestandi Rochetum per Urbem, pag. 159.
Patriarchæ Antiocheno Græcorum Melchitarum Pallium conceditur, pag. 179.
Patriarcha Antiochenus Maronitarum a Summo Pontifice eligitur ob schisma inter Electores exortum, pag. 208.
Idem ab Episcopis illius Nationis agnoscitur; Pallium a Summo Pontifice petit, & obtinet, *ibid.*
Patriarchis Græcis competit jus Stauropegii in fundatione Monasteriorum, quæ proinde ab Ordinarii jurisdictione exempta, & Patriarchæ immediatè subjecta censentur. XCVIII. §. 19. pag. 201.
Patriarchæ Orientales nullam jurisdictionem habent in Græcos Italiæ, & Insularum adjacen. LVII. §. 9. pag. 101.
Ideoque eorum commemoratio in Missa ab Italo-Græcis fieri non debet. *ibid.*
v. *Antiochenus.* v. *Alexandrinus.*
Patrimonii loco ad suscipiendos Ordines Sacros, a Græcis assignari nequit dos Uxoris. LVII. §. 7. pag. 98. 99.
S. Patritius Hiberniæ Apostolus dictus. XXVI. §. 4. pag. 39. & seq.
Patroni præsentare possunt Canonicos Regulares Lateranen., & Sti Salvatoris ad Beneficia Sæcularia Curata, & residentialia cum præservatione beneplaciti Apostolici, aliisque conditionibus latiùs expressis in Constit. CXXXV. §. 17. 18. pag. 308. & seq.
Patroni principales Urbis Romæ denominandi sunt SS. Apostoli Petrus & Paulus, pag. 159.
S. Pauli Basilica. LXXXIII. §. 4. pag. 156.
Pax. In delatione pacis, quinam ritus servari debeat cum Prælatis Gubernatoribus, Vicelegatis, &c. pag. 30. 74.
Pecuniarum exactio in Sacramentorum administratione prohibetur sub quocumque titulo. XLIII. pag. 66.
Pecuniæ perceptæ pro cassatione Pensionis, præcedente pacto in actu resignationis Beneficii, restitui jubentur. XXX. §. 3. pag. 44.

Pedemontanæ Provinciæ Episcopi excitantur ad evellendos abusus circa eleemosynas Missarum invectos. XXIII. pag. 36.

Pekinen. Episcopo scribitur super observantia Constitutionum Apostolicarum circa Ritus Sinenses. CXIV. pag. 267.

Pensionum abolendarum pacta, contemporanea resignationi Beneficiorum, & earundem pensionum reservationibus, damnantur & annullantur. XXX. §. 3. pag. 44.

Pensionum abolitiones & cassationes obtentæ intra sex menses a die captæ possessionis Beneficii, annullantur. *ibid.*

v. *Cessiones commodi exigendi.*

Peregrinantes ad Urbem, offendi prohibentur, sub pœna excommunicationis. XIV. §. 19. pag. 22.

Peregrinantes ad Sacra loca Urbis absolvi possunt a Censuris a Pœnitentiaria Apostolica, ad effectum lucrandi Indulgentias, cum reincidentia. XCV. §. 8. pag. 122.

Periculum vitæ expressum in precibus pro obtinenda dispensatione, verificari debet. XLV. §. 2. pag. 73.

Permissiones super Ritibus Sinen. a Patriarcha Alexandrino editæ. LIX. §. 15. pag. 110. & seqq.

Quid ipsis causam dederit. *ibid.* 13. pag. 110.

Examinantur in Congregatione Sancti Officii de mandato Clementis XII. *ibid.* §. 20. pag. 112.

Et tandem coram Sanctissimo. *ibid.* §. 21. pag. 112.

Damnantur & reprobantur, earumque usus prohibetur. *ibid.* §. 22. 24. pag. 112. 113.

Earum abusus, & divulgatio ab Episcopo Pekinen. facta. *ibid.* §. 17. pag. 111.

Petra, Vincentius Cardinalis, laudatur. XCVI. §. 4. 7. pag. 190. & seq. & XCVIII. §. 32. pag. 203.

P. Petri Basilica. v. *Vaticana Basilica.*

Sancti Petri ad Vincula Ecclesia, Titulo Eudoxiæ. LXXXIII. §. 7. pag. 156.

S. Petri in Carcere Ecclesia. *ibid.* §. 8. pag. 156.

S. Petri in Monte Aureo Ecclesia. *ibid.* §. 9. pag. 156.

SS. Petri & Pauli solemnitas per totam Octavam Romæ Patroni principales denominandi, pag. 157.

SS. Petri & Pauli Capita in Basilica Lateranensi servata.

SS. Petrus & Paulus Apostolorum Principes Urbis Rocontinuari jubetur. *ibid.* p. 155.

ibid. 10. pag. 156.

Pictoribus permittendum non est, ut Sanctissimam Trinitatem, & Divinas Personas pro libito effingant. CXLI. §. 26. p. 321.

Picturæ Spiritus Sancti, & Sanctissimæ Trinitatis.

v. *Imagines.*

Piratæ discurrentes Mare Ecclesiæ, excommunicantur. XIV. §. 3. pag. 21.

Piscium, Olei, & Vini usus in Quadragesima, & aliis jejuniis Ecclesiæ Græcæ, conceditur Albanensibus & Græcis Italiæ, & Insul. adjacen. LVII. §. 9. pag. 101. & seq.

Piscium esus tempore jejunii interdicitur his, qui carnibus ex legitima causa & indulto vescuntur. XCIX. §. 1. pag. 203.

Piscium esus non interdicitur tempore jejunii his, quibus indultum est, ut ovis & lacticiniis vescantur. *ibid.*

De la Plata. v. *Indos.*

Plebeji cum Nobilibus in eandem Ecclesiam convenire debent. CVII. §. 34. pag. 243.

Pluviale ab Advocatis Consistorialibus defertur certis in casibus. CVI. §. 12. pag. 224.

Pœnæ jam statutæ contra Confessarios sollicitantes ad turpia, confirmantur; iisque additur inhabilitatio perpetua ad celebrationem Missæ, pag. 280. 281.

Pœnæ jam statutæ in Presbyteros Sacrificio Missæ ad sortilegia abutentes, confirmantur, iisque additur perpetua inhabilitatio ad ipsius Missæ celebrationem, *ibid.*

Poenitentiæ Sacramentum, qua religione, & puritate administrandum. XX. §. 1. 6. pag. 32. 34.

Pœnitentiæ Sacramenti libertas conservanda. CXXXIII. pag. 304. & seq. v. *Confessarii.*

Pœnitentiæ Sacramentum quomodo & quibus ministrari debeat a Presbyteris Græcis. LVII. §. 5. pag. 97.

Poenitentiariæ Facultates. XCV. pag. 184.

v. *Pœnitentiarii Majoris facultates.*

Pœnitentiariæ Apostolicæ facultates Sede vacante absolvendi a quibuslibet censuris. XCV. §. 51. pag. 188. & seqq.

Et dispensandi in foro conscientiæ, & ad tempus. *ibid.*

Pro foro externo conquiescit, præterquam quoad Regulares & Moniales, & quoad absolutiones cum reincidentia. *ibid.* §. 53. pag. 189.

Pœnitentiariæ Apostolicæ Officiales, eorumque qualitates, munera, emolumenta &c. XCVI. §. 2. per tot. pag. 190. v. *Officiales.*

Pœnitentiariæ Signatura. *ibid.* 21. pag. 192.

Pœnitentiariæ expeditiones omnes secretò & gratis fiunt. *ibid.* §. 22. pag. 192. & seq.

Pœnitentiariæ emolumenta unde desumenda, & quomodo administranda. *ibid.* §. 29. pag. 193.

Superflua applicantur Hospitio Pauperum Invalidorum de Urbe. *ibid.* §. 33. pag. 194.

Pœnitentiariæ Archivum secretum, & publicum. *ibid.* §. 37. pag. 194.

Poenitentiarii Majoris qualitates, ejusque eligendi ratio etiam vacante Sede Apostolica. XCVI. §. 3. 4. pag. 190.

Impedimento detentus, vel absens, potest subrogare alium Cardinalem Pro-Pœnitentiarium. *ibid.*

Commissiones Majoris Pœnitentiarii, vel Pro-Pœnitentiarii non expirant, eo decedente, vel ab officio cessante. XCV. §. 49. pag. 188.

Pœnitentiarii Majoris munera & officia. XCVI. §. 5. pag. 190.

Ejusdem jura & emolumenta. *ibid.* §. 6. seq.

Pœnitentiarii Majoris *facultates* a pluribus Pontificibus concessæ colliguntur, & ordinantur. XCV. pag. 184.

Pœnitentiarius Major potest consulere Papam etiam in prohibitis, & ei de vivæ vocis oraculo asserenti, fides habenda. *ibid.* §. 5. pag. 184.

Absolvit a peccatis, & censuris. *ibid.* §. 6. pag. 185.

Dispensat super irregularitate &c. *ibid.* §. 15. pag. 186.

Convalidat titulos Beneficiorum, condonando, seu componendo, quoad fructus male perceptos. *ibid.* §. 20. pag. 186.

Remittit seu condonat alia malè percepta, habilitat ad percipiendum. *ibid.* §. 25. pag. 186.

Relaxat, seu commutat juramenta, vota, & onera. *ibid.* §. 28. pag. 187.

Regulares habilitat, absolvit, & transitus eisdem concedit de una ad aliam Religionem. *ibid.* §. 31. pag. 187.

Eadem respectu Monialium. *ibid.* §. 36. pag. 187.

Dispensat in Matrimonialibus super impedim. impedientibus occultis &c. revalidat dispensationes male obtentas &c. etiam legitimando prolem. *ibid.* §. 39. p. 187.

Dat facultates Minoribus Pœnitentiariis. *ibid.* §. 47. pag. 188.

Concedit Indulgentias in tactu virgæ. *ibid.* §. 50. p. 188.

Poenitentiarii Minores in Basilicis Urbis, & in Æde Lauretana deputantur a Cardinali Majori Pœnitentiario cum facultatibus ipsius arbitrio. XCVI. §. 6. pag. 190. 191.

Polonæ Nationis laudes. XCVIII. §. 31. pag. 203.

Poloniæ Episcopi monentur, ne temere admittant matrimoniorum dissolutiones. XVI. pag. 26. & seq.

Poloniæ Episcopis secundò scribitur de matrimoniis ritè celebrandis, nec nisi jure dissolvendis. LXXXV. pag. 160.

Poloniæ Nuntio adimitur facultas dispensandi super trina denunciatione Matrimonii, & super assistentia proprii Parochi. *ibid.* §. 16. pag. 162.

In Poloniæ Diœcesibus aliquot reducuntur dies Festi de præcepto, æstivis mensibus occurrentes. CXXXVIII. pag. 313.

Pontificalia quatenus exercere liceat, Episcopo, & Præposito Militiæ S. Georgii Magni in Bavaria. XXXII. §. 6. pag. 48.

Pontifice Romano vivente, tractantes de electione successoris, vel de ejus vita, aut morte quærentes per Astrologiam judiciariam, non absolvuntur a Pœnitentiaria Apostolica. XCV. §. 12. 13. pag. 185.

Portugalliæ Regni origo, & splendor. LI. §. 1. pag. 84.

Portugalliæ Regis religio commendatur. XXXVIII. §. 3. pag. 59.

Ejusdem pietas in augendo Ecclesiarum cultu. CXVI. pag. 275.

Portugalliæ, & Algarbiorum Moniales ad Religiosam Clausuram revocantur. XXI. pag. 34.
Posnanien. Episcopo committitur reductio dierum Festorum in sua Diœcesi. CXXXVIII. pag. 313.
Possessio immemorabilis tribuit Prælato inferiori jurisdictionem intra Episcopi Diœcesim. LXXVI. §. 2. p. 143.
Non idem dicendum de possessione quadragenaria cum titulo colorato. *ibid.* §. 3.
Possessio immemorabilis solo labefactatur rumore. *ibid.* §. 4. pag. 143.
Præcedentiæ non semper a personali dignitate desumuntur. XCVIII. §. 16. pag. 145.
Ubi vide *Exempla Præcedentiæ promiscuæ.*
Præcedentiæ inter Episcopos, & Gubernatores Prælatos, aut Vicelegatos Ditionis Ecclesiasticæ stabiliuntur. XVIII. pag. 28.
Præcedentiæ inter Græcos, & Latinos desumuntur ab Ordine, antianitate, aut dignitate personali. LVII. §. 9. pag. 102.
Præfecti *Palatii Apostolici* jurisdictio præservatur in suppressione Tribunalium particularium. XLIV. §. 26. pag. 73.
Prælatio inter Oblatores pro locationibus bonorum Cameræ Apostolicæ, cui competat. LXV. §. 6. pag. 119.
Prælati inferiores jurisdictionem quasi Episcopalem exercentes tenentur statutis temporibus visitare Limina Apostolorum, & Ecclesiarum statum exponere, VII. §. 5. pag. 12.
Prælati Romanæ Curiæ, quoad usum Rocheti, aliasque leges Cœremoniales, pag. 159.
Prælato inferiori acquiritur jurisdictio intra Episcopi Diœcesim, vel ex privilegio, vel ex consuetudine immemorabili. LXXVI. §. 2. pag. 143.
Non verò ex possessione quadragenaria cum titulo colorato. *ibid.* §. 3.
V. *Jurisdictio Ordinaria.*
Præsanctificatorum. V. *Missa.*
Præsentantes, aut nominantes ad Episcopatus, digniores promovere tenentur. V. §. 7. pag. 8.
Præsentia materialis cum Gentilibus superstitiosa peragentibus, quatenus Christianis permitti possit. LIX. §. 10. pag. 107.
Præsertim. Dictio *Præsertim* non est taxativa, sed idem sonat, ac *multo magis.* CXIII. §. 6. pag. 261.
Preces publicæ, earumque formulæ ab Ecclesiastica auctoritate indicendæ sunt, & designandæ. LXXXII. p. 154.
Presbyteri conjugati apud Græcos possunt Parochialem curam exercere, & Sacramentum Pœnitentiæ ministrare. LVII. §. 5. pag. 97.
Primatus Papæ a Græcis agnoscendus. LVII. §. 1. pag. 95.
Primicerius. V. *Avenionen. Universitatis Primicerius.*
Principes, aliique jus imperii habentes, non absolvuntur in Pœnitentiariâ Apostolica, a censuris contentis in Bulla Cœnæ Domini, per publicas actiones ab ipsis incursis. XCV. §. 11. pag. 185.
Priores Capitum Regionum Urbis, ex Nobilium Romanorum cœtu eligendi. CXLVI. §. 11. pag. 340.
Privilegiati. V. *Patentati.*
Processio Generalis in solemnitate Corporis Christi, Sede Apostolica vacante, de more celebrari jubetur, cum præscriptione ritus, & personarum, quæ interesse debent. CXXII. pag. 284.
Et quidem apud Basilicam Vaticanam. *ibid.* §. 3. p. 284.
Electio Antistitis, qui deferat Sanctissimum Sacramentum, tribuitur Collegio Cardinalium. *ibid.* §. 5.
Processiones Confraternitatum singulis diebus per Octavam Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli in Urbe habendæ. LXXXIII. §. 11. pag. 156.
Litteræ *Processus* publicatæ die Cœnæ Domini Anni 1741. XIV. pag. 21.
A censuris earum vigore publicè incursis non absolvuntur a Pœnitentiaria Apostolica Principes, aliique jus imperii habentes, nec Episcopi, aliique superiores Prælati. XCV. §. 11. pag. 185.
Processus Ordinarii super fama Sanctitatis Servorum Dei, quibus cautelis confici debeant. CXLI. §. 5. seq. pag. 318.
Proclamationes Matrimonii. V. *Denunciationes.*
Procuratores Pœnitentiariæ Apostolicæ, eorumque munera. XCVI. §. 18. pag. 192.
V. *Officiales Pœnitentiariæ.*
Professio Fidei a Gregorio XIII. Græcis præscripta, omnino servanda. LVII. §. 1. pag. 95.
Professio Fidei a Patriarcha Maronitarum facienda. LXVIII. §. 5. pag. 248.
Professores. V. *Lectores.*
Promissio *futuri matrimonii*, & machinatio si absint, adulterium simplex non inducit impedimentum dirimens matrimonium. CXIII. §. 15. 30. pag. 263. & 265.
Promotoris Fidei munus uni ex Collegio Advocat. Consistorialium addictum. CXI. §. 31. pag. 229.
Promotoris Fidei munus incompatibile in posterum decernitur cum munere Advocati Fisci & Cameræ Apostolicæ. *ibid.* §. 32. pag. 229.
Propagandæ Fidei Congregatio proprios Missionarios, & Ecclesias habet in Regno Cocinchinæ; id quod ipsi præservatur. CXI. §. 9. 14. pag. 257. 259.
Propinarum multiplicatio improbatur. CXV. §. 15. pag. 270.
Prosigillator Pœnitentiariæ Apostolicæ, ejusque Officia, & emolumenta. XCVI. §. 30. seq. pag. 194.
Protectorum jurisdictiones abolentur. XLIV. §. 3. 6. pag. 69. 70.
Præterquam in his, quæ concernunt servitium locorum Piorum, & disciplinam. *ibid.* §. 11. pag. 71.
Proto-Archimandrita. V. *S. Basilii Ordo.*
Protonotarii Apostolici participantes nequeunt promovere absentes ad gradus Doctoratus. CVI. §. 23. pag. 227.
Præsentes verò in Urbe, nonnisi sex in singulos annos, servatis servandis, & cum conditionibus, quas vide in textu. *ibid.* §. 25. seq. pag. 227.
V. *Doctoratus.*
Protonotariorum non participantium numerus immeritò incusatur. XXVIII. §. 1. & 4. pag. 41.
Protopapæ Dignitas in Ecclesia S. Mariæ *del Grafeo* Messanen., ejusque electio, ipsius Ecclesiæ Clero in perpetuum asseritur. LXXXI. pag. 153.
Provisi a Cardinalibus Indultariis tenentur reportare novam provisionem a Sede Apostolica. XII. pag. 19.
Psallendi debitum omnibus in Choro incumbit, etiam Dignitatibus & Canonicis, quacumque contraria consuetudine, aut præsumpto privilegio non suffrag. CIII. §. 24. pag. 217.
Publicantes falsò litteras Apostolicas excommunicantur. XIV. §. 6. pag. 21. 22.
Publicationes Matrimoniorum. V. *Denunciationes.*
S. Pudentianæ Ecclesia. LXXXIII. §. 5. pag. 156.
Pulleyaris, seu Pylleyaris Imago a Mulieribus Christianis non deferenda. CVII. §. 3. 14. pag. 231. 236. 237.
Pupillorum contractus. V. *Decreta jurisdictionis voluntariæ.*
De Purgatorio Catholicum dogma. LVII. §. 1. pag. 95.
Putiniani Oppidum in Diœcesi Conversana situm. Quænam jurisdictio ibi competat Episcopo; quæ autem Bajulivo S. Stephani Ordinis Hierosolymitani. LXXVI. pag. 142.
Pyllejar. V. *Pulleyar.*

Q

Quadragenaria possessio cum titulo colorato, non tribuit Prælato inferiori jurisdictionem quasi Episcopalem intra alienam Diœcesim. LXXVI. §. 3. pag. 143.
Quadragesimæ tempus cum cæteris jejunii temporibus & diebus exequatur, in eo quod respicit observantiam legum a SS. Domino Nostro statutarum. XCIX. §. 1. pag. 203. 204. V. *Jejunium.*
In Quadragesimæ, diebus Dominicis, non licet epulas licitas cum vetitis permiscere. *ibid.*
Quadragesimæ diebus permittitur Militibus S. Januarii esus lacticiniorum, &, cum opus fuerit, etiam carnium. XXIV. §. 6. pag. 38.
Quadragesimæ jejunium juxta Kalendarium Romanum ab Italo-Græcis observandum. LVII. §. 8. pag. 101.
V. *Dispensatio.* V. *Sabbatum.*

R

RECURRENTES ad Sedem Apostolicam, eorumque Procuratores, offendi prohibentur, sub pœna excommunicationis. XIV. §. 12. pag. 22.

Recurrentes a Sententiis vel Decretis Judicum Ecclesiasticorum ad Tribunalia Laica, excommunicantur. *ibid.* §. 16. pag. 23.

RECUSATIO JUDICIS non admittitur in causis depositi, alimentorum futurorum &c., nec in causis infra valorem scut. 25. CXV. §. 34. pag. 272.

In reliquis, unica recusatio Judicis admittitur infra triduum absque allegatione causæ suspicionis. Ulteriores verò non admittuntur absque probatione hujusmodi causæ. *ibid.* §. 35. pag. 272.

REDDITUS Ecclesiæ male percepti condonantur in casu &c., dummodo ad ipsam Ecclesiam non pertineant. LXXIX. §. 8. pag. 151.

REFORMATIO Tribunalium Urbis. CXV. pag. 268.

REFRACTARII Constit. *Unigenitus*, aliisque Judiciis Sedis Apostolicæ, excluduntur a participatione Jubilæi. I. §. fin. pag. 2. & Constit. CXXIV. pag. 287. 288.

REGENS Pœnitent. Apostolicæ, ex Auditorio Rotæ assumi solitus. XCVI. §. 12. pag. 191.

Ejus Officia, emolumenta &c. *ibid.*

REGESTUM, sive extractus. V. *Notarii.*

REGESTIS secretis Matrimoniorum secretò celebratorum auctoritas tribuitur. XXXV. §. 14. pag. 55.

REGISTRATORES Pœnitentiariæ Apostolicæ, eorumque munera & emolumenta. XCVI. §. 34. pag. 194.

REGULA IX. CANCELLARIÆ Apostolicæ non suffragatur provisis a S. R. E. Cardinalibus, quo minus teneantur expedire Litteras Apostolicas. XII. pag. 19.

REGULARIUM Ordinum regiminis variæ rationes expenduntur. CXXVI. §. 1. pag. 289.

Regulares curam animarum subditorum Sæcularium assumere nequeunt, absque consensu & approbatione Episcopi. CIX. §. 11. pag. 251.

Regulares curam animarum exercentes, vel Sacramenta quovis titulo administrantes, subsunt in his jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi. *ibid.* §. 2. 3. p. 250.

Quod intelligitur de jurisdictione ordinaria, non verò de delegata. *ibid.* §. 12. pag. 251.

Regularis Parochus exemptus est a visitatione & correctione Episcopi in his, quæ pertinent ad observantiam disciplinæ Regularis. *ibid.* §. 8. pag. 251.

Non autem in his, quæ spectant ad mores, & exemplarem vivendi rationem. *ibid.*

Multoque minus in his, quæ pertinent ad ipsius officium Parochiale. *ibid.* §. 9.

Regularis Parochi correctio competit tam Episcopo, quàm Superiori Regulari, cum præponderantia favore Episcopi. *ibid.* §. 10.

Ipsius remotio decerni potest tam ab Episcopo, quàm a Superiore Regulari, absque alterius consensu. *ibid.* §. 11.

Exempti tamen sunt ab Episcopi visitatione & correctione Parochi Regulares, qui curam exercent in Ecclesiis eorum Monasteriorum, sive locorum, in quibus Abbates, aut alii Superiores Regulares jurisdictionem Episcopalem & temporalem in Parochos & Parochianos habent. *ibid.* §. 12. pag. 251.

Nisi Episcopus probet ampliorem jurisdictionem ex alio capite sibi acquisitam esse. *ibid.*

Exempti sunt etiam animarum curam gerentes in Ecclesiis eorum Monasteriorum, in quibus Abbates Generales, seu Capita Ordinum Sedem ordinariam principalem habent. *ibid.* §. 13. pag. 251.

Quod non extenditur ad residentias aliorum Præsulum Regularium non Generalium. *ibid.*

Quænam verò dicenda sit Superioris Generalis residentia ad effectum hujusmodi exemptionis. V. *ibid.* §. 17. 18. pag. 252.

Ad effectum hujusmodi exemptionis non requiritur quod Monasterium sit Caput Ordinis. *ibid.* §. 14. pag. 252.

Hac exemptione non gaudent aliæ Parochiales hujusmodi Monasteriis unitæ. *ibid.* §. 15.

Potest tamen Episcopus pro hujusmodi Parochorum remotione instare. *ibid.* §. 16. pag. 252.

Et in his etiam præservatur majus jus, quod Episcopo aliàs acquisitum fuisse probetur. *ibid.* §. 19. pag. 253.

Regulares Parochi, aut Vicarii curati Missam Parochialem applicare debent pro Populo diebus Festis. CIII. §. 4. pag. 215.

Regulares Parochi tenentur recipere in propriis Ecclesiis & Domibus Missionarios ab Episcopo missos ante visitationem Pastoralem. CIX. §. 5. pag. 250.

In Regularium *Ecclesiis* Parochialibus quænam visitare possit Episcopus. *ibid.* §. 7. pag. 251.

In Regularium Ecclesiis sive Parochialibus, sive non Parochialibus, potest Episcopus Confirmationis Sacramentum arbitrio suo ministrare. *ibid.* §. 6. p. 250. 251.

Regulares *Superiores* Parochum Regularem corrigere possunt. CIX. §. 10. pag. 251.

Atque etiam ab animarum cura removere, absque consensu Episcopi. *ibid.* §. 11.

Nullam verò jurisdictionem habent in subditos Parochiæ Sæculares. *ibid.* §. 10.

Regularis Superioris approbatio ad Confessiones non suffragatur, ut quis absolvere possit a pecc. & cens. reserv. in vim Indulti Apostolici requirentis approbationem Ordinarii. C. §. 6. pag. 206.

Regularibus non suffragatur Indultum Cruciatæ quoad *electionem Confessarii* pro absolv. a cens. & pecc. reserv. C. §. 7. pag. 206.

Regulares in *Pœnitentiariæ Officio* absolvuntur a censuris in utroque foro. XCV. §. 6. pag. 185.

Facultates Pœnitentiariæ pro Regularibus. *ibid.* §. 31. seq. pag. 187. & §. 54. pag. 189. V. *Transitus.*

Regulares nequeunt exercere artem Aromatariam, aut pharmaca vendere. VI. pag. 14.

Accipientes munera a Regularibus quomodo absolvantur a Pœnitentiaria Apostolica. XCV. §. 26. pag. 186.

Regulares Canonici. V. *Canonici Regulares.*

RELATIONES Status Ecclesiarum ab Episcopis aliisque inferioribus Prælatis fieri jubentur. VII. §. 2. 5. pag. 11. & 12.

His omnibus opportuna Apostolicæ Sedis rescripta parantur. VIII. §. 2. pag. 16.

Relationes circa Cophtorum ritus & causas a Pontifice exquiruntur. CXXIX. §. 53. pag. 298.

RELIGIO. V. *Occultatio Fidei.*

RELIQUIARUM detractio in elevatione Corporum Servorum Dei, prohibetur. XLVI. pag. 74.

REQUISITA concurrentium ad Parochias in termino ad habendum concursum indicto, in actis exhiberi debent. LXVIII. §. 6. pag. 124.

Ea in summarium redacta, tam Ordinario, quàm Examinatoribus exhibenda. *ibid.* pag. 124. 125.

Hujusmodi summaria supprimi debent antequam Ordinarius digniorem eligat. *ibid.* V. *Concursus.*

RESERVATIONES ABSOLUTIONIS. V. *Absolutio.*

RESERVATIONES PENSIONUM. V. *Pensiones.*

RESIDENTIA in Diœcesibus, Episcopis commendatur. II. §. 4. pag. 4. & Constit. CXL. §. 18. pag. 317.

Residentia in propriis Diœcesibus inculcatur Episcopis Hiberniæ. XXVI. pag. 39.

Residentia Episcoporum in certis & fixis Diœcesibus necessaria. XLIII. pag. 66.

Residentia Episcoporum materialis & formalis. XXVI. §. 2. pag. 39.

RESIGNATIONES Beneficiorum cum reservatione Pensionis, & pacto eam cassandi, prohibentur, & annullantur. XXX. pag. 43.

Resignans cum hujusmodi pacto, æque ac Resignatarius, privantur Beneficio, & ad alia assequenda inhabilitantur. *ibid.* §. 3. pag. 44.

REZZONICUS Cardinalis Episcopus Patavin. laudatur. XCI. §. 1. pag. 178.

RITUS. Super RITIBUS ECCLESIÆ, eorumque observantia nemini licet dispensationem concedere, inconsulta S. Sede, CVII. §. 14. pag. 235.

Ritus Paganorum permittere, seu convertere in ritus & consuetudines Christianæ Religionis, inconsulta Sancta Sede, nemini licet. CVII. §. 14. pag. 238.

RITUS PECULIARIS.

Conjuges Catholici diversi Ritûs unusquisque proprium ritum sequi possunt. LVII. §. 8. pag. 101.

Conjux

Conjux Latinus ritum Conjugis Græci sequi non potest. LVII. §. 8. pag. 101.
Contra Conjux Græcus sequi potest Ritum Conjugis Latini. *ibid.*
Matrimonia inter Conjuges diversi Ritus quomodo & coram quibus contrahi debeant. *ibid.*
Ritus Latinus semel a quocumque susceptus deseri amplius non potest. LVII. §. 7. 8. pag. 100. 101.
Ritus Latinus suscipi non intelligitur per baptismum susceptum a Latinis in casu necessitatis. LXXXVII. §. 18. pag. 169. V. *Transitus a Ritu &c.*
Dispensatur cum Græcis de præterito Ordinatis ab Episcopis Latinis, animo retinendi Græcum ritum, ut in hoc permanere valeant. *ibid.* §. 7. pag. 100.
Ut autem id fiat, requiritur dispensatio Apostolica. *ibid.* V. *Græcorum Ordinationes.*
Græco-Melchitis *Latino Ritu* baptizatis de præterito, permittitur electio Ritus. LXXXVII. §. 16. pag. 169.
Ritus Orientalis Ecclesiæ, qui Fidei, & bonis moribus non adversantur, conservandi sunt, & ab omnibus tolerandi. LVII. §. 9. pag. 101.
Ritus Ecclesiæ Orientalis observari debent a Monachis Ruthenis Ordinis S. Basilii. XCVIII. §. 24. pag. 202.
Sublata cuilibet dispensandi facultate. *ibid.*
Ritum Græcum sequi tenentur ii ex Græcis, qui in casu necessitatis Latino Ritu baptizati fuerint. LXXXVII. §. 18. pag. 169. V. *Ritus Latinus: supra.*
Ritus Græcus in Missis, & Divinis Officiis observari debet a Græcis Italiæ & Insul. LVII. §. 9. pag. 168.
Functiones solemnes Latino ritu in Ecclesiis Græcorum fieri prohibentur absque licentia Ordinarii, & vice versa. LVII. §. 9. pag. 102.
Ritus Græco-Latinus in Ecclesia S. Mariæ del Grafeo vigens perpetuò servari jubetur. LXXXI. §. 1. 2. p. 153.
Ritus Græcorum-Melchitarum conservari jubentur, & innovationes in illis inductæ reprobantur & annullantur. LXXXVII. §. 3. pag. 167.
A Ritu Græc. Melch. transitus non permittitur ad Ritum Latinum inconsulta Sede Apostolica. *ibid.* §. 15. p. 169.
Item nec ad Ritum Maroniticum. *ibid.* §. 12. pag. 168.
Ritus Malabarici in Nuptiis & Matrimoniis, in gestatione Taly, & Funiculorum ex certo filorum numero, croco delibut., in fractione fructus Cocco, in separatione Mulierum menstruatarum, & Plebejorum, vulgò Parreas, in celebratione primæ puellarum purgationis, in Lavacris & ablutionibus, in usu cinerum &c. prohibentur. CVII. per tot. & signanter. §. 3. & 14. pag. 231, 232. & 236. 237.
Ritus Sinensis sæpe ad examen vocati. LIX. §. 1. ad §. 6. pag. 105. 106.
De Ritibus Sinen. Decretum Clementis XI. *ibid.* §. 8. pag. 106.
Constitutio ejusdem de iisdem. *ibid.* §. 10. pag. 107.
Quæ Constitutio amplissime confirmatur. *ibid.* §. 12. p. 110.
Et aliter interpretari prohibetur. *ibid.* §. 23. 24. pag. 112. 113.
De Ritibus Sinen. Constitutio, non obstan. quibuslibet rationibus, aut subterfugiis, observari debet. CXIV. pag. 267.
De Ritibus Sinen. Libri & Scripturæ publicari prohibentur. LIX. §. 8. pag. 106.
In Congregatione Sacrorum Rituum unus Consultoris locus perpetuò tribuitur Ordini Clericorum Reg. Theatinorum. CXXV. pag. 289.
Roccheti delatio per Urbem quibus competat, ex Decreto Congregat. Cœremonialis. LXXXIV. §. 2. p. 158.
Roccheti delatio per Urbem conceditur Auditoribus Sac. Rotæ. *ibid.* §. 6. pag. 159.
De Roccheti usu, & delatione, Sacræ Congregationis Cœremonialis Decreta jussu Pontificis edita, pag. 159. & seqq.
Romanæ Urbis Patroni Principales expresse appellari jubentur SS. Petrus & Paulus Apostoli. pag. 157. & seq.
Romanorum Nobilium admissiones ad formam Bullæ Sanctissimi Domini Nostri. pag. 342.
Romanorum Civium gradus & Ordines certa ratione distinguuntur. CXLVI. pag. 337. V. *Nobiles.* V. *Cives.*
Romani Pontificis Primatus a Græcis agnosci debet. LVII. §. 1. pag. 95.
Romani Pontificis commemoratio in Missa fieri debet a Græcis Italiæ, & Insularum. LVII. §. 9. pag. 101.
Romanam Urbem, aliasque Ditionis Ecclesiasticæ Civitates, & Terras occupantes, excommunicantur. XIV. §. 20. pag. 23.
Romipetæ. V. *Peregrinantes.*
Rotæ Tribunal coram Pontifice sententiam dicit in Causa Conversana. LXXVI. §. 1. pag. 142.
Rotæ Tribunal exquirit votum R. P. Lambertini tunc Advocati Consistorialis. LXXXIV. §. 1. pag. 158.
A Rota Romana assumi consuevit Regens Pœnitentiariæ. XCVI. §. 12. pag. 191.
Rotæ Auditoribus conceditur delatio Roccheti per Urbem, LXXXIV. pag. 158.
Rotæ Auditores electi habitum Advocatorum Consistorialium assumere nequeunt, absque licentia Collegii. CVI. §. 12. pag. 224.
Rotuli Cardinalium natura & finis. CXIX. §. 1. p. 278.
Ab ejus participatione excluduntur non residentes in Curia, quacumque ex causa. *ibid.* §. 3. pag. 279.
Accedentibus ad Urbem ex causa legitima, tribuitur pars pro tempore moræ. *ibid.*
Russiæ Metropolitani jurisdictio in Monachos Ordinis S. Basilii, eorumque Abbates, & Proto-Archimandritam. *ibid.* §. 17. seq. pag. 201.
Russiæ Metropolitano demandatur unio Monasteriorum Ord. S. Basilii ad paupertatem redact., cum consilio &c. *ibid.* §. 29. pag. 202. V. *Sceptychi.*
Ruthenorum natio Apostolicæ Sedi devota. XCVIII. §. 1. pag. 198.
Ruthenorum Synodus Nationalis Zamosciæ habita anno 1720. *ibid.* §. 3. pag. 199.
Rutheni Monachi S. Basilii ritus, consuetudines, & abstinentias Ecclesiæ Orientalis servare debent. *ibid.* §. 24. pag. 202. V. *S. Basilii.* V. *Græco-Ruthen.*

S

Sabbati diebus abstinentia a carnibus non semper ubique fuit de præcepto. CXVIII. §. 3. pag. 278.
Sabbati diebus per annum permittitur esus Carnium in Regnis Castellæ, Legionis, & Indiarum. *ibid.* p. 277.
Sabbati jejunium in Jubilæis, vel aliàs indictum, in alium diem transferri conceditur pro Græcis. LVII. §. 9. pag. 101.
Sabbatis Quadragesimæ, excepto Sabbato Sancto, Græci non tenentur jejunare, sed tantummodo a carnibus &c. abstinere. *ibid.*
Sacerdotes privantur facultate excipiendi confessiones complicum in peccato turpi. XX. §. 4. pag. 33. V. *Confessarii.*
Sacerdos etiam ad Confessiones non approbatus, præferendus est Confessario complici in peccato turpi pro excipienda Confessione ipsius complicis in artic. mortis constitutæ. CXX. §. 2. pag. 280.
Sacerdos abutens sacrificio Missæ ad sortilegia, perpetuam inhabilitationem incurrit ad ipsius Missæ celebrationem. pag. 280. 281.
Sacramenta. V. *Baptismus.* V. *Confirmatio &c.*
Sacramenta denegari nequeunt Mulieribus menstruatis. CVII. §. 3. 14. 39. pag. 231. 232. 237. 244.
Sacramentorum participatio denegatur occultantibus Fidei Christianæ professionem cum simulatione Mahumetismi. LXXXIX. §. 6. pag. 173.
Item mulieribus Christianis in Turcarum contubernio viventibus absque Religionis exercitio. *ibid.* §. 7.
Et mulieribus nulliter nuptis cum Infidelibus, donec in concubinatu permanserint. *ibid.* §. 13. pag. 174.
Item iis, qui, Uxore ad Turcas confugiente, aliam ducere præsumpserint. *ibid.* §. 12. pag. 174.
Sacramenta administrantes, etiam in Ecclesiis Regularium, subsunt visitationi & correctioni Episcopi, in his quæ spectant ab ipsam administrationem. CIX. §. 2. p. 250.
Amplia, etiamsi ipsi non sint Parochi. *ibid.* §. 3.
Sacramentalium in Baptismi collatione ab Ecclesia adhibit. antiquitas & dignitas. CVII. §. 29. pag. 242.
Quæ qui contemnat, ad Baptismum admitti nequit. *ibid.* §. 30. 32. pag. 242. 243. V. *Baptismus.*
Sæculares. V. *Laici.*

Sal inter Sacramentalia Baptiſmi. V. *Baptiſmus.*

Saliva, quatenus ad Sacramentalem cæremoniam adhibetur in Baptiſmo. V. *Baptiſmus.*

SS. Salvatoris. V. *Canonici Regulares.*

Sapientia. V. *Archigymnaſium Urbis.*

Sardiniæ Regis pietas & zelus commendatur. XXIII. §. 3. pag. 36.

Schisma in *Hollandia* conflatum. V. *Ultrajectenſis*, V. *Harlemenſis.*

Schisma inter *Maronitas* conflatum. LXXVII. pag. 146. Illud Providentiâ Pontificis extinguitur. CI. pag. 207. CII. pag. 208. V. *Maronitæ.*

Schisma Servianum. V. *Græco-Rutheni.*

Schismatici Paſtores ad Eccleſiam reverſi, animarum curâ non privantur, modò idonei ſint, & conditiones præſcriptas obſervent. CXXIX. §. 12. 13. pag. 294. Ac potiſſimum abſolutionem, rehabilitationem, & diſpenſationem ab irregularitate, aliiſque cenſuris obtineant. *ibid.* §. 14.

Scripta *Servorum Dei* examinari debent, antequam ulterius procedatur in cauſis Beatif. & Canoniz. CXLI. §. 5. 7. pag. 318.

Scriptores Pœnitentiariæ Apoſtolicæ, eorumque munera. XCVI. §. 19. pag. 192.

Secularizationes Eccleſiar. damnantur. XC. pag. 176.

Seminaria Clericorum ab Epiſcopis inſtitui, augeri, & viſitari debent. II. §. 2. pag. 3.

Senogalliæ Civitati conceditur, ut per poſtremos ſeptendecim dies menſis Julii Nundinæ in ea privative celebrentur, cum privilegiis, & exemptionibus, CV. §. 3. pag. 221. V. *Nundinæ.*

Sententia ſuper nullitate Matrimonii. V. *Matrimonium quoad diſſolutionem.*

Sepeliendi jus quoad Parochos, & Subditos Latini, ſeu Græci ritus. LVII. §. 2. pag. 96. Chriſtianorum Cadavera ſepelienda ſunt piis Eccleſiæ Ritibus, rejectis ſuperſtitioſis. LXXXIX. §. 24. pag. 175.

Serviæ & Albaniæ Eccleſiis providetur per opportuna Decreta. LXXX. pag. 173. & ſeqq.

Servianum Schiſma. V. *Græco-Rutheni.*

Sextæ aut Vicesimæ oblatio. V. *Oblationes.*

Sicilia. Utriuſque Siciliæ Regis pietas & religio commendatur. CXL. §. 17. pag. 317. & CXLIV. §. 4. p. 330.

Sigillator Pœnitentiariæ Apoſt., ejuſque munus. XCVI. §. 17. pag. 192.

Signatura Gratiæ à Summo Pontifice ſæpe coram ſe habita. CXV. §. 1. pag. 268.

Coram Signaturæ Juſtitiæ Præfecto, ejuſque Auditore, valide citatur etiam per Citationes Camerales non ſubſcriptas, dummodo præventum non fuerit coram Signatura Legatorum, & Vice-Legatorum, vel ipſi in cauſa non reſcripſerint. CXV. §. 7. 8. 9. pag. 269. ſeq. Exceptis quibuſdam caſibus. *ibid.* §. 10. 11. pag. 270. ſeq.

Signaturæ Præfectus, ejuſve Auditor ſupplere debent errorem partium in petenda ſuperſeſſoria, vel ſubdelegatione Judicis, ubi alterutra locum non habet. *ibid.* §. 10. pag. 270.

Simonia reali ſcienter contractâ, Pœnitentiaria non revalidat Titulos Beneficiorum, aut reſervationes Penſionum. XCV. §. 22. pag. 186. Diſpenſat in foro conſcientiæ ad exercitium Ordinum. *ibid.* §. 19. pag. 186.

Simulatio Mahumetiſmi. V. *Occultatio Fidei.*

Sindici Cameræ Capitolinæ ex Nobil. Roman. Conſcript. Cœtu eligendi. CXLVI. §. 11. pag. 302.

Sinenses Ceremoniæ. V. *Ritus.*

De Soairo Congregatio Monachorum S. Joannis. V. *Monachi Græco-Melchitæ.*

Societas Jesu. V. *Jeſu Societas.*

Sollicitantes. V. *Confeſſarii.*

Sollicitantes ad turpia occaſione Confeſſionis Sacramentalis, perpetuam incurrunt inhabilitationem ad celebrationem Miſſæ. pag. 280. & ſeq.

Sortilegium, Sacerdotes abutentes ſacrificio Miſſæ ad ſortilegia, perpetuam incurrunt inhabilitationem ad celebrationem Miſſæ, pag. 280. 281.

Spectacula inverecunda prohibentur. LX. pag. 205.

Spicarum collectio poſt abſolutam Meſſem Pauperibus permittenda. LVI. pag. 114.

Spinellius, Joſeph Cardinalis, Archiepiſcopus Neapolitanus laudatur. CXL. §. 14. pag. 317. Præficitur operi Sacrarum Miſſionum per Neapolitani Regni Diœceſes haben. cum facultatibus &c. *ibid.*

S. Spiritus. V. *Canonici.* V. *Moniales.* V. *Archihoſpitale.*

Spiritus Sancti Proceſſio a Patre & Filio. LVII. §. 1. pag. 95. Particula *Filioque* in Symbolo omitti poteſt a Græcis. *ibid.* Non tamen ab Albanenſibus, qui eam recitare conſueverunt. *ibid.* Nec ab Italo-Græcis, ſi ſuſpecti ſint, & ab Ordinario requirantur. *ibid.*

Spiritus Sancti Imagines ſub humana Juvenis forma damnantur & prohibentur. CXLI. §. 10. ſeq. pag. 319. V. *Imagines.*

Spolio ſubjiciuntur bona a Clericis, etiam Curialibus, acquiſita per negociationem. XIII. §. 1. & 3. p. 19. 20.

Status liberi probationes ante Matrimonium perficiendæ. XXXV. §. 7. pag. 54.

Stauropegium. V. *Crucis fixio.*

S. Stephani Bajulivo Ord. Hieroſolym. quænam juriſdictio, ſive exemptio competat in Oppido Putiniani. LXXVI. §. 17. pag. 145.

Van Stiphout, Joannes, Pſeudo-Epiſcopus Harlemenſis, nulliter electus decernitur, cum cenſuris & inhibitione &c. CXXXI. pag. 302. Idem illicite conſecratus declaratur, ſuſpenditur ab exercitio Ordinis & juriſdictionis, & excommunicatur. CXXXVI. pag. 311.

Subjectio immediata Sanctæ Sedi importat meram exemptionem paſſivam. LXXVI. §. 16. pag. 145.

Sufragia Fidelium vivorum Animabus Purgantibus proſunt. LVII. §. 1. pag. 95.

Supplicationes ſignatas falſificantes excommunicantur. XIV. §. 6. pag. 21. 22.

Supplicationum remiſſiones contra diviſionem materiarum a Summo Pontifice factam, & abſque expreſſa illius derogatione obtentæ, annullantur. CXLV. §. 9. p. 336.

Supplicatio. V. *Proceſſio.*

Surripientes, aſportantes, aut apud ſe retinentes Hoſtias, vel Particulas conſecratas, Curiæ Sæculari tradantur puniendi. XCIII. §. 1. pag. 181. Et ſi Eccleſiaſtici ſint, degradentur, & Curiæ Sæculari tradantur. *ibid.* Etiam pro prima vice; etiam minores 25. annis, dummodo 20. annum attigerint. *ibid.* Rejectis exceptionibus de non conſecratione, aut de honeſta intentione, niſi ab ipſis Reis probentur. *ibid.* §. 4. & 5. pag. 181.

Synodales Judices. V. *Judices.*

Synodorum & Conciliorum celebratio, Eccleſiæ perutilis, & a Concilio Tridentino commendata. XXXI. §. 1. pag. 45.

Synodorum & Conciliorum celebratio Epiſcopis ſuadetur. XVIII. §. 5. pag. 41.

Synodi Nationalis *Maronitarum* Canones confirmantur. XLIII. §. 5. pag. 67. V. *Maronitæ.*

Synodus Maronitarum, in qua agnitus fuit Patriarcha à Pontifice electus, approbatur, & confirmatur. pag. 208.

Synopsis Reſolutionum in cauſis juriſdictionalibus, & dubiis in Congregatione Lauretana propoſitis editarum, approbatur, & confirmatur. LXXII. §. 7. pag. 130.

Szeptychi, Athanaſius Archiep. Kiovien. laudatur. XCVIII. §. 29. pag. 202.

T

Tabellæ Defunctorum nomine inſcriptæ quatenus Chriſtianis Sinen. retinere liceat. LIX. §. 10. pag. 107.

Taly, ſeu Monile, cum Imagine Idoli, licet informi, prohibetur Mulieribus Chriſtianis. CVII. §. 3. 14. 39. pag. 231. 232. 236. 237. 244.

Tarraconensis Concilii Decretum ſuper reductione dierum Feſtorum de præcepto, a S. Sede approbatur & confirmatur. LXII. §. 1. pag. 116.

In Templis Gentilium nefas eſt Chriſtianis Tibicinibus inſervire. *ibid.* §. 3. 14. pag. 231. 232. 237. 410.

Tenebrarum Officia. V. *Officia Hebdom. Majoris.*

Territorium separatum importat jurisdictionem in Clerum & Populum, in Ecclesias & loca. LXXVI. §. 6. pag. 143.

Tertii Ordinis S. Francisci Confratres. V. *Indulgentiarum communicatio.*

Testes plures, sed singulares quoad varios actus successivos, ex quibus unicum delictum conflatur, si non ad pœnam, sufficientes decernuntur ad Torturam in causis &c. XCVII. §. 4. pag. 196. 197.

Testimonium judicis omni exceptione majoris, in antiquis, attendi debet. LXXVI. §. 15. pag. 144.

Theatinorum Ordini unus locus Consultoris in Congregatione Sacrorum Rituum, perpetuò attribuitur. CXXV. pag. 288.

Theologus Consultor Pœnit. Apost. e Societate Jesu assumi solet: & de ejus Officio. XCVI. §. 15. pag. 192.

Theriaca & Balsamum Apoplecticum a Regularibus vendi possunt. VI. §. 2. pag. 8. & seq.

Thesaurario Generali Cameræ Apostolicæ, competit delatio Roccheti per Urbem, & Lemniscorum usus; pag. 159.

Thibet. In Regna Magni Thibet mittuntur Missionarii. LIII. LIV. pag. 92.

Thomasius Joseph Cardinalis laudatur. CXXV. pag. 288.

Throni, sive antimensia Græcorum. LVII. §. 6. pag. 98. Eorum usus prohibetur Presbyteris Latinis. *ibid.*

In Thurificatione Episcopi, & Gubernatoris Prælati; seu Vice-Legati, quæ regulæ observari debeant; p. 30.

Tibicines. V. *Musici.*

Titulus Beneficii aut Patrimonii necessarius pro Ordinatione Græcorum. LVII. §. 7. pag. 98. & seq.

Toletanum Concilium II. statuit explorandam esse voluntatem Ordinati ad Ordinem Sacrum in Infantili ætate, an velit in ministerio Ecclesiæ perseverare; idque expleto ætatis anno XVIII. Constit. CXXIX. §. 27. pag. 295.

Tonsura Capillorum; quæ pueris alicubi certis Ritibus exhibetur, non inducit cognationem spiritualem inter Tondentem; & Tonsum &c. LXXXIX. §. 17. pag. 174. 175.

Tonsurati. V. *Clerici.*

De Tournon; sive Tournonius; Carolus Thomas Patriarcha Antiochenus, mox Cardinalis, Visitator Apostolicus ad Indias Orientales missus a Clemente XI. Constit. CVII. §. 2. pag. 231.

Decreta publicat adversus Ritus *Sinenses.* LIX. §. 8. pag. 106.

Decretum edit super Ritibus *Malabaricis* die 23. Junii 1704. CVII. §. 3. pag. 231. & seq.

Quod observari mandat sub pœnis &c., donec aliter a S. Sede decernatur. *ibid.* pag. 233.

Decretum confirmatur a Clemen. XI. die 7. Jan. 1706. cum ipsius Visitatoris laude; cum clausula *donec alias &c. ibid.* §. 5. pag. 334.

A Benedicto XIII. absolute confirmatur anno 1727. *ibid.* §. 12. pag. 235.

Sub Clemente XII. iterum examinatur, & cum aliquibus moderationibus confirmatur anno 1734. *ibid.* §. 14. pag. 235.

Traditio Rei confugientis ad Ecclesiam. V. *Extractio.*

Transitus Regularium de uno ad alium Ordinem quomodo concedi possit. XCV. §. 34. pag. 187.

Non conceditur a Religione Claustrali ad Ordines Hospitalarios, aut Militares, excepto Ordine S. Joannis de Deo, nec ad Ord. S. Benedicti antiquioris observantiæ, aliasque similes Congregationes. *ibid.* §. 35.

Ad Ordinem Hospitalarium S. Spiritus in Saxia specialiter prohibetur. XV. §. 5. pag. 25.

Transitus Monialium remitti debet Ordinario pro executione, cum clausulis opportunis. XCV. §. 36. pag. 187.

Transitus a Ritu Latino ad Græcum prohibetur. LVII. §. 2. pag. 96.

Transitus, a Græco ad Latinum ritum permittitur pueris de consensu Patris Græci, & licentia Episcopi Latini. *ibid.*

Adultis Laicis, de licentia Episcopi Diœcesani. *ibid.*

Transitus a Græco ritu ad Latinum prohibetur Communitatibus Italo-Græcorum, sive Albanensium, absque licentia Sedis Apostolicæ *ibid.*

Item Ecclesiasticis quibuscumque, absque simili licentia S. Sedis. LVII. §. 2. pag. 96.

Transitus a ritu Græcorum-Melchitarum ad Latinum, aut Maroniticum ritum, prohibetur. LXXXVII. §. 12. 15. pag. 168. 169.

Translationes Episcopor., earumque causæ, in Congregatione particulari examinandæ. V. §. 5. pag. 8.

Transportatio actorum. V. *Causæ jam contestatæ.*

Tribunalia particularia in Urbe abolentur. XLIV. pag. 69. & seq.

Tribunalium Urbis reformatio. CXV. pag. 268.

Tridentinum. In Tridentini Concilii Editionibus *Sess. XXV. cap.* 11. *de Regul.* mendum irrepsit in interpunctione, quod corrigitur. CIX. §. 13. pag. 252.

SS. Trinitatis Imago sub figura trium hominum æqualium & similium, an permittenda sit. CXLI. §. 29. pag. 321. V. *Imagines.*

Super Triremibus Militiæ S. Joannis Hierosolymitani permittitur celebratio Missarum cum opportunis cautelis. XLI. pag. 63.

Item super Triremibus Pontificiis. LII. pag. 91.

Tunchini Orientalis Vicarius Apostolicus in Cocinchinam ablegatur. CXI. pag. 255.

Turnonius. V. *Tournonius.*

Tyri & Sidonis Archiepiscopus *Euthymius* quasdam Ecclesiæ Græcæ consuetudines nulliter immutavit. LXXXVII. §. 3. pag. 167.

V

Vacabilia Officia. V. *Vincula.*

Vacante Sede Apostolica, quænam facultates competant Officio Pœnitentiariæ. XCV. §. 51. pag. 188. Item ubi & quo ritu celebranda sit Processio Generalis Corporis Christi in Urbe. CXXII. p. 284. V. *Conclave.*

Variatio Fori. V. *Causæ jam contestatæ.*

In Vaticana Basilica celebrari debent Beatificationes & Canonizationes. XXXVI. §. 4. pag. 56.

Apud Vaticanam Basilicam celebrari debet Processio Generalis Corporis Christi Sede Apostolica vacante. CXXII. §. 3. pag. 284.

Vaticanæ Basilicæ Sacrario certæ præstationes asseruntur, occasione Beatificationum; & Canonizationum. XXXVI. §. 5. pag. 56.

Vectigalia aggravari nequeunt in articulis Locationum Cameralium. LXV. §. 8. pag. 119.

Velaminus, Joseph Archiepisc. Kiovien. XCII. §. 2. & 24. pag. 198. 202.

Venientes *ad Sedem Apostolicam*, & ab ea recedentes offendi prohibentur, sub excommunicationis pœna. XIV. §. 9. pag. 22.

SS. Viaticum Infirmis ministrandum, & quomodo deferendum. LXXXIX. §. 22. 23. pag. 175.

Vicarius. Card. *Vicarii Urbis* jurisdictio reducitur ad terminos reformationis Pauli V. Const. XLIV. §. 4. pag. 70.

Et revocantur Litteræ Benedicti XIII. & Clementis XII. *ibid.* §. 22. pag. 72.

Card. Vicario Urbis competit jurisdictio privativa in Causis Matrimonial. Urbis &c. CXV. §. 20. pag. 271.

Item in Causis super institutione in Beneficiis Ecclesiasticis in Urbe & districtu. *ibid.*

In causis contra Clericos Romanos non exemptos, aut Loca Pia Urbis; cumulativa cum solo A. C. *ibid.* pag. 271.

Item competit ei privativum jus interponendi Decreta in contractibus & renunciationibus Regularium Urbis. *ibid.* §. 22. pag. 271.

In causis Mercedis, & summæ scut. 25., competit ei jurisdictio contra quoscumque, non obstante obligatione Camerali. *ibid.* §. 24. pag. 271.

Ejus jurisdictio in causis Laicalibus prorogari potest de consensu partium in actis expresse præstito. *ibid.* §. 18. pag. 271.

Exceptis causis super executione Obligationis Cameralis. *ibid.* §. 19.

Nulla jurisdictio ei competit in prima instantia intra Territoria & Diœceses aliorum Ordinariorum in Districtu Urbis existen. *ibid.* §. 21.

Salvo jure exequendi in illis Citationes & Mandata contra Clericos sibi subjectos. *ibid.* pag. 271.
VICARIUS ad regimen Ecclesiæ curatæ vacantis statim ab Episcopo deputari debet. LXVIII. §. 16. pag. 124.
Vicarii *Curati* tam perpetui, quàm ad tempus amovibiliter deputati, Missam Parochialem applicare debent pro Populo diebus Festis. CIII. §. 4. pag. 214.
Eaque de causa congruis reddititibus sunt providendi. *ibid.* §. 9. 10. pag. 216.
Vicarii *Basilicarum* Urbis in actibus Capitularibus præcedunt omnibus de Capitulo, etiam personali dignitate præstantibus. XCVIII. §. 16. pag. 200. 201.
VICE-LEGATI per Provincias Ditionis Ecclesiasticæ quibus honoribus prosequi debeant Episcopos, & contra. XVIII. pag. 28.
Vice-Legatus. V. *Avenionen.*
VICESIMÆ, & sextæ oblatio. V. *Oblationes.*
VICTUALIA & alia necessaria ad Urbem deferri prohibentes, excommunicantur. XIV. §. 8. pag. 22.
VIGILIÆ. V. *Jejunia.*
VILNEN. Episcopo committitur reductio dierum Festorum in sua Diœcesi. CXXXVIII. pag. 313. & seq.
VINCULA a pecuniis depositis quomodo deleri possint. CXV. §. 38. pag. 272. & seqq.
Ubi V. *Plura super commutationibus investimentorum, subrogationibus &c.*
Vincula imposita super LL. Montium, Officiis Vacabilibus, & Clausulæ *Possessionis vacantis*, deleri nequeunt ab Administratoribus Montium & Componendarum, absque mandato Judicis, & *exequatur* Thesaurarii, sive Datarii respective. CXV. §. 36. pag. 272.
Ubi V. *Quibus cautelis relaxari debeant a judicibus mandata de delendo.*
Vincula Primogenituræ, Fideicommissi, Legati, multiplici &c. imposita super certis LL. MM., vel Offic. Vacabil., cum prohibitione ea alienandi, nunquam, nullaque de causa deleri possunt a Judicibus Ordinariis. *ibid.* §. 37. pag. 272.
VINI, Olei, & Piscium usus in Quadragesima, aliisque jejuniis, conceditur Græcis Italiæ & Insularum. LVII. §. 9. pag. 102.
VIRTUTUM Theologalium actus Populo tradendi, & publicè in Ecclesiis frequetandi. XLII. §. 18. pag. 66.
VISIO BEATIFICA Sanctus non differtur post Judicium Universale. LVII. §. 1. pag. 95.
VISITATIO Pastoralis, & executio Decretorum in ea editorum, Episcopis omnibus inculcatur. II. §. 8. p. 4. & Constit. CXL. §. 18 pag. 317.
In Visitatione Pastorali quænam visitare possit Episcopus in Ecclesiis Parochialibus Regularium. CIX. §. 7. pag. 251.
Et quid cognoscere debeat circa vitam & mores Parochi Regularis. *ibid.* §. 8. pag. 251.
Visitatio Ecclesiarum Cathedralium, & Diœcesum Episcoporum Suffraganeorum a *Metropolitano* fieri non permittitur, nisi de mandato Concilii Provincialis. XCVIII. §. 18. pag. 201.
VISITATIO LIMINUM. V. *Limina Apostolorum.*
Visitatio Officiorum Tabellionatuum, & Actorum in Urbe indicitur, & omnibus Judicibus commendatur. XLVIII. §. 49. pag. 81.
VISITATORUM facultates ad tramites juris, & Litterarum Innocen. XII. reducuntur. XLIV. §. 20. pag. 72.
Visitatores per Civitates & Diœceses deputandi ad fovendum opus Doctrinæ Christianæ. XLII. §. 16. p. 66.
ULTRAJECTENSES Schismatici damnantur. XI. §. 4. pag. 18.
Ultrajecten. Pseudo-Archiepiscopus *Jo. Petrus Meindarts* nulliter electus, illicite consecratus, censuris & suspensione irretitus declaratur. XI. §. 4. 5. pag. 18. & LXX. §. 3. pag. 127.
Eligit nulliter *Hieronymum de Bock* in Pseudo-Episcopum Harlemensem. LXI. §. 3. pag. 115.
Eumque illicite consecrat. LXX. §. 1. pag. 127.
Hieronymo defuncto, pari nullitate eligit *Joannem Van-Stiphout.* CXXXI. pag. 302.
Atque hunc etiam attentatè & sacrilegè consecrat. CXXXVI. pag. 311.
Ultrajectensis Pseudo-Archiepiscopi & Harlemensis Pseudo-Episcopi appellatio ad futurum Concilium Generale damnatur &c. CXXXII. pag. 303.
UMBELLA. V. *Baldacchinum.*
UNCTIO non est sufficiens satisfactio pœnitentiæ. LVII. §. 5. pag. 97. V. *Extrema unctio.*
UNIO Monachorum S. Basilii in unam Congregationem promovetur. LXVI. pag. 120. *S. Basilii Ruth. Ordo.*
UNIVERSITATUM jurisdictiones extinguuntur. XLIV. §. 9. pag. 70. 71.
Universitas studii Generalis. V. *Archigymnasium Urbis.* V. *Avenionen.*
VOTA. Votorum commutatio in Jubilæo Universali. Constit. I. §. 4. pag. 2. & CXX. §. 4. pag. 255.
Votorum commutatio in vim Bullæ Cruciatæ. LXXXVI. §. 8. pag. 165.
Vota simplicia in Congregatione Missionis emissa, a nemine quacumque causa & occasione dissolvi possunt; præterquam a Romano Pontifice, aut a Superiore Generali Congregationis in actu dimissionis tantùm. LXIX. pag. 126.
USURA lucrum supra sortem, ex mutuo. CXLIII. §. 3. pag. 328.
Usuræ labes non minuitur ob moderatam quantitatem lucri, vel ob qualitatem mutuatarii. *ibid.*
Usura præcepto Divino damnata. *ibid.* §. 7. pag. 329.
Quid præstari oporteat ad eam labem vitandam. *ibid.* §. 7. seq.
De Usuris doctrina exponitur, mandato Pontificis; qui eam approbat, ac doceri, & servari jubet. *ibid.* per tot. V. *Mutuum.*

X

XENAJAS Catechumenus negans fas esse Spiritum Sanctum sub Columbæ specie repræsentari, in Concilio Niceno II. damnatur. CXLI. §. 19. pag. 320.

Z

ZAMOSCIEN. Synodus Nationalis Ruthenorum habita anno 1720. XCVIII. §. 3. pag. 199.
ZENOPOLITANUS Episcopus a S. Sede delegatus in negociis Ordinis S. Basilii Ruthenorum. *ibid.* §. 28. p. 202.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

MAGNUM
BULLARIUM
ROMANUM.
TOM. XV. VI.

1734
1745

Th
475